CVRSVS
THEOLOGIÆ MORALIS

R. R. A[DUM] P. P.

ANDREÆ A MATRE DEI

ET

FRANCISCI A JESV MARIA

Collegii Salmanticenſis Carm. Diſc.

S. Theol. Lect. & Definitorum Generalium.

Digitized by Google

CVRSVS THEOLOGIÆ MORALIS

TOMVS PRIMVS,

COMPLECTENS SEPTEM TRACTATVS,

Primvm, de Sacramentis in genere. Secundum, de Baptiſmo. Tertium, de Confirmatione. Quartum, de Euchariſtia. Quintum, de Sacrificio Miſſæ. Sextum, de Pœnitentia. Septimum, de Extrema Vnctione. Et in 4. 5. & 6. plura etiam de Præceptis ſuſcipiendi Euchariſtiam, audiendi Sacrum, Confitendi Sacramentaliter, & de Caſibus reſervatis tractantur utiliſſima.

Per R. A^DM. P. Franciscvm a Jesv Maria, *Collegii Salmanticenſis Carmelitarum Diſcalceatorum S.Theol. Lectorem, ac Definitorem Generalem.*

EDITIO POST HISPANAM ALTERA CORRECTIOR ET AVCTIOR.



ANTVERPIÆ,
Apud Jacobvm Mevrsivm. M. DC. LXXII.
CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google



A^DUM. R^DO. AC AMPLISSIMO DOMINO D. SERVATIO VAES, CELEBERRIMI AVERBODIENSIS COENOBII ORDINIS S. NORBERTI, PIISSIMO, AC VIGILANTISSIMO ABBATI.

CUM Scipio *Præſul Ampliſſime*, Romanorum Dux clariſſimus ex Hiſpaniis in Africam Patris, avorumque Cannenſi clade effuſum ſanguinem ulturus, trajiceret, Artabaxes Hiſpaniæ Regulus cum Scipione fœdus ſocietatemque iniit, inſtructoque, tanti ſœderis celebrandi causâ, convivio, inter Regales Regalis Hoſpitis epulas, malum punicum Hiſpaniæ ſructum nobiliſſimum, in ſinceram fidei, gratiſſimique animi teſſeram hoſpiti Regio, Ducibuſque obtulit hoc lemmate:

Accipe Dux populi magni pia munera noſtra,
Accipe, nam multum quo rapiaris habent:
Accipe, quot intus ſcateant, quod millia grana,
Hoc, quot grana capit, tot tibi corda fero.

Jam

Jam diu multumque (*Præſul Ampliſſime*) perennaturæ pacis, & amoris fœdus nobiſcum iniiſſe viſus eras, cum divino planè zelo, & ſe, dignatione ſua, ſuoſque ſanctiſſimis Reformationis noſtræ inſtitutis, moribus, ſtudiiſque ſeu myſticis, ſeu moralibus, modis omnibus, & per omnia nobis exhibere ſtuduit uniformes: cum innumeris (famâ numquam intermoriturâ) iiſque continuis Tereſianam noſtram Familiam meritis devinxit, pluribuſque muneribus cumulavit, & cumulare parat Beneficiis. Quid tot tantiſque Amplitudini tuæ, ubique magnificæ, ubique munificæ Gratiſſimè reponat paupertas noſtra, dignè, nec potuit, nec habuit: unum nihilominus, cumque inter præclaros alios nobiliſſimum Hiſpaniæ fructum, Theologiam hanc moralem puriori hic luci natam Ampl$^{mæ.}$ D.V. in perpetuum reciproci ac perennandi amoris fœdus, in perennem fidei, Gratiſſimique animi teſſeram conſecramus una voce proclamantes,

Dux populi magni, Carmeli munera montis
Accipe, nam multum quo rapiaris habent.

Verè *Dux populi magni* es, cujus imperium non ut olim Romani in dura gentium ſervitute, vel Dominantis magnificentiâ, aut in gravi populorum ſitum eſt tributo: ſed verè *Dux*, cujus imperium in obſequi omnibus, cujus regnare, omnibus ſervire eſt. Verè *Dux* es qui te ipſum, & alios *Ducis*, & doces: verè *Ducis* eſſe ut non adverſis frangi, ita nec ſecundis poſſe efferri. Hoc in te, *Ampliſſime Præſul*, domeſtici quotidiè, & extranei mirantur univerſi, ſivè enim præclaras naturæ dotes, ſivè innata animi decora, ſi in agendis prudentiam, ſi in conſiliis maturitatem conſiderent omnes: uno ore, unâ voce firmabunt, taliter naturam, in te, divitiarum ſuarum expendiſſe theſauros, ut arridentem ſuperaſſe fortunam videaris: at, quò altius naturâ eveheris, eò ſubmiſſius virtute deprimeris: & cum Divinæ Providentiæ Sacroſancto Conſilio ad Inſulas miſeratione ſua & in *Ducem* populi magni vocaverit Deus, non *Ducem* adeò quam Patrem Præmonſtres omnibus, tum verè Præmonſtratenſis, Patrem pauperum, Patrem pupillorum, *Ducem* pariter & Patrem populi tui: Patrem in pace, *Ducem* in prælio: ut ubicumque tonas ut Pater, ibi fulgures *Ducis* exemplo. Quod ſi etiam inſignium prædeceſſorum ſplendor ſuos habeat irradiarè ſucceſſores: Illuſtrem ſanè *Ducis* tot inter præclara prædeceſſorum ſidera virtutis originem ab unius *B. Andreæ* primi hujus Cœnobii Præſulis ſanctitate, quem ſicuti natura Patriarchæ Veſtri *S. Norberti* fecit eſſe Germanum, ita & gratia à Sanctiſſima Vitæ caſtimonia nihil fecit alienum: cæterum inſignium tot *Ducum* imagines ideò effictas priùs à natura & à Gratia adornatas credimus, ut in tui procreatione ex his omnibus unam veluti zeuxis cyndarim efformaret & clariſſimos inter Præſules hinc *Alexandros*, *Balduinos*, illinc *Godefridos*, & *Robertos*, inter ſpendiſſima Monaſticæ vitæ lumina, avito emicans ſplendore, omnibus virtute ſuperior, ac meritis præclarior orbi appareres univerſo. Veriota, at majora veneranda ſilere cogit humilitas: equidem Claudiano teſte

Sat virtus ſplendore nitet, nec laudibus ullis,
Erigitur, verſuque petit clareſcere vatum.

O vos igitur terque, quaterque beatos, qui talem nacti eſtis *Ducem*, talem nacti eſtis Præſulem, qui novit eſſe Præmonſtratenſem. Verè ergo *Dux*, ſed, *Dux populi magni* es, cujus uberrima ingeniorum fertilitate arida campiniæ loca fœcundata, cujus eximia morum ac diſciplinæ ſanctitate, præclarâ comite prudentiâ, & ſapientiâ, ignorantium mentes in viam veritatis, errantium corda in ſemitam ſalutis maximo Eccleſiæ diriguntur incremento: *Dux populi magni*, cujus in animorum conformi harmoniâ, in omni virtutum caſtimoniâ, in rigidâ regularis obſervantiæ tenacitate ſuperſtites redivivos Norberriacos ſpiritus licet intueri ut in antiquiſſimo hoc ſupra quingentos annos exſtructo Cœnobio primævum religioſè vitæ ſplendorem, & tam exactam regularis diſciplinæ obſervantiam Belgium miretur univerſum ut à temporum injuriis *Averbodia* una videatur exempta, quorum decurſu avita cujuſlibet inſtituti pietas langueſcit: miraculum

Digitized by Google

raculum hoc Orbi & Urbi propalavit teſtis irrefragabilis Illuſt^mus. D. *Aloyſius de Caraffa Vrbani VIII.* cum poteſtate legati à latere, dum abſoluta *Averbodienſis* Cœnobii Apoſtolicâ viſitatione anno à Virginis partu 1628. ad purpuratum Romæ Senatum in hæc verba prorupit: *Magnum paravit animæ noſtræ ſolatium Pater miſericordiarum, atque ad hos extremos limites Apoſtolicæ viſitationis videri poteſt voluiſſe nobis poſt diuturnam fatigationem levamen gratum ſuppeditare: dum ſua providentia ſancto Conſilio diſpoſuit, ut pacem eſſe huic domui, & filios pacis habitare in ea comperitemus: ſpiritum verò* S. Norberti *conditoris ita inter ipſos vigere, ac ſi non ita pridem ſanctæ ejus exuviæ, & oſſa, quæ tam diu inter inimicos fidei cuſtodivit Dominus, ad lucem extrahi voluerit ut filiorum refloreſcere ſanctitatem, atque in partibus his ad Eccleſiarum ſubſidium adhuc diu debere eſſe ſuperſtitem, omnes aſpicerent.* Verè ergo *Dux populi magni* ad te nobiliſſimum hunc Hiſpaniæ fructum delegimus, *nam multum, quo rapiaris, habet*: ut enim graviſſimi teſtantur Salmanticæ Magiſtri, *verborum ſuavitate gratus eſt, ſententiarum gravitate refertus, claritate elaboratus, ſubtilitate firmus, ſoliditate gracilis, acumine egregius, profunditate præſtans*, denique veritate plenus, quia *inconcuſſa* redolet *tutiſſimaque* Doctoris Angelici *D. Thomæ dogmata*, quæ tibi ita unicè ſapiunt, animumque recreant adeò mirificè, ut domeſticas tum inter curas, exteraque Patriæ negotia, tum labores inter innumeros magnificentiſſimo hoc *Averbodienſis* Eccleſiæ non ſinè ſumptibus immenſis extruendo Mauſolæo Mitram curis gravem reddant ſinè cura portabilem: & parum hoc tibi viſum fuerat, ni, & tuos ad Angelicam hanc doctrinam incitares verbo, pariter, & exemplo, ne novis, & extraneis, atque ita ſuſpectis diſciplinis, ſed veridicis, & à Patre luminum approbatis *D. Thomæ* dogmatibus feriò omnes inſiſterent, ut ſplendidiſſimi hujus ſolis radiis ſplendorem mutuent, quem poſtmodum ſuis ovibus communicent animarum conſtituti Paſtores. Suſcipe igitur *Præſul Ampliſſime*, tot tibi titulis debitum puriori luci renaſcentem præclariſſimum hunc Hiſpaniæ fructum in æternum æternandi amoris & obſervantiæ Symbolum, ſuſcipe munuſculum hoc oculis quidem tenue ſed meritis grave gratiſſimâ pariter & manu benefica *Præſul Ampliſſime*, & quotquot perlegeris ſacræ doctrinæ dogmata tot in re ſuſcipias benevoli, gratiſſimique animi monumenta, rectiſſimè enim cum Artabaxe dicimus:

Dux populi magni, Carmeli munera montis
Accipe, nam multum quo rapiaris habent:
Accipe, nam tot quot referunt pia dogmata libri
Tot tibi devotos Dux generoſe ferunt.

AMPLISSIMÆ DOMINATIONI VESTRÆ
SUISQUE

IN ÆTERNUM DEVINCTI

Fratres Carmelitæ Diſcalceati
Provinciæ Flandro-Belgicæ.

SVMA

Digitized by Google

SUMA DEL PRIVILEGIO.

Tiene Privilegio de los Señores del Conſejo por diez anos el Reverendiſſimo Padre Fray Franciſco de Jeſu Maria, *Definidor General de la Orden de Nueſtra Señora del Carmen Deſcalço, para imprimir eſte Libro intitulado:* Primera Parte de Curſos Theologia Moral, *ſin que otro ninguno lo pueda imprimir, como mas largamente conſta de ſu Original, deſpachado en el officio de Miguel Fernandez de Noriega, Secretario del Rey nueſtro Señor. Dada en Madrid à 9. del mes de Abril 1664.*

El miſmo Privilegio tiene el Reverendiſſimo Padre Fray Andres de la Madre de Dios, *Definidor General de la miſma Orden, para imprimir la* Segunda Parte de Curſos Theologia Moral, *ſin que otro ninguno lo pueda imprimir, como mas largamente conſta de ſu Original, deſpachado en el officio de Miguel Fernandez de Noriega, Secretario del Rey nueſtro Señor. Dada en Madrid à 8. del mes de Março 1667.*

SUMMA PRIVILEGII.

CAROLUS Dei gratia Hiſpaniarum, *&c.* Rex Catholicus, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, *&c.* Sereniſſimus Belgarum Princeps; diplomate ſuo ſanxit ne quis præter Jacobum Meurſium, *Curſus Theologiæ Moralis Tomum Primum R. A. P. Franciſci à Jeſu Maria*, & *Tomum Secundum R. A. P. Andreæ à Matre Dei*, Collegii Salmanticenſis Carmelitarum Diſcalceatorum S. Theol. Lectorum, & ejuſdem Ordinis Definitorum Generalium intra novennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum excuſam in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemvè exponat. Qui ſecus faxit præter exemplarium confiſcationem triginta florenorum Rhenenſium pro unoquoque exemplari perſolvendorum pœnâ mulctabitur uti latiùs patet in Litteris datis Bruxellis 12. Julii 1672.

Signat

LOYENS.

APPROBATIO CENSORIS.

Curſus Theologiæ Moralis R. P. Franciſci à Jeſu Maria Tomus Primus, *nuper Salmanticæ typis evulgatus, &* Tomus Secundus *nuper Madriti typis evulgatus* R. P. Andreæ à Matre Dei, *Collegii Salmanticenſis Carm. Diſcalceatorum primitivæ obſervantiæ S. Theol. Lect. ac Definitorum Generalium à Superioribus & Theol. Profeſſoribus approbati utiliter hic Antverpiæ typis evulgari poterunt. In quorum fidem hiſce ſubſcripſi Antverpiæ 15. Septembris 1672.*

AUBERTUS VANDEN EEDEN, J. U. L.
Protonotarius Apoſtolicus, Canonicus & Archidiaconus Antverpienſis. Librorum Cenſor.

AUGU-

AVGVSTISSIMÆ DEITATIS TRONO.

PVRISSIMÆ ANGELORVM, REGINÆ, PIISSIMÆ HOMINUM ADVOCATÆ,

Singulari Carmelitarum Altrici ſanctiſſimæ Virgini MARIÆ de Monte Carmeli.

RItus ille (ô Virgo Beatiſſima) apud priſcos ſuperſtitionis cæſtro percitos invaluit , ut Minervæ icones ante civitatum januas , quibus ad ſecretiora patebat aditus, collocarent. Quapropter huic numini *Pylaitidos* epitheton dedêre: quia nimirûm pingebatur in urbium portis: ut Æſchyli obſervat ſcholiaſtes. Inquam obſervationem cum aliæ rationes potuiſſent adigere,illa (ut auſpicamur) princeps compellebat , quod Minervam ſcientiarum , & artium omnium altricem exiſtimarent, è quibus totius civitatis nitor, & recta gubernatio dependet. *At in homines Minerva* (effutit impius ille chriſtiani dogmatis proditor , & deſertor) *Iulianus orat. 4.* ***bona iſta confert, ſapientiam , intelligentiam , mechanicas artes: urbium quoque artes continère dicitur , quod civilem communionem ſapientia conſtituit.*** Sed apage fabellam, & delirium. Nihil etenim à veritatis tramite longius aberrat, quam vaniſſimum ementitæ Deitatis ſimulacrum ſtudiis , & artibus adſpirare, ut idcirco in urbium valvis debuerit ſculpi. Siquidem non Dea; ſed Dei genitrix ſapientiam fœneratur hominibus: non illa è Iovis cerebro fabuloſè procedens; ſed iſta, quæ ſapientiam à Patre luminum procedentem continuit alvo , & ad orbis doctrinam benefica luce profudit. Quidni ambigimus (ô Beatiſſima) te ſapientiæ aſtrum illuminatum , & illuminans compellare , cum te, & luce plenam , & lucem in nos ſuſpiciamus exuberantem ? Sapientiæ Sol intra virgineum clauſtrum tuum , virgineum carnis tuæ ſuperinduit amictum : & deinceps eodem Sole amicta progrederis, & Ioannis obtutibus te te objicis contemplandam. Vt ſubinde mellifluus Abbas potuerit meritò inferre : *Iure* *D. Bern. in ſerm. ſign. mag.* ***Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam divina ſapientia , ultra quam credi valent, penetravit abyſſum:***

ut quantum ſinè perſonali unione creatura conditio patitur, luci inacceſſibili videatur immerſa. Nec immenſum hujus ſapientiæ ſplendorem intra te concludis avâra; ſed ad homines, qui ob offuſas ignorantiæ tenebras cæſpitamus, liberali manu derivas. Imbibiſti ſapientiæ lumen; quid ni radios, & faces evibres? Vt ſicut Filius à ſe omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat: ſic & tu ex Filii luce luceas, & inſcitiæ noſtræ noctes diſpellas, & elimines. O quot Eccleſiæ lumina concinunt in hunc ſenſum, & conſpirant! *Liber incomprehenſibilis eſt* (affatur Epiphanius) *qua Verbum Patris mundo legendum exhibuiſti, qua cunctos Trinitati credentes illuminas.* Atque ingeminat in tui gloriam Bernardus: *Ipſe Sol juſtitiæ de te proceſſurus ortum ſuum matutina quadam irradiatione præveniens, in te lucis ſuæ radios copioſè transfudit. Tu pulchra ut Luna diceris, eiq́ non immeritò compararis. Illa enim transfuſo in ſe ſolari lumine noctem noſtram illuminat: tu virtutum à Deo inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, ſicq́ noſtram noctem illuminas: qui enim vias tuas conſectatus fuerit, non ambulabit in tenebris; ſed lumen vitæ inveniet.* Et ſuffragatur Magnus Albertus: *Hæc eſt lux, quæ poſt Filium illuminat omnem lucem.* Sed quid alios quærimus, & oberramus, cum hujuſce tui in homines Magiſtri Filium, & Sponſum poſſimus producere encomiaſtem? Sic enim in illa tuæ pulchritudinis panegyri: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Vertunt aliqui ex Hæbreo: *Quæ ædificata eſt ad diſciplinas, ad doctrinas:* vel aliter: *Quæ ædificata eſt ad uſum dirigendi homines.* Ex quo enim ſapientiam æternam, Verbum Patris caſtiſſimè generaſti, diſciplinarum cathedram ſubjiſti, ut genus hominum edocères, ut errorum diſpelleres caliginem, ut nos, qui inter tot procellas obruimur, erudires, & velut eminens turris, aut Pharos in placidam dirigeres ſtationem. Quidquid enim in te (ô Sanctiſſima) intuemur, diſciplinam redolet, norma eſt, doctrina eſt, & eruditio: ut meritò dixerit Ambroſius nos incitans in tui amorem magiſterii: *Ipſa te edoceat, quæ virtutes magiſtras habet: quia quidquid egerit, diſciplina eſt.* Sed quorſum hæc? Planè ut oſtenderemus, cur in noſtri operis limine te ſplendère curaverimus, & ad januam totius hujus Curſus Moralis

D. Epipha.

D. Bern. in oratione quæ eſt poſt ſerm. Aſſumpt.

Albertus Magnus de laudibus B. V. lib. 7. cap. 10. in princip.

Cant. 4.

Leo Iudas, Vatablus, Genebrardus, & alii apud Maluendam.

D. Amb. lib. 2. de Virg.

ſcul-

ſculpſerimus imaginem. Etenim ſi Minervam ſuam in portis urbium Ethnici depingebant, quia diſciplinarum Patronam autumabant, & adjutricem: jure optimo ingratitudinis titulo inuremur, ſi in ipſo operis ingreſſu, tui (quæ ſapientiſſima, & ſapientum eſt altrix) non ſuſpenderimus inſignia. Suſpendimus, & te in piiſſimam accimus advocatam. O utinam, qui januam hanc ſtudendi ergò adierint, & ſecretiora doctrinæ penetraverint, mentis aciem in te dirigant: ut ſapientiæ lucem mutuentur plenius; & Deo (cujus gloriæ inſiſtimus) affluentius placeant Ità petimus, ità preſtolamur: neque in caſum ibit votum, nam & latentem hanc ſpem noſtram ſubolfacimus in Pſalmiſta. *Diligit Dominus portas* *Sion* (te autem Sionis ſpecie adumbrari tritum eſt) *ſuper omnia tabernacula Jacob.* Nevienſis autem vertit ex Chaldæo: *Diligit Dominus portas ſtudioſorum.* Illorum ſcilicet, qui per te ingrediuntur, qui te velut omnium ſcientiarum, & artium januam adeunt, & per te ad IESVM, qui æterna Sapientia eſt, exambiunt penetrare devoti. Quid autem portæ Sion premonſtrent, in hunc modum rimatur bonus interpres: *Sed quæ ſunt portæ Sion, id eſt Eccleſia, niſi ipſa Sacramenta, per quæ intramus Eccleſiam, ut eſt Baptiſmus?* Cùm autem tota mens noſtra in hoc opere, ut has portas reſeraremus, inſudaverit, & difficultates circà Eccleſiaſtica Sacramenta, tùm in communi, cùm in particulari circà Baptiſmum, Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, & Euchariſtiam reſerare, & extricare contenderit: portas Sionis aperimus: te enixè interim deprecantes, ut portis aſſiſtas, ut viam indigites, quatenùs ſtudioſi, qui portas Sion, ſive Eccleſiaſtica Sacramenta frequentaverunt, placeant Deo per te, cui nos per te edoceri antè ſecula placuit. Patere ergò (ò Piiſſima) in ipſâ fronte operis evocari: ſuſcipe illud tuâ fronte, hoc eſt benignâ, ſuſcipe tuis oculis, nimirùm piiſſimis: fove, & fave.

Pſ. 86.

Nevienſ.

N. Incognitus ad hunc locum.

Tuos inter ſervos minimus,

F. FRANCISCVS A IESV MARIA.

PROLOGUS AD LECTOREM.

Miraberis (Lector benevole;) & forſan non boni conſules, nos eâ brevitate difficultates morales percurrere, ut eos in uno volumine complexi fuerimus tractatus, quos in diverſis, iiſque integris ſolent alii latiſſimè exarare. Verùm æquo animo eſto : etenim ut nos contrarium procedendi modum capeſſeremus, rationes minimè ſpernendæ conciârunt, ex quibus unam (quæ impulit vehementer, immò & compulit) referre libet, quam te admonitum eſſe cupimus. In id noſtræ Sacræ Religionis Carmelitarum Excalceatorum continuò deſiderium exarſit, ut Religioſi, qui ſacris confeſſionibus inſiſtunt, & animarum profectui, eâ doctrinâ imbuerentur, eâ dexteritate in rebus moralibus pertractandis pollèrent, ut munus adeò magnum cum laude poſſent obire, atque animabus, Religioni, & Eccleſiæ proficui forent. Cum autem ad hæc præſtanda non ſolùm morum integritas, & innocentia vitæ, ſed etiam ſtudium & Sapientia, eaque non levis, aut perfunctoria requiratur : nihil non fecit, ut hæc, & illa feliciter aſſequeretur, & nexu indiſſolubili copularet. Cumque ad illud primùm plura reperit media; hoc unicum delegit, ut conſequeretur poſterius, nimirùm quod ſcholaſtici nequaquam Theologiæ morali navarent operam, niſi Philoſophiæ, & Theologiæ ſcholaſticæ peracto curriculo, & in utriuſque principiis ſufficienter imbuti. Tunc autem ad aliud Collegium pro ſtudiis Theologiæ moralis unicè deſignatum ſeſe conferrent : ubi ſub duobus Lectoribus iis ſtudiis impensè vacarent, & lectionibus, concluſionibus, aliiſque hujus generis concertationibus exercerentur. Et quia Majores Noſtri juſtis de cauſis voluerunt, ut Lectores diſcipulos edocèrent, non quidem dictando: ſed aliquem ex probatioribus Doctoribus exponendo: deligendus fuit Auctor, in cujus Doctrina omnes partes pro tyronum inſtructione exactè concurrerent. Id quod noſtris Lectoribus multum faceſſivit negotii : nam cum ad diſcipulos in hac facultate probè inſtruendos præcipuè exigatur in Doctore recta ſententiarum electio, in ſimul brevitas, & perſpicuitas rarò inveniebatur, qui iſta conjungeret: & licèt iſte, aut ille iis omnibus probaretur, ejus tamen volumina pro omnibus Collegiis, & Scholaſticis perdifficile erat comparare. Eapropter nobis injunctum eſt, ut hæc in duobus, vel tribus voluminibus præſtaremus : opus quidem adeò grave, & noſtris viribus impar, ut poſſemus meritò diffidere. Aggredimur tamen obedientiæ ſtimulis agitati, & obedientiæ virtuti innixi, vel ob hoc ſolùm veniâ donandi, ſiquid abſonum (quod timemus) irrepſerit : quia *ſine culpa* (inquit Beatus Ennodius) *vincitur operis immenſitate, qui ad portandam ſarcinam, etſi impar, tamen devotus occurrit.* Hic ergò, benigne lector, noſtri

Ennodius. Lirinen. c. 27.

ope-

operis ſcopus : hæc totius noſtræ intentionis Cynoſura, diſcipulos ſcilicet edocére, & ea ſcribere, quæ ad illorum celerem, & optimam inſtitutionem magis poterùnt conducere. Vndè minimè nobis animo fuit infinita argumenta, & replicas texere, vel exoticas inſerere opiniones, ſed magis iſta omnia reſecare ut inutilia, velut minus incipientibus non proficua, & claritatem, & brevitatem affectare, maximé verò ſententiarum maturam electionem, & judicium. Claritatem quidem : quia cum incipientibus præcipuè nobis agendum eſt, quos vel ab ipſo ſciendi limine obſcuritas, & difficultas deterrent. Vndè hanc excellentiam deſiderabat Lirinenſis in Magiſtro. *Intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur : per te poſteritas gratuletur intellectum, quod antea vetuſtas non intellectum venerebatur.* Brevitatem quoque obſervare opportuit : quia, ut experientiâ compertum eſt, prolixitas aliquorum Auctorum (quos doctiſſimos eſſe minimè diffitemur) nauſeam legentibus ingenerat ; & qui avidius cœperant ſtudere, labore legendi, & multitudine rerum preſſi, ſolent doctrinam, etiam optimam faſtidire. Nec tamen neceſſaria ad diſcipulorum tyrocinium prętermiſimus, *ut qui terrarum orbem unius tabula ambitu circumſcribunt aliquanto detrimento magnitudinis, nullo diſpendio veritatis.* Vbi autem difficultas aliqua valdè implexa ſeſe offert, illi operoſius inſiſtimus argumenta utriuſque partis trutinantes, ut congruam de utraque poſſimus ferre ſententiam, & oppoſitis ratiociniis ſatisfacere. Hæc autem prolixitas (ſi quæ eſt) improbari non debet. *Nam* (ut affatur Sanctus Iſidorus Peluſiota.) *Si affirmandum dumtaxat, & pronunciandum ſit, brevis, atque compendioſa ſit oratio. Si autem probandum, & demonſtrandum, tum verò, ut in longinquum extendatur, omnem autem redundantiam, atque earum rerum repetitionem fugiat, neceſſe ſit.* Præcipuum autem, quod in hoc opere præſtandum exoptavimus, fuit optimarum opinionum electio : reperiuntur namque in aliquibus Auctoribus nimis laxæ ſententiæ, in quas incauti cum facilè incurrant, damnum ſibi, & aliis ex hujuſmodi lectione reportant.

Lirinen. cap. 27.

Auſon. in panegy. ad Gratian. Imp.

D. Iſidor. Lib. 3. Epiſt. 57.

Pauci namque manus norunt adhibere peritas.
Hic ubi vicina eſt vitiò pulcherrima virtus.

D. Greg. Nazianz. Carm. 45. de parab. Evang.

Vndè impenſè nobis laborandum fuit, ut proborum Auctorum ſententias (citrà injuriam tamen aliorum) deligeremus, maximè illorum, qui placita D. Thomæ Doctoris Angelici conſectantur, & conſequenter ad principia tum Philoſophica, tum Theologica in ejus ſchola recepta, & à Noſtris Scholaſticis ebibita procedunt. Hæc intendimus, hæc deſideravimus: an autem fuerimus aſſecuti, noſtri non eſt judicare. Tu Lector videas. Longioris verò, & exactioris circà has materias diſcuſſionis, quæ ſolet provectis, & ſapientioribus magis arridère, nolumus te deſperatum omninò relinquere, ſperamus ſiquidem, quod hæc

hæc eadem (ſi Deus optimus votis annuat) diffuſiori calamo examinabunt Noſtri Salmanticenſes ſuum Theologiæ Curſum proſequentes: ut æquabiliter emolumento eſſe poſſint incipientibus, quæ nunc nos offerimus; & doctioribus, quæ illi cudenda inpoſterum meditantur. Si aliquid in hoc opere reprehenſione dignum offenderis, ſpongiam offerimus, parati ſemper tui, & prudentum experiri cenſuram. Sin autem, vel minimum laudabile repereris, eo utere, & Deo refer acceptum: in cujus gloriam hæc omnia ſint.

NOTA (amice Lector) in hac ſecunda editione paucos hinc indè citatos eſſe, eoſque recentiores Auctores, quibus Theologi, maximè religioſi communius uti ſolent: idque ut aliquorum inſtantiis, & plurium utilitati, ac commoditati ſatisfieret: ex profeſſo tamen eorum opiniones aut non explicuimus, aut ut nobis contrarias non impugnavimus, quia latiorem, ut diximus, & profundiorem horum omnium diſcuſſionem ſapientiſſimi Patres noſtri Salmanticenſes meditantur. Fruere interim modico hoc labore; & ſi fortè non omnes ex innumeris primæ editionis erroribus correcti fuerint, aut pauci etiam novi propter abſentiam & infirmitatem correctoris irrepſerint; facilè à benevolo & prudenti Lectore corrigendos ſperamus, tantoque gratius, & lubentius alium de religione, *&c.* tomum typis paratum acceptandum, quò jam recuſos placuiſſe non dubitamus. *Vale.*

FA-

FACVLTAS ORDINIS.

FRATER GABRIEL A MATRE DEI, Generalis Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, primitivæ obſervantiæ. De conſenſu noſtri Defioitorii, ut liber cujus titulus eſt, *Curſus Theologiæ Moralis*, *Pars prima*, à P. Fr. FRANCISCO A JESU MARIA, Sacræ Theologiæ I ectore noſtri Collegii Salmanticenſis accuratè compoſitus, & à gravioribus, doctiſque viris noſtri Ordinis (quibus ipſum videndum, & examinandum commiſimus) recognitus, & approbatus typis mandetur, & in lucem prodeat, obtenta facultate Ordinarii, tenore præſentium licentiam concedimus. In quorum fidem, præſentes, manu noſtra, ac Secretarii nomine ſubſcriptas fieri juſſimus. In hoc noſtro Collegio Salmanticenſi, die vigeſima quarta menſis Septembris, anno Domini milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi tertii.

FR. GABRIEL A MATRE DEI, GENERALIS.

FR. THEODORUS A SANCTO JOSEPH, SECRETARIUS.

LIÇENTIA ORDINARII.

DON GABRIEL DE ESPARZA, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Epiſcopus Salmantinus, Regiuſque Conſiliarius, &c. Teoore præſentium, quantum ad nos attinet. Approbamus librum, cujus titulus eſt, *Curſus Theologiæ Moralis*, *prima Pars*, *&c.* Accurate compoſitum à R. P. FR. FRANCISCO A JESUS MARIA, Carmelita Excalceato primitivæ obſervantiæ, Rectore, & ſimul Sacræ Theologiæ Lectore Salmanticenſis Collegii ejuſdem Ordiois. Et licentiam, & facultatem concedimus, ut prælo poſſit dari; quatenus ex noſtra commiſſione examinatus jam, & approbatus eſt à Reverendiſſimo P. M. FR. MARTINO DE MONTALVO, in hac Salmanticenſi Academia ſacræ Scripturæ digniſſimo moderatore: nihilque in eo fidei ullo modo diſſonum, nec bonis moribus contrarium, inventum ſit; ſed commuoi potiùs, & publicæ utilitati valde expediens judicetur. Datum Salmanticæ die decimâ octavâ menſis Decembris, anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi tertii.

GABRIEL EPISCOPUS SALMANTICENSIS.

De mandato Domini mei Epiſcopi.

D. JOANNES DE ESPARZA, SECRETARIUS.

Cenſura Reverendiſſimi P. M. Fr. MARTINI DE MONTALVO, Auguſtiniani, Cathedræ Sacræ Scripturæ in Alma Salmanticenſi Academia moderatoris digniſſimi.

MOrem gerens Illuſtriſſimo Domino D. GABRIELI DE ESPARZA, Salmanticenſi Epiſcopo, diligenti, & accurata diſcuſſione ad amuſſim evolvi, atque perlegi volumen iſtud, cujus inſcriptio, ſeu titulus eſt, *Curſus Theologiæ Moralis*, *Pars prima*, *ſeptem complectens Tractatus: primum de Sacramentis in genere: ſecundum de Baptiſmo. &c.* Ejuſque Auctor Reverendiſſimus, pariterque Sapientiſſimus P. M. Fr. FRANCISCUS A JESU MARIA, ex Perilluſtri, ac Præclariſſima Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum familia, & totius Sacræ Religionis bis Diffinitor Generalis, ſemel, & iterum nunc digniſſimus Rector in obſervantiſſimo Salmanticenſi Collegio, & in ipſo ſtudiorum Theologiæ Primarius Regens, in quo munere per plures annos jam pridem, omnium plauſu ſe exercuerat. Et poſt exactam voluminis diſquiſitionem, ingenuo animo, omnique aſſentatione proculpulſa, fateor quam plura, immo ferè omnia inveniſſe non ſolum approbatione, ſed etiam admiratione digna: videlicet præſtantiam in verioribus ſententiis eligendis, acumen in illis comprobandis, gravitatem, & perſpicuitatem ſtyli, ſubtilitatem, facilitatem, & claritatem, ita ut quæ alii promiſcuè ſtupendis voluminibus, quibus evolvendis vix vita ſufficit, pertractant; hic Auctor paucis verbis ad unguem complectitur; adeo ut vix aliquid momenti ſuppeditent aliorum numeroſi codices, vel ex locis Sacræ Scripturæ, ex doctrina Patrum, ex ſacrorum Canonum, & Theologorum penu, quod non fuerit fœliciter, & nervosè ab eo tactum, & elucidatum. Et ut uno dicam verbo, Auctor noſter nulli impar, nulli ſecundus ex his, qui ex uberrimo, atque limpidiſſimo Carmeli fonte hauſtis clariſſimis aquis, totum veræ doctrinæ, & ſcientiæ campum irrigarunt, fœcundaruntque: in omnibus enim eorum eruditionem, & ſapientiam maximam maximè redolet. Hiſce de cauſis cenſeo volumen iſtud dignum eſſe, ut in lucem prodeat, & in ore omnium natet, ad ipſorum profectum, & utilitatem. In Conventu Sancti P. Auguſtini Salmanticenſis, die 16. menſis Decembris anno Domini 1663.

FR. MARTINUS DE MONTALVO.

EX MUNERE CELEBERRIMI BENEDICTINI

Collegii Divo Vincentio Sacri, Auctori de Curſu Morali Sacramentorum Theologico gratulantur in Salmatina Academia laureati Magiſtri.

VOLUMEN HOC THEOLOGIÆ MORALIS CURSUM A R. P. M. FR. FRANCISCO A JESU MARIA, Auguſtiſſimæ Carmelitarum Excalceatorum Familiæ fauſtiſſima prole, gravitate refertum, claritate elaboratum, ſubtilitate firmum, ſoliditate gracile, acumine egregium, vi, ac profunditate elucubratum, accuratè percurrimus, omnes in eo perluſtrando vigilias contulimus. Nec nuvum, Auctorem hoc in opere, ſeſe mirabilem præſtitiſſe: quippe à primoribus Carmeli apicibus hæreditario ſuxit ordinis: Doctorum, inquam, Sapientum, cætus, à quibus radicem ſumunt inſtituta ſapientiæ; qui triticeam de ſoliis ſegetem, qui fœcundas de ſterilitate ingeniorum glebas efficiunt, & gravidas ariſtas ad ſcientiæ horrea, ne fames inſaniæ poſſit prævalere, advehunt. Dum ergo hancce Sacramentorum omnigenis lauticiis inſtructam menſam guſtavimus D. Paulini *Epiſt. 31.* verbis affamur: *Appoſuiſtis mihi eſcas, quæ me eſurientem facile in omnia verborum veſtrorum, quaſi in varia electarum guſtu & aſpectu dapum ſcitamenta rapuerunt; ut gula potius mea; quam inopia mimor auderim ſumere quibus paria præparare non poſſum.*

Auctoris in Sacramentorum Curſu ſcopus eo eſt, ut in fidelium pectoribus viam Sacramentis paret; vel Sacramentorum Curſum, recurſumque cæleſtem indigitet. Alta petit, feliciter tamen in metam collineat. Aſt quid mirum! Cum jam pridem Evangelicæ Aquilæ in conniventibus oculis enucleatus arcana; & nubium tenus ſublimatus altiſſimæ mentis alis evectus. Non jam Aquila (P. Nicolaus Cauſſin. *de eloquentia Sacra lib. 16. cap. 3.* de D. Dioniſ. Areopag.) Sed Angelus quiſpiam loquens è turbine; aut ut Elias igneo curru devectus, ſupra nubes, & pluvias, & ventos, & quidquid mortale eſt, audaciſſimo niſu conſurgat. Si jam mentis aciem tot inter Apocalypſeos oſtenta exacuit, myſticiſque: ac pretioſis pluſquam lydiis lapidibus probavit; quidni Sacramentorum ſenſum faſtigans compreſſa cacumina nectat? Quidni arcanorum oppanſa vela, ab humano lumine, & captu ſubducta, revelet? Quidni militantis Eccleſiæ Sydereo ſpatio lucis, claritatis, & pulchritudinis latibulo lucem aucturus, curſum ſignaturus audeat: & dum ſeptem chariſmatum ſtructuram ediſſerit, quaſi cæleſtem curſorem egiſſe dicamus?

Appoſitè P. Athanaſius Kicher in ſua arte magna lucis, & umbræ in ſphæra tropologica lucis, ſtellas ſeptem errones cum ſeptem Eccleſiæ Sacramentis confert: Luna humiderum Regina, ſacri fontis lavacrum. Mercurio, vi rerum confortatrici myſterium chriſmatis, animi in adverſantium poteſtatum machinationis munimen. Sole, Euchariſtia, vena vitæ, fons ſaluris, radius æternæ lucis, mentalis mundi Sol fulgentiſſimus, omnium donorum, gratiarumque ſpiritualium penuarium. Marte, Pœnitentia, quâ anima Martia fortitudine, trifauci bellum inimico indicet. Iove dignitatis, poteſtatiſque, largitore ſacer Dominii, & dignitatis ordo. Saturno, mortis ſymbolo, Extremę Unctionis myſterium. Venere, almum individuæ ſodalitatis connubium, maritalis gratiæ vinculum exponuntur. Curſum ergo peregiſti cæleſtem, dum toto organo inſtructam Sacramentorum ſubſtructionem erigis, & Cycicenos ſtateres communi fœnori paras, communi utilitati, doctis, ac indoctis in ſtuporem, profectum, admirationem, & fructum. Sic accidere in cæleſti fabrica meditatur D. Gregorius Niſſ. de infantibus præmaturè mortuis. *Quemadmodum*, inquit, *in cæleſtibus miraculis apparentes pulchritudinem ex æquo quidem videt ſive eruditus ſive rudis, & idiota fuerit is, qui in talo ſuſpicit: ſed aliter de iis cogitat is qui a Philoſophia ad contemplationem earum venit: aliter item is, qui ſolis ſenſibus id, quod apparet, permittit. Hic enim vel radiis Solis delectatur vel pulchritudinem ſyderum miraculo dignam judicat vel numerum Lunaris curſus in menſe obſervat. At is, qui animo perſpicax, & per eruditionem ad contemplationem cæleſtium purgatus, & excultus eſt, omiſſis his, quibus ratione minus utentium ſenſus delectatur, rerum univerſarum harmoniam, hoc eſt conſentientem, & quaſi concinnentem conſpirationem, copulationem, atque coagmentationem intuetur.* Eodem modo tu quoque ô charum nobis caput, &c.

Hinc voluminis hujus plauſum, & fortunam ſecundam præſentimus, illique Jovis taxillos fauſtè caſſuros, & vel ipſum zoylum, libido dente poſſito, admiratione afficiendum. Sicuti namque malevolentiæ facibus in cælum agitatur nemo, & ne Saturnius quidem oculus eum faſcinat; ſic neque hunc Sacramentorum curſum Planetarum orbitam, ſpiritualium Stellarum æternandam ſtructuram. Enim verò (Sol interdum lunari corpore occurſante, & obumbrante deficit, at glorioſum hunc laborem adamante notatum, nec lima labentis atteret ævi, aut de ejus gloria aliquid delevabit vetuſtas: Dignus planè cedro temporum viciſſitudines ſubridebit. Ergo (Syniſius *Epiſt. 9.*) longa te, & felix ſenectus maneat vir piiſſime, ac ſapientiſſime. Nam, & alioqui ingens vita tua lucrum eris ſuperſtes, & maxima ſcholæ Chriſti acceſſio, ſolemnium librorum numerus una cum annis excreſcens. Nam qui hocce anno miſſus eſt liber, & voluptate civitates affecit, & profuit: hoc quidem ſententiarum gravitate; illud vero ſuavitate verborum. Salmanticæ ex noſtro Collegio D. Vincentii tertio nonas Maii anno Domini 1664.

M. Fr. MAURUS DE SOMOZA,
Abbas S. Vincentii Salmanticenſis,
& Cathedraticus Scoti.

M. Fr. ANTONIUS DE CASTILLO,
Regens Collegii D. Vincentii,
& Cathedraticus Salmantinus.

M. Fr. PHILIPPUS VAHAMONDE,
Lector Theologiæ.

M. Fr. PLACIDUS DE PUGA,
Definitor Judex, & Lector
Theologiæ Primarius.

M. Fr. IOSEPH GOMEZ, Lect. Theol.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA ET APPROBATIO
R. P. M. Fr. JOANNIS A CRVCE,

EX INCLYTA, & FLORENTISSIMA PRÆDICATORUM Familiâ, in ſuo ſancti Stephani toto orbe celeberrimo Salmantino Cœnobio olìm Theologiæ Scholaſticæ moderatoris, & Præſulis, ſicut, & nunc in ſuo perinſigni Matritenſi Monaſterio Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de Atocha.

EX Supremi Senatûs commiſſione cum ſummo ſtudio, nec minori profectu perluſtravi inſigne opus, cujus titulus Curſus Theologiæ Moralis, Tomus primus, *&c. Ejus Author Reverendiſſimus, ac Eruditiſſimus* P. F. FRANCISCUS A JESU MARIA, *Carmelita Excalceatus, bis Definitor Generalis, ſemel, & iterùm Rector ſui Salmanticenſis Collegii, ac Primarius Moderator in ſacræ Theologiæ palæſtrâ. Veritatem fateor, non tàm Cenſoris, quàm illius præclari magiſterii in edocendo, præconis munus gerere devinctus ſum, Etenim in ejus oculatâ diſcuſſione nihil reperi fidei, aut bonis moribus diſſonum; ſed omnia veritati, & pietati conformia, ac maximâ laude digna. Ea ſiquidem ingenii dexteritas, & judicii pondus elucet in Authore, ut tàm in moralibus punctis, quàm in dubiis ſcholaſticis enodandis ſe apprimè doctum oſtendat: ſemper conſulit animæ ſaluti, conſcientiæ ſecuritati, in ſeligendis opinionibus prudens, ac circumſpectus, omnia revocat ad lydium Thomiſticæ Doctrinæ lapidem, à quâ ne per latum, ut aiunt, unguem, unquàm exorbitat; ſed cuncta, maximè quæ graviores difficultates concernunt, Angelici Doctoris teſtimoniis, atque rationibus firmat. Argumenta, quibus ſuum placitum ſancit, & ornat, ingenii vivacitatem manifeſtant. Adverſariorum nodos modeſtia religioſa efficaciter diluit. Verborum perſpicuitas, & ſtyli facilitas ea ipſi eſt, ut veritatis lucem, vel luſcis, & lippientibus inſinuet. Sed quod pluris haberi debet, tot quæſtiones, & difficultates in hoc volumine reperiuntur maximâ claritate reſolutæ, & concinnâ methodo diſpoſitæ, quot alii immenſis Voluminibus verſant, nec plenè ingenti verborum, & rerum prolixitate dilucidant, ut de illo propalare poſſim cum Euripide.*

O pueri iſtud ſapientis eſt viri, paucis
Plurima poſſe verba benè complecti.

Mirum eſt quantâ majeſtate connectit ſubtilia Theologiæ ſcholaſticæ moralium doctrinarum moderationi, ità ut perfectè debitum ſolvat ſapientibus, & inſipientibus. Tyrones enim in his diſputationibus facilem deprehendent viam ad diſciplinas morales adipiſcendas. Docti ejus ſtudioſâ lectione reddentur doctiores; ſapientiores verò nihil incompletum agnoſcent: omnibus omnia factus eſt, erudiens diverſi ſtatus, & ingenii ſtudioſos, aſſequutus in opere ſuo id ſtyli culmen in ſcribendo, de quo Caſſiodorus in proœmio variarum. Neceſſe nobis fuit ſtylum non unum ſumere, qui perſonas varias ſuſcepimus admonêre; aliter enim multâ lectione ſatiatis, aliter mediocri guſtatione ſuſpenſis, aliter à litterarum ſapôre jejunis perſuaſionis causâ loquendum eſt. Ut interdùm genus ſit peritiæ vitare, quod doctis placeat: proindè Majorum pulchra definitio eſt. Sic aptè dicere, ut audientibus poſſis concepta ſuadêre. *Hæc Caſſiodorus. Et ea omnia ſapienter aureo hoc volumine præſtat Author. Cumque aliqui Doctores, pauciores tamen, rigidas opiniones affectent, alii è contrà, iique plurimi, in laxas, (quas vocant, pias) ſententias declinent, doctiſſimus hic vir, utrumque extremum cavêre ſatagens, ea dumtaxat approbat, ſive auſtera, ſive pia, quibus firmitatem authoritas, & ratio conciliat. Undè opus prælo digniſſimum cenſeo: & id laudem Authori, commodum ſtudentibus, utilitatem reipublicæ ſpero, immò ſpondeo, non parva allaturum: quod præclara commentaria in Apocalipſim ab eodem jam pridem edita, nacta ſunt. In cujus fidem hæc ſcripſi. Matriti die decimâ ſeptimâ Martii. Anno Domini* 1664.

Fr. Joannes à Cruce.

INDEX
CAPITUM, DUBIORUM, ET PUNCTORUM,
Quæ in quolibet ex Tractatibus hujus primi Tomi continentur.

TRACTATUS I.
De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

De eſſentiâ, & definitione Sacramenti in communi.

Punct. 1. QUid ſit Sacramentum?
Dub. 1. Utrùm Sacramentum ſit ſignum, quod eſt res ſenſibilis?
Dub. 2. Utrùm ſit ſignum gratiæ ſolùm ex inſtitutione divinâ?
Dubium 3. Utrùm debeat eſſe ſignum inſtitutum à Deo ſtabili & firmâ lege quod ſcilicèt duret pro aliquo integro ſtatu?
Dubium 4. Utrùm ſit ſignum gratiæ ſanctificantis animam de præſenti, in uſu, vel applicatione Sacramenti?

CAPUT II.

De correſpondentiâ Sacramentorum novæ Legis reſpectu eorum, quæ erant in Lege veteri, & in quibus illa ab iſtis differant.

Punctum 1. Quæ Sacramenta novæ Legis correſpondeant Sacramentis veteris Legis?
Punctum 2. In quibus differant noſtra à Sacramentis veteris Legis?
Dubium 1. Utrùm Sacramenta novæ Legis phyſicè inſtrumentaliter cauſent gratiam?

CAPUT III.

De numero Sacramentorum novæ Legis, & de causâ efficienti inſtitutionis eorum.

Punctum 1. Utrùm noſtra Sacramenta ſint tantùm ſeptem, & à Deo prinelpaliter inſtituta?
Dubium 1. An omnia novæ Legis Sacramenta fuerint à Chriſto Domino immediatè inſtituta? An verò Apoſtolis, vel Eccleſiæ communicaverit ipſe poteſtatem excellentiæ ad inſtituendum aliquod Sacramentum?
Dubium 2. Utrùm de potentiâ Dei abſolutâ potuerit communicari puro homini poteſtas excellentiæ ad inſtituenda propriè Sacramenta, quæ fuit in Chriſto ut homine?

CAPUT IV.

De materiâ, & formâ Sacramentorum novæ Legis.

Dubium 1. Utrùm Sacramenta novæ Legis componantur rebus ut materiâ, & verbis ut formâ?
Dubium 2. Utrùm omne Sacramentum novæ Legis ſit compoſitum ex rebus ut materiâ, & verbis ut formâ tanquàm ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus?
Punctum 1. Quænam ſit materia remota, quæve proxima, nec-non quæ forma ſeptem Sacramentorum?
Punctum 2. An Eccleſia poſſit formaliter mutare materias, & formas Sacramentorum à Chriſto Domino inſtitutas?
Punctum 3. Quæ mutatio materiæ, & formæ noceat valori Sacramenti?
Punctum 4. Utrùm ex ſcientiâ, vel intentione Miniſtri pendeat, quod mutatio facta in formâ Sacramenti ſubſtantialis, vel accidentalis ſit?
Punct. 5. Utrùm ſit peccatum mortale mutare formas Sacramentorum, quibus Eccleſia utitur?
Punct. 4. Qualis debeat eſſe intentio Miniſtri?

CAPUT V.

De effectu Sacramentorum, qui eſt gratia.

Punctum 1. An Sacramenta novæ Legis cauſent gratiam ex opere operato?
Punctum 2. Utrùm omnia Sacramenta novæ Legis cauſent primam gratiam, faciantque ex attrito contritum?
Punctum 3. Utrùm addat aliquid gratia Sacramentalis ſuprà gratiam virtutum, & donorum? & quid illud ſit?
Dubium 1. Utrùm gratia collata per Sacramentum addat aliquem modum intrinſecum ratione, cujus habeat exigentiam?
Punctum 4. Utrùm effectus Sacramenti, qui eſt gratia, impediri poſſit ex parte ſuſcipientis?
Punctum 5. Utrùm Sacramenta novæ Legis recedente fictione, cauſent gratiam ex opere operato?
Punctum 6. An idem Sacramentum ſecundùm ſpeciem, ſemper, & in omnibus habeat æqualem gratiæ effectum?

CAPUT VI.

De charactere, qui eſt effectus Sacramentalis.

Punctum 1. Quænam Sacramenta imprimant characterem?
Dubium 1. Utrùm character ſit ens reale?
Dubium 2. Utrùm ſit in prædicamento relationis? An verò reducatur ad prædicamentum qualitatis?
Dubium 3. Utrùm pertineat ad tertiam ſpeciem qualitatis?
Dub. 4. An pertineat ad quartam ſpeciem qualitatis, ſcilicèt figuram?
Dub. 5. Utrùm ſit in primâ ſpecie qualitatis?
Dubium 6. Utrùm reductivè pertineat ad ſecundam ſpeciem qualitatis per modum potentiæ activæ, vel paſſivæ?
Dubium 7. Utrùm ſubjectetur in animâ, vel in potentiis ejus ſpiritualibus?

CAPUT VII.

De Miniſtris Sacramentorum.

Punctum 1. An Miniſter Sacramenti ſit cauſa gratiæ in eo, qui ſuſcipit Sacramentum?
Punctum 2. An ſolus homo ſit Sacramentorum Miniſter?
Punctum 3. Utrùm ex parte Miniſtri ſit neceſſaria intentio aliqua ad ſubſtantiam, & valorem Sacramenti?

Punctum 5. Utrùm Sacramentum poſſit eſſe validum per verba Miniſtri in ebrietate, ſomno, aut dementiâ prolatâ?
Punctum 6. An ad valorem Sacramenti requiratur intentio Miniſtri abſoluta, vel ſufficiat conditionata?
Punctum 7. Utrùm intentio Miniſtri debeat verſari circà determinatam materiam?
Punctum 8. An probitas, vel fides Miniſtri ſit per ſe neceſſaria ad valorem, & effectum Sacramenti?
Punctum 9. Quid requiratur ut Miniſter non peccet conferendo Sacramenta?
Punctum 10. Utrùm Miniſter conficiens Sacramentum cum conſcientiâ peccati mortalis, peccet mortaliter?
Punctum 11. An Miniſter, qui non conficit Sacramentum, etiamſi ex officio miniſtret cum conſcientiâ peccati mortalis excuſetur à culpâ læthali?

CAPUT VIII.

De ſuſcipientibus Sacramenta.

Punctum 1. Utrùm ad valorem Sacramenti requiratur ex parte ſuſcipientis liber conſenſus voluntatis?
Punctum 2. Utrùm ſit peccatum, petere vel accipere Sacramentum à malo Miniſtro?

TRACTATVS II.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

De diviſione Baptiſmi in communi, nec non de nomine, & definitione Baptiſmi noſtri, ejuſque partibus.

Punct. 1. De diviſione Baptiſmi in communi.
Punctum 2. De nomine Baptiſmi noſtri, ejuſque definitione.
Dubium unicum. An Baptiſmus à Chriſto fuerit inſtitutus antè Paſſionem?

CAPUT II.

De materiâ Baptiſmi tàm proximâ, quàm remotâ.

Punctum 1. An ſola Aqua vera, & naturalis ſit materia Baptiſmi?
Punctum 2. An ablutio ſit materia proxima Baptiſmi, & in quo conſiſtat?
Punctum 3. Quænam pars corporis neceſſariò abluenda ad valorem Baptiſmi?
Punctum 4. Quænam quantitas aquæ ſufficiat ad baptizandum?

CAPUT III.

De Formâ Baptiſmi.

Punctum 1. An in formâ Baptiſmi ſit de neceſſitate Sacramenti, quod exprimatur Miniſter Baptizans?
Punctum 2. An explicatio perſonæ baptizandæ ſit requiſita ad valorem Baptiſmi?
Punctum 3. An expreſſio actus baptizandi ſit de neceſſitate Baptiſmi?
Punctum 4. An explicatio unitatis eſſentiæ, quæ ſit dicendo *in nomine* requiratur, ut ſit validus Baptiſmus?
Dubium unicum. An ſit de neceſſitate Baptiſmi, ut in formâ illius exprimatur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus?

CAPUT IV.

De Miniſtro Baptiſmi.

Punctum 1. Quis Miniſter ſimpliciter neceſſarius Sacramenti Baptiſmi, ut factum teneat?
Punctum 2. Inter varios Baptiſmi Miniſtros neceſſitatis, quis ordo ſervandus? & illum pervertere, an ſit peccatum mortale?
Punctum 3. An unius Baptiſmi plures Miniſtri eſſe poſſint?
Punctum 4. Quis ſit Miniſter Baptiſmi ex officio, quive ex commiſſione?

CAPUT V.

De neceſſitate Baptiſmi, & ejus effectibus.

Punctum 1. An Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem?
Punctum 2. Utrùm ſit neceſſarius neceſſitate Præcepti?
Punctum 3. Quinam ſint baptiſmi effectus?

CAPUT VI.

De ſubjecto Baptiſmi, & diſpoſitione ad illum.

Punctum 1. Quod ſit ſubjectum capax Baptiſmi?
Punctum 2. An pueri infidelium ſint baptizandi invitis parentibus?
Punctum 3. Quænam diſpoſitio in ſuſcipiente Baptiſmum requiratur?
Punctum 4. Quandò Baptiſmus ſub conditione iterandus ſit?

CAPUT VII.

De Ritibus, & Caremoniis Baptiſmi, & de Patrinis in eo adhibendis.

Punctum 1. Quotuplices ſint ritus in Baptiſmo ſolemni ſervandi?
Punctum 2. Utrùm in Baptiſmo requiratur Patrinus, qui baptizatum levet de ſacro Fonte? Ad quid teneatur? & quæ conditiones exigantur in illo?

TRACTATVS III.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

De eſſentiâ, & inſtitutione hujus Sacramenti.

Punctum 1. An Confirmatio ſit novæ Legis Sacramentum, & quid ſit?
Punctum 2. An ſit à Chriſto Domino inſtitutum, & quandò?

c 2 CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De materia, & forma Sacramenti Confirmationis.

Punctum 1. De materia remota Confirmationis.
Punctum 2. Quæ ſit materia proxima?
Punctum 3. Quænam ſit illius forma?

CAPUT III.

De effectu, & ſubjecto Confirmationis, ac diſpoſitione ad illam.

Punctum 1. Quinam ſint effectus Sacramenti Confirmationis?
Punctum 2. Quodnam ſit illius ſubjectum?
Punctum 3. Quænam diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente illam?

CAPUT IV.

De Miniſtro, ritibus, & Patrino Confirmationis, & an ſit obligatio ſuſcipiendi illam.

Punctum 1. Quis ſit Confirmationis Miniſter? & quid requiratur, ut licitè præſtet ſuum officium?
Punctum 2. Quibus cæremoniis miniſtrandum eſt?
Punctum 3. De patrino confirmationis?
Punct. 4. An & qualis ſit obligatio ſuſcipiendi hoc Sacramentum?

TRACTATUS IV.

De venerabili Euchariſtia Sacramento.

CAPUT I.

De Sacramento Euchariſtia, quantum ad an eſt, & quantum ad quid eſt.

Dub. 1. Utrùm Euchariſtia ſit Sacramentum novæ Legis?
Dubium 2. An ſupponat in recto eſſentialiter pro Corpore, & Sanguine Chriſti, ſpecies verò conſecratas importet de connotato?
Dubium 3. An ſupponat pro compoſito, ſeu aggregato ex ſpeciebus, & Corpore Chriſti; ita ut utrumque importet eſſentialiter in recto?
Dubium 4. An ſupponat pro ſpeciebus conſecratis in recto; ita ut Corpus Chriſti pertineat ad illud in obliquo?

CAPUT II.

De unitate hujus Sacramenti.

Punctum 1. Utrum Sacramentum Euchariſtiæ ſit unum in ſpecie athoma?
Dubium 1. Utrum tota eſſentia ſpecifica Euchariſtiæ reperiatur in qualibet ſpecie ſeorſim ſumpta?
Dubium 2. Utrum unitas numerica hujus Sacramenti ſumatur ab unitate Corporis Chriſti?
Punctum 2. Unde ſumatur unitas numerica hujus Sacramenti.

CAPUT III.

De neceſſitate Sacramenti Euchariſtia.

Punctum 1. In quo aliqua ſupponuntur?
Dubium 1. Utrum Euchariſtia in voto ſit neceſſaria neceſſitate medii, tàm parvulis quàm adultis; ad primam juſtificationem obtinendam?
Dubium 2. Utrùm Euchariſtia in re, vel in voto ſit medium neceſſarium pro adultis ad conſervandam diu vitam ſpiritualem?

CAPUT IV.

De materiâ remotâ Euchariſtia.

Punctum 1. Quæ ſit materia remota Sacramenti Corporis Chriſti?
Punctum 2. Quæ ſit materia remota Sacramenti ſanguinis?
Punctum 3. Utrùm neceſſe ſit ſub utrâque ſpecie conſecrare?
Punctum 4. Utrùm Vino, quod eſt materia remota Sacramenti ſanguinis admiſcenda ſit aqua?
Punctum 5. An quælibet quantitas panis, & vini poſſit conſecrari?
Punctum 6. Utrùm materia conſecranda debeat eſſe præſens?
Punctum 7. An ut materia validè conſecretur debeat conſecrantis intentione determinari?

CAPUT V.

De Formâ Sacramenti Euchariſtia.

Punctum 1. Utrùm hæc ſit forma conſecrationis panis. *Hoc eſt Corpus meum?*
Punctum 2. Quænam verba ſint de eſſentiâ formæ conſecrationis calicis?
Punctum 3. An hæc verba conſecrationis dicantur à Sacerdote ſolùm recitativè, an verò ſimul ſignificativè?
Punctum 4. Quid ſignificetur in hâc formâ per pronomen *hoc*, & per *hic*.

CAPUT VI.

De effectibus Euchariſtia, & diſpoſitione ad eorum receptionem requiſita.

Punctum 1. In quo agitur de primo, & præcipuo hujus Sacramenti effectu.
Punctum 2. De aliis effectibus ſpiritualibus, Sacramenti Euchariſtiæ.
Punctum 3. De effectibus, quos Euchariſtia operatur circà corpus.
Punctum 4. Quænam diſpoſitio, ut hoc Sacramentum ſuos effectus conferat, requiratur?

CAPUT VII.

De hujus Sacramenti ſuſceptoribus, & de diſpoſitione ex parte animæ, & corporis ad Sacram Communionem.

Punctum 1. Qui ſint hujus Sacramenti ſuſceptores?
Punctum 2. De diſpoſitione ex parte animæ ad Euchariſtiam ritè ſuſcipiendam.
Punctum 3. De Confeſſione communioni præmittenda.
Punctum 4. De diſpoſitione ex parte corporis ad ſacram Communionem.

CAPUT VIII.

De obligatione ſumendi Euchariſtiam, & frequentiâ illius.

Punctum 1. De obligatione ſumendi Euchariſtiam ex divino præcepto.
Punctum 2. De obligatione ſuſcipiendi illam ex præcepto Eccleſiaſtico.
Punctum 3. De uſu, & frequentiâ, quâ ſuſcipienda eſt.

CAPUT IX.

De Miniſtro Sacræ Euchariſtiæ.

Punctum 1. De Miniſtro hujus Sacramenti, quoad illius conſecrationem, & diſpenſationem.
Punctum 2. De his, quæ requiruntur in Sacerdote, ut licitè Euchariſtiam diſtribuat.
Punctum 3. De obligatione, quam Sacerdotes habent miniſtrandi Euchariſtiam.

TRACTATVS V.

De Sacrificio Miſſæ.

CAPUT I.

De eſſentiâ Sacrificii in communi, & Miſſæ.

Punct. 1. QUid, & quotuplex ſit Sacrificium?
Punctum 2. An Miſſa ſit verè, & propriè Sacrificium à Chriſto inſtitutum?
Dubium unicum. An in ſolâ conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti eſſentia Sacrificii Miſſæ tota eſſentialiter ſit?

CAPUT II.

De his, qui offerunt, & pro quibus offertur, Miſſæ Sacrificium.

Punctum 1. Qui ſint offerentes in Sacrificio Miſſæ?
Punctum 2. Pro quibus perſonarum generibus vivis validè, & licitè poſſit Sacrificium Miſſæ offerri.
Punctum 3. An, & pro quibus defunctis liceat Miſſam offerre validè, & licitè?

CAPUT III.

De effectibus, & virtute Sacrificii Miſſæ.

Punctum 1. Quos effectus habeat Miſſæ Sacrificium ex opere operato?
Punctum 2. Qui ex hujus Sacrificii effectibus infallibiliter conferantur?
Punctum 3. Quam intentionem, & applicationem Sacerdos habere debeat, ut prædicti effectus obtineantur?
Dubium unicum. An Miſſæ Sacrificium habeat virtutem infinitam pro ſupradictis effectibus concedendis?

CAPUT IV.

De tempore, loco, altari, vaſis, & veſtibus, aliiſque requiſitis ad celebrandum.

Punctum 1. Quibus diebus, & eodem die an ſemel tantùm, & quâ horâ licitum ſit Sacerdotibus celebrare?
Punctum 2. De loco ad Miſſæ Sacrificium offerendum apto.
Punctum 3. De Altari neceſſario ad Sacrificium.
Punctum 4. De ornatu altaris, vaſis, & veſtibus ſacris, aliiſque ad celebrationem requiſitis, de aliiſque obſervandis in celebratione Miſſarum.

CAPUT V.

De juſto Miſſæ ſtipendio.

Punctum 1. Qui, & quo titulo accipere poſſint ſtipendium pro Miſſa.
Punctum 2. Quantum ſtipendium accipere poſſit Sacerdos pro Miſſa? Quandò ſit obligatus celebrare, & pro quibus?
Punctum 3. An peccet mortaliter ſi diu differat Sacrificium offerre in favorem illorum, quibus eſt obligatus?

CAPUT VI.

De Præcepto audiendi Miſſam Feſtis diebus.

Punctum 1. Ad quid obliget Præceptum audiendi Miſſam?
Punctum 2. De præſentiâ requiſitâ ad Miſſam audiendam.
Punctum 3. Quæ intentio exigatur ad ſatisfaciendum Præcepto de auditione Sacri?
Punctum 4. Quæ attentio requiratur ad audiendam Miſſam?
Punctum 5. De cauſis excuſantibus à Præcepto audiendi Miſſam.

TRACTATVS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De Pœnitentiâ quatenùs eſt ſpecialis virtus.

Punct. 1. DE ætimologiâ, definitione Pœnitentiæ: De ſubjecto, & ob-

jecto ejus, ubi etiam explicatur qualiter à Religione differat.
Punctum 2. In quibus conveniant, & in quibus differant Pœnitentia ut eſt virtus, & ut eſt Sacramentum.
Punctum 3. An virtus Pœnitentiæ habeat nexum cum gratiâ & charitate?
Punctum 4. De actibus Pœnitentiæ, Contritione ſcilicet, & Attritione.
Punctum 5. De neceſſitate Pœnitentiæ, quatenùs eſt Actus virtutis.
Dubium 1. An Pœnitentia ſit ſpecialis virtus?
Dubium 2. An ſit pars potentialis juſtitiæ?
Dubium 3. An Pœnitentia, & ejus Actus concurrant effectivè ad deſtructionem peccati?

CAPUT II.

De Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutione, quidditate, & neceſſitate.

Punctum 1. An Sacramentum Pœnitentiæ fuerit à Chriſto Domino inſtitutum?
Punctum 2. Quid ſit?
Punctum 3. An in Lege novâ ſit neceſſarium medium ad Salutem.

CAPUT III.

De Formâ Sacramenti Pœnitentiæ.

Punctum 1. Quænam ſit Forma Sacramenti Pœnitentiæ?
Punctum 2. Utrùm Pœnitentiæ Sacramentum validè adminiſtretur interveniente aliquâ mutatione in verbis Formæ?
Punctum 3. Utrùm ſit validum, quandò in Formâ apponitur aliqua conditio?
Punctum 4. An Abſolutio ſacramentalis poſſit abſenti validè impendi?
Punctum 5. An forma hujus Sacramenti neceſſariò, & eſſentialiter in verbis conſiſtat?

CAPUT IV.

De Materiâ remotâ Sacramenti Pœnitentiæ.

Punctum 1. Quæ ſit Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?
Pun. 2. Quæ ſit materia neceſſaria, & quæ ſufficiens? Ubi etiam de peccatis ſemel confeſſis?
Punctum 3. An peccata dubia, ſint materia ſufficiens?

CAPUT V.

De dolore, ſeu diſplicentiâ peccati requiſitâ ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, & de Propoſito non peccandi?

Dubium unicum. An ex defectu doloris quandò dolor inculpabiliter non habetur de omnibus peccatis, poſſit dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, id eſt validum abſque effectu?
Punctum 1. An dolor requiſitus Abſolutioni, & Confeſſioni præmittendus ſit?
Punctum 2. Qualiter peccatum veniale virtute hujus Sacramenti remittatur?
Punctum 3. Qualis dolor ſupernaturalis in Confeſſione venialium ſufficiat? Ubi etiam circà remiſſionem venialium aliquæ expediuntur difficultates?
Punctum 4. An propoſitum non peccandi requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ?

CAPUT VI.

De Confeſſione proximâ Sacramenti materiâ. Quæ ſit, & quæ illius conditiones, & de examine Conſcientiæ prærequiſito ad illam.

Punctum 1. Quid ſit Confeſſio proxima Sacramenti materia, & quæ illius conditiones?
Punctum 2. De examine conſcientiæ ad illam prærequiſito.

CAPUT VII.

De obligatione ad Confeſſionem.

Punctum 1. De Præcepto Confeſſionis, quatenùs divinum eſt: quas perſonas, & quo tempore obliget?
Punctum 2. Utrùm ex præcepto Eccleſiæ, vel divino obligetur Pœnitens ad confitendum per interpretem, vel ſcripto, aut nutibus, qui alio modo non poteſt?
Punctum 3. De præcepto Confeſſionis, quatenùs eſt Eccleſiaſticum, & quos obliget?
Punctum 4. Quo tempore obliget?
Punctum 5. Per quam Confeſſionem impleatur hujuſmodi præceptum?
Punctum 6. Quæ cauſæ excuſent à Præcepto annuæ Confeſſionis?

CAPUT VIII.

De integritate Confeſſionis Sacramentalis.

Punctum 1. Quid nomine integritatis hîc intelligatur? & an debeat eſſe circà omnia mortalia quoad ſpeciem, & numerum?
Punctum 2. An circumſtantiæ notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem ſint neceſſariò explicandæ in Confeſſione?
Punctum 3. An peccata mortalia dubia in Confeſſione neceſſariò ſint aperienda?
Punctum 4. De Circumſtantiis in particulari, quæ in Confeſſione debent explicari.
Punctum 5. Quæ cauſæ excuſent ab integritate materiali Confeſſionis.
Punctum 6. De ſufficienti Confeſſione pro caſu neceſſitatis moribundi.

CAPUT IX.

De Confeſſione invalidâ & repetendâ.

Punctum 1. An valeat Confeſſio quandò pœnitens eſt excommunicatus, & non fuit priùs ab Excõmunicatione abſolutus, quàm à peccatis?
Punctum 2. An Confeſſio ex fine malo veniali facta ſit invalida?
Punctum 3. An ob defectum doloris ſit repetenda Confeſſio? vel ſi pœnitens mortale tacuit, vel caruit intentione Sacramentaliter confitendi, vel non implevit, vel oblitus eſt pœnitentiæ?
Punctum 4. Quandò ex defectu Confeſſarii

Con-

Digitized by Google

Confeſſio invalida, & repetenda contingat?
Punctum 5. Qualiter Confeſſio invalida repetenda ſit?

CAPUT X.

De Satiſfactione Sacramentali.

Punctum 1. Quid ſit Satisfactio Sacramentalis, & quem cauſet effectum?
Punctum 2. De obligatione Sacerdotis Satiſfactionem Sacramentalem imponendi.
Punctum 3. Qualis, & quanta Satisfactio imponenda ſit?
Punctum 4. De obligatione pœnitentis acceptandi pœnitentiam, illamque exequendi.
Punctum 5. Quo tempore teneatur pœnitens implere pœnitentiam: & an debeat illam implere in ſtatu gratiæ ſub obligatione peccati?
Punctum 6. De commutatione pœnitentiæ injunctæ, & de cauſis excuſantibus ab illâ.

CAPUT XI.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, atque in eo requiſitâ juriſdictione.

Punctum 1. An ſolus & omnis Sacerdos ſit Miniſter Sacramenti Confeſſionis?
Punctum 2. In quibus caſibus quilibet Sacerdos juriſdictionem habeat.
Punctum 3. Quis ſit Miniſter ordinarius in hoc Sacramento?
Punctum 4. Quiſnam Sacerdos ſit Miniſter delegatus ad Confeſſiones audiendas?
Punctum 5. An ſufficiat juriſdictio delegata, dubia, vel probabilis ad miniſtrandum hoc Sacramentum?
Punct. 6. An juriſdictio delegata ad Confeſſiones audiendas expiret morte concedentis?
Punctum 7. De approbatione poſt Concilium Tridentinum requiſitâ.

CAPUT XII.

De aliis qualitatibus in Confeſſario requiſitis, & de obligationibus illius.

Punctum 1. De probitate, & ſcientiâ in Confeſſario requiſitis.
Punctum 2. De obligatione interrogandi pœnitentes.
Punctum 3. Quibus eventibus poſſit Confeſſarius, vel teneatur pœnitentem abſolvere, vel inabſolutum dimittere.
Punctum 4. De obligatione ſupplendi defectus in Confeſſione auditâ fortè commiſſos.

CAPUT XIII.

De Caſuum reſervatione, & reſervatorum abſolutione in pœnitentiæ miniſterio.

Punctum 1. An, & quis habeat in Eccleſiâ poteſtatem reſervandi peccata?
Punctum 2. Quæ peccata reſervari poſſint, & reſerventur.
Punctum 3. Quis, & quandò poſſit pœnitentem abſolvere à reſervatis?
Punctum 4. Qualiter prælatus, cui ſunt caſus reſervati, ſe gerere debeat, tùm in Abſolutione concedendâ, tùm in eâ delegandâ?
Punctum 5. Qualiter ex Confeſſione factâ habenti poteſtatem abſolvendi à reſervatis ceſſet reſervatio, ità ut Pœnitens poſſit ea peccata fateri Sacerdoti juriſdictionem habenti in peccata non reſervata?
Punctum 6. Qualiter Confeſſarius inferior poteſtate carens in reſervata ſe gerere debeat, cùm pœnitens ad ipſum accedit.

CAPUT XIV.

De Sigillo Confeſſionis.

Punctum 1. Quid ſit Sigillum, & qualis ejus obligatio?
Punctum 2. Ex quâ Confeſſione, & ad quæ ſacrum Sigillum extendatur?
Punctum 3. Qualiter ſacrum Sigillum ſervandum ſit?
Punctum 4. Qui teneantur Cõfeſſionis Sigillo?

TRACTATUS VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis

CAPUT I.

De nomine, inſtitutione, quidditate, & unitate Sacramenti Extremæ Unctionis.

Punctum 1. De nomine, & inſtitutione Extremæ Unctionis.
Punctum 2. An Extrema Unctio ſit Sacramentum, & quid ſit?
Dub. unicum. Utrùm ſit unum Sacramentum?

CAPUT II.

De materiâ, & formâ hujus Sacramenti.

Punctum 1. De materiâ remotâ Extremæ Unctionis.
Punctum 2. De materiâ proximâ hujus Sacramenti.
Punctum 3. Quibus in partibus facienda ſit Unctio?
Punctum 4. De formâ hujus Sacramenti.

CAPUT III.

De effectibus Extremæ Unctionis.

Punctum 1. Quinam ſint effectus Extremæ Unctionis?
Punctum 2. Quandò Extrema Unctio conferat ſuos effectus?
Punctum 3. An hoc Sacramentum poſſit eſſe validum, & informe, ut recedente fictione, det gratiam?

CAPUT IV.

De ſubjecto, ſeu ſuſcipiente Unctionem.

Punctum 1. Quiſnam ſit capax Extremæ Unctionis?
Punctum 2. De obligatione ſuſcipiendi hoc Sacramentum.

CAPUT V.

De Miniſtro Extremæ Unctionis.

Punctum 1. Quis Miniſter hujus Sacramenti?
Punctum 2. De obligatione Miniſtri.

STY.

STYLUS OPERIS,

ET

RATIO VARIATIONIS

ALIQUALIS ILLIUS.

OPus iſtud morale plures continet Tractatus, in quorum ſingulis aliquot Capita reperiuntur : Capita autem, aut Dubiis, aut Punctis, aut ex utriſque conſtant. Quæ omnia, licèt quaſi in ſubſtantiâ eadem, in Stylo tamen aliquantulùm ex induſtriâ diverſificantur. In Dubiis namque, in quibus Scholaſticorum more res peraguntur, vel ipſum etiam diſputandi modum, quo Angelicus Doctor, ac Præceptor noſter D. THOMAS in partibus uſus eſt, libenti animo amplectimur. In Punctis verò, in quibus, vel faciliora traduntur, vel non pauci deciduntur caſus, à communi & uſitato recentiorum Stylo (ut brevitati conſulamus) minimè recedimus.

ERRATA SIC CORRIGE.

FOlio 6. Columnâ 1. Lineâ 17. ſit lege ſit. Col. 2. Lin. 42. cauſalitem leg. cauſalitatem. Fol. 12. col. 1. lin. 32. matertiam leg. materiam. Fol. 22. lin. 36. col. 2. morale leg. mortale. Fol. 44. col. 1. lin. 33. extrema leg. externa. Fol. 51, col. 2. lin. 4. eſt confectio leg. non eſt confectio. Fol. 62. col. 2, lin. 9. illud leg. illum. lin. 18. ſecondam leg. ſecandam. Fol. 72. col. 1. lin. 43. quaſi leg. quia ſi. Fol. 36. col. 1. lin. 20. exeuntes leg. exuentes. Fol. 100. col. 2. lin. 37. contractum leg. contactum. Fol. 119. col. 1. in fine ſi leg. ſit. Fol. 144. col. 1. lin. 43. expectemus leg. ſpectemus. Fol. 147. col. 1. lin. 42. ut leg. uti. Fol. 164. col. 1. lin. 24. hoſtis leg. hoſtiis. Fol. 166. col. 2. lin. 33. ablatio leg. oblatio. Fol. 189. col. 2. lin. 24. cruz leg. crux. Fol. 199. col. 2. lin. 13. tranferri leg. transferre. Fol. 258. col. 1. lin. 51. concilium leg. conſilium. Fol. 346. col. 2. lin. 6. venalia leg. venialia. Reliqua prudens Lector facilè corriget.

TRACTATUS PRIMUS
DE SACRAMENTIS IN GENERE
CAPUT PRIMUM.
De eſſentia, & definitione Sacramenti in communi.
IN HOC CAPITE EST UNICUM PUNCTUM:
Quid ſit Sacramentum? Et excitantur quatuor dubia.

1. *Utrum Sacramentum ſit ſignum, quod eſt res ſenſibilis?*
2. *Utrum ſit ſignum, gratiæ ſolum ex inſtitutione divina?*
3. *Utrum debeat eſſe ſignum inſtitutum à Deo ſtabili, & firma lege, quod ſcilicet duret pro aliquo integro ſtatu?*
4. *Utrum ſit ſignum gratiæ ſanctificantis animam de præſenti in uſu, vel applicatione Sacramenti?*

PUNCTUM UNICUM.
Quid ſit Sacramentum.

Vera Sacramenti definitio. RECTE definitur Sacramentum in genere. *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis homines.* Hæc definitio traditur à D. THOMA 3. *p.* q. 60. *art.* 2. *Non ſolum* (ut advertit Caietanus ibidem) *ob reverentiam ſic definientium Sacramentum; ſed pro firmando uſu Eccleſiæ, quo Sacramentum dicimus non cumſcumque rei ſacræ ſignum; ſed homines ſanctificantis.* Et communiter recipitur à Theologis. Neque opus eſt ad alias novas Sacramenti definitiones, cum aliquibus Neothericis recurrere, cum in iſta communi, & antiqua, breviter & compendioſe, quidquid deſiderari poterat, inveniatur; ſequentia dubia inſtituimus.

DUBIUM I.
Utrùm Sacramentum ſit ſignum, quod eſt res ſenſibilis?

Prima ratio dubitandi ET videtur quod non. Primo, quia Sacramenta pertinent ad regnum Dei; res autem ſenſibiles non pertinent ad regnum Dei: dicitur enim *Rom.* 14. *Non eſt regnum Dei eſca, & potus*; ergo Sacramentum non eſt ſignum, quod eſt res ſenſibilis.

3. Secundo, quia poſſet Deus inſtituere rem purè ſpiritualem, ut ſignificaret practicè gratiam: ergo Sacramentum eſſet ſignum ſpirituale, & non ſenſibile. *Secunda*

4. Tertio, quia contritio eſt pars Sacramenti pœnitentiæ; & tamen eſt purè ſpiritualis: ergo ſimiliter res purè ſpiritualis poteſt eſſe ſignum, quod requiritur ad Sacramentum. *Tertia*

5. Quarto, quia ſecundum Philoſophum in 1. lib. Prior. Omnis effectus ſuæ cauſæ ſignum eſt: ſed ſicut ſunt quidam effectus ſenſibiles, ita etiam ſunt quidam effectus intelligibiles, ſicut ſcientia eſt effectus demonſtrationis: ergo non omne ſignum eſt ſenſibile. Sufficit autem ad rationem Sacramenti, quod ſit ſignum alicuius rei ſacræ, in quantum per eam homo ſanctificatur, ut in definitione dictum eſt: non ergo requiritur ad Sacramentum, quod ſit aliqua res ſenſibilis. *Quarta*

6. Quinto, quia Chriſtus Dominus in Euchariſtia eſt Sacramentum: ſed ibi non eſt ſignum ſenſibile: ergo &c. *Quinta.*

7. Sed contra: quia ut D. Dioniſius probat in 1. *cap. cæleſtis Hierarchiæ*, ad Sacramentum requiruntur res ſenſibiles *Neque enim* (inquit) *aliter fas erat infirmitati noſtræ lucere divinum radium; niſi ſacrorum varietate velaminum, quibus ad ſuperiora ferremur, opertum, & his, quæ nobis familiaria ſunt, providentia paterna naturæ mortalium ſic ſe accommodante, veſtitum.* *Authoritas*

8. Reſpondemus dicendum, Sacramenta eſſe ſigna, quæ ſunt res ſenſibiles. Probatur ratione deſumpta ex D. THOMA ubi ſupra. *ar.* 4. Nam Sacramenta pro hominibus inſtituta, ſunt ſigna hominum cognitioni accommodata: homo autem ex ſenſibilibus ad intelligibilia manuducitur: ergo cum Sacramenta pro hominibus inſtituta, ſint ſigna, quibus homines manuducuntur in cognitionem ſpiritualium, & intelligibilium bonorum, quibus ſanctificantur, debent eſſe ſigna, quæ ſunt res ſenſibiles. *Concluſio*

Ad primum argumentum reſpondet Angelicus Doctor *ar.* 4. *cit.* in ſolutione *ad* 2. *Dicendum, quod res ſenſibiles, ut in ſua natura conſiderantur, non pertinent ad regnum Dei; ſed ſolum ſecundum quod ſunt ſigna ſpiritualium rerum, in quibus regnum Dei conſiſtit.* *Primam rationem dubitandi ſolvit.*

Solvitur ſecunda ratio dubitandi. 10. Ad ſecundum reſpondetur concedendo, quod poſſet Deus ita inſtituere; ut bene hic probant N. *Gabriel à St. Vincentio diſp. 1. qu. 2. Gonet &c.* Illud tamen non eſſet Sacramentum, prout hic loquimur: quia Sacramenta humana debent eſſe accommodata hominibus, ut in eorum uſu poſſint cultum exhibere Deo corpore, & anima ac proinde debent eſſe ſigna ſenſibilia rerum ſpiritualium.

Solvitur 3. 11. Ad tertium dicendum, quod contritio licèt ſit ſpiritualis, ſit tamen ſenſibilis per confeſſionem manifeſtata, & ut ſic manifeſtata, eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Solutio 12. Ad quartum reſpondet D. THOMAS ubi proximè *in ſolutione ad 1. Dicendum, quod unumquodque præcipuè denominatur, & definitur ſecundum id, quod convenit ei primò, & per ſe; non autem ſecundum id, quod convenit ei per aliud. Effectus autem ſenſibilis per ſe habet, quod ducat in cognitionem alterius quaſi primo, & per ſe homini innoteſcens; quia omnis noſtra cognitio à ſenſu oritur: effectus autem intelligibiles non habent, quod poſſint ducere in cognitionem alterius, niſi in quantum ſunt per aliud manifeſtati, id eſt per aliqua ſenſibilia; & inde eſt, quod primò, & principaliter dicuntur ſigna, quæ ſenſibus offeruntur, ſicut* AVGVST. *dicit in 2. de doctrina Chriſtiana, ubi dicit, quod ſignum eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem ſigni, niſi ſecundum quod ſunt manifeſtati per aliqua ſigna.*

Solutio 5. rationis dubitandi. 13. Ad 5. dicendum, tria diſtingui à Doctoribus, ſcilicet Sacramentum tantùm, rem Sacramenti tantum, & rem ac Sacramentum ſimul. Sacramentum tantùm, eſt ſignum quod ibi nõ ſignificatur, ſed ſignificat: res tantùm, eſt, quod ſignificatur, ſed nõ ſignificat: res & Sacramentum ſimul, eſt illud, quod ſignificatur ab uno, & ſignificat aliud. Cum ergo dicimus Sacramentum debere eſſe ſignum ſenſibile, loquimur de eo, quod eſt Sacramentum tantùm, quod competit ſolis ſpeciebus conſecratis; CHRISTVS vero Dominus in Euchariſtia eſt res & Sacramentum ſimul, quia ſignificatur à ſpeciebus panis, & ſignificat gratiam ab ipſo conferendam, quæ gratia eſt res Sacramenti tantum.

Quæſitum incidens. 14. Si autem hic obiter ſcire cupis, quo modo in aliis Sacramentis, hæc tria aſſignanda ſint, nimirum Sacramentum tantum, res tantùm, res & Sacramentum ſimul? Breviter tibi reſpondeo. In Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, materia, & forma dicuntur Sacramentum tantum. Significant enim gratiam & characterem, & non ſignificantur: gratia verò dicitur res tantùm, quia ſignificatur, & non ſignificat: character denique dicitur res & Sacramentum, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur ab ipſo Sacramento. In *Matrimonio* materia, & forma, ſeu verba contrahentium ſunt Sacramentum tantùm, quia ſignificant, & non ſignificantur: gratia Sacramentalis eſt res tantùm, quia ſignificatur, & non ſignificat: indiſſolubilitas particularis quam participat Matrimonium fidelium quatenus eſt Sacramentum, dicitur res & Sacramentum, quia ſignificatur per Sacramentum, & ſignificat gratiam, ac unionem Chriſti cum Eccleſia. In Extrema Unctione, Sacramentum tantùm ſunt materia & forma: gratia eſt res tantùm propter rationem jam dictam: res & Sacramentum ſimul, quia ſignificat, & ſignificatur, eſt hilaritas mentis, conſortatio, & ſuſtinentia laborum; ut ex communi refert, & approbat HENRIQVEZ *lib. 3. de extrema unctione, cap. 9. §. 2.* Vel eſt ſanitas corporis, ſi expedierit ad animæ ſalutem, ut alii volunt. In Sacramento tandem Pœnitentiæ, materia & forma ſunt Sacramentum tantùm; res Sacramenti eſt gratia: pro re autem & Sacramento ſimul, alii contritionem, alii conſcientiæ pacem, quæ interdum in viris piis cum devotione hoc Sacramentum ſuſcipientibus reperiri ſolet, aſſignant.

DUBIUM II.

Utrùm Sacramentum ſit ſignum gratiæ ſolùm ex inſtitutione divina?

15 ET videtur quod non: quia Sacramentum Pænitentiæ prout conſtat confeſſione, & contritione pro materiâ, & abſolutione pro forma, abſque ulla Dei impoſitione ſignificare videtur remiſſionem peccatorum: ergo eſſe ſignum gratiæ non habet ex impoſitione, vel inſtitutione divina. *Ratio dubitandi.*

Sed contra, quia ut AVGVST. docet *lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 9.* Sacramentum eſt ſignum ex divina inſtitutione.

16. Reſpondemus dicendum, Sacramentum non eſſe ſignum gratiæ ſanctificantis ex natura rei; ſed ſolum ex inſtitutione, & impoſitione divina. Probatur concluſio quoad primam partem: quia quod ſignificat naturaliter, aut eſt naturalis ſimilitudo rei ſignificatæ, aut effectus illius: ſed res ſubſtracta ſignificationi in Sacramento, nullo ex his modis ſignificat gratiam, ut ex ſe patet: ergo non ſignificat illam ex natura rei. Quo ad ſecundam verò partem probatur concluſio. Quia ſolus Deus eſt auctor gratiæ, & ſpiritualis ſanctificationis: ergo ſolus ipſe inſtituit, ut res ſenſibilis, & exterior ſignificet illam tanquam preſentem, & futuram prout ad rationem Sacramenti pertinet. Patet conſequentia, quia ſolus auctor gratiæ reddit veram talem ſignificationem. *Concluſio.*

17. Ad argumentum dicendum, quod in Sacramento pœnitentiæ, quamvis verba abſolutionis ſignificare videantur remiſſionem peccatorum ex inſtitutione hominum; non tamen re vera ita eſt, quia ex humana inſtitutione ſolum habent ſignificare ſpeculativè, & abſtrahendo à verâ, vel falſâ ſignificatione; ex divina autem inſtitutione ſignificant practicè, & determinatè verè. *Solutio rationis dubitandi.*

DU-

DUBIUM III.

Utrùm Sacramentum debeat eſſe ſignum inſtitutum à Deo ſtabili, & firmâ lege, quod ſcilicet duret pro aliquo integro ſtatu?

Prima ratio dubitand.

18. ET videtur quod non: primo quia in definitione tantum dicitur, quod ſit ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos: ergo etiam ſi parvo tempore duret, erit Sacramentum, dum tamen ſit ſignum rei ſacræ ſanctificantis.

Secunda.

19. Secundo, quia in lege naturali ſignum viſibile proteſtativum fidei, quod determinabatur à quolibet in particulari, & applicabatur parvulis in remedium contra originale peccatum, erat verùm Sacramentum, ut colligitur ex D. AVGVST. *lib. 5. contra Julianum*; & tamen non erat aliquod ſignum permanens ſtabili lege à Deo inſtitutum: cum quilibet pro ſuo arbitrio uteretur illo, quo vellet: ergo non eſt de ratione Sacramenti, quod ſit ſignum inſtitutum à Deo permanens ſtabili lege.

Inductio in Sacramentis legis antiquæ, & novæ.

20. Sed contra: quia hanc conditionem communiter exigunt Theologi: & inductivè patet in omnibus Sacramentis, nam vetera Sacramenta inſtituta fuerunt à Deo pro toto ſtatu legis antiquæ: nova autem Sacramenta inſtituta ſunt à Chriſto Domino pro toto ſtatu legis gratiæ uſque ad conſummationem ſæculi.

Conclusio

21. Reſpondemus dicendum, Sacramentum eſſe ſignum inſtitutum à Deo ſtabili, & firma lege, quod ſcilicet duret pro aliquo integro ſtatu. Et ratio eſt, quia Sacramenta ſunt res ſacræ, in quibus adunantur fideles, ut juxta Dei inſtitutum, ipſum colant, atque ita unam Eccleſiam conſtituant: ergo ſicut ſtatus Eccleſiæ eſt permanens, ita etiam Sacramenta debent habere permanentem inſtitutionem pro toto tempore, quo durat modus adunandi fideles in cultum Dei.

Excluduntur à ratione Sacramenti verba Domini ad Magdalenam.

22. Hinc infertur defectum hujus conditionis ſufficere ad excludendum à ratione Sacramenti verba illa Chriſti Domini ad Magdalenam: *Remittuntur tibi peccata*: quæ pro tunc non fuere Sacramentum, nec forma Sacramenti.

Objectio.

23. Sed objicies. Duratio rei non variat eſſentiam rei; eadem enim manet eſſentia ſive multo, ſive parvo tempore duret: ergo ex defectu hujus conditionis non rectè excluditur ſignum rei ſacræ à ratione Sacramenti.

Solutio.

24. Reſpondetur, antecedens eſſe verum in rebus phyſicis; res autem artificiales, ſeu morales, quæ ex inſtitutione libera pendent, variari poſſunt eſſentialiter in ordine ad humanos uſus, ex maiori, vel minori duratione ſive ex permanenti, aut tranſeunti inſtitutione: nam moraliter in ordine ad humanos uſus valdè diverſam rationem habet ſignum ſacrum inſtitutum permanenter, aut tranſeunter: illo enim modo in uſu talis ſigni adunantur fideles; non autem iſto: ac proinde illo modo eſt res ſacra conſtituens ſtatum Eccleſiæ; non autem iſto modo.

Occurritur primæ rationi dubitandi.

25. Ad primam rationem dubitandi *n.* 18. allatam reſpondetur, quod cum ſignum in definitione poſitum non habeat ſignificare rem ſacram niſi ut à Deo inſtitutum eſt: eo ipſo, quod à Deo inſtitutum ſit, ut duret pro toto tempore, quo durat modus adunandi fideles, in cultum Dei, ſufficienter manet incluſum, debere eſſe ſignum permanenter pro toto tempore, quo Eccleſiæ ſtatus durat.

Occurritur ſecundæ

26. Ad ſecundam aliqui reſpondent in lege naturæ ſignum illud non fuiſſe verè, & propriè ſacramentum. Melius tamen dicendum, Deum in illa lege docuiſſe Chriſtum venturum eſſe, & quod ſuppoſita hujuſmodi revelatione factà à Deo, ex interiori inclinatione gratiæ, & fidei procedebat iſtud judicium: fides Chriſti venturi proteſtanda eſt aliquo viſibili ſigno: & licet ſignum illud non eſſet ſtabile, prout erat tale in ſingulari; erat tamen ſtabile, in quantum erat exterior proteſtatio fidei Mediatoris, quia ſtabili lege ſtatutum erat a Deo, neceſſarium eſſe ad ſalutem exteriori ſigno profiteri fidem Mediatoris, ſive ſignum eſſet iſtud, vel illud ad arbitrium fidelium: & hoc ſatis erat ad verificandam dictam conditionem.

DVBIVM IV

Utrùm Sacramentum ſit ſignum gratiæ ſanctificantis animam de præſenti in uſu, vel applicatione Sacramenti?

Prima ſententia.

27. ET videtur quod non: quia multi Theologi, ut Suares, Vaſquez, Granado, Lugo Cardinalis, *& alii multi* docent ſacramenta veteris legis non habere ſignificationem gratiæ ſpiritualis de præſenti; ſed ſolùm de futuro, dandæ ſcilicet tempore legis gratiæ: ergo ſacramentum in genere non eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis animam de præſenti in uſu, vel applicatione ſacramenti.

28. Hæc autem ſententia probatur primo, quia Conſilium Florentinum in doctrina de ſacramentis docet vetera ſacramenta ſolum gratiam dandam per Chriſtum præfiguraſſe: ergo non eſt de ratione ſacramenti, ut ſic, quod ſit ſignum gratiæ quæ detur de præſenti

29. Secundo probatur ex D. THOMA 3. *p. q.* 61. *ar.* 4. ubi ſic ait. *Non oſtenditur aliqua mutatio eſſe circa Deum, ex hoc quod alia Sacramenta inſtituit poſt Chriſti adventum, & alia tempore legis: quia illa fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ; hæc autem ſunt congrua gratiæ præſentialiter demonſtrandæ.* Ergo ſecundum D. THOMAM non omnia ſacramenta, ſed ſolum, quæ ſunt legis gratiæ, ſignificant gratiam præſentialiter.

30. Sed contra, quia verba definitionis ſacramenti denotant, quod ſit ſignum gratiæ præſentis; non enim dicitur, quod ſit ſignum rei ſacræ, quæ ſanctificatura eſt hominem de futuro, ſed ſanctificantis de præſenti; & ita exponit CAIETANVS ibidem. *Iy ſanctificantis intelligitur in actu exercito, hoc eſt, quod eſt ſignum rei ſacræ, ut actualiter exercet ſanctificationem hominis.*

Expoſitio

aſſertio

31. Reſpondemus dicendum, ſacramentum eſſe ſignum gratiæ ſanctificantis animam, quæ de preſenti datur in uſu, vel aplicatione ipſius

ſacramenti rectè ſuſcipienti; ſive detur per ipſum ſacramentum, ut in ſacramentis legis gratiæ, ſive detur à Deo, io ipſa tamen praxi, & uſu ſigni, ſicut fiebat in ſacramentis veteris legis. Ita docent Caietanus *ubi proximè*, Petrus de Ledeſma *in ſum. De Sacram. in genere, c.1.* Nunnus *in 3. p. q. 70. ar. 4. dub. 2.* Cabrera *ibidem ar. 2. diſp. 1. §. 3* Valentia *quaſt. 1. puncto 1.* *Aravio dub. 2.* Joannes Gonzalez *diſp. 1. ſect. 3* dicens eſſe communiorem ſententiam inter juniores Thomiſtas. Et videtur eſſe de genuinâ mente Angelici Doctoris locis ſtatim referendis.

Suadetur aſſertio, & quod ſit

32. Probatur utrumque ſimul, & aſſertio ſcilicet, & quod Angelici Doctoris, ſit ex ipſius verbis. Nam 3. *p. q. 61. ar. 4.* ſic ait *Dicendum, quod ſicut antiqui Patres ſalvati ſunt per fidem Chriſti venturi, ita & nos ſalvamur per fidem Chriſti jam nati, & paſſi; ſunt autem Sacramenta quædam ſigna proteſtantia fidem qua homo juſtificatur.* Et quæſ. 62. ar. 6. in corpore *Sacramenta veteris legis* (inquit) *non habebant in ſe aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam Iuſtificantem; ſed ſolum ſignificabant fidem per quam juſtificabantur.* Et in ſolut. ad 3. *Melius dicendum videtur, quod circumciſio, ſicut & alia Sacramenta veteris legis erant ſolum ſignum fidei juſtificantis; unde Apoſtolus dicit Rom. 4. quod Abraham accepit ſignum circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, & ideo in circumciſione conferebatur gratia, in quantum erat ſignum paſſionis Chriſti futuræ.* Et q. 70. ar. 4. *dicendum* (ait) *quod in circumciſione conferebatur gratia, quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quam in Baptiſmo nam in Baptiſmo confertur gratia ex virtute ipſius Baptiſmi, quam habet, in quantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti jam perfectæ. In circumciſione autem conferebatur gratia non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat circumciſio: ita ſcilicet, quod homo, qui accipiebat circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis. Unde & Apoſt. dicit Rom. 4. quod Abraham accepit ſignum circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quia ſcilicet juſtitia erat, ex fide ſignificata, non ex circumciſione ſignificante.*

33. Habes ergo ex D. Thoma, quod circumciſio, & cætera Sacramenta veteris legis erant ſigna quædam viſibilia fidei juſtificantis, ſeu juſtitiæ, quæ erat ex fide paſſionis Chriſti venturi: unde circumciſionem appellat Apoſtolus ſignaculum juſtitiæ fidei, id eſt ſignaculum juſtitiæ, quæ erat ex fide. Ex quo ſic formatur ratio ad probandam aſſertionem, & ſimul manebit probatum, quod ſit Sancti Thomæ.

Circumciſio ſicut & cætera veteris legis Sacramenta in applicatione vel uſu erant ſigna quædam juſtitiæ, quæ erat ex fide paſſionis Chriſti per ipſa Sacramenta ſignificata; propterea enim Apoſtolus appellat circumciſionem ſignaculum juſtitiæ fidei: ergo ſignificabant juſtitiam, ſeu gratiam animæ, quæ conferebatur à Deo de præſenti in applicatione, vel uſu ipſorum Sacramentorum rectè ſuſcipienti. Ergo cum de Sacramentis novæ legis conſtet ſignificare gratiam, quæ datur de præſenti in ipſorum uſu; omne verum Sacramentum erit ſignum rei ſacræ ſanctificantis animam, quæ datur de præſenti in uſu ipſius Sacramenti. Secunda conſequentia patet ex prima, & prima ex antecedenti. Antecedens autem eſt D. Thomæ, & colligitur ex Apoſtolo ad Romanos 4.

Quæſtio incidens.

34. Sed ſtatim hic pulſat animum difficilis illa quæſtio: utrùm hæc fides in adultis ſuſcipientibus Sacramenta veteris legis deberet eſſe; cum contritione: an vero ſufficeret cum ſola attritione, ut Deus in illorum Sacramentorum uſu gratiam conferret? Circa quod inter diſcipulos D. Thomæ duplex, & utraque probabilis reperitur ſententia. *Prima ſententia.* Prima eſt, quod in circumciſione, & fortè in aliquo alio Sacramento, ut in conſecratione Sacerdotis, & in remedio legis naturæ conferebatur gratia ex opere operato; ita ut fieret adultus ex attrito contritus; atque adeò quando accedebat, cum contritione dabatur illi major gratia, quam eſſet illa, quæ correſpondebat contritioni ſecundum ſe; non tamen virtute Sacramenti, id eſt non cauſabatur ab ipſo Sacramento; ſed à Deo ſolo ad præſentiam Sacramenti. Et hanc tenent multi diſcipuli D. Thomæ, ut refert Nunno 3. p. q. 70. art. 4.

Secunda

35. Secunda verò ſententia eſt Magiſtri Cano & plurium aſſerentium, quod quando adultus ſuſcipiebat Sacramentum circumciſionis, vel aliquod aliud; ſi ſolum accedebat cum attritione, non fiebat contritus, nec juſtificabatur: & ſi accedebat cum contritione, tantùm recipiebat gratiam juxta quantitatem contritionis: dicunt tamen non propterea ea Sacramenta impertinentia fuiſſe ad juſtificationem, quia propter ſignificationem, quæ ibi erat, & cognoſcebatur à fidelibus, maximè excitabantur ad devotionem, & ad contritionem, quam intendere tenebantur.

Diluitur primum argumentū

36. Reſtat reſpondere ad argumenta *n. 28. & 29.* facta: ad primum ergo dicendum Concilium Florentinum, dum dicit Sacramenta veteris legis ſolum gratiam dandam præfiguraſſe; etiam ſi *ly dandam* in rigore pro tempore ſolum futuro accipiamus, loqui de gratia, quæ ſit effectus Sacramenti; hanc enim Sacramenta illius legis tantùm de futuro; tempore ſcilicet legis gratiæ conferendam ſignificabant; non verò loqui de gratia, quæ non ſit effectus Sacramenti; ſed ſit ex fide paſſionis Chriſti ſignificata à Sacramento, quæ in actuali uſu illius conferebatur de præſenti à Deo, niſi apponetetur ex parte ſuſcipientis impedimentum.

Diluitur ſecundum.

37. Ad ſecundum eodem modo dicendum Sacramenta tempore legis fuiſſe congrua gratiæ, quæ ſit effectus Sacramenti, præfigurandæ; cum quo ſimul ſtat fuiſſe etiam congrua gratiæ, quæ non erat ex Sacramento; ſed ex fide ſignificata à ſacramento, & in uſu illius à Deo collata, præſentialiter demonſtrandæ, quod minime negat D. Thomas.

Excluduntur non nulla à ratione Sacramenti.

38. Ex hucuſque dictis in hoc capite facile excluduntur à ratione veri ſacramenti imagines Chriſti Domini, nec non ſerpens æneus elevatus à Moyſe in deſerto, manna datum Patribus, & innumera, quæ in veteri teſtamento Chriſtum præſignabant, quibus aliqua ex conditionibus aſſignatis, vel aliquæ deficiebant.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

De correſpondentia Sacramentorum novæ legis reſpectu eorum, quæ erant in lege veteri, & in quibus illa ab iſtis differant?

IN HOC CAPITE SVNT DVO PVNCTA, ET UNICUM DUBIUM.

P. 1. *Quæ Sacramenta novæ legis correſpondeant Sacramentis veteris legis?*

P. 2. *In quibus differant noſtra à Sacramentis veteris legis?*

D. un. *Utrum Sacramenta novæ legis Phyſicè inſtrumentaliter cauſent gratiam?*

PUNCTUM I.

Quæ Sacramenta novæ legis correſpondeant Sacramentis veteris legis?

Sacramenta veteris legis ad tria capita reducuntur.

DIvus Thomas 1. 2. q. 102. ar. 5. ſacramenta veteris legis revocat ad tria capita, tam communiter pro toto populo, quam ſpecialiter pro ſacerdotibus, & Levitis. Primum erat eorum, per quæ inſtituebantur in ſtatu colendi Deum; & hæc quidem inſtitutio communiter quantum ad omnes fiebat per circumciſionem, ſine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium: quantum verò ad ſacerdotes, per ſacerdotum conſecrationem. ſecundum erat eorum, quæ ordinabantur ad quemdam uſum, ſeu participationem illorum, quæ pertinebant ad divinum cultum, & ſic quantum ad populum erat eſus paſchalis convivii, & quantum ad ſacerdotes oblatio victimarum, & eſus panum propoſitionis, & aliorum, quæ erant ſacerdotum uſibus deputata. Tertium erat illorum, quæ requirebantur ad remotionem eorum, per quæ aliqui impediebantur à cultu divino, ſcilicet immuoditiarum: & ſic quantum ad populum erant inſtitutæ quædam purificationes, à quibuſdam exterioribus immunditiis, & etiam expiationes à peccatis. Quantum verò ad sacerdotes, & Levitas erant inſtitutæ ablutio manuum, & pedum, & raſio pilorum.

Sacramentis figuralibus legis correſpondent quatuor novæ legis Sacramenta.

2. Fuerunt igitur in illa lege sacramenta figuralia, quibus correſpondent quatuor novæ legis sacramenta, ut docet idem Angelicus Præceptor *ibidem in ſolut. ad 3.*

3. Circumciſioni quidem reſpondet Baptiſmus, qui eſt fidei ſacramentum. Unde dicitur ad Coloſ. 2. *Circumciſi eſtis in circumciſione Domini noſtri Ieſu Chriſti conſepulti ei in Baptiſmo.*

Convivio Agni Paſchalis reſpondet in nova lege ſacramentum Euchariſtiæ.

Omnibus autem purificationibus veteris legis reſpondet in nova ſacramentum pœnitentiæ.

Conſecrationi denique Pontificis, & ſacerdotum reſpondet ſacramentum ordinis.

Cur Sacramento confirmationis non correſpondeat aliquod Sacramentũ antiquæ legis?

4. Sacramento verò confirmationis, quod eſt ſacramentum plenitudinis gratiæ, non poteſt reſpondere in veteri lege aliquod ſacramentum, quia non dum advenerat tempus plenitudinis.

Similiter & ſacramento extremæ unctionis, quod eſt quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus non patebat in veteri lege, prætio nondum ſoluto, non poteſt reſpondere aliquod ſacramentum.

Differentia inter matrimonium novę, & antiquę legis.

5. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ; non verò prout eſt ſacramentum conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, quæ nondum erat ſacta. Unde & in veteri lege dabatur libellus repudii: quod eſt contra ſacramenti rationem.

PVNCTVM II.

In quibus differant noſtra à Sacramentis veteris legis?

Differentia inter Sacramenta nova & antiqua legis.

DIfferunt autem in multis ſacramenta novæ legis à ſacramentis veteris legis.

Prima differentia

6. Primo, quia ut dicit D. Thomas 3. p. q. 61. ar. 2. ſacramentis novæ legis ſignificantur ea, quæ præceſſerunt in Chriſto; & ſacramentis veteris legis prænuntiabantur futura.

Secunda

7. Secundo, quia ut ait idem Angelicus Doctor q. 60. ar. 6. ſacramenta veteris legis non ita expreſſe ſignificabant Chriſtum, ſicut ſacramenta novæ legis, quæ ab ipſo effluunt, & quandam ſimilitudinem ipſius in ſe habent.

Tertia.

8. Tertio, nam ſacramenta novæ legis neceſſariò conſtant, ſive perficiuntur verbis; veteris autem legis ſacramenta, non omnia verbis indigebant, ut patet in Circumciſione, & Agno Paſchali.

Quarta

9. Quarto, quia ut D. Avgvstinvs dicit contra Fauſtum 19. *cap.* 13. ſacramenta novæ legis ſunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

Quinta

10. Quinto, quia nt docet Concilium Florentinum in decreto de unione Armenorum, & Tridentinum, ſes. 7. de ſacram. can. 6. ſacramenta novæ legis gratiam continent, quam ſignificant, eamque non ponentibus obieem conferunt; ſacramenta verò legis

veteris, neque gratiam, quam ſignificabant, continebant, neque ipſa ſacramenta non ponentibus obicem conferebant; ſed Deus in ipſorum uſu, vel applicatione.

Sexta. 11. Hinc oritur ſexta differentia, quia ipſa ſacramenta novæ legis gratiam ex opere operato conferunt; non verò ſacramenta legis veteris.

Septima. 12. Septimo differunt, quia ſacramenta novæ legis ſunt cauſæ phyſicæ inſtrumentales gratiæ; quod ſacramentis legis veteris nullatenus competit. Quod ut clariùs pateat, ſit.

DVBIVM VNICVM

Utrum Sacramenta novæ legis phyſicè inſtrumentaliter cauſent gratiam?

Prim. ratio dubitandi 13. ET videtur quod non: primò, quia gratia non fit per eductionem de potentia ſubiecti, ſed per creationem: tum quia in ſcriptura productio illius vocatur creatio, juxta illud Pſalmi: *Cor mundum crea in me Deus.* Tum etiam quia infunditur à Deo, ut docet Trid. *ſeſ. 6. de iuſtificat. cap.* 7. quod autem educitur de potentia ſubiecti, & conſequenter in eo continetur, non infunditur. Tum denique quia eſt ex ſe incorruptibilis, ac proinde ingenerabilis & ineducibilis. Sed repugnat creaturam aſſumi, ut inſtrumentum ad creationem, ut docet D. THOMAS 1. *p. q.* 45. *ar.* 5. ergo non poſſunt ſacramenta phyſicè inſtrumentaliter cauſare gratiam.

Secunda 14. Secundo, quia inſtrumentum non poteſt elevari ad effectum agentis principalis, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitivè operatur ad talem effectum, ut docet D. THOM. *loco nuper citato*: ſed propria operatio aquæ Baptiſmatis, v. g. ſcilicet ablutio corporalis, non diſponit ad productionem gratiæ: ergo non poteſt elevari tanquam inſtrumentum ad eam cauſandam.

Tertia 15. Tertio: nam cum ſacramenta agant virtute Paſſionis Chriſti, non poſſunt aliter gratiam cauſare, quam illã cauſat ipſa Paſſio Chriſti: atqui Paſſio Chriſti non cauſat in nobis gratiam tanquam inſtrumentum phyſicum, ſed ſolum moraliter: quia Paſſio Chriſti jam præceſſit, & modò non exiſtit; exiſtentia autem eſt conditio omnino requiſita ad cauſalitatem phyſicam: ergo ſacramenta non poſſunt cauſare gratiam, niſi ſolum moraliter.

Quarta. 16. Quarto, quia ſacramentum cum ſit res corporea, non poteſt phyſicè inſtrumentaliter attingere rem ſpiritualem, qualis eſt gratia ſanctificans, abſque eo quod ſuperaddatur illi nova virtus: ſed hæc non poteſt eſſe corporea: quia talis virtus ſuperaddita, ita improportionata eſſet actioni, & effectui, ſicut eſt ipſa res corporea: neque etiam poteſt eſſe ſpiritualis, tum quia non poſſet recipi in ſubjecto corporeo: nam res corporea eſt incapax accidentis incorporei; ſicut & res incorporea, v. g. Angelus nequit recipere accidens corporeum. Tum etiam quia quodvis accidens pendet ineſſe, fieri, & conſervari à ſubjecto, & contra rationem accidentis ſpiritualis eſt, quod ſic pendeat à corpore: nam hic modus dependendi eſt proprius accidentis corporei.

17. Quinto, quia verba conſecrationis ſæpè non contingunt panem aliquantulum diſtantem: ergo non contingunt effectum & paſſum per contactum virtutis; quod requiritur ad rationem inſtrumenti phyſici. *Quinta*

18. Sexto arguit Vazquez ſacramenta ſunt entia ſucceſſiva: ergo non poſſunt phyſicè operari, quando ſunt, neque quando jam fuere tranſacta: quia quando ſunt, nondum ſunt perfecta, v. g. prolatio verborum formæ quamdiu durat, nondum eſt terminata, ac proinde nondum habet totam ſignificationem requiſitam ad eſſentiam ſacramenti: quando verò jam eſt terminata, non exiſtit: igitur non poteſt phyſicè operari. *Septima*

19. Septimo, ex natura gratiæ arguit Lugo Cardinalis, *diſput. 4. de Sacram. ſect. 4. num.* 48. Nam gratia ex ſe poſtulat produci efficienter à ſolo Deo, à quo ſolo infunditur extra ſacramenta: quando autem aliquis effectus ex ſe petit procedere ab aliqua cauſa, & non aliâ non debemus invertere hunc ordinem ſine urgenti cauſa; alioquin ſi pro libito liceret addere hujuſmodi miracula, poſſet aliquis dicere animam Chriſti fuiſſe productam, non à ſolo Deo, ſicut aliæ animæ producuntur, ſed etiam à Beata Virgine concurrente ſimul ad creationem illius animæ per potentiam obedientialem, tamquam inſtrumento Dei: quod longè abeſt à veritate, nec debet concedi; ſed ſinguli effectus dicendi ſunt fieri ab iis cauſis, à quibus naturaliter petunt produci, ne fingamus abſque neceſſitate miracula.

Propter hæc, cauſalitatem moralem, & non phyſicam tribuunt ſacramentis novæ legis Vazquez, Lugo Cardinalis, Herinx *diſp. 4. queſt.* 2. & alii.

20. Sed contra eſt, quod D. Thomas 3. *p. q.* 62. *art.* 1. *&* 5. exemplo inſtrumenti phyſici hanc ſacramentorum novæ legis cauſalitem ad amuſſim declarat: eamque gratiæ cauſalitatem tribuit ſacramento, ut inſtrumento ſeparato, quam tribuit humanitati Chriſti Domini ut inſtrumento conjuncto: huic autem aſſignaverat idem S. Doctor ſupera *queſt.* 8. *ar.* 1. *ad* 1. cauſalitatem gratiæ per merita, & efficientiam, diſtinguens efficientiam à merito, & ſatisfactione. Quæ quidem efficientia non poteſt non eſſe phyſica: nam efficientia moralis, quam reſpectu gratiæ habet Humanitas Chriſti, tota ad meritum, & ſatisfactionem pertinet: illa ergo quæ à merito, & ſatisfactione diſtinguitur, debet eſſe phyſica. Et *eadem queſtione ar.* 4. aſſerit in ſacramentis eſſe virtutem incompletam effectricem gratiæ Et *ad* 1. ait hanc virtutem eſſe ſpiritualem: neque impoſſibile eſſe eam inveniri in ſacramento, quod eſt res corporea, quia eſt per modum tranſeuntis. Quæ omnia vim inſtrumentalem phyſicam haud obſcurè ſignificant: ad ſolam enim moralem non opus illi eſſet uti diſtinctionibus illis, & ſubtilitatibus virtutis ſpiritualis in completæ & tranſeuntis, receptæ in re corporea ad cauſandam gratiam, ut de ſe patet.

21. Reſpondemus dicendum, ſacramenta novæ legis, non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè inſtrumentaliter cauſare gratiam. *Concluſio*

Hæc

Digitized by Google

Hæc videtur expreſſa ſententia D. Thomæ, locis citatis, & alibi ſæpè: & ita eam communiter tuentur ejus diſcipuli Caietanus, Nuño Cabrera, Petrus de Ledeſma, Araujo Joannes Gonzalez, Suarez, Valentia, Bellarminus, Sayrus, quos ferè omnes refert & ſequitur Granado, *controverſia* 3. *de Sacramentis in genere*, *diſput*. 4. *ſect*. 1. & alii plures, quos referunt, & ſequuntur Bonacina, *diſputat* 1. *q*. 4. *puncto* 6. Leander, *tract*. 1. *diſput*. 3. *quæſt*. 8. Silvius, Wiggers 3. *p*. *qu*. 62. *art* 4. Gonet; Disp. 3. *art* 2. N. Philip. à SS. Trin. *diſp*. 5 *dub*. 1. N. Gabriel à S Vincentio *diſput*. 4. *qu*. 2. N. Anton. probabiliorem reputat. N. Franciſc. Bonæ ſpei *tract* 1. diſp. 2. *dub*. 2.

Suadetur primo Authoritate.

22. Probatur primo, quia adſtruendo in ſacramentis novæ legis, non ſolum reperiri cauſalitatem moralem; ſed etiam phyſicam inſtrumentalem; magis propriè explicantur loca ſacræ ſcripturæ, Conciliorum, & ſanctorum Patrum, in quibus de ſacramentorum cauſalitate fit mentio, cujuſmodi ſunt illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, & *Spiritu Sancto*. Et illud Concilii Maguntini in decretis fidei, cap. 10. ubi dicitur ſacramenta novæ legis habere vim gratiæ conferendæ, nec non illud AUGUSTINI ſuper JOANN. *Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & animam abluat*. In quibus, & ſimilibus locis, ſi propriè intelligantur, virtus phyſica declaratur. Quare merito eam comparat S. P. N. Cirillus aquæ urenti intenſius ab igne calefactæ, *lib*. 2. *in Ioann. cap*. 42. *Quemadmodum* (inquit) *viribus ignis intenſius aqua calefacta, non aliter quam ignis urit, ſic Spiritus Sancti operatione aqua, quæ baptizati corpus abſtergitur, reformatur ad divinam virtutem, & potentiam*. Unde ſicut aqua phyſicè per vim intrinſicè receptam producit calorem (eſto non ſit propriè inſtrumentum, ut docent N. Complutenſes *in lib. Phyſicorum*, *lib*. 2. *diſp*, 12, *nu*. 54.) ita etiam aqua Baptiſmi per vim mirabilem intrinſecè receptam phyſicè producit gratiam (ut inſtrumentorum tamen propriè dictum, utpote divinæ virtutis) Et idem eſt de aliis ſacramentis novæ legis. Plura alia teſtimunia ſcripturæ, Conciliorum, & Patrum pro iſta concluſione ponderant Gonet, Suarez, & alii auctores ſupra citati, quæ apud ipſos videri poſſunt.

Secundo ratione.

23. Secundo probatur; nam ſacramenta novæ legis deferunt influxum phyſicum Dei ad cauſandam gratiam: ergo ſunt inſtrumenta phyſica. Patet conſequentia, quia cum inſtrumenta conſtituantur talia per actionem principalis agentis, ſi ſacramenta deferunt influxum phyſicum Dei, qui eſt agens principale, neceſsè eſt dicere, eſſe inſtrumenta phyſica. Antecedens autem probatur, quia influxus phyſicus Dei defertur ab humanitate Chriſti, & non niſi mediis ſacramentis legis gratiæ: ergò de primo ad ultimum ipſa deferunt influxum phyſicum Dei, atque ita hic eſt diverſus in genere cauſæ, prout agit, & conjungitur diverſis ſacramentis; gratia enim producta per influxum Dei medio Baptiſmo eſt diverſæ rationis, quantum ad modum à gratia collata per ſacramentum confirmationis; & ſic de reliquis.

24. Tertio, quia ut planè colligitur ex D. Thom. 3. *p*. *q*. 62. *art*. 5. & 6. ea cauſalitas præcipuè ex virtute paſſionis Chriſti ſacramentis novæ legis concedenda eſt, quæ ex virtute ejuſdem paſſionis, non potuit competere ſacramentis legis antiquæ, eo quod talis paſſio nondum tunc exiſtebat; ſed ex defectu exiſtentiæ paſſionis ſolum colligitur, non potuiſſe competere ſacramentis veteris legis ex virtute ejuſdem paſſionis cauſalitatem phyſicam, non vero moralem, ut ex ſe patet: ergo cauſalitas phyſica præcipuè competit ſacramentis novæ legis.

Quarta ratio pro aſſertione.

25. Quarto probatur, quia humanitas Chriſti Domini, ut inſtrumentum conjunctum divinitati concurrebat phyſicè, non ſolum ad ſanationem corporis; ſed etiam ad ſanationem animæ, quæ fit per gratiam: ergo etiam ſacramenta novæ legis, ut inſtrumenta ſeparata concurrunt phyſicè ad gratiam: illud enim cauſalitatis genus, quod tribuitur humanitati Chriſti, ut inſtrumento conjuncto, conceditur etiam ſacramentis novæ legis, ut inſtrumentis ſeparatis reſpectu gratiæ. Antecedens latè docetur in tract: de incarnat. & probatur ex illo Lucæ 6. *Virtus de illo exibat*, & *ſanabat omnes*. Et 8. *Ego ſenſi virtutem de me exiſſe*, ſeu ut exponit Hugo Cardinalis ibi: *Novi me operatum eſſe in ſpiritu animæ ſanationem*, & *corporalem à fluxu ſanguinis*. Quibus verbis niſi, valdè impropriè intelligantur, virtus phyſica declaratur, undè preclarè D. Thom, *quodlib*. 12. *art*. 15. *ſicut caro Chriſti habet virtutem inſtrumentalem ad facienda miracula, propter conjunctionem ad verbum, ita ſacramenta per continuationem ad Chriſtum crucifixum & paſſum*.

Diluitur primum argumentum.

26. Reſtat reſpondere ad argumenta pro contraria ſententia ſupra adducta. Ad primum neganda eſt major; & ad primam probationem dicendum cum noſtris Complutenſibus *in lib. Phyſicorum*, *diſp*. 4. *nu*. 54. productionem gratiæ vocari creationem moraliter; quatenus non fit ex meritis. Ad ſecundam probationem reſpondetur, quod illa, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, ea ſolum ratione dicuntur infundi, quia non continentur, ut in cauſa, in potentia ſubjecti naturali, nec poſſunt virtute agentis creati, tanquam à cauſa principali educi. Ad tertiam dicendum corruptibilitatem formarum non ſubſiſtentium provenire ex parte ſubjecti, in quo recipiuntur, & modi receptionis. Unde, quia gratia viæ recipitur in ſubjecto amiſſibiliter, poteſt naturaliter corrumpi, & ejus deſitio nō eſt annihilatio; gratia vero patriæ, quia recipitur inamiſſibiliter (nam tunc perfectè dominatur ſubjecto, & ſubjicit illud ſibi) naturaliter nequit corrumpi; bene tamen ſupernaturaliter corruptione propriè dicta: hoc autem ipſo, quod poſſit ſupernaturaliter corrumpi, nec ſit debita naturæ, petit educi de ſubjecto, unde non mirum, quod ſemper producatur per eductionem.

Occurritur ſecundo.

27. ad 2. argumentum dicendum cum eiſdem noſtris complutenſibus, *diſp*. 12. *nu*. 57. quod licet actio aquæ, v. g. ex natura ſua, & ex ſolis ſuis meritis non conducat diſpoſitivè ad effectum ſupernaturalem, qualis eſt gratia, bene tamen ex divina ordinatione, motione, & elevatione & per ordinem ad increatam Dei

virtu-

virtutem: quia hoc ipſo quod, Deus non vult attingere effectum immediatè per ſolam ſuam virtutem increatam; ſed mediante inſtrumento, ut tali ac proinde, ut habente, tum virtutem inferiorem, tum etiam virtutem elevantem, & excellentiorem, fit inde ut ipſe ſibi neceſſitatem impoſuerit ad non operandum, niſi tale inſtrumentum agat, tam ut agens inferius, & per propriam actionem, quam etiam ut agens elevatum: imò niſi prius agat, ut agens inferius; quandoquidem nequit participare actionem illam excelentiorem niſi eliciendo propriam. Hinc ergo fit, quod actio illa aquæ, v. g. ex divina ordinatione, motione, & elevatione diſponat ad effectum illum ſupernaturalem, quatenus diſponit ad participandam actionem principalis agentis.

Solvitur tertium

28. Ad tertium reſpondetur negando minorem: & ad probationem dicendum, quod licet paſſio Chriſti Domini jam præceſſerit, & non habeat exiſtentiam in ſe; manet tamen in facto eſſe, ſeu in ſua virtute, & termino, quem reliquit, videlicet in ſacris vulnerum cicatricibus, ſeu ſtigmatibus, quæ in Chriſto Domino modo perſeverant, & his modificata humanitas verè cauſare dicitur, ut inſtrumentum phyſicum, ratione paſſionis gratiam, quæ nobis datur in ſacramentis.

Objectio

29. Quod ſi urgeas non apparere, quam operationem præviam, & diſpoſitivam ad hunc effectum habeat humanitas Chriſti; cum tamen ad rationem phyſici inſtrumenti requiratur, quod habeat actionem præviam ad actionem principalis agentis, ut docet D. Th. 1. *p. quæſt.* 45. *artic.* 5. *ergo* &c.

Reſponſio.

30. reſpondetur ſatis eſſe ad id actus internos animæ ipſius, quia hi ex divina elevatione poſſunt, etiam ſi maneant in Chriſto, deſervire ad prædictum effectum.

Obſervatio.

31. Obſerva tamen cum noſtris Complutenſibus in libris phyſic. *diſp.* 12. *n.* 64. quod quando dicitur paſſionem Chriſti Domini aſſumptam eſſe, ut inſtrumentum ad cauſandum phyſicè gratiam, non intelligitur niſi de ipſa paſſione, ut facit unum, & eundem actum conſummatum cum voluntate interna patiendi ejuſdem Chriſti; ita ut totum hoc per modum unius actus, ut inſtrumentum aſſumatur.

Solvitur 4. argumentum

32. Ad quartum dicendum, Sacramentum novæ legis elevari per motionem quandam intrinſecam, & ſpiritualem. Et ad primam probationem, quod etſi accidens ſpirituale, quod habet eſſe per modum formæ completæ, & permanentis non poſſit recipi in ſubjecto corporeo; bene tamen, quod recipitur per modum fluentis, viæ, & medij ad formam ſpiritualem, nam tunc non debet commenſurari, niſi cum formâ illâ, ad quam eſt ab intrinſeco via, & medium.

Occurritur ultimæ probationi.

33. Ex quo etiam ad ultimam probationem reſpondetur, quod etſi ſit contra rationem accidentis ſpiritualis, quod per modum formæ completæ, & permanentis dependeat in eſſe, fieri, & conſervari à ſubjecto corporeo, non verò ſi dependeat per modum fluentis, viæ, & medij ad formam ſpiritualem; nam hæc dependentia in prædictis accidentibus vialibus compoſibilis eſt cum ſpiritualitate illius rei, quæ ſic pendet. Et ratio eſt, quia quando forma accidentalis eſt completa, & permanens, debet ex qua parte, eſt accidentalis, pendere a ſubjecto, & ex qua parte recipitur in ſubjecto ſecundum eſſe ratum, permanens, & firmum, recipitur ad modum recipientis, & per commenſurationem cum illo; at quando eſt fluens, & via, licet ex quo capite eſt accidens inhærens corpori, pendeat ab illo; at ex quo capite eſt via ad formam ultimam, & ſpiritualem, non debet niſi cum hac, & cum agente commenſurari. Unde licet revera inſit; nihilominus potius reſpicit ſubjectum, ut mobile, quam ut ſubjectum: quia attingit illud, ut moveat ad attingendam ulteriorem formam altiorem, & ideò commenſuratur cum termino, & agente; non verò cum ſubjecto, in quo recipitur.

Firmatur ſolutio.

34. Quæ ſolutio deſumitur ex Divo *Thom.* 3. *p* q. 62. *ar* 4. *ad* 1. ubi ſic ait. *Dicendum, quod virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ, ſicut ratio probat; nihil tamen prohibet in corpore eſſe virtutem ſpiritualem inſtrumentaliter, in quantum corpus poteſt moveri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum: & hoc modo vis ſpiritualis eſt in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem.*

Fit ſatis 5. argumento.

35. Ad quintum dicendum cum noſtris Complutenſibus, *diſp.* 12. *nu.* 39. ex eo quod ſubjectum, in quo producendus eſt effectus, principaliter intentus, ſit valdè diſtans ſecundum locum ab inſtrumento, non ſequi non poſſe, ſi fuerit inſtrumentum divinæ virtutis, contingere paſſum contactu virtutis, quia paſſum non diſtat à divina virtute, quæ eſt intimè præſens omnibus rebus, & inſtrumentum illud ſubordinatur huic virtuti; & ita operando circa unum ſubjectum per ſolam propriam virtutem, poteſt diſpoſitivè concurrere ad effectum cauſæ principalis alibi producendum circa aliud, ut latè explicant prædicti noſtri Complut. & colligitur ex D. Th. 2. 2. *q.* 178. *ar.* 1. *ad* 1.

Objectio

36. Quod ſi urgeas hinc ſequi non repugnare creaturam aſſumi, ut inſtrumentum ad creandum propter rationem à D. Thoma, 1. *p. q.* 45 adductam, ſcilicet quod creatura non poteſt operari circa nihil; ſed actio prævia illius ſemper debet eſſe circa aliquid: nam poſſet dici, non eſſe neceſſarium creaturam aſſumptam, ut inſtrumentum ad creandum operari circa nihil, quia operando circa unum ſubjectum per ſuam actionem præviam, poſſet diſponere ad creationem alterius rei.

Solutio.

37. Reſpondetur inſtrumentum etiam per actionem præviam, quam elicit circa unum ſubjectum attingere per contactum virtutis effectum cauſæ principalis, ſi fuerit inſtrumentum divinæ virtutis, ut dictum eſt: at hoc ipſo, quod alicubi talis actio præſupponat ſubjectum, non poteſt deſervire ad producendum ens, in quantum ens; quia ſicut ab intrinſeco ſupponit ens creatum: ita ab intrinſeco eſt determinata ad productionem determinati entis; & ideò nequit deſervire ad creationem, quæ tendit ad ens, in quantum ens.

38. Ad ſextum dicendum Sacramenta conferre

Digitized by Google

Fit ſatis ſexto argumento. ferre gratiam in inſtanti intrinſeco, in quo intrinſecè perficiuntur, & complentur; unde prolatio verborum formæ cauſat effectum in inſtanti, in quo eſt verum dicere, nunc primo verba formæ ſunt prolata, & immediatè ante hoc non erant verba formæ integrè prolata; quia tunc completur verborum ſignificatio: & quamvis in illo inſtanti non ſit motus, ſed mutatum eſſe, quod eſt terminus intrinſecus illius; tamen in illo inſtanti cauſat gratiam totus motus etiam ſucceſſivus, quia in illo inſtanti exiſtit terminus intrinſecus illius cum habitudine ad partes ſucceſſivas præcedentes, & hoc ſufficit, ut totum Sacramentum phyſicè cauſet in toto illo inſtanti prolationis verborum. Ut in ſimili ait Diu. Th. 3. *p. q.* 78. *ar.* 4. *ad* 3. his verbis: *Dicendum, quod prædicta verba, quibus fit conſecratio, ſacramentaliter operantur. Unde vis converſiva, quæ eſt in formis horum Sacramentorum, conſequitur ſignificationem, quæ in prolatione ultimæ dictionis terminatur; & ideò in ultimo inſtanti prolationis verborum prædicta verba conſequuntur hanc virtutem; in ordine tamen ad præcedentia; & hæc virtus eſt ſimplex ratione ſimplicis ſignificati; licet in ipſis verbis exterius prolatis ſit quædam compoſitio.*

Occurritur Septimo. 39. Ad ſeptimum dicendum, gratiam ex ſe ſolùm poſtulare produci efficienter à ſolo Deo, ut à cauſa phyſica principali; non verò poſtulare ex natura ſua non produci ab alio, tanquam ab inſtrumentu phyſico, ſicut non poſtulat non produci ab alio, tanquam ab inſtrumento morali. Unde non fit contra naturam gratiæ, quod producatur ab humanitate Chriſti Domini, tanquam ab inſtrumento phyſico conjuncto etiam extra Sacramenta, & à Sacramentis novæ legis, tanquam ab inſtrumentis phyſicis ſeparatis: ſicut non fit contra nuturam gratiæ, quod producatur ab illis, ut inſtrumentis moralibus, & a Chriſto Domino, tanquam à causâ meritoriâ; ſed hoc ex divina ordinatione dependet. Deum autem ita ordinaſſe, ſicut à nobis dictum eſt, non pro libito; ſed cum gravi authoritatis, & rationis pondere aſſeveratur. Neque hinc ullo modo ſequitur, poſſe dici Beatiſſimam Virginem concurriſſe ad creationem animæ Chriſti Domini, tanquam inſtrumentum Dei; etenim creatio ex naturâ ſua poſtulat, ita à ſolo Deo principaliter procedere, ut ex naturâ ſua etiam poſtulet, non produci ab alio, tanquam ab inſtrumento phyſico Dei, ut docet D. Thomas, 1. *p. q.* 45. *art.* 5.

CAPUT TERTIUM.

De numero Sacramentorum novæ legis, & de cauſa efficiente inſtitutionis eorum.

IN HOC CAPITE EST UNICUM PVNCTVM, ET DVO DVBIA.

P. VII. *Utrùm noſtra Sacramenta ſint tantum ſeptem, & à Deo principaliter inſtituta?*

D. 1. *An omnia novæ legis Sacramenta fuerint à Chriſto Domino immeditate inſtituta? An verò Apoſtolis, vel Eccleſiæ communicaverit ipſe poteſtatem excellentiæ ad inſtituendum aliquod Sacramentum?*

D. 2. *Utrum de potentia Dei abſoluta potuerit communicari puro homini poteſtas excellentiæ ad inſtituenda propriè Sacramenta, quæ fuit in Chriſto, ut homine?*

PVNCTVM VNICUM.

Utrùm noſtra Sacramenta ſint tantùm ſeptem à Deo principaliter inſtituta?

Sacramenta novæ leg. ſunt ſeptem tantùm. 1. SAcramenta novæ legis eſſe ſeptem, nec plura nec, pauciora, videlicet Baptiſmũ, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium definit Concilium Tridentinum, *ſeſſione* 7. *canone* 1.

Ratio potiſſima eſt Chriſti voluntas. 2. Ratio potiſſima hujus rei eſt Chriſti inſtitutio, & voluntas. Congruè autem id egit, ut inquit D. Thom 3. *p. q.* 65. *art.* 1. *Et* 4. *contra gent. cap.* 58. Ob proportionem, quam habet vita ſpiritualis ad corporalem. Nam ſicut in corporali primo eſt generatio, ſecundo corroboratio, tertio nutritio, quarto ſanatio ab infirmitate, quinto reſtitutio valetudinis priſtinæ per convenientem dietam, & exercitium, ſexto poteſtas regendi multitudinem, & exercendi actus publicos, ſeptimo propogatio filiorum pro conſervatione reipublicæ: ita in ſpirituali vita Baptiſmus, qui eſt ſpiritualis regeneratio, correſpondet generationi: confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur aſſimilatur roborationi: Euchariſtia, in qua conſervatur vita, & virtus, nutritioni: Pœnitentia, quæ ſanat animam, ſanationi: Extrema Unctio, quæ removet peccatorum reliquias, reſtitutioni valitudinis priſtinæ: Ordo poteſtati regendi multitudinem: Et Matrimonium denique, tam in ſpirituali, quàm in corporali vita correſpondet filiorum propagationi.

Cur Sacramenta ſunt à ſolo Deo, ut à cauſa principali? 3. Conſtat etiam apud omnes Deum eſſe cauſam principalem, & primariam inſtitutionis Sacramentorum, ut docet D. Thom. 3. *p. quæſt.* 64. *art.* 2. Ille enim inſtituit aliquid principaliter, qui principaliter dat ei robur, & virtutem: virtus autem Sacramenti eſt à ſolo

Deo, ut à cauſa principali, ac proinde ſolus Deus poteſt inſtituere Sacramenta, ut cauſa primaria, & principalis. Unde etiam conſtat Sacramenta novæ legis inſtituta eſſe omnia à Chriſto Domino, ut Deo ſecundum poteſtatem authoritatis, & per modum cauſæ principalis, quæ eſt propria Dei, & creaturæ incommunicabilis: unde ſolum circa poteſtatem excellentiæ, quæ fuit in Chriſto Domino, ut homine, duo reſtant examinanda.

DUBIUM I.

An omnia novæ legis Sacramenta fuerint à Chriſto Domino immediatè inſtituta, an vero Apoſtolis, vel Eccleſiæ communicaverit ipſe poteſtatem excellentiæ ad inſtituendum aliquod Sacramentum?

Prima ratio dubitandi. 4. Et videtur quod aliquod Sacramentum fuerit ab Eccleſia, vel ab Apoſtolis immediatè inſtitutum, & à Chriſto Domino ſolum mediatè. Primò, quia Joan. 20. dicitur. *Sicut miſſit me pater, & ego mitto vos.* Ex quibus verbis colligitur eandem authoritatem, quam Chriſtus habuit in quantum homo à Patre, dediſſe diſcipulis ſuis: ergo dedit illis de facto poteſtatem excellentiæ ad inſtituenda aliqua Sacramenta; fruſtrà autem habuiſſent illam, ſi nunquam eâ uſi ſunt: ergo aliqua Sacramenta novæ legis inſtituta ſunt immediatè ab Apoſtolis.

Secunda. 5. Secundo quia Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ſunt Vicarii Chriſti in terris, unde Apoſtolus dicit 2. *ad Corinth.* 2. *Nam & ego quod donavi, ſiquid donavi propter vos in perſona Chriſti*; id eſt, ac ſi ipſe Chriſtus *donaſſet*. Sic ergo videtur, quod Apoſtoli & eorum ſucceſſores habent poteſtatem aliqua Sacramenta inſtituendi, ac proinde quod aliqua inſtituerint, ne hujuſmodi poteſtas fruſtranea ſit.

Tertia. 6. Tertio quia ea, quæ ſunt à Chriſto Domino immediatè inſtituta, traduntur nobis in ſacra Scriptura; ſed tam de verbis, quàm factis, quibus utimur in aliquibus Sacramentis, nulla fit mentio in Scriptura ſacra: non ergo omnia Sacramenta ſunt à Chriſto Domino immediatè inſtituta.

Quarta. 7. Quarto quia de confirmatione dixit Alenſis 4. *p.* q. 24. *memb.* 1. eam fuiſſe primò inſtitutam in quodam Concilio Meldenſi, & alii dixerunt eam ab Apoſtolis inſtitutam eſſe: & de Extrema Unctione Hugo Victorinus *lib.* 2. *Sacram. p.* 15. *cap.* 2. & Magiſter in 4. *diſt.* 24. dixerunt eam inſtitutam fuiſſe à Divo Iacobo, *cap.* 5. ſuæ epiſtolæ canonicæ.

Authoritas. 8. Sed contra, quia ut docet Divus Thomas 3 *p. q.* 64. *art.* 2. *ad* 3. neque ad Apoſtolos, neque ad ullos alios, præter quam ad ſolum Chriſtum pertinuit fundare Eccleſiam; ſed tantùm à Chriſto fundatum regere, & in ſtatu ſuo tueri ut ex illa ſententia Apoſtoli 1. *Corinth.* 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Dei, & diſpenſatores myſteriorum ejus*, ſatis apparet; at Sacramenta ſunt planè fundamenta Eccleſiæ, propterea enim dicitur Eccleſiam ex latere Chriſti (unde myſticè Sacramenta fluxerunt) fabricatam eſſe; ergo ad ſolum Chriſtum pertinuit inſtituere Sacramenta; ad Eccleſiam autem, vel ad Apoſtolos Sacramenta inſtituere non attinet; ſed tantum declarare, & tueri. Unde optimè docuit D. Ambroſi 4. *de Sacram. cap.* 4. *Author Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Ieſus?*

9. Reſpondemus dicendum, quod licet olim non defuerint, qui dicerent Chriſtum inſtituiſſe per ſe aliqua Sacramenta; aliqua tamen ſolum mediatè, & per Apoſtolos; jam tamen apud omnes indubitatum eſt omnia ſeptem Sacamenta fuiſſe inſtituta à Chriſto Domino immediatè. Ita videtur apertè tradi in Concil. Tridentio, *ſeſ.* 6. *can* 1. *his verbis. Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto inſtituta, anathema ſit.* Unde *ſeſ* 14. *can.* 1. ſolam promulgationem Extremæ Unctionis D. Iacobo tribuit illis verbis. *Si quis dixerit Extremam Unctionem, non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à Beato Iacobo Apoſt. promulgatum, anathema ſit. Et ſeſ.* 21. *cap.* 2. univerſaliter docet Eccleſiam poſſe aliquid mutare circa ceremonias accidentales; nullam autem habere poteſtatem circa ſubſtantialia Sacramentorum; quia ſcilicet habuit poteſtatem inſtituendi ritus accidentales, non autem Subſtantialia Sacramenti. *Aſſertio.*

10. Fundatur hæc definitio Concilii in Scriptura, in qua aliqua Sacramenta reperuntur à Chriſto immediatè inſtituta, Baptiſmi ſcilicet, & Euchariſtiæ; Mathæi 26. & 28. Pœnitentiæ Joannis 20. *Quorum remiſſeritis peccata, remittuntur eis.* Ordinis *Math.* 26. *Hoc facite* De aliis verò Sacramentis à paritate rationis, & ex traditione idem creditum eſt in Eccleſia: quod etiam ſignificavit Apoſtolus Paulus 1. *Corinth.* 4. v. 1. Ubi dicit Apoſtolos, tantùm eſſe diſpenſatores myſteriorum ſive Sacramentorum Dei, non autem authores. *Sacramenta à Chriſto Domino immediatè inſtituta in Scriptura, & traditione fundatur.*

11. Rationes congruentiæ ob quas Chriſtus Dominus hanc inſtitutionem Sacramentorum ſibi ſoli reſervavit, afferuntur à D. Thoma, 3. *p. q.* 64. *art.* 4. *ad* 1. & *ad* 3. Prima eſt propter fidelium utilitatem, ne in homine alio ſpem ponerent. Secunda nè eſſent diverſa Sacramenta; ex quibus diviſio oriretur, ſicut apud illos, qui dicebant: ego ſum Pauli: ego autem Apollo; ego verò Cephæ, ut dicitur 1. *ad Corinth.* 1. Tertia nè eſſent multa capita in Eccleſia. *Congruentia, ob quas Chriſtus Dominus Sacramentorum inſtitutionem, ſibi ſoli reſervavit.*

12. Ad primum dicendum verba illa *Ioan.* 20. nullatenus reddere ſenſum in antecedenti relatum, poteſtatem enim excellentiæ, quam habuit Chriſtus à Patre ad inſtituenda Sacramenta ſibi ſoli reſervavit propter rationes allatas. Dedit tamen eis poteſtatem ad remittenda peccata, ſervatâ formâ ſpiritualis judicii. Quapropter illa particula *ſicut*, non ſignificat æqualitatem; ſed ſimilitudinem, aut imitationem, quod uſitatum eſt, ac frequens in Scripturis. *Solvitur* 1. *ratio dubitandi.*

13. Ad ſecundum reſpondet optimè Doctor Angelicus, 3. *p. q.* 46. *art* 2. *ad* 3. his verbis. *Dicendum quod Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ſunt Vicarii Dei, quantum ad regimen Eccleſiæ conſtitutæ per fidem, & fidei Sacramenta. Unde ſicut non licet eis conſtituere aliam Eccleſiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque inſtituere alia Sacramenta; ſed per Sacramenta, quæ de latere Chriſti pendentis in Cruce fluxerunt, dicitur eſſe fabricata Eccleſia Chriſti.* *Solvit ſecunda.*

14. Ad

Digitized by Google

Tertium diluit idem.

14. Ad tertium dicendum cum eodem Angelico Doctore *loco nuper citato in ſolutione ad* 1. Ea quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, inſtituta eſſe immediate à Chriſto Dumino; & licet non ſint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Eeeleſia ex familiari Apoſtolorum traditione, ſicur Apoſt. *duit* 1. *ad Corint.* 11. *Cætera cum venero diſponam.*

Solvitur 4. ex eodem.

15. Ad quartum, quantum attinet ad confirmationem, dicendum cum D. Thoma. 3. *p. q.* 72. *art.* 1. *ad* 1. *Quod circa inſtitutionem hujus Sacramenti quidam dixerunt, quod non fuit inſtitutum, neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis; ſed poſteà proceſſu temporis in quodam Concilio. Alii vero dixerunt, quod fuit inſtitutum ab Apoſtolis. Sed hoc non poteſt eſſe, quia inſtituere novum Sacramentum pertinet ad poteſtam excellentiæ, quæ competit ſoli Chriſto.* Adde, manifeſtè conſtare, quod Sacramentum Confirmationis primo inſtitutum non fuerit in Conc. Meldenſi, quia D. Clemens Romanus diſcipulus D. Petri, & quartus ab eo Pontifex, qui diu illud Concilium præceſſit, facit expreſſam mentionem hujus Sacramenti, *lib.* 3. *conſtitut. cap.* 16 *Epiſcopus* (inquiens) *baptizatos Chriſmate ungat Et epiſt.* 4 ſub finem docet per Epiſcopi conſignationem nos ſeptiformis Spiritus Sancti gratiam accipere. Ubi etiam air: eum, qui non neceſſitate; ſed injuriâ omiſerit, nequaquam poſſe eſſe perfectum Chriſtianum.

Extrem. unctio, quo ſenſu dicatur à Magiſtro ab Apoſtolis inſtituta,

16. Quantùm verò attinet ad Extremam Unctionem D. Thom. *in* 4. *diſt* 23. *q.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. exponit authoritatem Magiſtri ſententiarum (& eodem modo exponi poteſt Ricardus dicere. *Quod Magiſter dicit ab Apoſtolis inſtitutam, quia per doctrinam Apoſtolorum nobis promulgata eſt ejus inſtitutio.* Adde quod ſi fides abhibetur *Lindano in ſua Panoplia lib.* 4. *cap.* 96. ante quam D. Iacobus epiſtolam illam ſcriberet, Sacramentum iſtud erat apud fideles uſitatum, ipſiſque Apoſtolicâ predicatione traditum, nec Iacobus ibi rem omninò novam fidelibus propoſuit; ſed id repetivit, & inculcavit, quod ex recepto jam more faciendum eſſet. Quod quidem, ſi ità eſt, intelligere oportet Iacobum fuiſſe primum, qui Sacramentum iſtud *ſcripto* quidem promulgaverit; licet anteà etiam viva voce Apoſtolorum promulgatum eſſet.

DVBIVM II.

Utrùm de potentia Dei abſoluta potuerit communicari puro homini poteſtas excellentiæ ad inſtituenda propriè Sacramenta, quæ fuit in Chriſto, ut homine?

1 ſententia, & ejus prima ratio ex.

ET videtur quod non: primò propter fundamentum *Patr. Vazq.* 3. *p diſp.* 1. 3. 5. *c.* 2. quia inſtituere, eſt propriè aliquam rem inchoare, & quaſi ab innitio ſtatuere: ſed hoc non poteſt competere creaturæ: jam enim debuit prius præcedere decretum Dei committentis, & dantis talem facultatem creaturæ, quare ab hoc Dei decreto ſumerent ſuum primum exordium Sacramenta; ac proinde ab ipſo ſolùm proprie inſtitui dicerentur.

2. Ratio.

18. Secundo propter fundamentum Scoti, in 4. diſt. 1. Nam ſi pura creatura poſſet inſtituere Sacramentum, quo ſuſcepto gratiam juſtificantem Deus infallibiliter conferret, ſequeretur Deum determinari à creatura ad conferendam gratiam; ac proinde cum cauſa, quæ ab alia determinatur, ſit cauſa ſecunda, ſequeretur ulteriùs Deum in collatione illius gratiæ, ut cauſam ſecundam operari; nempe ut determinatum ab alio, quod eſt abſurdum.

Tertia.

19. Tertio, quia poteſtas excellentiæ, quam habet Chriſtus Dominus in quantum homo, ſe extendit ad inſtituenda Sacramenta, applicando eis merita, & ſatisfactiunem infiniti valoris ſimpliciter ad collatiunem primæ gratiæ, ſive per ſe, ut in Sacramentis mortuorum, ſive per accidens, ut in Sacramentis vivorum; & eodem modo ad remiſſionem offenſæ paſſivæ irrogatæ Deo per peccatum mortale; quæ eſt ſimpliciter infinita in genere offenſæ, ut ex D. Thom. tradunt ejus diſcipuli: ſed puræ creaturæ nequit communicari valor ſimpliciter infinitus, ad merendum aliis primam gratiam, & ad ſatisfaciendum ad æqualitatem pro offenſa paſſiva irrogata Deo per peccatum mortale: ergo poteſtas excellentiæ, quæ eſt in Chriſto Domino ad inſtituenda Sacramenta, non poteſt puræ cræaturæ communicari.

Authoritas

20. Sed contra, quia ut planè videntur docere D. Auguſt. *tract.* 5. *in* Joannem, & D. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 4. poteſtas excellentiæ, quam habuit Chriſtus Dominus, ut homo, ad inſtituenda Sacramenta, potuit miniſtris communicari.

Concluſ.

21. Reſpondemus dicendum, potuiſſe ex commiſſione Dei communicari puræ creaturæ poteſtatem excellentiæ, quantùm ad ſubſtantiam, quæ ſufficeret, ut creatura illa, cui communicaretur, diceretur inſtituere propriè Sacramenta. Ita D. Thom. ubi proxime, quem ſequuntur communiter ejus diſcipuli Caietanus, *Nuño*, *Sotus*, *& alii* plures, quos refert, & ſequitur Suarez 3 *p. diſp.* 12. *ſect.* 2. Garnado *controverſia* 3. *de Sacramentis in genere*, *tracta.* 5. *diſp.* 1. Gonet. *diſp.* 5. *art.* 2. N. Philip. *diſp.* 7. *dub.* 2. N. Gabriel: *diſp.* 6 *queſt.* 4. N. Ant. *ſect* 2. *Et eminentiſſimus Cardinalis* Lugo *de Sacramentis*, *diſp* 7. *ſect.* 2. dicit, ſibi magis placere hanc ſententiam, quia communis eſt, & conformis modo loquendi Theologorum, & Patrum

Explicatur concluſio.

22. Diximus in concluſione: *quantum ad ſubſtantiam &c* Quia poteſtas excellentiæ, quantum ad omnem perfectionem, & modum, quo eſt in Chriſtu Domino, eſt puræ creaturæ incommunicabilis, ut probat tertium argumentum; & manifeſtè colligitur ex D. Thoma *loco nuper citato*, *in ſolut. ad* 3. *ubi* air, quod in caſu, quò communicaretur aliis illa excellentia, Chriſtus Dominus eſſet primum, & principalius caput; cæteri verò miniſtri, quibus fieret talis communicario; eſſent capita ſecundaria, & minùs principalia: ergo non eâdem perfectione haberent illam poteſtatem excellentiæ ad inſtituenda Sacramenta, juxta mentem Angelici Doctoris.

Suadetur primo.

23. Hoc ſuppoſito probatur concluſio. Primò,

quia potuit cõminicari puræ creaturæ poteſtas, non ſolùm determinandi materias, & formas Sacramentorum; ſed etiam ſimpliciter imponendi ſigna ſenſibilia gratiæ ſanctificantis taliter, quòd tota efficacia Sacramentorum eſſet pendens à voluntate talis creaturæ inſtituentis hujuſmodi ſigna ex delegatione, & commiſſione Dei, in hoc enim nulla apparet implicatio: ergo potuit communicari poteſtas excellentiæ, quæ ſufficeret, ut creatura illa diceretur propriè inſtituere Sacramenta; cum ad hoc nihil aliud requiratur, quàm determinare materias, & formas Sacramentorum, & imponere ſigna ſenſibilia gratiæ juſtificantis taliter, quòd tota efficacia Sacramenti ſit pendens à voluntate inſtituentis, ſaltem ex commiſſione & delegatione Dei.

Præcluditurque dum obiectio.

24. Neque ex hoc ſequitur eos, qui in lege naturæ determinabant ceremoniam ſenſibilem, qua juſtificandus erat parvulus, eſſe propriè Sacramenti inſtitutores, quòd eſt apertè falſum: tunc enim inſtitutio Sacramenti verè erat facta à Deo & ſolum applicatio per hanc, vel illam ceremoniam, fiebat ab homine tanquam à miniſtro, à Deo deputato; quia in ipſamet inſtitutione relicta fuit indifferens ratio, aut modus talis ceremoniæ: ſicut nunc etiam liberum eſt Sacerdoti conſecrare in vino albo, aut rubro, quia hoc eſt indifferens ex vi inſtitutionis talis Sacramenti. Unde illa determinatio non eſt inſtitutio; ſed applicatio talis inſtitutionis ad talem materiam: & ſimili modo fiebat in lege naturæ, hoc tantum interveniente diſcrimine, quod indifferentia materiæ latior tunc erat, neque qui ceremoniam determinabat, ſignificationem illi imponebat; ſed eligebat unam ex actionibus habentibus, jam ex Dei inſtitutione vim ſignificandi. At verò in noſtro caſu relinqueretur puræ creaturæ, non ſolum electio materiæ; ſed ſimpliciter impoſitio ſigni, communicatio efficatiæ, & totus effectus Sacramenti eſſet pendens à voluntate, & poteſtate ejus, qui immediatè inſtitueret Sacramentum.

2. ratio pro aſſertione.

25. Secundo probatur concluſio evertendo fundamenta Vazquez, & Scoti; nam ad hoc, ut aliquis propriè dicatur aliquid inſtituere, non requiritur, quòd nullo modo acceperit poteſtatem ab alio id faciendi, neque quod alius non habuerit decretum aliquod circa rem illam; nec ſimiliter requiritur, quòd determinet divinam voluntatem ad volendum aliquid, quòd antea non volebat: ergo immerito Vazquez, & Scotus denegant poteſtatem inſtituendi propriè Sacramenta, poſſe ex commiſſione Dei puræ creaturæ communicari. Conſequentia patet, & antecedens probatur, quia Chriſtus non ſolum ut Deus; ſed etiam ut homo verè, & propriè dicitur inſtituiſſe omnia Sacramenta novæ legis, & ita loquuntur Patres, & Eccleſia ipſa: & tamen poteſtatem accepit à Patre id faciendi, & Pater ab æterno habuit decretum circa rem ipſam, & conſequenter Chriſtus non determinavit divinam voluntatem advolendum aliquid, quod ipſa antea non volebat: ergo &c.

Reſpondetur ad 1 argumentum.

26. Ad primum dicendum, quod licet inſtituere propriè ſumatur pro incipere, juxta illud Ciceron. Pro Cluent. *Quæſo, ut me judices ſicut facere inſtituiſti, benignè, attentè que audiatis:* non taman ſic intelligendum, ut is, qui propriè inſtituit, debeat ita primò rem incipere, ut hæc ſuum primum exordium à Deo non ſumat, alioqui nulla res creata poſſet propriè dici aliquid inſtituere, quod eſt aperte falſum: propriè enim Eliam, Benedictum, Franciſcum, & alios ſuarum Religionum inſtitutores appellamus; quamvis ipſæ à Deo ſuum primum exordium ſumpſerint. Sufficit ergo, ut res ab aliquo inſtitui, dicatur, quod ab ipſo incipiat, tanquam ab habente poteſtatem, & efficaciam communicatam ſaltem ex commiſſione, & delegatione Dei: & hoc totum poſſet habere pura creatura reſpectu Sacramentorum ex commiſſione Dei: ſicut de facto habet Chriſtus Dominus in quantum homo.

Prænotatio pro ſolutione ſecundi argumenti.

27. Ad ſecundum reſpondetur prænotando ex doctrina D. Thomæ 3. *contra gent. cap.* 95. quod cauſa meritoria, aut impetratoria nullatenus intendit, ut æterna diſpoſitio divinæ voluntatis, & providentiæ immutetur; ſed ſolum vult mediante merito, vel oratione ſua aliquid obtinere, vel aſſequi à Deo, quod etiam cadit ſub ordine divinæ providentiæ, quæ apud ſe ſtatuit, ut ille finis per illud medium exequutioni mandetur. Quo circa merita noſtra, vel orationes non determinant divinam voluntatem ad volendum aliquid, quod prius non volebat; ſed exequuntur ordinem à divina providentia ſtatutum conſiſtentem in hoc, quod ille finis per illam cauſam exequutioni mandetur. Providentia enim Dei cauſas medias non excludit; ſed potius illas ordinat ad hoc, ut ordo apud ſe omnibus rebus ſtatutus ſervetur: unde quod petenti, aut merenti aliquid concedatur, ſub ordine cadit divinæ providentiæ.

Diluitur 2. argumentum.

28. Hoc ergo ſuppoſito ad argumentum Scoti dicendum, quod etiam ſi aliqua pura creatura, ex facultate à Deo ſibi communicata, eſſet Sacramentorum inſtitutrix, non determinaret divinam voluutatem ad volendum aliquid, quod ex ſuamet voluntate non volebat; ſed potius id. quod Deus ex ſeipſo volebat, exequeretur per media ordinata, ab ipſamet divina prodividentia intendente illum finem per hujuſmodi media. Et hoc idem dicendum eſt de Chriſto Domino, ut homine inſtituente Sacramenta.

Occurritur 3 argumento.

29. Ad tertium dicendum: probare optimè poteſtatem excellentiæ, quæ eſt in Chriſto Domino ad inſtituenda Sacramenta cum omni perfectione, & modo, quo in ipſo eſt, non poſſe puræ creaturæ communicari; non verò probare, non poſſe communicari illam poteſtatem, ſi ſolum ſumatur quantum ad ſubſtantiam, quæ ſufficeret, ut creatura illa, cui communicaretur; diceretur propriè inſtituere Sacramenta. ut in concluſione à nobis dictum eſt.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De materia, & forma Sacramentorum novæ legis.

IN HOC CAPITE SVNT DVO DVBIA, ET QVINQVE PVNCTA.

D. 1. *Utrùm Sacramenta novæ legis componantur rebus, ut materiâ, & verbis, ut formâ.*

D. 2. *Utrùm omne Sacramentum novæ legis ſit compoſitum ex rebus, ut materiâ, & verbis, ut formâ, tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus?*

P. 1. *Quænam ſit materia remota, quævè proxima, nec non, quæ forma ſeptem Sacramentorum?*

P. 2. *An Eccleſia poſſit formaliter mutare materias, & formas Sacramentorum à Chriſto Domino inſtitutas?*

P. 3. *Quæ mutatio materiæ, aut formæ noceat valori Sacramenti?*

P. 4. *Utrùm ex ſcientia, vel intentione miniſtri pendeat, quod mutatio facta in forma Sacramenti, ſubſtantialis, vel accidentalis ſit?*

P. 5. *Utrùm ſit peccatum mortale mutare formas Sacramentorum, quibus Eccleſia utitur?*

DUBIUM I.

Utrùm Sacramenta novæ legis componantur rebus, ut materia, & verbis, ut forma?

1. Dubitandi ratio. 1. ET videtur quod non: primò, quia Sacramentum eſt aliquid unum; ſed ſi componeretur ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma, non poſſet eſſe aliquid unum: ergo non componitur ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma. Minor probatur, quia ex his quæ ſunt diverſorum generum, non videtur poſſe aliquid unum fieri: res autem ſenſibiles, & verba ſunt diverſorum generum, quia res ſenſibiles ſunt à natura, verba autem a ratione: ergo ſi Sacramentum componeretur ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma non poſſet eſſe aliquid unum.

Secunda. 2. Secundo, quia cum Sacramentum ſit ſignum rei ſacræ, ſignificatio debet eſſe forma Sacramenti: ergo verba non ſunt forma Sacramenti; ſed potius materia ejus, cum ſit ſubjectum ſignificationis, quæ eſt forma; ac proinde Sacramentum non componitur rebus, ut materia, & verbis, ut forma.

Tertia. 3. Tertio, quia Sacramentum pœnitentiæ non componitur ex rebus, & verbis; ſed ex ſolis verbis: confeſſio enim peccatorum, quæ obtinet rationem materiæ proximæ, conſiſtit in verbis, & formæ abſolutionis verba etiam ſunt: ergo tam materia, quam forma verba ſunt.

4. Quarto, quia Sacramentum Matrimonii habet pro materia, & forma conſenſus contrahentium: uterque autem conſenſus, ſi fit verbis, in illis conſiſtit, ac proinde tunc ex ſolis verbis tanquam ex materia componitur: ſi verò fit ſolis nutibus, tunc Sacramentum ſolis rebus conſtat, ac proinde ex ſolis rebus componitur, tanquam ex materia, & forma. *Quarta.*

5. Quinto, quia *cap. ſufficiat* 27. *q.* 2. habetur, quod Matrimonium ſolo conſenſu contrahitur: ergo in eo Sacramento verba excluduntur à ratione formæ componentis. *Quinta.*

6. Sed contra, quia D. Thomas dicit 3. *p.* *q.* 60. *art.* 6. *ad.* 2. *Ex verbis, & rebus fit quodammodo unum in Sacramentis, ſicut ex forma, & materia; in quantum ſcilicet per verba perficitur ſignificatio rerum.* Et D. Auguſtinus, *tract.* 80. *in Ioannem. Accedit* (inquit) *verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* accedit ſcilicet in quantum per illud perficitur, & determinatur ſignificatio elementi. Unde verbum in Sacramento habet rationem formæ, cujus eſt determinare, & perficere; & elementum, quæ eſt res, habet rationem materiæ, cui convenit determinari, & perfici: ergo Sacramentum novæ legis componitur ex rebus ut materia, & verbis, ut forma. *6. Authoritas.*

7. Reſpondemus dicendum omnia Sacramenta novæ legis componi ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma. Ita D. Thomas ubi proximè, & eſt communis ſententia Theologorum contra *Durandum*, *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 3. *à num.* 6 ubi contendit non eſſe id univerſaliter verum in omnibus Sacramentis novæ legis. *7. Concluſ.*

Probatur primo noſtra aſſertio ex authoritate Concilii Florentini *poſt Seſſionem ultimam in Decreto Eugenii ad Armenos §. quinto Eccleſiaſticorum*: ubi numeratis omnibus ſeptem Sacramentis, de his omnibus ſubjungitur. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri:* ergo omnia componuntur ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma. *Stabilitur primo.*

8. Secundo probatur à priori ex voluntate Chriſti Domini, ſic inſtituentis; de qua ex Sacra Scriptura in aliquibus Sacramentis nobis conſtat: ut de Baptiſmo *Ioan.* 3. & *Matthæi ultimo*, ubi res, quæ eſt materia Baptiſmi, & verba, quæ ſunt illius forma expreſſè ponuntur. *2. Ex ſacra Scriptura locis.*

 Simi-

Similiter de Euchàriſtia *Matth.* 26. *&* 1. *ad Corinth.* 11. De Extrema Unctione *Iacob.* 5. ponitur materia Sacramenti Extremæ Unctionis quæ eſt unctio oleo facta: & forma, quæ eſt oratio Sacerdotis. De cæteris verò quamvis non ſint tam apertè Scripturæ; tamen ex traditione Eccleſiæ conſtat, ut Concilium Florentinum tandem explicuit. Et etiam in Concilio Tridentino, *Seſ.* 14. *c.* 4. *& can.* 4. ponitur res pro materia, & verba pro forma, ex quibus componitur Sacramentum Pœnitentiæ, & de inſtitutione Sacramenti Extremæ Unctionis, *cap.* 1. ponitur res pro materia, & verba pro forma, ex quibus componitur Extremæ Unctionis Sacramentum: & hoc quaſi præſupponendo univerſa Sacramenta novæ legis componi ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma.

3. Ex congruentia.

9. Tertio probatur congruentia deducta ex D. Thoma loco proximè citato. Nam res externæ, ſeu actiones ſenſibiles ſunt valdè accommodatæ ad exteriorem cultum divinum: & ideo in omnibus Sacramentis, tam veteribus, quàm novis adhibitæ ſunt; verba autem conferunt, ut ſignificatio ſit diſtinctior, & expreſſior, qualis eſſe debet in lege gratiæ, propter hujus ſtatus perfectionem; ac proinde perficiunt, & determinant ſignificationem rerum, quòd eſt munus formæ reſpectu materiæ: & ideò conveniens fuit Sacramenta novæ legis ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma componi.

Actus ſenſibiles comprehenduntur nomine rerum, ex quibus tanquam ex materia componitur novæ legis Sacramentum.

10. Sed inquires primo. An actus ſenſibiles comprehendantur nomine rerum, ex quibus, ut ex materia componitur novæ legis Sacramentum? Reſpondetur affirmativè. Ita clarè D. Th. loco nuper citato, *in ſolutione ad* 2. *Sub rebus autem* (inquit) *comprehenduntur etiam ipſi actus ſenſibiles, puta ablutio, inunctio, & alia hujuſmodi: quia in his eſt eadem ratio ſignificandi, & in rebus.* Res enim ſignificant confusè, verba autem expreſsè, Hinc (ni fallor) inferunt Sotus *ubi ſupra, q.* 1. *art.* 6. Ioan. Gonzal. *diſp.* 2. *ſect.* 2. & alii plures, actum confeſſionis in Sacramento Pænitentiæ: & actum conſenſus, quatenus eſt traditio corporis in Sacramento Matrimonii, ſive regulariter per verba, ſive aliquando per nutus, aut ſigna ſenſibiles fiant, ſub rebus etiam comprehendi. Et merito, quia in his etiam eſt eadem ratio ſignificandi, ac in rebus, quatenus ſignificant confusè per modũ rei informis, determinabilis, & perfectibilis.

Loco verborum formæ non poſſunt adhiberi nutus, nec ſigna, nec Scriptura præter quam quod in Matrimonio.

11. Inquires ſecundo. An loco verborum formæ poſſint adhiberi nutus, aut ſigna, aut Scriptura? Reſpondetur negativè (excepto Matrimoni .) Nam adhibenda eſt forma, quàm Chriſtus inſtituit: Chriſtus autem pro forma Sacramentorum non inſtituit nutus, aut ſigna, aut Scripturam, ſed verba, excepto Matrimonio, cui peculiare eſt, ut neque in materia, neque in forma requirat verba formalitee ſumpta; quia Chriſtus Dominus nihil aliud voluit ad Matrimonii Saeramentum, ut ſenſibile ſignum exigere, quàm quod ad perficiendum bumanum contractum eſſet neceſſarium: ad hoc autem nutus, & quælibet ſigna ſufficiunt, quibus contrahentium conſenſus exprimitur; etiam ſi non ſint verba formaliter. Ita Suarez, *diſp.* 2. *ſect.* 1, *circa medium, & ſect.* 4. *ad finem:* Coningus *q.* 60. *art.* 8. *num.* 77. Gamfius *lib.* 1. *cap.* 3 *num.* 20. Bonacina *diſp.* 1. *q.* 2. *puncto* 1. & alii. Hinc infertur peculiare etiam eſſe Matrimonii Sacramento, quod in eo verborum forma, non ſolùm verba formaliter ſumpta; ſed nutus, & ſigna (quæ quoad contractum humanum virtualiter, & æquivalenter verba ſunt) etiam comprehendat, Et juxta hæc intelligenda eſt noſtra, & communis aſſertio.

1. Argumentum ſolvit.

12. Ad primum reſpondet D. Thomas *q.* 60. *citata, art.* 6. *In ſolutione ad* 2. his verbis *Dicendum quod quamvis verba, & alia res ſenſibiles ſint in diverſo genere, quantum pertinent ad naturam rei; conveniunt tamen in ratione ſignificandi, quæ perfectiùs eſt in verbis, quàm in aliis rebus: & ideò ex verbis, & rebus fit quodammodo unum in Sacramentis, ſicut ex forma, & materia; in quantum ſcilicet per verba perficitur ſignificatio rerum.*

Solvitur ſecundum.

13. Ad ſecundum dicendum, quod in Sacramentis debet duplex forma diſtingui, altera quaſi phyſica (quamvis re vera moralis ſit, ut infra dicemus) & hæc conſiſtit in verbis: altera verò quaſi Metaphyſica, & hæc eſt ſignificatio, quæ eſt forma totalis integri Sacramenti, reſpectu cujus omnes partes Sacramenti habent rationem, veluti materiæ, & ſubjecti. Quod poteſt explicari exemplis compoſiti, tum artificialis, tum naturalis. Artificialis quidem: nam in domo, v. g. tectum comparatum ad alias partes habet, veluti rationem formæ, reſpectu verò figuræ ipſius domus, quæ eſt forma totalis ejus, omnes partes ſimul habent rationem materiæ. In compoſito naturali etiam, v. g. in homine conſtante ex corpore, & anima, licet anima ſit forma actuans materiam, & conſtituens phyſicè totum, tamen reſpectu formæ totius, quæ eſt forma metaphyſica, ſcilicet reſpectu humanitatis; omnes partes ſimul habent veluti rationem materiæ. Sic igitur in Sacramentis novæ legis verba habent rationem formæ, quaſi phyſicæ, quatenus determinant res ſenſibiles, quæ ſunt materia, veluti phyſica Sacramenti: & præter hanc formam, veluti phyſicam datur alia, quaſi metaphyſica, quæ eſt ſignificatio totalis, quæ eſt forma totalis ipſius Sacramenti, reſpectu cujus omnes partes illius ſimul ſumptæ habent, veluti rationem materiæ, & ſubjecti.

Duplex forma in Sacramentis diſtinguntur.

Reſpondetur ad tertium.

14. Ad tertium dicendum, quod materia, Sacramenti Pænitentiæ non eſt ſola confeſſio facta verbis; ſed etiam ſatisfactio, & contritio, quæ aliquando ſolis nutibus declaratur, & ex hac parte materia hujus Sacramenti non conſiſtit in verbis; forma verò præciſè, & in rigore conſiſtit in verbis, & ſic verificatur de hoc Sacramento, quod conſtet rebus, ut materia, & verbis, ut forma.

Actus confeſſionis ſignificat confusè effectum Sacramenti, niſi determinetur per verba formæ.

15. Addi etiam poteſt juxta dicta ſupra *num.* 10. quod actus confeſſionis, etiam ſi verbis regulariter fiat ſenſibilis, adhuc comprehenditur ſub nomine rerum; quia in eo eſt etiam eadem ratio ſignificandi, ac in rebus, quia ſignificat confusè effectum Sacramenti, ſcilicet remiſſionem peccatorum, niſi determinetur per verba formæ: & ita etiam quoad hanc partem verificatur hoc Sacramentum conſtare rebus, ut materia.

Digitized by Google

16. Ad quartum reſpondetur ex dictis ſupra *num.* 10. *&* 11. ſupponendo cum D. Thoma, *in 4. diſt.* 26 *q.* 2. *art.* 1. quod materia proxima Matrimonii eſt mutuus conſenſus, quatenus eſt mutua traditio corporum; forma verò eſt mutuus conſenſus, quatenus eſt mutua acceptatio. Quo ſuppoſito dicendum actus ipſos mutui conſenſus, quatenus ſunt mutua traditio corporis eſſe ſolùm inchoatum, & informem contractum, & non ſignificare expreſsè vinculum duorum, etiam ſi verbis ſenſibiles fiant: & ideò comprehendi ſub nomine rerum, per quandam proportionem in modo ſignificandi, ut dictum eſt. Mutuam verò acceptationem (etiam ſi nutibus fiat) habere rationem formæ verborum, quia hoc eſt peculiare in Sacramento Matrimonii, ut in eo verborum forma, non ſolùm verba formaliter ſumpta; ſed nutus, & ſigna (quæ quoad contractum humanum virtualiter, & æquivalenter verba ſunt) etiam comprehendat. Et ita in hoc Sacramento peculiariter verificari, conſtare rebus, ut materia, & verbis (virtualibus ſaltem, & æquivalentibus) ut forma.

Diluitur quintum.

17. Ad quintum dicendum in dicto cap. *ſufficiat* particulam excluſivam *ſolum*, non excludere verba formalia, aut virtualia, & æquivalentia, ratione quorum conſenſus pertinet ad Matrimonii Sacramentum; ſed copulam carnalem, vel conſenſum parentum, &c. Ut rectè illic notavit *Panormitanus*; quia cum ad Matrimonii Sacramentum id ſignum exigatur, quod ad perficiendum humanum contractum eſt neceſſarium, non ſola intentio ſufficit; ſed opus eſt verbis, vel ſignis aptis, ut alter contrahentium alterius animum intelligat explicari: intentio enim mente retenta nihil operatur in humanis contractibus. *Leg. cum in plures* 62. *§. locator horrei, ff. locati.*

DUBIUM II.

Utrùm omne Sacramentum novæ legis ſit compoſitum ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus?

1 dubitandi ratio.

18. ET videtur quod non: primo ex authoritate Philoſophi, & Divi Thomæ, nam ille 6. *Phyſic. textu* 17, poſtquam dixerat, rem artificiatam ſupponere pro materia, ſubjunxit. *Perficitur autem per formam.* His autem verbis ſignificare voluit, formam non eſſe de eſſentia rei artificiatæ, cujuſmodi eſt Sacramentum; ſed tantùm de ejus perfectione, & complemento. Angelicus verò Doctor, *in 4. diſt.* 3. *q.* 1. *art.* 1 *quæſt.* 1. *ad* 3. eandem doctrinam tradit, inquiens domum ſimpliciter loquendo poni in prædicamento ſubſtantiæ, in quo reponuntur lapides, & ligna: in prædicamento verò qualitatis tantùm, ſecundum quid ratione formæ. *Et* 3. *p. q.* 84. *art.* 1. *ad* 2. inquit Sacerdotem quando pœnitentem abſolvit perficere Sacramentum: cum ergo id quod perficitur, jam ſupponatur eſſentialiter conſtitutum, ſentit formam Sacramenti non eſſe de ejus eſſentia; ſed ſolummodo pertinere ad illius perfectionem.

Secunda.

19. Secundò propter rationem ex eodem principio deſumptam. Nam Sacramentum eſt res artificioſa, & concretum quoddam accidentale, ut ex ſe patet: ſed in concreto accidentali ſola materia eſt tota ſubſtantia, & eſſentia: forma autem ſolum eſt de perfectione, tanquam importata in obliquo; ut patet in albo, quod non eſt compoſitum ex corpore, & albedine, tanquam ex partibus eſſentialibus: aliàs album eſſet corpus, & albedo, quod eſt falſum; ac proinde forma in his compoſitis non eſt pars eſſentiæ; ſed aliquid importatum in obliquo: ergò Sacramentum non componitur ex rebus, & verbis, tanquam ex partibus eſſentialibus. Ita univerſaliter hanc partem negativam *tenet Cabrera* 3. *p. q.* 60. *art.* 6. *diſput.* 2. *§.* 3.

Tertia.

20. Tertio, quia in quibuſdam Sacramentis materia, & forma non ſunt phyſicè ſimul in eodem loco, & ſuppoſito, ut patet in Batiſmo, Confirmatione, Ordine, ac Extrema Unctione, in quibus materia eſt in ipſo baptizato, uncto, & ordinato; forma verò ſunt verba in aëre. In quibuſdam verò deficit coexiſtentia temporis, ut in Matrimonio, in quo non requiritur, ut utriuſque conjugis conſenſus ſimul tempore exprimatur. Et etiam in Pœnitentia, nam cum proferuntur verba abſolutionis jam deſinit eſſe materia, vel ſaltem non requiritur, ut permaneat, & ſimul ſit cum forma: ſiquidem confeſſus unâ die poteſt abſolvi alterâ. Si autem omne Sacramentum novæ legis eſſet compoſitum ex materia, & forma tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus, materia, & forma eſſent phyſicè ſimul loco, & ſuppoſito, & coexiſtentiâ temporis, quando concurrunt ad talem compoſitionem: ergo non eſt compoſitum ex illis tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus.

Quarta.

21. Quarto ſpecialiter probatur in Sacramento Euchariſtiæ. Tum quia impoſſibile videtur, quod res ſucceſſiva ſit forma intrinſecè conſtitutiva rei permanentis: rei enim ſucceſſivæ, poſtquam jam facta eſt, nihil remanet: res autem permanens non poteſt conſiſtere ſine ſua forma eſſentiali, quâ intrinſecè conſtituitur: ergo cum Sacramentum Euchariſtiæ ſimpliciter ſit res permanens, & verba conſecrationis ſint quid ſucceſſivum, non poſſunt eſſe forma intrinſeca, & eſſentialis conſtitutiva Euchariſtiæ.

Tum etiam, quia in Concilio Tridentino, *ſeſſione* 13. *cap.* 13. *& canone* 4. expreſsè definitur peracta conſecratione, ſeu tranſacta prolatione verborum manere Euchariſtiæ Sacramentum: ergo cum res non poſſit manere ſine ſua forma intrinſeca, & eſſentiali, verba non erunt forma intrinſeca, & eſſentialis hujus Sacramenti.

Tum denique, quia in Concilio Florent. *in decreto* Eugenii, *§. Quinto Eccleſiaſticorum*, dicitur verba conſecrationis eſſe, quibus Euchariſtiæ conficitur Sacramentum: Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens illud conficit: ergo ex ſententia Eugenij verba ſunt cauſa efficiens Euchariſtiæ: ac per conſequens non poſſunt eſſe

Digitized by Google

eſſe cauſa formalis intrinſeca illius, quia ut inquit *Philoſophus 2. Phyſic. textu 70.* Idem nequit eſſe efficiens, & forma reſpectu ejuſdem effectus, cum hujuſmodi cauſæ habeant conditiones repugnantes, ſiquidem cauſa efficiens eſt extrinſeca; & formalis intrinſeca.

Authoritas.

22. Sed contra eſt, quod D. Thom. *q. 60. art. 6.* dicit formam verborum eſſe de perfectione Sacramenti; ubi perfectionis nomine eſſentiam intelligit: ergo non ſolùm materia; ſed etiam forma eſt pars eſſentialis, & intrinſeca Sacramenti.

Concluſ.

23. Reſpondemus dicendum, omne Sacramentum novæ legis eſſe compoſitum ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma, tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus. Ita clarè D. Thom. *in 4. diſt. 1. qu. 1. art. 3. ad 2. item qu. 90. art. 2.* Marſilius *in 4. q. 6. art. 2.* Valentia *diſput. 3. q. 1. puncto 2. & diſp. 6. q. 6. puncto 1.* Granado *Controverſ. 3. de Sacramentis, tract. 1 diſp. 3. num 5. nec non alios referens* Bonacina, *diſp. 1. de Sacram. in genere, q. 2. puncto 2. num. 1.* Sapientiſſimus noſter Petrus Cornelo *tom. 2. in 3. part. tract. 4. circa q. 78. diſp. unica, dub. unico*, N. Ant. *diſp. 2. ſect. 1.* Gonet *diſp. 1. art. 7.* & circa alia Sacramenta, præter Euchariſtiam, eſt valdè communis ſententia.

1. Ratio concluſionis pro omnibus Sacramentis.

24. Probatur primo ratione, quæ eſt omnibus novæ legis Sacramentis communis. Quia omne illud componit Sacramentum in ratione Sacramenti intrinſece, & eſſentialiter, quod conſtituit illud in ratione ſignificativi; ſed non minus conſtituitur in ratione ſignificativi per formam verborum quam per materiam rerum ſenſibilium, neque etiam per ſolam formam, ſed per utrámque: non enim ſufficit ſola forma ad ſignificandam gratiam, niſi adſit materia: nec ſufficit ſola materia, niſi detur forma: ergo utraque componit Sacramentum intrinſecè, & eſſentialiter; ac proinde omne Sacramentum novæ legis eſt compoſitum ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma, tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus.

2. Specialis pro Euchar.

25. Secundo probatur ſpecialiter de Sacramento Euchariſtiæ contra Suarem, Cobinck &c. ex quo à fortiori fit illatio ad alia Sacramenta. Nam verba conſecrationis ſignificant corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe ſub ſpeciebus determinando indifferentiam illarum ad ſignificandum, quod eſt proprium munus formæ, ſicut & ipſæ ſpecies idem ſignificant determinatæ per verba, quod eſt proprium munus materiæ: ergo verba, & ſpecies ſunt partes intrinſecæ conſtituentes ipſum Sacramentum; tanquam materia, & forma illius: nihil enim poteſt per modum partis participare propriam ſignificationem alicujus Sacramenti, niſi ſit pars intrinſeca, & eſſentialis illius: quia cum ſignificatio ſit forma totalis ipſius Sacramenti, quidquid participat ſignificationem per modum partis, per modum etiam partis participat intrinſecè, & eſſentialiter rationem Sacramenti.

Roboratur ampliùs.

26. Confirmatur, quia fundamentum proximum, & adæquatum integræ, & totalis ſignificationis Sacramenti Euchariſtiæ non ſunt ſolæ ſpecies panis, & vini, quæ ex natura ſua poterant plura ſignificare; determinantur tamen ad ſignificandum corpus, & ſanguinem Chriſti per verba conſecrationis: ergo fundamentum proximum, & adæquatum talis ſignificationis ſunt ſpecies per talia verba: ac proinde ſicut forma totius, v. g. humanitas, ſupponit formam intrinſecam, & eſſentialem partis, v. g. animam rationalem unitam eſſentialiter corpori: ita relatio ſigni, quæ eſt forma totius in Sacramento Euchariſtiæ ſupponit ipſa verba eſſentialiter unita ſpeciebus in ratione formæ: ex qua, & ex ipſis ſpeciebus fiat integrum fundamentum talis relationis.

Vide Gonet loc. cit. n. 91. & ſeq.

Solvitur 1. dubitandi ratio.

27. Ad primum fundamentum oppoſitum concluſioni reſpondetur Ariſtotelem, & D. Thomam ſolum intendere, quod in artificialibus forma eſt perfectio rei: perfectio inquam, quæ relata ad materiam artificiati, ſolum eſt accidentalis: relata verò ad compoſitum ipſum eſt eſſentialis, utpotè conſtituens tanquam principium, *quo* eſſentiam illius: Nec de hoc dubitari poteſt; ſed ſolùm dubitatur apud authores de modo ſignificandi, & ſupponendi talis compoſiti accidentalis, in quo certa regula eſt nomina adjectiva ſupponere pro materia connotando formam: ſubſtantiva verò pro compoſito. Quamvis autem, ut ſupponitur in ſecundo fundamento oppoſito, nomen Sacramenti potiùs ſequatur normam adjectivorum, atque adeò ſupponat pro ſubjecto, & non pro forma: tamen, quia ut dictum eſt, ſubjectum ſignificationis, quæ eſt forma totalis Sacramenti, non ſit ſola materia, aut ſola forma verborum; ſed compoſitum ex illis: hinc eſt, quod Sacramentum ſupponit in recto pro hujuſmodi compoſito. Neque eſt ſimile in concreto accidentali, v. g. albo, in quo ſubjectum formæ non eſt per ſe compoſitum ex materia, & forma, ut patet, ſi corpus ſolum quantitativum eſſet album; neque ibi per ſe loquendo diſtinguitur duplex forma; ſicut in Sacramentis, ut declaratum eſt, per quod patet ad ſecundum.

Solvitur ſecunda.

Diluitur tertia.

28. Ad tertium dicendum, id argumentum rectè probare unionem materiæ cum forma, ſeu informationem non debere in Sacramentis eſſe phyſicam, quod libenter fatemur; non tamen quod non ſit moralis, & moraliter æſtimanda, ut ſtatim explicabimus in ſolutione ſequentis argumenti: & conſequenter non probat, quod Sacramentum novæ legis non debet componi ex verbis, tanquam ex forma intrinſeca moraliter, ac proinde nihil probat contra nos.

Aliqua ad ſolutionem 4. rationis dubitandi ponuntur.

29. Ad quartum, ut reſpondeatur, & ut ſimul præcedentis argumenti ſolutio plenè explicetur, notandum eſt, quod ſicut compoſitum eſt duplex, aliud phyſicum, & naturale, ut homo, & album; aliud morale, ut Sacramenta, aqua benedicta, & alia hujuſmodi: Ita informatio eſt duplex, una naturalis, & phyſica, altera moralis, inter quas duplex reperitur diſcrimen. Primùm, quod informatio phyſica ſit per veram realem, & naturalem unionem actus cum potentiâ, qua ſe ipſis uniuntur, & non ex libero hominum beneplacito; informatio verò moralis eſt unio actus cum potentia ex ſola voluntaria hominis inſtitutione: quia ſicut compoſitum ipſum morale

rale totum pendet ex hominis beneplacito: ita & informatio ipſa, ac partium unio. Secundum diſcrimen oritur ex priori eſt, quod ad informationem phyſicam, & conſtitutionem compoſiti naturalis, neceſſe eſt, quod actus, & potentia ſint ſimul tempore, loco, & ſuppoſito: alias non poſſent ſe ipſis conjungi, & uniri. Ad informationem verò, & conſtitutionem moralem ſolùm requiritur illa ſimultas, & coexiſtentia, quæ inſtituenti placuerit, aut ſi de ejus mente non conſtiterit, ſolum deſideratur ea, quæ ſecundum prudentem æſtimationem requiri ſolet ad res ejuſdem qualitatis. Unde cum Sacramenta ſint compoſita moralia ex ſola vera Chriſti inſtitutione pendentia; unio materiæ cum forma, ſeu informatio non debet eſſe in eis phyſica; ſed moralis: & moraliter æſtimanda, ut in ſolutione ad tertium dictum eſt.

Fit ſatis 4. rationi dubitandi quo ad primam probationem.

30. Quo ſuppoſito, ad quartum dicendum in Euchariſtia verba conſecrationis eſſe formam eſſentialem, & intrinſecam moraliter Sacramenti. Et ad primam probationem in oppoſitum reſpondetur, quod licet ſit impoſſibile rem ſucceſſivam eſſe formam phyſicè intrinſecam rei permanentis; bene tamen poteſt res ſucceſſiva eſſe forma moralis moraliter ex voluntariâ inſtitutione informans rem permanentem: hæc enim licet phyſicè tranſeat, moraliter tamen manere poteſt, ut patet in benedictione veſtium Sacerdotalium, & corporalium, in conſecratione calicis, & pateræ, & in externa profeſſione, quæ fit in religione. Omnia enim iſta res ſucceſſivæ ſunt, & quæ phyſicè tranſeunt: ſunt tamen formæ morales, quæ moraliter ex voluntaria inſtitutione informant ſua ſubjecta, quatenus in eis moraliter cenſentur manere: eo quod talia ſubjecta ex habitudine ad hujuſmodi benedictionem, conſecrationem, & profeſſionem, quæ jam phyſicè præceſſerunt, & ex ſubordinatione ad ipſa, & non aliter, manent determinata, & deputata ad ſacros uſus, & divinum cultum, aut ſpecialiter Deo dicata, & conſecrata. Similiter ergo, quamvis forma verborum conſecrationis ſit quid ſucceſſivum phyſicè tranſiens: eſt tamen forma moralis, moraliter ex Chriſti inſtitutione informans ſpecies ſacramentales, & moraliter intrinſecè conſtituens cum eis Sacramentum: eo quod moraliter cenſetur manere, quatenus tales ſpecies ex habitudine, quàm dicunt ad talem verborum formam, quæ phyſicè præceſſit, manent determinatæ ad ſignificandum corpus, & ſanguinem Chriſti, & gratiam hujus Sacramenti: & habent hanc determinationem ex ſubordinatione ad verba, ita ut non ſignificent, niſi ut conſecratæ, & quatenus ſubſtant verbis conſecrationis.

Quo ad ſecundam.

31. Ad ſecundam probationem reſpondetur eodem modo, quod licet verba phyſicè tranſierint; moraliter tamen cenſentur manere, & actualiter informare propter rationem dictam.

Objectio.

32. Sed contra hanc ſolutionem objicies ex ea ſequi, quod forma intrinſeca ſit ille reſpectus ſpecierum ad verba, non autem verba ipſa: iſte enim reſpectus, & habitudo ad verba eſt, qui formaliter tribuit ſpeciebus determinationem in facto eſſe, cum ſit permanens, & intrinſecus ipſis ſpeciebus; ſecus verò verba, quæ ſunt extrinſeca, & tranſierunt.

Solutio.

33. Reſpondetur negando ſequelam: neque enim ſpecies determinantur formaliter ab hac habitudine, & reſpectu ad verba; ſed tantùm hæc habitudo eſt conditio, ſine qua forma verborum non informaret; nec determinaret ſpecies: ſicut unio formæ in naturalibus non determinat materiam formaliter; ſed eſt conditio, ſine qua forma non determinaret, aut informaret materiam. Et ſicut determinatio ſpecierum non manet, aut eſt intrinſeca phyſicè; ſed moraliter: ita & verborum forma, quamvis phyſicè tranſeat, moraliter cenſetur manere, & eſſe intrinſecè ſecundum prudentem æſtimationem ex Chriſti inſtitutione.

Non eſt inconveniens quod verba conſecrationis habeant ſimul rationem efficientis, & formæ ex mera Chriſti inſtitutione.

34. Ad tertiam probationem admiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Neque eſt inconveniens, quod verba conſecrationis habeant rationem ſimul formæ, & efficientis reſpectu ejuſdem Sacramenti ex mera, & voluntariâ Chriſti inſtitutione, & ſecundum diverſas rationes. Efficientis quidem quatenus cauſat præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus; formæ verò quatenus determinat ſpecies panis & vini, ad ſignificandum præſentiam Chriſti per modum cibi, & potus ſpiritualis. Neque eſſe formam eſſentialem, & intrinſecam ſolum moraliter, & eſſe cauſam efficientem inſtrumentalem habent conditiones repugnantes: ſicut habent illas eſſe formam phyſicè intrinſecam, & cauſam efficientem, de quibus loquitur Philoſophus. Nam cum hoc, quod eſt informare intrinſecè moraliter, ſtat optimè, quod phyſica entitas talis formæ ſit extrinſeca, ut ſupra dictum eſt.

PUNCTUM I.

Quænam ſit materia remota, quæve proxima, nec non quæ forma ſeptem Sacramentorum?

Materia remota, proxima & forma baptiſmi.

35. RESpondetur in Baptiſmo aqua vera, & naturalis eſt materia remota, ablutio hominis eſt materia proxima: forma autem ſunt verba. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quæ ſit materia, tam remota, quam proxima confirmationis, & ejus forma.

36. In confirmatione materia remota eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Materia proxima eſt inunctio in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè Crucem ejus: propter quod ſigno Crucis ab Epiſcopo ſignatur, qui eſt ordinarius hujus Sacramenti miniſter, Forma autem eſt: *Signo te ſigno Crucis & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quæ materia Euchariſtiæ & forma ejus?

37. In Euchariſtia materia remota eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet:

materia proxima ſunt ſpecies ſacramentales: & forma ſunt verba Sacerdotis in perſona Chriſti loquentis: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei, &c.*

Peccata ut deteſtanda ſunt materia remota Pœnitentiæ; actus pœnitentis proxima: forma, ego te abſolvo.

38. In Pœnitentia materia remota ſunt peccata, ut deteſtanda: proxima actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleëmoſynam. Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit. *Ego te abſolvo, &c.*

Quid ſit materia remota, & proxima Extremæ Unctionis, & illius forma?

39. In Extrema Unctione materia remota eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum: proxima eſt inunctio in oculis propter viſum, in auribus propter auditum: in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem: in manibus propter tactum: in pedibus propter greſſum: in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus Sacramenti eſt hæc: *Per iſtam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti, &c.*

Aſſignatur materia, tam remota, quam proxima, & forma Sacramenti Ordinis apud latinos.

40. In ordine in Eccleſia Latina materia remota eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo. Ut in Presbyteratu calix cum vino, & patena cum pane: in Diaconatu liber Evangeliorum: in Subdiaconatu calix vacuus cum patena vacua ſuperpoſita: & ſimiliter in aliis res ad miniſteria ſua pertinentes. Materia autem proxima eſt porrectio, ſeu traditio harum ſenſibilium ſignorum. Forma verò Sacerdotii talis eſt: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et ſic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continentur.

Quænam apud Græcos?

41. In Eccleſia verò Græca, non ſolùm Epiſcopos Schiſmaticos; ſed Catholicos etiam, & qui Romæ degunt, dum Græcos Presbyteros ordinant, ſciente, & conſentiente ſummo Pontifice, non per calicis, & patenæ porrectionem id facere; ſed per manuum impoſitionem ſuper caput ordinandi dicente Epiſcopo: *Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat, ſeu promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* Similiter dum ordinant ſuos Diaconos ſine traditione libri id facere per ſolam manuum impoſitionem cum his verbis: *Divina gratia creat ſeu promovet N. Subdiaconum in Diaconum, &c.* Teſtantur Joannes de Lugo Cardinalis, *diſput.* 2. *de Sacramentis in gen. ſect.* 5. *num.* 85. Petrus à Sancto Joſeph. *in Idea Theologiæ Sacram.* 35. *Reſolut.* 3. Franciſcus de Lugo Societatis Jeſu Germanus Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo, *Opuſculo de Sacramentis in genere, cap.* 1. *quæſt.* 7. *num.* 70. & 73. Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſolut.* 42. referens Arcudium *in concordia, lib.* 6. *cap.* 4. Joannem Propoſitum 3. *p. quæſt. unica de Sacramento Ordinis, lib.* 10. *n.* 109. Fornarium *de Sacramento Ordinis, cap.* 2. Et pro eadem explicans Bellarminum *de Sacramento Ordinis, cap.* 7. *in fine.* Ita etiam tradunt Leander, *tract.* 6. *de Ordine, diſput.* 3. *quæſt.* 5. Dicens idem docere cum aliis noviſſimè Dicaſtillo, *tractat.* 1. *de Sacrament. diſput.* 3. *dub.* 20. & 21. Quo ſuppoſito, quo modo ſervetur formaliter loquendo materia, & forma inſtituta à Chriſto Domino; licet materialiter Latini, & Græci utantur ſignis diverſis *in Sacramento Ordinis* explicabimus *puncto ſequenti.*

Materia tam remota, quam proxima & forma Matrimonii.

42. In Matrimonio denique materia remota ſunt perſonæ habiles, materia proxima eſt mutuus contrahentium legitimus conſenſus, quatenus habet rationem traditionis corporis, qui regulariter exprimitur verbis; forma vero eſt idem legitimus conſenſus, quatenus habet rationem acceptationis.

PUNCTUM II.

An Eccleſia poſſit formaliter mutare materias, & formas Sacramentorum à Chriſto Domino inſtitutas?

Eccleſia non poteſt formaliter mutare materias, & formas Sacramentorum.

43. RESpondetur Eccleſiam non poſſe id facere, quia non habet poteſtatem excellentiæ Sacramentis ſuperiorem; ſed miniſterialem, & Sacramentis alligatam: ita ut licet mutare poſſit ceremonias accidentales, ſalvâ tamen ſemper ſubſtantiâ à Chriſto Domino inſtitutâ, ut declarat Concilium Tridentinum, *Seſ.* 21. *cap.* 2. & oſtendimus ſupra *cap.* 3. *dub.* 1.

Objectio prima.

44. Sed objicies primò, quod in Sacramento Matrimonii Eccleſia videtur mutaſſe materiam faciendo, quod conſenſus contrahentium abſque præſentia Parochi, & teſtium, quæ prius erat materia valida, jam non ſit materia valida hujus Sacramenti.

Objectio ſecunda.

45. Secundo, quia in Sacramento Ordinis Eccleſia videtur mutaſſe aliquid circa materiam, & formam, Siquidem apud Græcos Presbyteri, & Diaconi ordinantur per impoſitionem manuum dicente Epiſcopo. *Divina gratia, &c.* Sine porrectione panis, & vini, & libri Evangeliorum, ut multi ſupra à nobis *numer.* 41. relati, teſtantur. Inter quos Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo inquit ita Romæ ſciente, & conſentiente Summo Pontifice, ſe præſente accidiſſe. Quæ materia, & forma videtur eſſe diverſa apud Latinos juxta ea, quæ eodem *num.* 41. dicta ſunt.

Tertia.

46. Tertio, quia Chriſtus Dominus, vel inſtituit eandem materiam formaliter pro ordine Presbyteratus, & pro ordine Diaconatus, vel diverſam formaliter? Si primùm? Ergo jam Eccleſia mutat formaliter materiam, à Chriſto Domino inſtitutam: ſiquidem utitur materiâ formaliter diverſâ pro his ordinibus. Si ſecundum? Ergo jam Eccleſia Græca juxta ea, quæ tanti viri teſtantur, mutat formaliter materiam à Chriſto Domino inſtitutam, ſiquidem utitur pro his ordinibus eâdem omnino materiâ, ſcilicet eâdem impoſitione manuum.

47. Ad

Digitized by Google

Evertitur 1. objectio. 47. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur Eccleſiam non variaſſe ibi formaliter materiam Sacramenti Matrimonii; ſed ſolùm materialiter: nam materia, quàm Chriſtus voluit, non erat qualiſcumque conſenſus contrahentium: ſed conſenſus legitimus, & validus ad tranſlationem juris in corpora; Eccleſia autem potuit reddere invalidum, & illegitimum conſenſum præſtitum abſque præſentia Parochi & teſtium: quare proinde non poterit eſſe materia Sacramenti, quæ deberet eſſe conſenſus legitimus, & validus.

Diluitur ſecunda. 48. Ad ſecundam, eo ſuppoſito, ut par eſt, quod de praxi adeò fide digni teſtes aſſerunt. Reſpondetur materiam, & formam Sacramenti Ordinis, eo modo, quo Chriſtus illas inſtituit, apud Græcos, & Latinos eaſdem eſſe; Chriſtum tamen in particulari non determinaſſe materiam, & formam materialiter ſumptas; ſed generatim præſcripſiſſe, quod conferretur ordo per ſignum ſenſibile ſignificativum poteſtatis, quæ traditur, & per verba hoc ipſum exprimentia: & quod Eccleſia tam Græca, quam Latina id formaliter ſervat conferens, ſcilicet Ordines per ſenſibile ſignum, & verba rectè ſignificantia traditionem poteſtatis. Licet materialiter, Græci, & Latini utantur ſignis diverſis, quatenus Græci ſignificant poteſtatem Diaconi, vel Sacerdotis, nomine Diaconi, vel Presbyteri: Latini verò magis explicite quatenus in Diacono duplicem exprimunt poteſtatem legendi Evangelium, & miniſtrandi ſolemni ſacrificio: in Sacerdote pariter poteſtatem ſacrificandi, & abſolvendi diſtinctè ſignificant.

Solvitur tertia. 49. Ad tertiam dicendum Chriſtum Dominum inſtituiſſe illas materias diaconatus, & Presbyreratus, ut formaliter diſtinctas, ut ſubſtant ſuis formis verborum, & ut cum illis conſtituunt diſtincta ſigna, quod ſervant non ſolum Latini; ſed etiam Græci: quatenus licet iſti pro illis ordinibus utantur impoſitione manuum, quæ eſt eadem materialiter, utuntur tamen illa, ut ſubſtat diverſis formis verborum ſcilicet: *Divina gratia creat, vel promovet Diaconum in Presbyterum*, pro ordine Presbyteratus. *Divina gratia creat, vel promovet Subdiaconum in Diaconum* pro ordine Diaconatus: & ille impoſitiones manuum, prout ſubſtant his formis, ſunt formaliter diverſæ.

PUNCTUM III.

Quæ mutatio materiæ, aut formæ noceat valori Sacramenti?

1. regula. 50. DUæ ſunt in hac quæſtione certæ, & generales regulæ. Prior eſt ſi mutatio tam materiæ, quam formæ verborum ſit ſubſtantialis, v. g. ſi pro aqua naturali in Baptiſmo miniſtretur aqua roſacea, vel pro forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, dicat miniſter. *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, &c.* non fit verum Sacramentum. Si verò mutatio, tam in materia, quam in forma eſt accidentalis, ut v. g. ſi ſpecies ſacramentales panis, quæ ſunt in Euchariſtia, caleſiant, vel pro forma Baptiſmi dicatur: *Ego in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti te baptizo*, verum eſt Sacramentum. In hac regula omnes conveniunt: & ratio eſt manifeſta, nam materia, & forma Sacramentorum determinatæ ſunt ex Chriſti Domini inſtitutione: ergo ſi ita varientur, ut mutatio ſit ſubſtantialis, irritum eſt Sacramentum; quia eſſentialiter conſtat ex materia, & forma à Chriſto Domino inſtitutis: unde illis non manentibus, non manet Sacramentum. Si verò ſubſtantialiter maneant, & ſolummodo varientur accidentaliter, manet Sacramentum, quia manet ejus ſubſtantia.

51. Poſterior regula eſt. Si facta mutatione aliqua circa verba, manet nihilominus idem debitus ſenſus, qui antea erat, mutatio eſt accidentalis: nam debitus ſenſus eſt ſubſtantia formæ Sacramentalis, unde ſi manet idem debitus ſenſus, ſubſtantia formæ manet eadem, ac proinde mutatio ſolum eſt accidentalis. Si verò non manet idem debitus ſenſus, mutatio eſt ſubſtantialis. Ut verò in particulari declaretur, quando manet idem debitus ſenſus, & quando non: ac proindè quando mutatio eſt ſubſtantialis, & quando accidentalis, diſcurrendum erit ſingillatim per varios mutationis modos, qui poſſunt contingere. *Secunda.*

52. Primò poteſt variari verborum forma per mutationem idiomatis, v. g. proferendo verba in alia lingua, aut partim in una, & partim in alia: & hoc modo mutatio eſt accidentalis, ac proinde Sacramentum eſt validum. Quantum ad primam partem concluſio eſt omnino certa; ſiquidem non eſt neceſſarium conficere in eadem lingua, in qua Chriſtus Dominus confecit. Et ratio eſt aperta, quia Chriſtus inſtituit formas Sacramentorum in verbis ſub ratione ſignificationis talium rerum ſacrarum: ergo ſi manet eadem ſignificatio, validum eſt Sacramentum. Et eadem eſt ratio ſecundæ partis concluſionis, quæ traditur à Cajetano 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 7. à Nuño, & Joanne Gonzales *ibidem*, à Suarez *diſp.* 2. *ſect.* 4. & à Cardinali Lugo *de Sacramentis in genere, diſputat.* 2. *ſect.* 6. *num.* 107. à N. Gabriele *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *Variatio accidentalis per mutationem idiomatis.*

54. Advertendum tamen eſt nos loqui in præſenti de valore Sacramenti, ita ut factum teneat; non autem de eo; quod requiritur, ut ritè, & ſine peccato fiat. Falſiſſimum enim eſt, quod jactant moderni hæretici; formas ſcilicet Sacramentorum in quacumque provincia proferendas eſſe in lingua vulgari: ſervandus enim eſt mos, & uſus approbatus ab Eccleſia Sancta Romana, quod ſcilicet Latini omnes in lingua latina proferant, uno excepto Sacramento Matrimonii: quod quia habet rationem humani contractus, vulgari lingua ejus forma à contrahentibus proferenda eſt. Similiter etiam quando Sacramentum Baptiſmi neceſſitate urgente miniſtratur à laico neſciente proferre verba in lingua latina, vulgari lingua illa debet proferre. *Advertentia.*

Quando loco verborum, quæ ſunt in uſu, alia ſynonima apponuntur. 54. Secundo mutari poteſt verborum forma, quando loco verborum, quæ ſunt in uſu, apponuntur alia ſynonyma, ut ſi in forma Baptiſmi dicat quis *Ego te abluo, &c* & tunc validum eſt Sacramentum propter eandem rationem,

nem, ut communiter docent Doctores. Si autem dubium ſit, an ſint voces idem ſignificantes, dubius etiam erit valor Sacramenti; ut ſi in forma Baptiſmi dicatur. *Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab utroque*, ut recte advertunt Nuños, Ioannes Gonzales, & Lugo *nuper citati.*

Ab activa voce in paſſivam.

55. Tertio fieri poteſt mutatio verborum ab activa voce in paſſivam io eodem ſenſu, & hæc mutatio non tollit valorem Sacramenti, ut patet ex forma Baptiſmi, qua utuntur Græci ex conceſſione Eccleſiæ Romanæ. *Baptizatur talis ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et ratio etiam eſt manifeſta, quia hujuſmodi mutatio ab activa in paſſivam, eſt omninò accidentalis, ac proinde non tollit valorem Sacramenti.

Per tranſpoſitionem verborum.

56. Quarto fieri poteſt mutatio per tranſpoſitionem verborum, de qua eadem eſt ratio, niſi tam inordinata ſit, quòd mutet ſenſum verborum requiſitum ex Chriſti inſtitutione; tunc enim non eſſet validum Sacramentum. Ut ſi quis diceret. *Ego in te baptizo nomine Patris, &c. ut docent* Sayrus *lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 6. Hurtado *diſp.* 1. *de Sacrament. difficult.* 14. Lugo *diſp.* 2. *ſect.* 6. *numer.* 112. Egidius *q.* 60. *art.* 8. *dub.* 1. *numer.* 69. malè pro oppoſito citatus à Leandro *tract.* 2. *diſput.* 3. *q.* 28. verba enim Egidii hæc ſunt. *Per tranſpoſitionem verborum, quod poteſt fieri ſine mutatione ſenſus, ut ego baptizo te; aut etiam cum mutatione, ut baptizo in te nomine Patris, &c.* in quo nobiſcum convenit. Et neque ante, neque poſt verbum aliquod huic cootrarium habet.

Per interpolationem.

57. Quinto fieri poteſt mutatio interpolando, vel diſiungendo prolationem verborum per morulam temporis, ût ſi quis dicat. *Ego te baptizo*, & ibi ſiſtat, aut tacendo, aut admiſcendo alia verba, & poſtea ſubjungat. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quod ſi diſiunctio tanta ſit, ut moraliter loquendo non conjungantur verba per modum orationis, impeditur valor Sacramenti. Si verò parva ſit diſiunctio, ita ut moraliter loquendo verba unitivè per modum orationis proferantur, validum eſt Sacramentum. Utriuſque partis eadem eſt ratio proportionabiliter. Nam in primo caſu deſtruitur ſignificatio orationis ex illa magna diſiunctione verborum; non autem in ſecundo, quia parum in moralibus pro nihilo reputatur, ac proinde moraliter loquendo unitivè proferuntur. Ita communiter omnes cum Div. Thoma. 3. *p. quæſt.* 60. *artu.* 8. *ad* 3.

Additio.

58. Bene addit *Naldus verbo Sacramentum, numer.* 4. *Sacramentum non conficitur, ſi interrumpantur per ſpatium temporis notabile verba formalia, & neceſſaria ad ipſorum eſſentiam, puta ſi quis diceret. Hoc eſt cor, & ſtatim quieſceret per aliquod ſpacium notabile, & poſtea ſubjungeret, pus meum, profectò non conſecraret. Quod ſi pateretur aliquam brevem mentis evagationem, aliquo puta artifice, in Eccleſia ſtrepente, & propterea aliqualiter requieſcendo ſubſiſteret, & poſtea ſubderet, pus meum: tunc non videtur perire ſenſus formæ Sacramenti. Et ſic illa verba non eſſent iteranda.* Huc uſque Naldus. Neque oppoſitum docere videtur Bonacina *de Sacramentis in genere, diſp.* 1. *q.* 2. *puncto* 1. *num.* 23. ut non bene refert Leander, *ubi proxime q.* 38. verba enim Bonacinæ hæc ſunt. *Invalidum eſt Sacramentum quoties verba ita interrumpuntur, ut non componant unam orationem, & unum integrum ſenſum; ut ſi inter unum, & aliud verbum prætereat una hora. Et hoc verum eſt à fortiori, quando ipſa met verba dividuntur ut ſi quis dicat. Ego te bap, deinde additis aliquibus verbis ſubjungat, tizo: tunc enim invalide adminiſtratur Baptiſmus.* Quod ſi occaſionem ſumpſit Leander ad referendum Bonacinam negare, quod affirmat Naldus, ex illa clauſula Bonacinæ: *deinde additis aliquibus verbis ſubjungat*, id non videtur ſatis: tum quia non expreſſit quot, aut quantis, nec dixit aliquantiſper: tum quia facilius fieret interruptio additis aliis verbis, quam ſi ſolum quieſceret: tum denique, quia ſi negaret, quod affirmat Naldus, Naldum pro ſe minime referret, ut de facto ibidem refert Bonacina. Bene tamen idem Leander approbat ibi doctrinam Naldi.

Per additionem verborum.

59. Sexto fieri poteſt mutatio per additionem verborum, & tunc ſolum invalidum reddit Sacramentum, quando mutat ſubſtantialem ſenſum verborum. Unde forma illa, qua utuntur Græci in conſecratione panis hoc totum dicentes. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*, valida eſt, quia illud additamentum noo mutat ſubſtantialem ſenſum formæ: Sicut à contrario hæc forma Baptiſmi eſt invalida. *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, &c.* quia mutat ſubſtantialem ſenſum. ita D. Thomas & communiter Doctores.

Per diminutionem, vel ſubſtractionem.

60. Septimo per dimimutionem, vel ſubſtractionem, circa quam idem dicendum eſt, ac de additione, nimirum quod ſi ſubſtrahatur aliquid, quod non ſit de ſubſtantia formæ, talis dimioutio non tollit debitum ſenſum verborum, & perconſequens, nec valorem Sacramenti, ſicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt. *Hoc eſt enim corpus meum*, ly *enim* ſublatum non tollit debitum ſenſum verborum: & ideò non impedit valorem Sacramenti, quamvis ille, qui prætermittit, peccet ex contemptu, vel ex negligentia: ſicut etiam ſubſiſtit in Baptiſmo omiſſa particula *ego*. Si verò diminuatur aliquid eorum quæ ſunt de ſubſtantia formæ, ut ſi quis in forma conſecrationis panis omitteret pronomen *hoc*, nullum ibi eſſet Sacramentum, quia tollitur debitus verborum ſenſus. Ita Divus Thomas & communiter Theologi. Quando autem ſingilatim additio, vel diminutio deſtruat ſubſtantialem ſenſum, vel non deſtruat illum, in tractatu de ſingulis Sacramentis commodius explicabitur.

Per verba in ſigna, & nutus in matrimonio.

61. Octavo poteſt fieri mutatio verborum in ſigna, & nutus. Et hæc mutatio verborum formæ eſt ſubſtantialis, & tollit valorem in omnibus Sacramentis, excepto Sacramento Matrimonii, in quo eſt ſolum accidentalis propter rationem ſupra num. 11. traditam. Et præter Doctores ibidem relatos hanc noſtram aſſertionem tenet Henriquez lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 8. num. 5. N. Philip. *diſp.* 2. *dub.* 6.

PUNC-

Digitized by Google

PUNCTUM IV.

Utrum ex ſcientia, vel intentione miniſtri pendeat, quod mutatio facta in forma Sacramenti, ſubſtantialis, vel accidentalis ſit?

Ratio dubitandi ex una parte.

62. RAtio dubitandi oritur ex decretali reſponſione celebri Zachariæ Papæ, quæ habetur *in capit. retulerunt de conſecrat. diſt.* 4. ubi ſcribens ad Bonifacium Epiſcupum ſic dicit. *Retulerunt nuntii tui, quod fuerit in eadem provincia Sacerdos, qui latinam linguam penitùs ignorabat, & dum baptizaret, neſciens latini eloquii, infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritùs Sancta. Ac per hoc tua reverenda Fraternitas conſideravit eos rebaptizare. Sed ſanctiſſime frater, ſi ille, qui baptizavit non errorem introducens, aut hereſim; ſed pro ſola ignorantia Romanæ loquutionis, infringendo linguam, ut ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut denuo baptizentur.* Ex quo conſtare videtur ab intentione miniſtri pendere, quod mutatio formæ ſubſtantialis ſit, vel accidentalis. Nam ſi mutet formam cum animo introducendi errorem, mutatio eſt ſubſtantialis; ſecus autem ſi ex ignorantia, vel imperitia id faciat, quod etiam docere videtur D. Th. 3. *part. quæſt.* 60. *artic.* 8.

Ratio dubitandi ex alia.

63. Ex alia verò parte difficile videtur, quod ex intentione miniſtri, vel ex ejus ſcientia pendeat, quod mutatio, quam facit in verbis, ſit ſubſtantialis, vel ſolum accidentalis, cum verba ſignificent ex Chriſti Domini inſtitutione, ac proinde eorum ſignificatio non ſit dependens à ſcientia, vel ignorantia ipſius miniſtri, vel ab ejus intentione introducendi errorem, ut patet in forma conſecrationis, qua utuntur Græci: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Eo animo multi, quia dicunt omnia hæc verba requiri ad eſſentiam conſecrationis, & ut introducant ſuum errorem, conſecrant panem dicentes totum hoc; & tamen validè conſecrant ergo animus introducendi errorem non ſufficit, ut mutatio verborum ſubſtantialis ſit, quæ de ſe erat ſolum accidentalis.

Notabile primum.

64. Hæc difficultas, quæ in hac materia magni ponderis eſt in varios dicendi modos diviſit authores; ſed cæteris omiſſis, pro eo, quem verum judicamus. Advertendum eſt primò, præſens dubium ſolum procedere de miniſtro habente in confectione Sacramenti communem intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, & vera Eccleſia facit, licet fortè in particulari privatum aliquem errorem habeat circa veram Eccleſiam, aut circa formam Sacramenti à Chriſto Domino inſtitutam, quem etiam velle introducere, & exterius profiteri. Hæc autem duo inter ſe non pugnant, ac proinde optimè poſſunt ſimul in aliquo reperiri, nam ille, qui talem errorem introducere conatur, fallitur quidem, in eo quod putat Chriſtum ita inſtituiſſe Sacramentum, & veram Eccleſiam ita tenere; cum hoc tamen communem, & generalem retinet intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, & vera Eccleſia facit, quæcumque illa ſit. Unde licet erret in particulari, non tamen in intentione communi: hæc enim eſt, quàm tenet vera, & Romana, Catholicaque Eccleſia. Præſens ergo difficultas ſolùm procedit in caſu, quo miniſtrans, & conferens Sacramentum habeat communem, & generalem intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, & vera Eccleſia facit.

65. Secundò advertendum eſt dupliciter poſſe contingere intentionem introducendi errorem in forma Sacramenti. *Notabile ſecundum.* Primò in forma conſueta, non auferendo, vel addendo verbum, quod mutet ſubſtantialem ſenſum formæ, ut in forma conſecrationis, qua utuntur Græci: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Secundo in forma mutata per verba ambigua, & æquivoca, quæ quoad determinationem ſenſus pendent ex ignorantia, vel intentione proferentis, ut in forma illa relata à Pontifice in illa decretali: nam illa verba: *Patria, & Filia, &c.* æquivoca ſunt; poſſunt enim in bono ſenſu accipi, nempe tanquam ſic prolata per ignorantiam latini ſermonis: atque adeò, ut idem ſignificantia ſecundum accommodationem uſus, atque iſta verba *Patris, & Filii, &c.* Poſſunt etiam accipi, ut ſignificent in Deo eſſe filiam.

66. Quibus ſuppoſitis dicendum eſt primo. *1. Concluſio.* Quantumcumque aliquis intendat introducere novum errorem in forma Sacramenti; ſi tamen retineat generalem intentionem faciendi, ſcilicet, quod Chriſtus inſtituit, aut quod vera Eccleſia facit: & utatur forma conſueta ab Eccleſia, ita ut id, quod addit vel minuit, non mutet ſubſtantialem ſenſum formæ, verum conficit Sacramentum. Hęc concluſio eſt ad mentem D. Thomæ loco citato; imo verò ad mentem Concilii Florentini in literis ſanctæ Unionis, ubi tria ſolum requirit ad perfectionem Sacramenti, ſcilicet materiam, & formam, & intentionem miniſtri, quæ nulla alia eſt niſi faciendi, quod Chriſtus inſtituit, aut quod vera Eccleſia facit; ſed hæc omnia in præſenti reperiuntur: ergo, &c. Ita hanc concluſionem docent Nuñus, *q.* 60. *artic.* 8. *ibidem* Joannes Gonzales, Ledeſma *de Sacram. in gen. cap.* 1. *concluſione* 10. Suarez *diſp.* 2. *ſect.* 5. Plures referens Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. Granado *controverſ* 3. *tract.* 1. *diſput.* 5. Lugo *diſput.* 2. *ſect.* 6. Filliucius *tract.* 1. *cap.* 40. & alii quam plurimi.

67. Ex quo fit primo à Græcis confici verum Sacramentum, *Collorarium 1.* tum Baptiſmi ſub illa forma: *Baptizetur, ſeu baptizatur ſervuus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* licet exiſtiment ſic eſſe baptizandum, & non ſicut latina Eccleſia; idque conentur his verbis perſuadere. Tum etiam conſecrationis panis licet putent ad eſſentiam illius pertinere hæc omnia verba: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur:* idque velint his verbis profiteri: quoniam hujuſmodi errores non excludunt intentionem generalem faciendi, quod facit vera Eccleſia: cum nihil exprimant verba, quod accipi poſſit in ſenſu contrario ejus intentioni. Sicut etiam ſi Sacerdos aliquis contenderet particulam *enim* eſſe de eſſentia conſecrationis Euchariſtiæ, & ad hujuſmodi errorem exprimendum illam proferret,

ſerret, non ideo non conſecraret, cum adhuc retinere poſſet legitimam intentionem.

Collorarium 2. 68. Secundò fit cum, qui omittit aliquod verbum, quod credit eſſe de eſſentia Sacramenti; cum verè non ſit, verum conficere Sacramentum, modò debitam habeat intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, & facit vera Eccleſia; eo quod tunc adeſt ſufficiens intentio cum debita forma, & materia. Ita Nuñus, Petrus de Ledeſma, Bonacina *locis citatis*, Araujo *dub. 4. & alii*.

Collorarium 3. 69. Tertio fit falſum eſſe id, quod aliqui videntur docere, ſcilicet quoties in forma Sacramenti miniſter cogitat, aliquid non eſſe de eſſentia formæ, quod tamen re vera eſt de ejus eſſentia, etiam ſi id dicat, non conficere Sacramentum. Nam illa privata exiſtimatio falſa compatibilis eſt cum intentione generali conficiendi illud Sacramentum, & faciendi, quod Chriſtus inſtituit. Ita Petrus de Ledeſma, Araujo, Bonacina, Lugo, & alii.

2. concluſio. 70. Dicendum eſt ſecundo. Si mutatio formæ fiat per verba æquivoca, & ambigua, quæ proinde admittunt plures ſenſus, quorum aliquis eſt contra ſubſtantiam formæ; tunc ſi miniſter intendat introducere, & profiteri verbis illis errorem, aut ritum repugnantem veritati formæ, nullum conficitur Sacramentum. Ita Doctores communiter ſupra *nu. 66. pro 1. concluſ. citati*. Et juxta tenorem hujus ſecundæ intelligenda eſt illa decretalis Zachariæ Papæ ſupra relata *cap. retulerunt*, & etiam D. Thomas juxta illum eſt interpretandus.

Ratio concluſionis. 71. Ratione probatur. Nam quando mutatio formæ fit per verba ambigua & æquivoca, ſi fit animo ſignificandi aliud, quam quod per formam à Chriſto inſtitutam ſignificetur, mutatio eſt ſubſtantialis deſtruens valorem Sacramenti, non ſolum ex defectu intentionis; ſed etiam defectu veræ formæ, eo quod per intentionem proferentis determinantur verba illa ambigua ad talem diverſum ſignificationem. Sed in caſu hujus ſecundæ concluſionis mutatio fit per verba ambigua, & æquivoca, & animo ſignificandi aliud longè diverſum, quam quod per formam à Chriſto inſtitutam ſignificatur: ergo mutatio eſt ſubſtantialis, deſtruens valorem Sacramenti, non ſolum ex defectu intentionis; ſed etiam ex defectu veræ formæ propter eandem rationem.

Explicatur exemplo adducto. 72. Optimum exemplum hujus doctrinæ adducitur à D. Thoma *art. 8. citato*. Nam ſi quis dicat in forma Baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatiſſimæ Virginis*, intendens ſignificare quaternitatem perſonarum in unitate, & æqualitate eſſentiæ: re vera ex illa intentione verba illa ex ſe ambigua determinantur, ita ut ſubſtantialiter mutetur ſenſus formæ à Chriſto Domino inſtitutus: attamen ſi miniſter proferens eandem formam, ſolum intenderet invocare Beatiſſimam Virginem, ut Patronam, verum conficeret Sacramentum.

Objectio. 73. Sed objicies. Arrianus baptizans ſub iſta forma: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, &c.* nullum conficit Sacramentum: ergo etiam ſi batizaret ſub iſta forma conſueta in Eccleſia: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ſi vera eſt doctrina nuper tradita, nullum conficeret Sacramentum, quod non eſt dicendum. Antecedens eſt manifeſtum: quia illud additamentum deſtruit ſubſtantialem ſenſum formæ: nam Pater major, & Filius minor non ſignificans divinas perſonas, quia iſtæ ſunt æquales. Conſequentia autem probatur: nam ut dictum eſt, ex intentione proferentis determinantur verba formæ: ergo cum Arrianus in illis verbis *Patris, & Filii, &c.* ſemper intendat, & ſignificare vellit Patrem majorem, & Filium minorem ex tali intentione deſtruit ſubſtantialem ſenſum formæ, & perconſequens nullum conficit Sacramentum.

74. Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio eſt, quia in caſu antecedentis mutatur ſubſtantialis forma inſtituta à Chriſto, non autem in caſu conſequentis. Et ad probationem in oppoſitum dicendum, quod cum illa ſint verba inſtituta à Chriſto, atque adeo non æquivoca, neque ambigua; ſed ſecundum ſe vera determinatè, & alias Arrianus ille ſimul cum illo errore privato retinet intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, ejus error, & intentio non mutat ſubſtantialem ſenſum formæ. Neque eſt eadem ratio in caſu noſtræ ſecundæ concluſionis, in quo miniſter non profert integrè ſine aliqua mutatione verba inſtituta à Chriſto; ſed ita illa variat, ut reddat ambigua, & æquivoca, ita ut poſſint in vero, vel falſo ſenſu accipi ex vi ſuæ ſignificationis, & tunc ex ejus intentione determinantur, ut in iſto potius, vel in illo ſenſu accipiantur, ut dictum eſt. *Solutio.*

PUNCTUM V.

Utrùm ſit peccatum mortale mutare formas Sacramentorum, quibus Eccleſia utitur?

75. Dicendum primo. Quotieſcumque eſt talis mutatio verborum formæ, ut deſtruatur ſubſtantialis ſenſus ejus, eſt peccatum mortale graviſſimum: quia eſt ſacrilegium in re graviſſima, & non conficitur Sacramentum, Ita omnes Doctores. Ex quo etiam infertur, quod quando hæreticus Arrianus baptizat ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, &c.* committit non ſolum peccatum mortale hæreſis; ſed etiam ſacrilegii. *1. Concluſ.*

76. Dicendum ſecundo. Miniſter recedens in formis Sacramentorum à verbis in Eccleſia communiter receptis, & uſitatis, etiam ſi non mutet ſubſtantialem ſenſum verborum, committit peccatum ſacrilegii: quia talis receſſus eſt mutatio rei ſacræ, & contra virtutem religionis. Sacrilegium autem ex genere ſuo peccatum mortale eſt. In individuo tamen tunc erit mortale, quando variatio fuerit materia gravis niſi deſit plena deliberatio; quando autem hæc defuerit etiam in re magna, vel materia fuerit levis, & parva, tunc erit veniale duntaxat. Quæ verò materia ſit magna, vel parva, prudentum arbitrio judicandum eſt. *Ita* Petrus de Ledeſma, *Secunda.*

tom.

Digitized by Google

tom. 1. cap. 1. circa concluſionem 26. *Villalobos tract.* 3. *difficult.* 3. Valentia *diſp.* 3. *q.* 1. *punct.* 2. §. *ut verò*, Filliucius *tract.* 1. *cap.* 4. *& plures referens* Bonacina, *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. Nuñus 3. *p. q.* 60 *art.* 8 *concluſ.* 5. Et in ea convenire univerſos interpretes D. Th. cum ſuo auctore teſtatur Aravio *ibidem*, *dub.* 4.

Collorarium 1. 77. Hinc multi probabiliter opinantur, quod qui in forma Euchariſtiæ omitteret particulam *enim*, non peccaret mortaliter; ſed ſolum venialiter: quia materia non eſt gravis. Ita Petrus de Ledeſma, ubi proximè, Cabrera, 3. *p. q.* 60. *art.* 8. Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 8. Granado *tract.* 8. *diſp.* 2. *num.* 6. Bonacina *diſp.* 4. *q.* 3 *punct.* 1. *num.* 10 Henriquez *lib.* 8. *cap.* 16. *n.* 4. Diana 2. *p. tract.* 17. *&* 3 *miſcellaneo, reſolut.* 16. *& p.* 5. *tract.* 14. *reſolut.* 78. N. Gab. *diſp.* 2. *q.* 6. Herinx *diſp* 2. *q.* 3. & plures referens Leander, *tract.* 7. *diſp.* 9. *q.* 5. contra alios plures, qui putant, quod peccaret mortaliter. Addit tamen benè Petrus de Ledeſma citatus: *Pero el pecado venial ſeria graviſſimo, por ſer contra la virtud de religion, que es muy alta, y en materia de Sacramentos.*

Collorarium 2 78. Ex eadem concluſione bene infertur à fortiori peccare mortaliter miniſtrum Sacramentorum, qui utitur formâ dubiâ, vel incerta, omiſsâ certâ, etiamſi id faciat ſequendo opinionem probabilem ſpeculative: ut ſi quis, v. g. in Baptiſmo diceret: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & geniti, & procedentis ab utroque*, vel ſi in forma calicis omitteret illa verba. *Qui pro vobis, & pro multis, &c.* non ſolùm quia in hujuſmodi mutatione exponeret ſe miniſter periculo irritandi Sacramentum, ſine urgenti cauſa, quod eſt grave peccatum, ſiquidem poſſet apponere formam indubitatam, & abſque urgenti cauſa poneret ſolum opinabilem; ſed etiam, quia in re adeò gravi faceret contra Eccleſiæ conſuetudinem, quæ habet vim præcepti, & contra ſtylum Eccleſiæ Romanæ, qui ſtylus facit jus, ut habetur *cap. ex litteris de conſtitutionibus, & cap. quam gravi de crimine falſi*. Ita Petrus de Ledeſma, & Bonacina ubi ſupra, Suarez *diſputat.* 16. *ſectione* 2 Ioannes Martinez *tom.* 1. *cap.* 1. *de continentia, concl.* 6. *numer* 8. *&* 18 N. Gab. *loc. cit.* Monteſinos *tom.* 1. *diſputat.* 29. *num.* 232. dicens eſſe certum. *Cap. ex litteris, Cap quam gravi.*

CAPUT QUINTUM.

De effectu Sacramentorum, qui eſt gratia.

IN HOC CAPITE SUNT SEX PUNCTA, ET VNICVM DVBIVM.

P. 1. *An Sacramenta novæ legis cauſent gratiam ex opere operato?*

P. 2. *Utrùm omnia Sacramenta novæ legis cauſent primam gratiam, faciantque ex attrito contritum?*

P. 3. *Utrùm addat aliquid gratia ſacramentalis ſupra gratiam virtutum, & donorum, & quid illud ſit?*

D. VII. *Utrùm gratia collata per Sacramentum addat aliquem modum intrinſecum, ratione cujus habeat exigentiam ſpecialis auxilii ſupra gratiam habitualem communiter dictam?*

P. 4. *Utrùm effectus Sacramenti, qui eſt gratia, impediri poſſit ex parte ſuſcipientis?*

P. 5. *Utrùm Sacramenta novæ legis recedente fictione cauſent gratiam ex opere operato?*

P. 6. *An idem Sacramentum ſecundum ſpeciem ſemper, & in omnibus habeat æqualem gratiæ effectum?*

PUNCTUM I.

An Sacramenta novæ legis cauſent gratiam ex opere operato?

Modus obtinendi gratiam alius 1. Diſtinguunt Theologi duplicem modum obtinendi gratiam: priorem vocant *Ex opere operantis*, qui eſt, quando obtinetur gratia juxta menſuram diſpoſitionis, vel meriti ſuſcipientis illam, ut cum quis elicit contritionem, ut quatuor, & recipit gratiam ut quatuor. Et cum juſtus elicit actum dilectionis, & recipit augmentum gratiæ juxta menſuram talis actus. Poſteriorem vocant *ex opere operato*; qui multipliciter contingit. Primò abſque omni diſpoſitione propria, ut in parvulis, qui baptizantur ante uſum rationis. Secundò ultra proportionem diſpoſitionis, ut in adultis accedentibus cum ſola attritione ad Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ: licet enim illa diſpoſitio ſit neceſſaria, tamen non eſt ſufficiens ad juſtificationem ſecundum ſe, ac proinde, nec eſt immediata diſpoſitio ad gratiam ſuſcipiendam; ſed ad ſuſcipiendum Sacramentum, & ad tollendum obicem Sacramenti, ut ipſum Sacramentum poſſit habere ſuum effectum. Unde virtute Sacramenti fiunt ex attritis contriti, & tota gratia, quæ tunc confertur, cauſatur ab ipſo Sacramento ex opere operato. Tertio ultra menſuram diſpoſitionis, ut cum adultus accedit cum contritione ad Sacramentum, & virtute illius conſequitur peculiarem gradum gratiæ præter illum, qui correſpondet ejus diſpoſitioni. Et ſimiliter, qui poſt quam jam eſt in gratia, & cum dilectione recipit, v. g. Euchariſtiam, & virtute Sacramenti conſequitur peculiarem gradum gratiæ, præter illum, qui correſpondet ejus merito. Dicitur autem optimè, quod in omnibus his caſibus confertur gratia ex opere operato, id eſt ex opere, quod jam eſt operatum à Chriſto. *ex opere operato, alius ex opere operantis*

Digitized by Google

ſto Domino, cujus virtus continetur in ipſis Sacramentis, ut ipſa Sacramenta talem gratiam conferant omnibus, quibus applicantur, dummodo non ponant obicem. Et hic modus dicendi Theologorum approbatus eſt in Concilio Tridentio contra impudentiam hæreticorum, qui eum inſectabantur, quaſi barbarum & monſtruoſum.

Concilij.

2. His ſuppoſitis catholica veritas docet Sacramenta novæ legis eſſe cauſas gratiæ ex opere operato. Ita habetur in Concilio Tridentino *ſeſ. 7. can. 8. Si quis dixerit ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam; ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.*

3. Probatur ex verbis Chriſti Domini, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei.* Ubi regeneratio ſpiritualis, & apertio januæ regni Cœlorum tribuitur non ſolùm Spiritui Sancto; ſed etiam Baptiſmo aquæ: ergo cum iſtum effectum cauſet in omnibus non ponentibus obicem, tam parvulis, quam adultis, ſequitur, quod ex opere operato cauſet illum.

Interpretatio Calvini refellitur primo.

4. Hoc teſtimonium valdè preſſit Calvinum, & alios hæreticos noſtri temporis, ita ut compulſi ſint dicere eo loco non agi de Sacramento Baptiſmi; ſed de ſola renovatione, quæ fit per Spiritum Sanctum interius. Quare per aquam in illo loco dicebant ſignificari metaphoricè ipſummet Spiritum Sanctum, ſicut etiam ſignificatur per ignem in illis verbis Matth. 3 *Ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igne.* Sed hæc interpretatio manifeſte adverſatur ſacro textui, ubi apertè fit ſermo de Baptiſmo aquæ. Unde ex iſto loco colligunt omnes Doctores ejus neceſſitatem, ut videre eſt apud Iuſtinum in Apologia contra Tertulian. *& lib. de Baptiſmo, cap.* 12. & apud Cyprianum, *lib. 3. adverſus Chriſtum, cap.* 25. & apud Ambroſium *lib. 3. de Spiritu Sancto, cap.* 2. & apud Hieronymum, *in cap. 6. Ezechielis*, & apud Naſianzenum, *oratione in Sanctum Baptiſma*, & apud Baſilium *in lib. de Baptiſmo*, & apud Gregorium Niſenum *in ſermone de Baptiſmo.*

Rejicitur 2.

5. Et deinde impugnatur prædicta reſponſio: quia ſi in prædicto teſtimonio non fit ſermo de Baptiſmo aquæ; ſed ſolùm de Spiritu Sancto interius mundante, ac propterea metaphoricè ſignificato per aquam, eodem modo eludi poſſent cætera teſtimonia ſcripturæ ſacræ, ubi fit ſermo de Baptiſmo aquæ, cum nullum teſtimonium manifeſtius ſit illo. Quare Sacramentum Baptiſmi non colligeretur ex ſacræ Scripturæ auctoritate, cujus oppoſitum certiſſimum eſt: neque negatur ab ipſo Calvino. Sicut ergo cogimur Sacramentum Baptiſmi ex illo teſtimonio fateri: ita etiam efficaciam ejus ex opere operato.

Male pro ſe affert Calvin.

6. Neque eſt eadem ratio in illis verbis: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* Primò, quia ut bene notant interpretes litterales hujus loci verbum illud, *& igne*, cum ſubſequatur ad verbum *in Spiritu Sancto*, aperte ſumitur metaphoricè pro ipſomet Spiritu Sancto, vel pro igne charitatis ab ipſo diffuſſo in cordibus noſtris, ut major explicatio præcedentis verbi. Verbum autem illud *ex aqua* in altero teſtimonio poſitum, cum antecedat illud verbum, *& Spiritu Sancto*, non poteſt accipi, ut ejus explicatio. Secundo: quia non eſt recurrendum ad metaphoras in explicatione ſacræ Scripturæ, niſi ex ſenſu proprio ſequatur abſurditas aliqua: hæc autem manifeſtè ſequitur ex eo quod verbum illud, *& igne*, propriè accipiatur: abſurdum enim eſt aſſerere Baptiſmum tribui in igne materiali. Cæterum ex eo quod verbum *ex aqua*, propriè ſumatur, nulla ſequitur abſurditas; ſed potius maximè conſonat, ac proinde non eſt eadem utriuſque ratio. Adde, quod aliqui Patres verbum illud, *& igne*, non metaphoricè, ſed propriè accipiunt referentes illud, vel ad ignem Purgatorii, ut Origenes, *tract. 9. in Matthæum, & hom. 24 in Lucam*: & Hilarius, & Hieronymus *in commentariis illius loci*: vel ad ignem corporeum, qui in figura linguarum apparuit ſuper Apoſtolos, ut Damaſcenus *lib. 4. fidei, cap.* 10.

Teſtimonium illud.

Veritas catholica circa alia Sacramenta ex Scriptura probatur.

7. Eadem efficacia, & modus cauſandi gratiam ex opere operato conſtat etiam ex ſacra Scriptura de aliis Sacramentis novæ legis, ut de Sacramento Confirmationis, de quo dicitur *Act.* 8. quod per impoſitionem manuum dabant Apoſtoli Spiritum Sanctum. Et de Sacramento Euchariſtiæ, de quo dicitur Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem, &c.* quæ verba de manducatione ſacramentali intelligenda ſunt, ut patet ex perpetua Eccleſiæ traditione. Similiter de Sacramento Pœnitentiæ dicitur Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* De Sacramento Ordinis 2. *ad Timotheum* 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum.* Et de Sacramento Extremæ Unctionis, Iacobi 5. illis verbis: *Et oratio fidei alleviabit infirmum, & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei.* Et de Matrimonio, licet non habeamus expreſſum teſtimonium, eſt eadem ratio, cum ſit unum ex ſeptem Sacramentis, & reliquis Scriptura tribuat hanc virtutem.

Ratione etiam fulcitur.

8. Ratione etiam inſinuata probatur catholica veritas. Nam Baptiſmus v.g. virtutem habet ex ſua inſtitutione ad ſanctificandos parvulos, in quibus nulla diſpoſitio, aut meritum reperitur: ergo virtute Baptiſmi conſequuntur gratiam ex opere operato: ac proinde cum Baptiſmus eandem habeat virtutem, quantum eſt ex ſe, reſpectu adultorum, dicendum eſt, quod etiam in illis non ponentibus obicem cauſat gratiam ex opere operato.

Congruentia pro ipſa.

9. Nec defuit optima convenientiæ ratio ad inſtituenda Sacramenta, quibus ineſſet prædicta virtus: etenim excellentia Chriſti Domini poſtulabat, ut in lege gratiæ, quam ipſe inſtituit, forent Sacramenta longè nobiliora, quam in lege Moyſis, quibus proinde conferretur virtus ad cauſandam gratiam, quam illa ſignificabant. Præterea, quia cum in hoc horto delitiarum Dei, Eccleſia ſcilicet Chriſti militante, collocatus ſit uberrimus meritorum Chriſti fons, oportuit, ut conſtruerentur aquæ ductus, per quos ſalutari aqua ſanctificantis gratiæ irrigaretur abundè: & hæc

Digitized by Google

hæc ſunt Sacramenta legis novæ. Denique, quia proprietas verborum, quibus conſtant noſtra Sacramenta, id ipſum poſtulabat. Ut patet in forma Baptiſmi, & in forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Hæreticorum fundamenta. & eorum ſolutiones, qui aſſerant. 10. Sed veritatem iſtam fidei hactenus declaratam, & probatam impugnare moliuntur hæretici noſtri temporis, quorum fundamenta optimè diſſolvunt Vazquez 3. *part. quæſt.* 62. *diſp.* 131. *cap.* 5. *&* 6. Suarez *ibidem, diſp.* 2. *ſect.* 1. & Bellarminus, *tom.* 3. *lib.* 2. *de Sacramentis*, apud quos poſſunt videri.

PUNCTUM II.

Utrùm omnia Sacramenta novæ legis cauſent primam gratiam, faciantque ex attrito contritum?

Suppoſitio. 11. SUpponendum eſt Sacramenta, quæ dicuntur mortuorum, videlicet Baptiſmum, & Pœnitentiam, cauſare per ſe primam gratiam, facereque ex attrito contritum. Reliqua verò quinque Sacramenta, quæ dicuntur vivorum per ſe non conferre primam gratiam; ſed potius eam præſupponere, & cauſare augmentum ejus, ut communiter docent Doctores. Unde ſolum eſt difficultas: An iſta quinque Sacramenta ſaltem ex accidenti conferant aliquando primam gratiam, faciantque ex attrito contritum? Quando nimirùm quis accedit ad Sacramentum, vel nullam habens conſcientiam peccati mortalis: ſed putans invincibiliter ſe eſſe in gratia, eo quod adhibuit omnem ſuam diligentiam humanam, ut examinaret, & probaret ſuam conſcientiam, an peccatum haberet, & nullius peccati recordatur: vel quia exiſtimat ſe fuiſſe abſolutum, cum non fuerit, ſimulque cum tali bona fide, & ignorantia habet veram attritionem ſupernaturalem: vel ſi is, qui memor eſt peccati mortalis, non habens copiam Confeſſoris; habens tamen attritionem exiſtimatam invincibiliter contritionem accedit ad Sacramentum urgente neceſſitate.

Concluſio. 46. In qua difficultate dicendum nobis eſt cum D. Thom. 3. *part. q.* 72. *art.* 7. *ad* 2. *item q.* 79. *art.* 3. *&* q. 80. *art.* 4. *ad* 5. quem ſequuntur ejus diſcipuli, & fere communiter Theologi, Suarez, Fagundez, Granado, Enriquez, Toletus, Arriaga, Paludanus, Scotus, Henrinx *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *num.* 11. & alii apud ipſos, quos refert, & ſequitur Leander *tract.* 7. *diſp.* 11, *q.* 5. Ricardus, *tract.* 2. *q.* 1. Gabriel, *lect.* 8. *&* 85. in Can. Adamus, *q.* 7. *dub.* 1. Becanus, 2. 2. *q.* 1. Reginaldus, Angles, Bartholomæus ab Angelo, & Vivaldus, quos citat, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 4. *punct.* 1. *num.* 1. Diana, 3. *p. tract.* 6. *reſolut.* 98. (contra Vazquez, Lugo, Villabolos, Bernal. N. Franciſc. Bon. Spei *diſp.* 2. *dub.* 4. & contra aliquos alios) quinque Sacramenta vivorum ex accidenti tunc in illis caſibus conferre primam gratiam, facereque de attrito contritum. Et ſuadetur: quia ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia, quæ ſunt Sacramenta mortuorum, aliquando ex accidenti conferunt augmentum gratiæ, ut cum quis ad ea accedit contritus, & juſtificatus, quamvis per ſe ordinentur ad conferendam primam gratiam: ſic etiam reliqua Sacramenta, quæ appellantur vivorum, & ſi per ſe ordinentur ad conferendum augmentum gratiæ, ex accidenti in caſibus poſitis ex opere operato conferunt primam gratiam, & ex attrito faciunt contritum. Videatur hic Gonet *diſp.* 3. *art.* 5. *num.* 181. *& ſeq.* ex iis enim facilè ſolvi poterunt quæ nobis objiciunt Card. de Lugo, N. Franc. qui D. Th. (ſed immerito) in ſuam ſententiam pertrahere conatur.

13. Sed objicies, quod Euchariſtia nullo modo ſignificat primam gratiam ſanctificantem: ergo nullo modo eam cauſat. Conſequentia patet: quia Sacramenta id ſolum cauſant, quod ſignificant. Et antecedens probatur: quia Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi, & potus: ſed cibus, & potus corporalis non ſunt apta ſignificare reſurrectionem à morte, & reſtitutionem vitæ amiſſæ: ſed conſervationem, & augmentum ejus: ergo neque cibus, & potus ſpiritualis ſunt apti ſignificare, & cauſare primam vitam ſpiritualem, & reſurrectionem à ſpirituali morte. *Objectio.*

14. Reſpondetur primò, negando antecedens, & ad probarionem neganda eſt conſequentia. Eſt enim duplex diſcrimen; unum ex parte utriuſque cibi ſpiritualis, & corporalis; alterum ex parte utriuſque mortis corporis, ſcilicet, & animæ. Primum eſt, quod cibus corporalis eſt mortuus, & convertitur in ſubſtantiam aliti; cibus verò ſpiritualis eſt ipſa vita, & convertit nos in ſe. Secundum diſcrimen eſt, quod mortuus corporaliter nullum habet in ſe principium vitæ, quo poſſit convertere in ſe cibum: mortuus autem ſpiritualiter habet plures actus vitales in illis caſibus ſupernaturales, v. g. Fidei, ſpei, & attritionis, quibus poſſit illi prodeſſe cibus ſpiritualis, qui de ſe efficax eſt convertere in ſe hominem, etiam mortuum, ſi ipſe non reſiſtat: maximè cum ut dictum eſt, non ita mortuus ſit, ut careat prædictis actibus vitæ ſpiritualis, & aliàs inculpabiliter accedat. *Enodatur primo.*

15. Secundo reſpondetur admiſſo antecedenti, negando conſequentiam intellectam de cauſalitate per accidens. Et ad probationem dicendum maximam illam, *Sacramenta id ſolum cauſant, quod ſignificant*, intelligendam eſſe de effectu per ſe, ita ut non cauſent per ſe, niſi quod ſignificant: nam per accidens bene poteſt cauſalitas excedere ſignificationem, ut dicemus infra *tract.* 4. *de Euchar. c.* 4. *dub.* 1. *n.* 26. *Enervatur 2.*

PUNCTUM III.

Utrùm addat aliquid gratia ſacramentalis ſupra gratiam virtutum, & donorum, & quid illud ſit?

16. CIrca hoc punctum conveniunt Theologi in duobus, & differunt in altero. Coveniunt quidem primò in eo quod gratia ſacramentalis addat aliquid ſupra gratiam virtutum, & donorum, & id facile ratio ſuadet. Nam gratia, & virtutes ſupernaturales, ac dona Spiritus Sancti, quæ ex illa ſimplici emana- *Primum in quo conveniunt Theologi.*

tione conſequuntur, ſunt connexæ, ac proinde ſimul cum illa infunduntur, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 65. *artic.* 1. ſed gratiæ ſacramentales non ſunt connexæ, nec ſimul conferuntur; ſed quælibet ſeorſum per ſpeciale Sacramentum: ergo gratia ſacramentalis non eſt prorſus idem cum gratia virtutum, & donorum; ſed addit aliquid ſupra illam. Unde ſacramentalis gratia ſpecialius operatur in Sacramento, quam gratia extra Sacramentum, eo quod Deus ſpeciali auxilio aſſiſtit Sacramentis, juvatque hominem ſuſcipientem illa ad obtinendum proprium Sacramentorum finem, quod facile conſtabit diſcurrendo per ſingula Sacramenta.

Circa Baptiſmum.

17. Gratia igitur baptiſmalis, quæ in Baptiſmo confertur, ut eſt per ſe hujus Sacramenti effectus, remittit omnem culpam originalem, & actualem, nec non omnem pœnam, quæ pro ipſa debetur; ac propterea baptizatis nulla pro peccaris præteritis injungenda eſt ſatisfactio; ſed morientes antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum Cœlorum, & Dei viſionem perveniunt, ut docet Concilium Florentinum *in Decreto Eugenii Papæ IV.* Inſuper prædictæ gratiæ baptiſmali attribuitur illuminatio, & quod anima peccatorum ariditate ſterilis fœcundetur per ipſam, ut ex D. Dionyſio, & ex Gloſſa tradit Div. Thom. 3. *part. quæſt.* 69. *art.* 5. & idem Angelicus Doctor, *artic.* 4. *præcedenti in ſolut. ad* 3. docuerat, quod ſicut per Baptiſmum diminuitur concupiſcentia, ut non dominetur: ita etiam diminuuntur difficultas ad bonum, & pronitas ad malum, ne homo ab his ſuperetur. Quem effectum, cæteris paribus, facilius conſequitur baptizatus, quam cathecumenus, etiam ſi exiſtat in gratia.

Circa Confirmationem.

18. Præterea: gratia ut eſt effectus Confirmationis modo quodam ſpeciali confert robur, ut confirmatus audacter Chriſti nomen confiteatur, & Crucem ejus, ut docet idem Florentinum ubi proximè. Deus enim per auxilium gratiæ ſacramentalis ſpecialius adjuvat confirmatum, cæteris paribus, quam non confirmatum ad prædictos effectus.

Circa Euchariſtiam.

19. Deinde: gratia ut effectus Euchariſtiæ in ſumentibus dignè, omnem effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando: quoad vitam operatur ſpiritualem, ut docet idem Florentinum. Et in hoc Sacramento, ut inquit Urbanus Papa gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum. Unde eſt etiam effectus hujus Sacramenti, ut docet D. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 8. quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis.

Circa Pœnitentiam.

20. Item: gratia ut eſt effectus Pœnitentiæ, animam purgat à peccato, & præſtat auxilium, ut homo à peccatis præſervetur, occaſiones peccandi faciliùs fugiat, & diutiùs in juſtitia perſeveret.

Circa Extremam Unctionem.

21. Rurſus: gratia ut eſt effectus Extremæ Unctionis, mentem ſanat, & in quantum expedit, etiam corpus ipſum, ſecundum Concil. Florent. Et juxta Tridentinum, ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

Circa Ordinem.

22. Inſuper: ut eſt effectus Ordinis, auget gratiam, ut quis ſit idoneus miniſter, habetque annexum auxilium divinum ad eliciendos actus, quibus Sacramenta debitè miniſtrantur, hoc eſt, cum intentione, devotione, & attentione debita.

Circa matrimonium.

23. Denique per gratiam Sacramenti Matrimonii purgatur anima ab inordinata concupiſcentia, præſtantur conjugibus vires ad tolleranda onera Matrimonii, ſervandamque inter ſe fidelitatem, juſtitiam, imò & caſtitatem, ſpecialique Dei auxilio, & aſſiſtentia mutuis officiis faciliùs ſe fovent, quam cum gratia aliunde acceptâ, cæteris paribus, id efficerent.

Secundum in quo conveniunt.

24. Secundo conveniunt Theologi in eo, quod gratia Sacramentalis addat ſupra gratiam virtutum, & donorum divinum auxilium ad exequendum proprium actum, ad quem per ſe ordinatur Sacramentum, ut docet D. Thom. 3. *part. q.* 62. *art.* 2.

In quo diſcriminantur.

25. Differunt in explicando: an iſta habitudo ad divinum auxilium ſpeciale ſit ſolum extrinſeca denominatio per ordinem ad cauſam: ita videlicet, ut Deus, quia inſtituit Sacramentum ordinatum ad talem effectum, ideò in eo, qui ſuſcipit Sacramentum, operetur illud ſpeciale auxilium, abſque eo, quod in ipſa gratia collata per Sacramentum ſit aliquid intrinſecum, ratione cujus habeat exigentiam talis auxilii ſpecialis. Et hunc modum dicendi amplectuntur Caietan. & Sotus, quos ſequitur Suarez, 3. *p. diſp.* 7. *ſect.* 3. Araujo, *dub.* 2. & alii plures. An verò dicendum ſit, quod in ipſa gratiâ collatâ per Sacramentum intrinſecè reperiatur aliquis modus, ratione cujus exigit connaturaliter illud divinum auxilium ſpeciale, ſive illam ſpecialem providentiam Dei, & ratione hujuſmodi intrinſeci differat gratia ſacramentalis, etiam permanenter à gratia communiter dictâ: & differant etiam ipſæmet gratiæ ſacramentales inter ſe. Et hunc modum dicendi tenent Nuñus 3. *p. q.* 62. *art.* 2. Cabrera *ibidem*, *ac alii plures* Thomiſtæ, quos hic citat Gonet *& ſequitur*. N. Gabriel *dub.* 4. *dub.* 8. & Joannes Gonzal. *ait probabiliorem ſibi videri in Doctrina* D. Thomæ, *& ſecundum ſe*. Quid autem circa hoc nobis ſit dicendum dubio ſequenti explicabimus.

DUBIUM I.

Utrùm gratia collata per Sacramentum addat aliquem modum intrinſecum, ratione cujus habeat exigentiam ſpecialis auxilii ſupra gratiam habitualem communiter dictam?

1. ratio dubitandi.

26. ET videtur quod non. Primò: quia D. Th. *art.* 2. *citato*, ubi rem hanc ex profeſſo diſputavit, nullam fecit mentionem alicujus

modi

modi intrinſeci, & permanentis gratię ſacramentalis; ſed ſolum dicit eam addere ſupra gratiam gratum facientem auxilium Dei ad conſequendum finem Sacramenti: cum ergo gratia gratum faciens cum auxilio ſufficiat ad prædictum effectum, manifeſtè deducitur juxta mentem D. Thomæ, & veritatem ipſam, gratiam ſacramentalem nihil aliud addere ſupra gratiam communiter ſumptam; quam auxilium Dei actuale: & oppoſitum non ſolùm abſque neceſſitate affirmari: ſed etiam ſine fundamento in ſententia D. Thomæ.

Secundo. 27. Secundo, quia cum iſte modus ſit permanens, & alias datus per ſe ad operandum, non eſt, cur non ſit donum habituale: & ſic latenter auctores oppoſitæ ſententiæ incidunt in ſententiam jam diu à ſcholis rejectam Paludani dicentis gratiam ſacramentalem eſſe alium habitum diſtinctum à gratia virtutum, & donorum.

Authoritas. 28. Sed contra: quia D. Thomas, *quæſt.* 27. *de Veritate, artic.* 5. *in ſolutione ad* 12. *Dicendum*, ait, *quod ſicut diverſæ virtutes, & diverſa dona Spiritus Sancti ad diverſos actus ordinantur: ita diverſi Sacramentorum effectus ſunt, ut diverſæ medicinæ peccati, & participationes virtutis Dominicæ Paſſionis, quæ à gratia gratum faciente dependent, ſicut virtutes, & dona: ſed virtutes, & dona nomen ſpeciale habent propter hoc, quod actus, ad quos ordinantur, ſunt manifeſti. Unde ſecundum nomen à gratia diſtinguuntur; defectus autem peccati, contra quos Sacramenta inſtituuntur, latentes ſunt: unde Sacramentorum effectus nomen proprium non habent; ſed nomine gratiæ nominantur. Dicuntur enim gratiæ ſacramentales, & penes has Sacramenta diſtinguuntur, ſicut penes proprios effectus. Pertinent autem iſti effectus ad gratiam gratum facientem, quæ iſtis effectibus conjungitur, & ſic cum propriis effectibus habent effectum communem, quæ eſt gratia gratum faciens, quæ etiam per Sacramentum, & non habenti datur, & habenti augetur.* Hucuſque D. Thomas. Omnia autem hæc manifeſtè denotant aliquem modum permanentem, & intrinſecum ex parte ipſius gratiæ, ut eſt effectus Sacramenti, ratione cujus ſit ſanans peccatorum vulnera relicta ex converſione peccaminoſa, ut explicat ipſe Angelicus Doctor *ibidem, in ſolutione ad* 15. De iſto enim modo permanenti, & intrinſeco verificantur optimè omnia, quæ dicit Doctor Angelicus, nempe, quod ſit proprius effectus Sacramenti, quod per illud diſtinguatur unum Sacramentum ab alio, quod pertineat ad gratiam gratum facientem, & quod ipſi ipſa gratia conjungatur. Quæ omnia de ſolo auxilio Dei actuali, & tranſeunte nequeunt verificari: hoc enim, neque eſt effectus proprius Sacramenti, neque pertinet ad gratiam gratum facientem, neque ipſi gratiæ conjungitur: ergo, &c.

Concluſ. 29. Reſpondeo dicendum, gratiam collatam per Sacramentum addere ſupra gratiam gratum facientem aliquem modum intrinſecum, & permanentem, ratione cujus habet exigentiam ſpecialis auxilii, quod per modum tranſeuntis confertur ad exequendum proprium actum, ad quem per ſe ordinatur Sacramentum.

30. Probatur primò ex D. Thoma: etenim 3. *part. quæſt.* 26. *art* 2. *in ſolut. ad* 1. ſic ait: *Gratia virtutum, & donorum ſufficienter perficit eſſentiam animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ; ſed quantum ad quoſdam effectus ſpeciales, qui requiruntur ad vitam Chriſtianam, requiritur ſacramentalis gratia.* Sed hæc determinata habitudo ad ejuſmodi ſpeciales effectus permanens eſt, ſiquidem actu competit etiam gratiæ habituali, quæ parvulis in Baptiſmo infunditur: nam illa modum habet gratiæ regenerantis per ſe ordinatæ ad remittendam originalem culpam, & efficiendum vivum Chriſti membrum, incorporando illum Chriſto, quaſi mortuus eſſet parvulus ille cum Chriſto in Cruce: ergo dicendum eſt, quod licet illa gratia habitualis, non diſtinguatur eſſentialiter a gratia communiter dicta, diſtinguitur tamen intrinſecè modaliter penès aliquem ſpecialem modum permanentem, quem habet participatum à gratia Redemptoris. *Suadetur 1. ex D. Th.*

31. Præterea *in ſolutione ad* 2. ſic ait: *Per Item ex virtutes, & dona excluduntur ſufficienter vitia, & eadem, peccata, quantum ad præſens, & futurum in quantum ſcilicet, impeditur homo per virtutes, & dona à peccando: ſed quantum ad præterita peccata, quæ tranſeunt actu, & permanent reatu, adhibetur hoc remedium ſpecialiter per Sacramenta.* Hoc autem non fit immediatè per auxilium Dei actuale; ſed per gratiam habitualem baptiſmalem, per quam remittitur omnis culpa, & omnis reatus pœnæ, etiam temporalis. Quem effectum quantum ad remiſſionem reatus temporalis pœnæ non ſic faceret alia gratia habitualis æqualis in intentione, quæ non eſſet baptiſmalis: igitur gratia ſacramentalis collata per Baptiſmum, habet aliquem modum, quem non habet gratia communiter dicta, neque aliæ gratiæ ſacramentales.

32. Nec poteſt dici hunc effectum non provenire in genere cauſæ formalis ab ipſa gratia habituali collata per Baptiſmum; ſed ſolummodo à voluntate Dei ſtatuentis, quod ſuſcipientibus digne Baptiſmum, omnis culpa, & pœna remittatur. Hoc inquam dici non poteſt: tum, quia adæquata forma illius juſtificationis eſt gratia habitualis, quæ in Baptiſmo confertur: ac proinde tota juſtificatio, quæ includit totalem remiſſionem peccati, provenit in genere cauſæ formalis ab illa gratia baptiſmali: tum etiam, quia gratia baptiſmalis eſt regenerans, veterem hominem deſtruens, & novum hominem ſecundum Deum creatum faciens, novamque creaturam omni expulſa vetuſtate conſtituens: ac per conſequens vi ſua, in quantum eſt hoc modo regenerans, habet remittere perfectè, & totaliter peccatum quantum ad culpam, & totam pœnam. *Præcluditur quædam evaſio.*

33. Inſuper *in ſolutione ad* 3. dicit Div. Thom. quod: *Gratia ſacramentalis habet ſe ad gratiam communiter dictam, ſicut ſpecies ad genus.* Quæ verba Cajetanus, & Sotus, & qui illos ſequuntur, coguntur ſatis incongruè declarare dicentes per gratiam communiter dictam intellexiſſe Angelicum Doctorem gratiam in communi, & in abſtractione à gratia habituali, & actuali, & gratiam in iſta acceptione diſtingui a Div. Thoma in gratiam ſacramen- *Confirmatur ex eodem.*

talem, id eſt, gratiam actualis auxilii, & non ſacramentalem, id eſt, gratiam habitualem: ac proinde rectè dixiſſe, quod ſacramentalis gratia ſe habet ad gratiam communiter dictam, ſicut ſpecies ad genus. Hæc enim intelligentia violenta eſt: etenim D. Thomas per gratiam communiter dictam non intellexit rationem aliquam abſtractam, & communem; ſed gratiam in ſingulari, nimirum illam, quæ datur extra Sacramentum. Quod patet, tum ex corpore articuli, quia de hoc erat quæſtio, quid ſcilicet, adderet gratia ſacramentalis ſupra gratiam non ſacramentalem, id eſt, non collatam per aliquod Sacramentum novæ legis: tum etiam ex ſolutione ad primum, ubi dicit, quod ſicut gratia virtutum addit ſupra gratiam gratum facientem, quæ eſt in eſſentia animæ, ut in ſubjecto, ordinem ad actus: ita gratia ſacramentalis addit determinatum ordinem ad alios actus ſpeciales ſupra gratiam virtutum, & donorum: ergo ſicut gratia virtutum addit aliquid ſupra gratiam gratum facientem: ita etiam proportionabiliter gratia ſacramentalis addit ſupra gratiam virtutum, & donorum modum aliquem ſpecialem; & quia per iſtos modos diverſarum gratiarum ſacramentalium diverſimode determinatur gratia virtutum, & donorum ideo dixit D. Thomas, quod ſe habent, ſicut ſpecies ad genus.

Qualiter intelligendum ſit dictum. D. Thom.

34. Pro cujus majori luce, & magis plena declaratione mentis D. Thomæ advertendum eſt, quod cum dixit gratiam ſacramentalem diſtingui à gratia communiter dicta, ſicut ſpecies diſtinguitur à ratione generis, non eſt locutus ſtrictè, & in rigore, nempe de diſtinctione ſpecifica eſſentiali (nam unus, & idem habitus ſunt ſecundum ſpeciem gratia ſacramentalis, & non ſacramentalis) ſed de diſtinctione modali gratiæ ſacramentalis à non ſacramentali ratione modi intrinſeci, & permanentis, quem ſuperaddit. Qui modus comparatur ad gratiam, ſicut ſpecies ad genus: nam ſicut genus determinatur per ſpeciem: ita & gratia per iſtum modum, ſicut per analogiam ad hanc generis conditionem appellatur generica moralitas deſumpta ex objecto reſpectu aliarum, quæ ſumuntur ex fine, & aliis circumſtantiis: *Nam ſicut* (ait D. Thom. *in 2. diſt. 36. quæſt. 1. art. 1. ad 3*) *determinatur per ſpeciem: ita etiam bonum in genere* (hoc eſt ex objecto) *determinatur per bonitatem, quæ eſt ex fine, & ex aliis circumſtantiis.*

Ratione fulcitur aſſertio.

35. Secundò probatur concluſio ratione ſatis efficaci: nam auxilium, quo Deus concurrit cum aliqua forma, & cum utente ipſa ad proprium ejus effectum, debet eſſe, quaſi connaturale, & proportionatum perfectioni intrinſecæ, & permanenti talis formæ, ut ſuavis ſit diſpoſitio rerum: ac proinde ſi gratia, ut eſt effectus Sacramentorum nullam importat perfectionem intrinſecam, & permanentem ſuper gratiam non ſacramentalem, minimè reſpondebit illi, quaſi connaturaliter ſpeciale Dei auxilium actuale, magis quam gratiæ communiter dictæ. Similiter auxilium actuale reſpondens gratiæ unius Sacramenti non erit diverſum ſecundum ſpeciem ab auxilio actuali reſpondente gratiæ, quæ confertur per aliud Sacramentum: hoc autem eſt falſum, ut etiam contrarii fatentur; ergo conſequenter dicendum eſt gratiam ſacramentalem addere ſupra gratiam communiter dictam modum aliquem perfectionis permanentem, & intrinſecum per ſe ordinatum ad proprium actum Sacramenti, ratione cujus quaſi connaturaliter connotat, & exigit ſpeciale auxilium, quo Deus paratus eſt cum habente talem gratiam, concurrere.

Explicatur diſtinctio modalis inter gratiam ſacramentalem, & gratiam communiter dictam.

36. Ad explicandum autem hanc diſtinctionem modalem, qua gratia ſacramentalis diſtinguitur à gratia habituali, communiter dicta eſt optimum exemplum in juſtitia originali collata cum gratia noſtra: etenim ut tradunt noſtri Salmanticenſes, *tom. 4. diſp. 16. num. 8.* juſtitia originalis addebat modum quemdam ſupra gratiam noſtram, eo quod gratia juſtificans præciſe ex ſua ſpecie non habet refundere in corpus, & partem ſenſitivam perfectam ſubjectionem ad animam, & ad rationem, quam ponebat juſtitia originalis; aliàs modo eam refunderet, ac proinde aliquid fuit illi ſuperaddendum ad prædictum effectum præſtandum: cumque hoc ſuperadditum non potuerit eſſe alia forma ſpecie, vel numero diſtincta, ut intuenti conſtat, debuit eſſe ſaltem alius modus ejuſdem gratiæ; non quidem penès majorem intentionem (intentior enim gratia datur modo aliquibus viatoribus, quam tunc communiter daretur) ſed penès majus dominium gratiæ ſupra animam, majoremque ſubordinationem iſtius ad illam. Et juxta hæc intelligendus eſt D. Thomas, *in 2. diſt. 32. q. 1. art. 2. ad 2.* ubi dicit: *Juſtitiam originalem non habuiſſe communicare corpori prædictam perfectionem, oppoſitamque imperfectionem excludere, in quantum juſtitia eſt.* Id eſt ex ipſa eſſentia, & ſpecie gratiæ, & ſanctitatis ſecundum ſe ſumptæ. *Sed ratione cujuſdam accidentis ſibi annexi, &c.* Hujuſmodi enim accidenti annexus fuit proculdubio prædictus modus informandi, qui idcirco dictus eſt *accidens prædictæ juſtitiæ*, quia erat extra eſſentiam, & diſtinctus ab ea, ſicut modus à re; non autem quia eſſet alia forma entitativè, & ſpecie diverſa.

Diſtinctio modi iſtius à forma.

37. Similiter igitur gratia ſacramentalis addit ſupra gratiam ſanctificantem, non ſacramentalem modum quendam intrinſecum, & permanentem, qui non eſt alia forma, vel habitus; ſed accidens prædictæ formæ, quia eſt extra eſſentiam, & diſtinctus ab ea, ſicut modus à re; non quidem penès majorem intentionem, ſiquidem poteſt conferri alicui gratia intentior extra Sacramentum, quam alteri in Sacramento; ſed ut detur ſpecialis medicina peccati, & participatio virtutis Dominicæ Paſſionis, & ut quaſi connaturaliter ſpeciale Dei auxilium exigatur ad effectum proprium Sacramenti.

1. ratio dubitandi ſolvitur.

38. Ad primum dicendum teſtimonia D. Thomæ à nobis adducta, *num. 28. 30. 31. & 33.* efficaciter probare noſtram ſententiam eſſe Angelici Præceptoris. Quibus omnibus accedit, quod licèt ſolum dixiſſet gratiam ſacramentalem addere ſupra gratiam communiter dictam auxilium Dei actuale, ſufficeret id, ut cenſeremus reſolutionem noſtram eſſe juxta

mentem

mentem illius: in his enim verbis implicitè ſaltem continetur. Nam auxilium actuale, quaſi connaturaliter, & juxta ſuavem providentiam reſpondens alicui principio operativo debet eſſe proportionatum intrinſecæ perfectioni talis principii, ut generali inductione conſtat in omnibus cauſis.

2. enervatur. 39. Ad ſecundum ſatis patet ex dictis *num. 36. & 37.* quomodo id, quod addit gratia ſacramentalis ſupra gratiam gratum facientem, quamvis ſit quid permanens, non ſit alius habitus, aut alia forma, nec diſtinguatur gratia, tanquam res à re; ſed ſolum ſit modus diſtinctus ab ea, ſicut modus à re.

PVNCTVM IV.

Utrùm effectus Sacramenti, qui eſt gratia impediri poſſit ex parte ſuſcipientis?

Generalis regula. 40. ILla certa, & generalis regula in hoc puncto præmittenda eſt, Sacramenta ſcilicet novæ legis, non ponentibus obicem ſemper, & infallibiliter gratiæ effectum conferre, ut expreſsè traditur in Tridentino. *ſ. 7. can. 6. & 7.* his verbis: *Si quis dixerit non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus quantum eſt ex parte Dei, ſi ritè ea ſuſcipiant; ſed aliquando, & aliquibus, anathema ſit.*

Collorarium 1. 41. Ex quo principio ſequitur primò, punctum hoc nihil difficultatis habere in infantibus reſpectu eorum Sacramentorum, quorum ſunt capaces: eorum enim ſemper, & infallibiliter fructum percipiunt, ſi Sacramenta ritè conficiantur, & applicentur.

Quæſtio incidens. 42. Secundò ſequitur, ex malitia, vel indiſpoſitione ſuſcipientis Sacramenta, contingere, quod impediatur effectus gratiæ. Unde ſolum ſupereſt explicandum, quæ ſit indignitas, vel indiſpoſitio, quæ impedire poteſt hunc effectum? Vel quæ diſpoſitio ſit neceſſaria in ſuſcipiente ad illum percipiendum?

1. concluſio. 43. Dicendum ergo primò. Peccatum mortale actu commiſſum in ipſa ſuſceptione Sacramenti impedit gratiæ effectum. Hæc eſt communis, & certa ſententia Doctorum. Et ratio eſt: quia peccatum mortale in actu repugnat divinæ gratiæ: ergo quamdiu illud durat, gratia infundi non poteſt: ac proinde ſi durat quando Sacramentum ſuſcipitur, non poterit tunc Sacramentum gratiam præſtare.

2. concluſio. 44. Dicendum eſt ſecundo. Ad ſuſcipiendam primam gratiam, ſive per ſe in duobus Sacramentis mortuorum; ſive ex accidenti in quinque Sacramentis vivorum, non ſufficit ceſſatio à peccato mortali actuali; ſed prætcrea requiritur ſupernaturalis aliqua diſpoſitio, quæ ſaltem ſit vera attritio ſupernaturalis: Unde Concilium Tridentium. *ſeſ. 6.* deſcribens juſtificationem adultorum, quæ fit per Baptiſmum, & *ſeſ. 14.* tractans de illa, quæ fit per Sacramentum pænitentiæ, ad utramque requirit attritionem ſupernaturalem ex motione Spiritus Sancti. Unde efficaciter concluditur hanc etiam modo à nobis explicato ſupra *punct. 2. n. 22.* requiri ad recipiendam primam gratiam ex accidenti per alia quinque Sacramenta vivorum: cum hic effectus ſit proprius, ac per ſe tantum Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quæ ſunt Sacramenta mortuorum, & per ſe loquendo ad alia quinque Sacramenta vivorum fructuosè recipienda, ſtatus gratiæ requiratur. Quare præſens concluſio ſolum eſt de diſpoſitione requiſita ad primam gratiam per ſe in Sacramentis mortuorum; & ex accidenti in Sacramentis vivorum. In quo ſenſu communiter recipitur à Theologis, & facile ſuadetur ex dictis.

45. Quia obex impediens effectum Sacramenti, qui eſt gratia, non ſolum eſt peccatum mortale actuale; ſed etiam habituale non deteſtatum: unde ut tollatur obex ad primam gratiam ſuſcipiendam, non ſufficit ſola ceſſatio à peccato mortali actuali; ſed præterea requiritur, ut voluntas ſuſcipientis deteſtetur omne mortale habituale, quod debet fieri, ſaltem per attritionem ſupernaturalem in Sacramentis mortuorum, ut conſtat ex Concilio Tridentino, & à fortiori in Sacramentis vivorum, ut dictum eſt. *Probatur ex dictis.*

46. Dicendum eſt tertio. Ut Sacramenta conferant augmentum gratiæ, requiritur quædam habitualis gratiæ diſpoſitio, id eſt, quod in ſtatu gratiæ recipiantur; non autem eſt obex actuale peccatum veniale, vel actualis diſtractio mentis ad hunc effectum Sacramenti ſuſcipiendum. Et quidem pars affirmativa hujus concluſionis non indiget probatione, quia gratiæ augmentum ſupponit gratiam primam. *3. concluſio.*

47. Alteram vero partem negativam: ſcilicet peccatum veniale actuale, vel actualem diſtractionem mentis non eſſe obicem ad ſuſcipiendum augmentum gratiæ per Sacramentum, quantum ad Euchariſtiam docuit D. Th. *3. part. quæſt. 79. art. 8.* unde à fortiori idem diceret de cæteris Sacramentis, quæ minus digna ſunt: & idem docent frequentius Theologi. Et ratio eſt: nam Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: ſed qui habet habitum gratiæ, etiam ſi habeat peccatum actuale veniale, vel actualem diſtractionem mentis non ponit obicem augmento gratiæ: quia peccatum veniale actuale, vel actualis diſtractio mentis non habet formalem repugnantiam cum augmento gratiæ: ergo recipiet illud virtute Sacramenti. *Pars negativa concluſionis probatur.*

48. Sed contra hanc ſecundam partem concluſionis tenuit Caietanus, *3. p. q. 79. art. 1.* Ubi ſpecialiter de Sacramento Euchariſtiæ docuit, non ſolum propter veniale peccatum; ſed etiam propter actualem mentis diſtractionem impediri, ne augmentum gratiæ per illud conferatur. Quod ad cætera Sacramenta ampliavit Petrus Soto, *lect. 9. de Sacram. in genere, & lect. 8. de confeſſione* Fundamentum hujus ſententiæ eſt: quia videtur abſurdum, quod homo dum actu peccat venialiter, vel mente vagatur, fiat ſanctior, & juſtior, mediante Sacramento. *Sententia. Cum ſuo fundamento.*

49. Hoc tamen non obſtat: non enim eſt inconveniens, quod diverſis titulis, & actibus fiat ſimul augmentum in divina amici- *Enervatur.*

D 3 tia,

tia, & aliqua levis offenſa Dei, vel mentis diſtractio: ſiquidem hæc non habent inter ſe formalem repugnantiam.

Quid in Eucharistia impediat actualis diſtractio?

50. Bene tamen verum eſt, quòd licet actuale peccatum veniale, vel actualis diſtractio mentis non impediat, ne augmentum gratiæ per Sacramentum conferatur; impedit tamen in Euchariſtia actualem refectionem ſpiritualis dulcedinis. Quod optimè ante Caietanum docuerat Angelicus Doctor ubi proximè his verbis; *Dicendum quod peccata venialia dupliciter accipi poſſunt: uno modo prout ſunt præterita, alio modo prout ſunt actu exercita. Primò quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti: poteſt enim contingere, quod aliquis poſt multa peccata venialia commiſſa devotè accedat ad hoc Sacramentum, & plenariè hujus Sacramenti conſequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum; ſed in parte. Dictum eſt enim, quod effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis; ſed etiam quadam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis.*

4. Concluſio

51. Dicendum eſt quarto. Ut Sacramentum conferat propriam gratiam ſacramentalem, prout addit aliquid ſupra gratiam habitualem, dubio unico hujus capitis à nobis explicatum, ſufficit quod recipiens bona fide, attritus accedat: ac proinde quicumque non ponit obicem gratiæ habituali, neque etiam ponit obicem gratiæ ſacramentali, in quantum hujuſmodi eſt. Ita Ioannes Gonzalez, *ſect.* 3. dicens eſſe communem ſententiam Doctorum. Et ratio eſt: quia hujuſmodi gratia ſacramentalis correſpondet gratiæ habituali recipiendæ per Sacramentum: ergo, qui non ponit obicem gratiæ habituali recipiendæ per Sacramentum, neque etiam ponit obicem gratiæ ſacramentali.

PUNCTUM V.

Utrum Sacramenta novæ legis recedente fictione cauſent gratiam ex opere operato?

Quid ſit fictio in præſenti.

52. PRo tituli explicatione nota: quod fictio in præſenti nihil aliud eſt, quam impedimentum, aut obex ſuſcipientis reſpectu effectus Sacramenti, qui eſt gratia, quatenus licet verum ſuſceperit Sacramentum, v. g. verum Baptiſmum, & ejus characterem; tamen propter ſuam malitiam, & indiſpoſitionem non recipit effectum Sacramenti, qui eſt gratia. Tunc ergo inquiritur, quando poſtea, vel per actum contritionis, vel per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ recedit fictio, quia ſcilicet, tollitur impedimentum, vel obex gratiæ Sacramenti Baptiſmi, quod præceſſit, conſequatur ſuum effectum ſemoto impedimento: ita ut virtute illius cauſetur in ſuſcipiente ille gradus gratiæ, qui cauſandus fuiſſet, quando recepit Baptiſmum, ſi illud ſine fictione reciperet.

53. Reſpondeo dicendum: quod Baptiſmus recedente fictione ex opere operato cauſat gratiam, & remittit peccatum originale, & actualia commiſſa ante illum. Ita D. Thomas, *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *&* 3. *p. q.* 69. *art.* 10. & communiter ejus interpretes: nec non ſcholaſtici cum Magiſtro, *in* 4. *diſt.* 4. & traditur a Divo Auguſtino, *lib.* 1. *de Baptiſmo, cap.* 12. *& lib.* 3. *c.* 13. *Concluſio.*

54. Probat autem Eccleſiæ lumen Auguſtinus hanc concluſionem efficaciſſimè. Nam Baptiſmus eſt medium neceſſarium ad delendum peccatum originale: ergo cum non poſſit iterari, ſequitur, quod ſi fictè recipiatur, recedente fictione debet cauſare ſuum effectum. *Ex D. Aug. firmatur.*

55. Si dicas votum Baptiſmi ſufficere, quando non eſt copia Baptiſmi. Contra, nam votum Baptiſmi non reſpicit Baptiſmum prætentum jam re ipſa ſuſceptum; ſed Baptiſmum futurum poſtea ſuſcipiendum: ergo jam ille, qui recepit Baptiſmum, non poteſt habere votum Baptiſmi: quia votum Baptiſmi eſt deſiderium ſuſcipiendi illum: ac propterea non poterit juſtificari per Baptiſmum in voto: ergo dicendum eſt, quod juſtificatur per Baptiſmum in re, quatenus videlicet Baptiſmus in re jam ſuſceptus recedente fictione ſortitur ſuum effectum. *Evaſio præcluditur.*

56. Hanc rationem duplici via ſolvere conatur, Vazquez 3. *p. diſp.* 159. *c.* 4. Primò dicendo Baptiſmum eatenus neceſſarium eſſe ad ſalutem, quatenus ſtat divinum præceptum de illo ſuſcipiendo: ejuſmodi autem præceptum ab illo, qui fictè recepit Baptiſmum, jam eſſe adimpletum: & ideo poſtea per alia media à Chriſto Domino inſtituta poſſe juſtificari, nempe per Sacramentum Pœnitentiæ. Secundò reſpondet Baptiſmum eſſe medium neceſſarium, quia ſine illo non habet homo potentiam ad recipiendum alia Sacramenta; ille tamen, qui indignè ſuſcepit jam ratione characteris baptiſmalis habet hujuſmodi potentiam, ac proinde per alia media poterit juſtificari abſque eo, quod Baptiſmus præcedens concurrat effectivè ad cauſandam in illo gratiam. Et juxta iſtas reſponſiones conatur explicare prædictam rationem D. Auguſtini. *Duplex explicatio.*

57. Sed non rectè. Primò, quia Div. Auguſtin. expreſſè ibi affirmat, quod tunc valere incipit Baptiſmus, quando recedit fictio: ergo tunc Baptiſmus juxtà Sancti Doctoris mentem conſequitur ſuum effectum. *Impugnatur prior primo.*

58. Secundò: quia Baptiſmus in re, vel in voto eſt medium neceſſarium ad juſtificationem, ut docet Tridentinum *ſeſ.* 6. *cap.* 4. Igitur Baptiſmus non ſolùm eſt neceſſarius neceſſitate præcepti, ut intendit prima reſponſio; verùm etiam neceſſitate medii. *Refellitur. 2.*

59. Ex quo etiam evellitur ſecunda reſponſio. Nam Baptiſmus eatenus eſt neceſſarius neceſſitate medii in re, vel in voto: quia ut ibi inquit Concilium poſt Evangelium promulgatum ex divina inſtitutione nullus juſtificari poteſt, niſi per Baptiſmum in re, *Evertitur poſterior.*

vel

vel in voto: ergo non conſonat cum hac Concilii doctrina aſſerere Baptiſmum ideò neceſſarium eſſe ad primam ſalutem: quia niſi ille præcedat, non habet homo potentiam paſſivam proximam ad recipiendum alia Sacramenta.

Fulcitur concluſio ex D. Thom. Probat etiam D. Thomas 3. *q.* 69. *art.* 10. *ad* 1. eandem concluſionem alia ratione ſatis efficaci. Nam Sacramentum etiam cum fictione ſuſceptum in quantum eſt Sacramentum, opus Dei eſt, non hominis: ſed opus Dei nequit per opus hominis irritari: ergo peccatum fictionis non poteſt hoc efficere, quod recedente, & ſemoto illo impedimento Sacramentum illud non ſortiatur ſuum effectum.

Objectio prima. 61. Sed objicies primo cum Scoto, *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 5. Chriſtus inſtituens Sacramentum Baptiſmi ſolum promiſit effectum gratiæ per illud non ponentibus obicem in actuali receptione illius: ergo ſine fundamento aſſeritur, illis, qui fictè recipiunt Sacramentum Baptiſmi, dari poſtea gratiam ex opere operato per illud.

Enodatur. 62. Reſpondetur verum quidem eſſe Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum Baptiſmi, ut daret gratiam non ponentibus obicem; tamen ex eo, quod inſtituit Baptiſmum in re, vel in voto, ut medium neceſſarium ad remittendum originale peccatum, & actualia comiſſa ante ipſum, rectè colligitur, quod recedente fictione ejuſmodi peccata ex opere operato ſublato obice remittantur per Baptiſmum, quod præceſſit: quia aliàs remitterentur ejuſmodi peccata, non per Baptiſmum, aut ejus votum; ſed per aliud remedium: ac proinde Baptiſmus in re, vel in voto non eſſet medium neceſſarium ad ejuſmodi effectum.

Objectio ſecunda. 63. Objicies ſecundo cum Vazquez 3. *p. diſp.* 159. *cap.* 4. gratia juſtificans prius natura datur per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem cum ejus voto, quam poſſit Baptiſmus præcedens cauſare gratiam: cum ejus cauſalitas ſupponat ablatum impedimentum peccati fictionis: ſed gratia, quæ cauſatur per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem cum ejus voto remittit omnia peccata mortalia, nempè originale, & actualia commiſſa ante Baptiſmum: quia quælibet gratia facit hominem ſanctum, ac proinde expellit ab illo omnia peccata mortalia: igitur Baptiſmus præcedens non remittit aliquod mortale, ac proinde neque confert gratiam: quia gratia Baptiſmi remiſſiva eſt peccati originalis, & actualium, quæ commiſſa ſunt ante illum.

Solvitur. 64. Reſpondetur negando, quod in illo caſu prius Sacramentum Pœnitentiæ cauſet gratiam, quam Baptiſmus, vel prioritate in quo, vel etiam à quo, ita ut ſimul ab illo non dependeat: etenim in illo caſu, ut Baptiſmus, & Pænitentia dent ſuum effectum, ab invicem mutuo dependent: Baptiſmus quidem pendet à Pœnitentia, ut à removente prohibens; & viciſſim etiam Pœnitentia pendet à Baptiſmo: quia peccata commiſſa ante Baptiſmum, & peccatum originale non ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: unde neceſſe eſt, quod hæc per Baptiſmum remittantur: ſicut è contra illa, quæ commiſſa ſunt poſt Baptiſmum, neceſſe eſt, quod remittantur per Pœnitentiam, quia non ſunt materia circa quam Baptiſmi. Et ideò ait D. Thomas, 3. *p. q.* 69. *art.* 10. quod peccata commiſſa poſt Baptiſmum remittuntur quantum ad culpam, & reatum pœnæ æternæ; non autem quantum ad totum reatum pœnæ temporalis: illa verò, quæ commiſſa ſunt ante Baptiſmum, quia remittuntur virtute ejus, ideò remittuntur quantum ad totum, etiam reatum pœnæ temporalis. Ex quo liquet manifeſtè, quod juſtificatio illius hominis in tali caſu ſimul fit virtute utriuſque Sacramenti cum mutua dependentia unius ab alio. Quare licet verum ſit, quod quælibet gratia, aut gradus ejus infuſus animæ remittat omnia peccata mortalia; tamen in præſenti caſu non eſt concedendum, quod gratia infundatur dependenter ſolum ab unico Sacramento; ſed ſimul à duobus cum mutua dependentia. Pro cujus luce adverte; quod gratia remiſſiva peccati mortalis non datur in nova lege, niſi per Sacramentum Baptiſmi in re, vel in voto ſuſceptum, ſi peccatum fiat ante Baptiſmum; vel per Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto ſi peccatum fiat poſt Baptiſmum. Quarè cum in præſenti caſu ad juſtificationem illius hominis delenda ſint peccata mortalia antecedentia, & ſubſequentia Baptiſmum, inde eſt, quod gratia juſtificans infundenda tali homini, pendens ſit ab utroque Sacramento, & ita ſimul concurrunt ad illam.

Objectio tertia. 65. Objicies tertio cum eodem Vazquez non eſſe minoris efficaciæ actum contritionis tempore legis gratiæ, quam fuerat antiquitus: ſed antiquitus ex ſe ſufficiens erat ad dimittenda peccata omnia mortalia, etiam originale: ergo etiam modo in nova lege habet eandem efficaciam ex ſe: ac proinde peccatum in iſto caſu, etiam ſi ſit originale, non remittitur virtute præcedentis Baptiſmi; ſed virtute præſentis contritionis.

Diluitur 66. Reſpondetur in nova lege contritionem ex Chriſti inſtitutione, ut remittat mortalia diſpoſitive conjunctam eſſe cum voto Sacramenti, aut Baptiſmi reſpectu peccatorum ante illum commiſſorum: vel Pœnitentiæ reſpectu illorum, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt. Unde licet non ſit minoris efficaciæ, quam antiquitus; habet tamen ex Chriſti inſtitutione novam dependentiam à Sacramento, quam antiquitus non habebat.

Quæſtio incidens, & multiplex circa illam ſententiam. 67. Reſtat examinandum: an hujuſmodi efficacia cauſandi gratiam recedente fictione competat omnibus Sacramentis novæ legis, vel ſolum aliquibus; Circa hoc diviſi ſunt Doctores: nam aliqui hoc ſolum tribuunt Baptiſmo. Ita Sotus *in* 3. *diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 8. Alii verò id etiam docent de Pænitentia: quia hæc duo Sacramenta ordinantur ad remittenda peccata mortalia, tanquam media neceſſaria in re, vel in voto. Sic Durandus *diſt.* 4. *q.* 8. Alii præterea iſtam efficaciam tribuunt

buunt

buunt omnibus, & ſolis Sacramentis imprimentibus characterem. Ita Paludanus ibidem, *q.* 5. & Sylveſter in ſum. verbo *Baptiſmus* 4. & inſinuat D. Thom. *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 3. Alii ſpecialiter denegant ſoli Euchariſtiæ. Ita Suarez *in* 3. *p. diſp.* 63. *ſect.* 8. Villalobos, *tract.* 7. *de Euchariſtia, difficult.* 32. *num. unico.* Lugo *de Sacram. in genere, diſp.* 9. *ſect.* 6. Coninchus, *q.* 62. *art. dub.* 5. Denique alii verum cenſent de omnibus Sacramentis. Ita Caietanus, *tom.* 1. *opuſcul. tractatu* 5. *q.* 5. *de confeſſione infirmi.* Ioannes Gonzalez *ubi ſupra, ſect.* 4. Cabrera *de Sacramentis*, *q.* 69. *ar.* 10. *diſp.* 4. Petrus de Soto *de inſtitutione Sacerdotum, lect.* 5. *de Baptiſmo* Aravio, *q.* 62. *dub.* 5. Diana, *p.* 3. *tract.* 4. *de Sacramentis, reſolut.* 15. noſter Philippus à SS. Trinitate *de Sacrament. in genere, diſp.* 5. *dub.* 5.

Omnes probabilitate non carent. 68. Omnes iſtæ ſententiæ probabiles ſunt; inter eas tamen, quæ nobis ſit eligenda, conſtabit ex dicendis circa quodlibet Sacramentum in proprio cujuſvis tractatu in particulari.

PUNCTUM VI.

An idem Sacramentum ſecundum ſpeciem ſemper, & in omnibus habeat æqualem gratiæ effectum?

Explicatio tituli. 69. Conſulto in titulo hujus puncti dicitur *idem Sacramentum ſecundum ſpeciem*: quia de Sacramentis, quæ ſunt diverſæ ſpeciei, certum eſt, inæqualem gratiam dari per ea, v. g. per Baptiſmum, & Euchariſtiam. Unde ſolum quæritur de Sacramentis ejuſdem ſpeciei in diverſis ſubjectis, in eodem pro temporibus diverſis.

70. Pro cujus reſolutione dicendum eſt primo. Exiſtente æquali diſpoſitione ex parte ſuſcipientis, ſemper, & in omnibus Sacramentum ejuſdem ſpeciei cauſat æqualem effectum gratiæ: ac proinde pueri per Baptiſmum ſemper ſuſcipiunt gratiam æqualem. Ita D. Thomas, 3. *p. q.* 69. *art.* 8. Sotus *in* 4. *diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 6. Suarez, *diſp.* 7. *ſect.* 5. & eſt communis inter Theologos. Probatur efficaciter ratione Angelici Doctoris. Nam exiſtente æquali virtute cauſæ, & æquali diſpoſitione ſubjecti, non eſt unde proveniat effectus inæqualis: ſed in caſu concluſionis eſt æqualis virtus cauſæ, & æqualis diſpoſitio ſubjecti: ergo non eſt, unde proveniat inæqualis effectus gratiæ. *1. Concluſio.*

71. Dicendum eſt ſecundo, Sacramenta ejuſdem ſpeciei conferre ex opere operato majorem gratiam melius diſpoſito. Hæc etiam eſt communis. Et probatur ex Tridentino, *ſeſ.* 6. *c.* 7. ubi loquens de juſtificatione, etiam de illa, quæ fit mediante Sacramento in re ſuſcepto, dicit quod unusquiſque recipit gratiam ſecundum propriam diſpoſitionem, id eſt proportionatam propriæ diſpoſitioni: ac proinde melius diſpoſito dabitur virtute Sacramenti major gratia. *2. concluſio ex Triden. oſtenditur.*

72. Ratio autem à priori eſt Dei voluntas, quæ ſuaviter omnia diſponens, ſic inſtituit. Unde ſicut in naturalibus ſubjectum melius diſpoſitum præſtantiorem effectum participat à cauſa æque applicata: ſic etiam in ſupernaturalibus, idem Sacramentum præſtantiorem effectum gratiæ confert melius diſpoſito. *Ratione probatur.*

CAPUT SEXTUM.

De Charactere, qui eſt effectus ſacramentalis.

IN HOC CAPITE SUNT PUNCTUM VNICVM, ET DVBIA SEPTEM.

P. VII. *Quænam Sacramenta imprimant characterem?*

D. 1. *Utrùm character ſit ens reale?*

D. 2. *Utrùm ſit in prædicamento relationis? An verò reducatur ad prædicamentum qualitatis?*

D. 3. *Utrùm pertineat ad tertiam ſpeciem qualitatis, ſcilicet poſſibilem qualitatẽ?*

D. 4. *An pertineat ad quartam ſpeciem qualitatis, ſcilicet figuram?*

D. 5. *Utrùm ſit in prima ſpecie qualitatis?*

D. 6. *Utrùm reductivè pertineat ad ſecundam ſpeciem qualitatis per modum potentiæ activæ, vel paſſivæ?*

D. 7. *Utrùm ſubjectetur in anima, vel in potentiis ejus ſpiritualibus?*

Vox character quid ſignificet. 1. HÆc vox *character* idem eſt apud Græcos, quod apud Latinos figura, ſeu ſignaculum impreſſum indelebiliter, qualiter pecudibus ferro candenti imprimi ſolet aliquod ſignum indelebile, per quod cognoſcantur, cujus domini ſint. Sic etiam ſolent homines ſignare ſervos ſuos figurâ indelebili in ſignum ſervitutis: ſic olim etiam milites notabantur charactere Principis impreſſo, ut diſcernerentur ab aliis; teſte Vegetio, *lib.* 1. *de re militari*, *cap.* 8. In hac ergo ſignificatione hanc vocem uſurpant Theologi ad denotandum ſignum ſpirituale, & indelebile, quò fideles ſignantur. In Baptiſmo quidem tanquam oves Chriſti pertinentes ad ejus ovile, ſcilicet Eccleſiam: in Confirmatione tanquam ejus milites deſignati, & roborati ad profitendam ſidem contrà exterius impugnantes: & in Ordine tanquam miniſtri Sacramentorum ipſius.

PUNC-

Digitized by Google

PUNCTUM UNICUM.

Quænam Sacramenta imprimant characterem?

Catholica veritas ex Conciliis probatur.

2. VEritas catholica eſt tria Sacramenta imprimere characterem, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem. Ita docent communiter Theologi, tanquam certum de fide contrà hæreticos recentiores: eſt enim diffinitum in Concilio Florentino *in decreto fidei ab* Eugenio IV. & in Tridentino, *ſeſſ. 7. can. 9.* his verbis: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima: hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Et in cap. *Majores de Baptiſmo, & ejus effectu.* Quod etiam fuiſſe perpetuam Eccleſiæ traditionem acceptam ab Apoſtolis oſtendunt rectè recentiores Theologi ex communi antiquorum Patrum conſenſu. De quo ſpecialiter videri poteſt Bellarminus, *lib. 2. de Sacramentis, cap. 18.*

Ratio & congruentia pro illa.

3. Ratio hujus veritatis à priori eſt voluntas, & inſtitutio Chriſti Domini, qui potuit hanc vim tribuere his Sacramentis. Congruentia verò optima adducitur à N. Waldenſ. *tom. 2. de Sacramentis, cap.* 110. verſus finem, Sicut enim in exercitu benè ordinato datur diſtinctio totius exercitus ab aliis, & diſtinctio equitum à peditibus; & denique Ducum à cæteris: ita quidem per characterem baptiſmalem diſtinguitur totus exercitus totius Eccleſiæ ab exercitu diaboli: per characterem Confirmationis diſtingnuntur deſtinati ad certamen ſpirituale contrà fidei perſecutores à communi populo: per characterem Ordinis diſtinguuntur Duces à reliquis, quia ordinati ad miniſtrandum Sacramenta deputantur, ut ſint Duces in populo. Hæc eruditiſſimus Waldenſis.

Quare quatuor ſacramenta characterem non imprimant:

4. Certum etiam eſt, quod alia quatuor Sacramenta, ſcilicet Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium, characterem non imprimunt. In hoc conveniunt omnes Theologi, & colligitur ex Conciliis Florentino, & Tridentino: quæ dum de tribus aliis Sacramentis dumtaxat imprimere characterem expreſsè affirmant; id de aliis quatuor tacitè negant. Maximè, quia dicunt inde illa habere, ut iterari non poſſint. Unde ſumitur à poſteriori ratio, nam hæc quatuor Sacramenta iterabilia ſunt: ergo non imprimont characterem. Congruentia verò eſt: quia hujuſmodi quatuor Sacramenta tantùm ordinantur per ſe primò in aliquod remedium peccati, ex quo habent gratiam conferre: non autem ordinantur per ſe ad recipiendom, vel tradendum aliis ea, quæ ſunt divini cultus, & ex hoc habent non imprimere characterem.

Vid. lat. N. Gabr. & Gonet. diſp. 4. art. 1.

DUBIUM I.

Utrum character ſit ens reale?

5. ET videtur quod non. Primò: quia relatio rationis, vel denominatio extrinſeca ſufficiens eſt ad deputationem, & uſum ſacrarum actionum, quemadmodum apparet in aliis titulis dignitatum, ut in Prætoratu, vel Magiſtratu, qui per ſolam relationem rationis, aut extrinſecam denominationem, quam ponunt in ſubjectis, ea ſufficienter deputant ad miniſteria talium officiorum. *1. ratio dubitandi.*

6. Secundò, quia Sacramenta ſunt formaliter in genere *ſigni ad placitum:* ac proinde in genere relationis rationis teſte D. Thom. *3. p. quæſt 60. art. 2.* ſed character eſt etiam in genere Sacramenti, ſiquidem eſt res, & Sacramentum ſimul reſpectu eorum Sacramentorum, per quæ confertur. Undè, & D. Thom. *q. 63. art. 2. ad* 4. inquit, quod character habet rationem ſigni per comparationem ad Sacrameotum ſenſibile, à quo imprimitur: ergo &c. Et ita Durand. *in 4. diſt. 4. q. 1.* docuit characterem eſſe relationem rationis. *Secunda.*

7. Sed contra quia Innocentius 3. *in cap. Maiores de Baptiſmo* dicit, quod characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem: hæc autem nequeunt de relatione rationis, vel de denominatiooe extrinſeca verificari: cum relatio rationis, & denominatio extrinſeca per actionem realem non imprimantur, ut de ſe patet: ergo, &c. *Authoritas Innoc. 3.*

8. Reſpondeo, quod character eſt entitas realis verè, & realiter exiſtens, & intrinſecè in anima inhærens. Ita Doctores contra Durandum: & probatur primò ex definitione characteris à Concilio Tridentino tradita, ſcilicet *ſignum ſpirituale, & indelebile in anima impreſſum:* relatio enim rationis aut denominatio extinſeca, nec ſunt aliquid ſpirituale, nec animæ inhærent, neque imprimuntur. *Conclusio ſuadetur 1.*

9. Secundò: quia alias non magis Sacramentum Ordinis in lege gratiæ imprimeret characterem, quam Sacerdotium in lege veteri: ſiquidem etiam ibi fiebat depotatio, & conſignatio quædam extrinſeca, ac perconſeqnens aliqua ſignificatio, & relatio rationis: & ſimili ratione non magis imprimeretur character homini, cum ordinatur, quàm calici, cum conſecratur. Quæ omnia, & ſimilia, quæ facilè inferri poſſunt, cum doctrina catholica minimè cohærent. *Probatur 2.*

10. Ad primum dicendum, quod Rex v. g. quando deputat aliquem ad Prætoratum, vel Magiſtratum, non poteſt imprimere qualitatem realem illi, ſicut imprimit Deus, quando deputat hominem ad uſum ſacrarum actionum qnemadmodum etiam eſſe gratum Deo, eſt per qnalitatem realem; non tamen eſſe gratum Regi. *1. rationi dubitandi occurritur.*

11. Ad ſecundum dicendum: quod licet Sacramentum formaliter, importet aliquid rationis, & materialiter tantum aliquid reale, ac proinde formaliter ſit in genere ſigni; *Fit ſatis ſecundæ.*

Digitized by Google

character tamen formaliter importat aliquid, quod eſt principium operationis, ut dicit D. Thomas ibidem, & ſolum connotat illam relationem rationis: unde formaliter non eſt in genere ſigni: appellatur tamen ſignum largâ quadam acceptione quia illud connotat: ſicuti ſcientia aliquando appellatur relatio, quia illam connotat.

DUBIUM II.

Utrùm character ſit in prædicamento relationis? An verò reducatur ad prædicamentum qualitatis?

Sententia Scoti, cum ſuo fundamento.

12. ET videtur, quod ſit in prædicamento relationis, non in prædicamento qualitatis. Quia totum eſſe characteris eſt ad aliud: character enim eſt ad tradenda, & recipienda Sacramenta; atque adeò eſſe illius eſt ad alterum. Et ita Scotus in 4. *diſt.* 6. *q.* 10. aſſerit characterem eſſe quidem relationem, non tamen rationis; ſed realem.

Authoritas D. Thom.

13. Sed contra, quia D. Thomas, 3. *p. q* 63. *art.* 2. aſſerit characterem eſſe qualitatem ſupernaturalem: ergo non eſt in prædicamento relationis; ſed reducitur ad prædicamentum qualitatis. Ita Doctores communiter contrà Scotum.

Concluſio, & 1. ratio pro illa.

14. Reſpondetur dicendum characterem non eſſe in prædicamento relationis, ſed qualitatis. Et probatur primò: quia character eſt terminus per ſe primò productus per propriam, & realem actionem, ut patet præcipuè quando ſolus imprimitur per Sacramentum ſinè gratia ſanctificante, vel alia qualitate: tunc enim, nec concomitanter, nec conſequenter ad aliam formam comproducitur; relatio autem realis non poteſt per ſe primo fieri per actionem: quia ad relationem non datur per ſe motus: ergo, &c.

2. Ratio.

15. Secundò: quia character eſt principium operationis excellentiſſimæ, ſcilicet conficiendi corpus Chriſti, & Sacramenta: relatio autem non eſt principium actionis, ut docet Philoſophus in illo prædicamento: ergo &c.

Tertia.

16. Tertiò: ſi character eſt relatio, neceſſario præſupponit aliquod fundamentum: ſed illud non eſt anima, neque qualitas aliqua naturalis, ſiquidem ipſe character eſt ſupernaturalis; ergo præſupponit aliquam qualitatem ſupernaturalem, in qua fundetur, & quæ ſit principium operationis ſignatæ: illa ergo qualitas erit character.

Solvitur argumentũ Scoti.

17. Ad argumentum dicendum: quod character habet ſuam entitatem abſolutam, quæ eſt qualitas inhærens animæ: dicitur nihilominus ad alterum, tanquam ad cauſam, vel tanquam ad effectum, ſicuti etiam ſcientia, & univerſi habitus, & potentiæ. Undè modus iſte relationis non eſt realis prædicamentalis; ſed tantum tranſcendentalis.

DUBIUM III.

Utrum character pertineat ad tertiam ſpeciem qualitatis, ſcilicet paſſibilem qualitatem?

Ratio dubitandi.

18. ET videtur, quod ſic: quia character eſt quoddam lumen: ſed lumen ad tertiam qualitatis ſpeciem pertinet: ergo, & character. Ita dixerunt olim aliqui, quibus noviſſimè ſubſcribit Cardinalis Lugo *de Sacramentis in genere*, *diſp.* 6. *ſect* 3. *n.* 48.

Authoritas D. Thom.

19. Sed contra eſt authoritas D. Th. *art.* 2. citato in argumento *ſed contra*, & in ſolutione *ad* 2. & Theologorum dicentium, quod ad tertiam ſpeciem qualitatis non poteſt pertinere character: quia ibi tantum reponuntur ſenſibiles qualitates.

Concluſio & ejus fundamentum.

20. Reſpondeo dicendum characterem non pertinere ad tertiam ſpeciem qualitatis. Probatur ratione Angelici Præceptoris, quam ſic format in 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. *art.* 1. *Quia ſicut probat Philoſophus in* 7. *Phyſicorum, tertia ſpecies qualitatis non eſt, niſi in ſenſibili parte: character autem à nullo ponitur in hac parte; ſed in intellectiva. Et præterea illæ qualitates ſemper habent ordinem ad aliquam tranſmutationem corporalem, vel quam inferunt, vel à qua cauſatur:* ergo ſtare non poteſt, quod character ſit in tertia ſpecie qualitatis.

Confirmatio illius.

21. Confirmatur: quia character, neque eſt paſſio, quia paſſio cito tranſit, character autem indelebilis eſt; neque paſſibilis qualitas, cum non ſit natus aliquam paſſionem ſenſus inferre; neque à paſſione aliqua innaſcatur.

Rationem dubitandi ſolvit.

22. Ad argumentum reſpondet pro nobis idem Angelicus Doctor in ſolutione ad 2. *Dicendum: quod in tertia ſpecie qualitatis non ſunt, niſi ſenſibiles paſſiones, vel ſenſibiles qualitates: character autem non eſt lumen ſenſibile; & ideò non eſt in tertia ſpecie qualitatis, ut quidam dixerunt.*

DUBIUM IV.

Utrum character pertineat ad quartam ſpeciem qualitatis, ſcilicet figuram?

Ratio dubitandi.

23. ET videtur quod ſic: quia character idem videtur eſſe, quod figura. Unde ad Hæbreos 1. ubi dicitur; *Figura ſubſtantiæ ejus*, in Græco habetur loco figuræ *character*: ſed figura eſt in quarta ſpecie qualitatis: ergo, &c. Ita ſenſit Marſilius in 4. *q.* 4. *art.* 1. aſſerens characterem eſſe qualitatem ſupernaturalem quartæ ſpeciei, quæ dicitur figura.

Authoritas D. Thom.

24. Sed contra: quia D. Thomas 5. *Metaph. text.* 16. dicit qualitates tertiæ, & quartæ ſpeciei in ſolis rebus corporalibus reperiri: ſed character eſt res ſpiritualis: ergo non reperitur in qualitate tertiæ, aut quartæ ſpeciei.

Concluſio.

35. Reſpondeo dicendum cum D. Thoma,

Digitized by Google

& probatio ſtbus, ac ſolutio ſimul rationis dubitandi. ma, & cum communi Theologorum ſententia, characterem non pertinere ad quartam ſpeciem qualitatis. Hanc aſſertionem probat optimè Angelicus Doctor *loco nuper citato in ſolutione ad* 1. ubi ſimul diſſolvit fundamentum oppoſitum, his verbis: *Dicendum, quod figura eſt quadam terminatio quantitatis, unde propriè loquendo non eſt, niſi in rebus corporeis; in ſpiritualibus autem dicitur metaphoricè, non autem ponitur aliquid in genere, vel ſpecie, niſi per id, quod de eo propriè prædicatur; non autem per id, quod de eo metaphoricè dicitur: ſicut non dicitur, quod Apoſtoli ſint in genere qualitatis, quia eis dictum eſt* Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi: & ideo character non poteſt eſſe in quarta ſpecie qualitatis, licet hoc quidam poſuerint.*

DUBIUM V.

Utrùm character ſit in prima ſpecie qualitatis?

1. ſententia 26. ET videtur, quod character ſacramentalis ſit qualitas primæ ſpeciei, ſcilicet diſpoſitio, ſeu habitus conveniens ipſi animæ, ac formaliter perficiens illam ſinè ullo ordine ad operationes: ſicut pulchritudo, vel ſanitas eſt bona corporis diſpoſitio. Ità Suarez, *diſp.* 11. *ſect.* 3. referens Alex. Alenſem, 4. *p. q.* 19. *membro* 1. *art.* 2. D. Bonaventuram, *in* 4. *diſt.* 6. *art.* 1. *q.* 1. Vazquez *diſp.* 134. *cap.* 3. Coninchum, 3. *p. q.* 63. *art.* 2. *dub. unico*; & alii.

Fundamentum illius primum. 27. Et ſuadetur generaliter. Primò: quia cùm character ſit qualitas, ut ex præcedentibus ſupponitur, & non ſit in tertia, & quarta ſpecie, ut in ſuperioribus probatum eſt, neque etiam in ſecunda, ut probabitur dubio ſequenti, conficitur eſſe in prima ſpecie; nempe habitus, & diſpoſitionis; cumque non ſit principium ullo modo operationis, ut ibidem probabitur, & ſit duplex ſpecies habitus ſeu diſpoſitionis, & alter eorum diſponat ſubjectum ſecundum ſe, nempe, ut benè ſe habeat, vel malè; non tamen ſit principium operandi: ſequitur characterem eſſe in prima ſpecie, videlicet diſpoſitionis, aut habitus ſecundum ſe.

Secundum. 28. Secundò probatur ſpecialiter de charactere Confirmationis. Quoniam hic character non ponitur ad ſimpliciter agendum, & ad ſimpliciter patiendum; ſed ad melius patiendum, & ad melius operandum: qui enim non habet Sacramentum Confirmationis, ſimpliciter poteſt recipere; ſed non convenienter characterem Ordinis. Similiter poteſt exercere omnes operationes, quas exercet confirmatus, licet non ita perfectè: ponitur enim ad firmius profitendam fidem, firmius autem idem eſt, quod melius: ergo non ponitur ad ſimpliciter; ſed ad melius operandum, quæ eſt proprietas habitus.

Authoritas. 29. Sed contrà eſt authoritas Divi Thomæ, *artic.* 2. *cit.* qui non ad primam, ſed ad ſecundam ſpeciem qualitatis, ſcilicet ad potentiam characterem reducit. Neque valet dici, Angelicum Doctorem intellexiſſe characterem eſſe potentiam improprio modo, ſcilicet moraliter: & ideò addidiſſe illum non poni propriè, & directè in ſpecie potentiæ, ſed reductivè. Nam de hac ſolutione ſic ingenuè loquitur Suarez: *Hæc verò reſponſio (ut verum fatear) mihi non ſatisfacit: nam Divus Thomas planè intendit characterem habere aliam ſpeciem, & eſſentiam, alioquin nec reſpondiſſet quæſtioni, nec etiam impugnare debuiſſet opinionem ponentium characterem in ſpecie figuræ. Quo circà nihil invenio, quod reſpondere poſſim, ita ut ſatisfaciam. Rationes enim me cogunt, ut in re non magni momenti à ſententia Divi Thomæ diſcedam, paratus ei aſſentire, cum primum earum ſolutiones invenero, quas hactenus, nec reperire, nec aſſequi potui.* Huc uſque modeſtiſſimus, & eruditiſſimus Suarez, cujus rationes dubio ſequenti adducemus, & Deo dante ſolvere conabimur.

30. Reſpondeo dicendum, characterem non eſſe in prima ſpecie qualitatis. Ità D. Thomas *loco citato*, & *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. *artic.* 3. quem ſequuntur Capreolus ibidem, *q.* 1. *art.* 3. Caietanus 3. *p. quæſt.* 63. *art.* 12. Nuñus ibidem *difficul.* 3. Araujo *art.* 6. *dub.* 2. Petrus de Ledeſma, *cap.* 5. N. Gabr. *diſp.* 5. *q.* 3. Gonet, & communiter ejus diſcipuli. Eandem tenent Heriquez, *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 4 & plures referens Leander, *tractat.* 1. *diſputat.* 3. *quæſt.* 19. *Concluſio.*

31. Probatur primò: nam omnis qualitas primæ ſpeciei poteſt intendi, etiam ſi aliquando remitti non poſſit, ut contingit in habitibus infuſis: ſed character non poteſt intendi, ſiquidem non habet cauſam, niſi Sacramentum, quo producitur, quod tamen iterari non poteſt: ergo character non eſt qualitas primæ ſpeciei. *Suadetur* 1.

32. Dices: poſſe intendi de potentia Dei abſolutâ. Sed contrà: quia omnis habitus, vel qualitas primæ ſpeciei, non ſolum per potentiam Dei abſolutam; ſed etiam ex natura ſuâ poteſt de facto intendi: ergò character, ſi ex natura ſua nequit intendi, non poteſt eſſe qualitas primæ ſpeciei, ſed ſecundæ. *Effugium præluditur.*

33. Secundò: quia character ſacerdotalis, ut conſtabit ex dicendis *dub. ſequenti*, eſt principium ſupernaturale per ſe ordinatum ad operationes ſacras conſecrandi, & abſolvendi: ergò non poteſt eſſe qualitas per modum habitus. Tum quia alioquin ſequeretur dari tale principium hominis, ut operaretur nomine proprio, & per modum cauſæ principalis illas actiones conſecrandi, & abſolvendi, quod eſt abſurdum. Sequela probatur: nam habitus, qui eſt principium ſupernaturale alicujus actionis, quando datur homini, ſemper illi datur, ut operetur nomine proprio, & per modum cauſæ principalis, ut inductivè patet in omnibus habitibus, qui ſunt principia ſupernaturalia alicujus actionis. Tum etiam: quia eo ipſo, quod character ille per ſe ordinetur ad operationes ſacras conſecrandi, & abſolvendi non poteſt eſſe diſpoſitio, vel habitus conveniens animæ, & perficiens illam ſine ullo ordine ad operationes, ut adverſarii dicunt. *2. roboratur aſſertio.*

Ad primum fundamentum. Ad primum generale fundamentum oppoſitæ ſententiæ conſtabit ex dicendis dubio ſequenti.

Secundum ſolvitur dupliciter. 34. Ad ſecundum ſpeciale reſpondetur primò ſufficere, quod character Confirmationis ponatur ad patiendum, ut ſit potentia, & non habitus: quoniam habitus nunquam ponitur ad patiendum, niſi reſpectu propriæ operationis. Secundò reſpondetur quod character Confirmationis ſimpliciter ponitur ad recipiendum modum gratiæ ſacramentalis, qui modus non poteſt recipi, niſi medio charactere. Inſuper non tantum datur character ad firmius profitendam fidem; ſed etiam datur ad profitendam eam exterius contrà inimicos ipſius, quaſi ex officio, & hoc modo non poteſt fieri à non habente characterem Confirmationis.

DUBIUM VI.

Utrum character reductivè pertineat ad ſecundam ſpeciem qualitatis per modum potentiæ activæ, vel paſſivæ?

1. ratio pro parte negativa. 35. ET videtur quod non. Primò, quia omnis potentia, quæ eſt ſecundæ ſpeciei qualitatis, eſt connaturalis, ut paſſio ſubjecto, cujus eſt potentia: & ita Ariſtoteles appellat ſecundam ſpeciem qualitatis *naturalem potentiam, vel impotentiam*: ſed character non eſt nobis connaturalis; ſiquidem eſt entitas ſupernaturalis: ergò non poteſt reduci ad ſecundam ſpeciem qualitatis per modum potentiæ.

Secunda. 36. Secundò: nam potentia pertinens ad ſecundam ſpeciem qualitatis neceſſario conſequitur ad aliquam eſſentiam, ut ejus proprietas: ſiquidem eſt virtus quædam ipſius eſſentiæ ordinata ad aliquam operationem illius, ut inductivè conſtat: ſed character ad nullam eſſentiam ſequitur neceſſariò: ergo non eſt potentia phyſica. Minor probatur: nam character non ſequitur eſſentiam naturalem animæ, cum ſit qualitas ſupernaturalis; nec ſequitur ipſam eſſentiam gratiæ, cum ſine illa poſſit eſſe; & infundi: ergo, &c.

Confirmatio illius. 37. Confirmatur: nam ſi character eſſet potentia phyſica, & realis, ſequeretur miniſtrum Sacramentorum eſſe cauſam principalem effectus ſacramentalis: conſequens eſt falſum: ergo &c. Sequela probatur: nam illa eſt cauſa principalis, quæ per potentiam ſibi inhærentem operatur: ſed juxtà ſententiam D. Thom. miniſter concurrit ad effectum Sacramenti per potentiam ſibi inhærentem; nempe characterem: ergo, &c.

Tertia. 38. Tertio ſpecialiter probatur de charactere Baptiſmi (ſupponendo tum cum D. Thoma illum eſſe potentiam paſſivam, tum etiam cum auctoribus utriuſque ſententiæ potentiam tantum moralem, & non phyſicam non conſtitui in prædicamento qualitatis.) Probatur, quod non ſit potentia phyſica paſſiva: quoniam potentia phyſica paſſiva recipit actum, ad quem ordinatur in ſe ipſa, ita ut per illum verè actuetur, & perficiatur: ſed character Baptiſmi non eſt hujuſmodi, quia non recipit Sacramenta, cum character ſubjectetur in anima; Sacramenta verò in corpore; nec recipit alios characteres: nam ſicut anima per ſe ipſam, vel per ſuas potentias eſt ſuſceptiva characteris baptiſmalis: ita etiam aliorum; ergo character Baptiſmi non eſt potentia phyſica paſſiva.

39. Quarto ſpecialiter de charactere Confirmationis, quem D. Thom. dicit quodammodo eſſe potentiam paſſivam, & quodammodo activam. Et de potentia paſſiva procedunt argumenta facta de charactere Baptiſmi. De activa verò probatur, quod non ſit phyſica: nam per Sacramentum Confirmationis confertur homini poteſtas ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contrà hoſtes fidei: ſed hujuſmodi ſunt actiones ſacræ, nempe actus fidei, charitatis, vel fortitudinis, aut religionis: qui quidem actus ſufficienter ſunt à potentiis animæ elevatis per habitus infuſos, & auxilia gratiæ: ergo ad prædictas omnes actiones nulla efficientia characteris eſt neceſſaria. *Quarta.*

40. Quinto ſpecialiter de charactere Ordinis, quod non ſit potentia activa phyſica probatur: quia non concurrit ad ſubſtantiam Sacramentorum, ut patet in characteribus ordinum minorum: imò etiam de charactere ſacerdotali idem videtur conſtare: quia omnia Sacramenta, quoad ſuam ſubſtantiam, tantum conſiſtunt in re aliqua, ſeu actione ſenſibili, vel corporali: ad omnem autem hujuſmodi actionem ſufficiunt potentiæ naturales cum concurſu Dei, v. g. ad proferendum verba ſufficit naturalis vis loquendi: & ad abluendum, & ungendum corpus, vis naturalis motiva manus, vel aquæ: ergo ad faciendum totum id, quod eſt ſubſtantiale, ſeu ſenſibile in Sacramento, non eſt neceſſaria aliqua alia potentia phyſica, quæ ſit character. *Quinta.*

41. Quod ſi dicas hujuſmodi actiones effici à charactere ſacerdotali in ratione Sacramentorum. Contrà quia illæ actiones in ratione Sacramentorum tantum addunt denominationem extrinſecam, & relationem rationis, & virtutem divinam: ſed relatio rationis non eſt phyſicè producibilis: virtus verò divina non producitur à creatura; ſed ab ipſo Deo: ergo ad nihil pertinens ad illas actiones in ratione Sacramentorum concurrit phyſicè character ſacerdotalis. *Solutio impugnatur.*

42. Nec etiam poteſt dici: quod character ſacerdotalis concurrit per modum potentiæ activæ phyſicæ ad effectus Sacramenti. Tum, quia eâ ſolum ratione influit Sacerdos in effectum Sacramenti ratione characteris, quia efficit, vel applicat ipſum Sacramentum. Tum etiam: quia character ſi eſſet potentia activa phyſica reſpectu gratiæ, quæ eſt effectus Sacramenti, eſſet utique, quia virtute divina elevaretur ad illam producendam: ſed hoc non ſufficit, ut ſit potentia activa: ſiquidem omnis creatura habet potentiam obedientialem, ut aſſumatur à Deo ad cauſandam gratiam: & tamen non propter hoc ponitur in ſpecie potentiæ, quæ eſt ſecunda ſpecies qualitatis; *Alia ſolutio, & objectio contra illam.*

tatis: ergo, &c. Et ita hanc partem negativam tenet Suarez, & alii ſuprà *n.* 26. relati.

Authoritas 43. Sed contrà: quia ut fatetur idem Suarez oppoſitum tenet D. Thomas, quam ſequuntur communiter ejus diſcipuli. Et ità ex Aug. noſtro Magiſtro traditur à noſtris Complutenſibus in Logica, *diſput.* 15. *de qualitate num.* 33. N, Philip. N. Gabr. N. Ant. &c.

Concluſio bimembris. 44. Reſpondeo dicendum ad ſecundam ſpeciem qualitatis pertinere qualitates ſupernaturales, quibus homines deputantur ad cultum Dei ſecundum ritum chriſtianæ religionis, quæ characteres appellantur. Characterem quidem Baptiſmi ad potentiam paſſivam; Confirmationis quodammodo ad paſſivam, & quodammodo ad activam, & Ordinis ad activam: ſed quia hæ ſpirituales poteſtates ſunt inſtrumentales: nam habere Sacramenti characterem competit miniſtris Dei: miniſter autem habet ſe per modum inſtrumenti: ideò non propriè ſunt in genere, vel ſpecie; ſed reducuntur ad ſecundam ſpeciem qualitatis. Ita Divus Thomas, & ejus diſcipuli *locis ſuprà citatis, num.* 30.

Prima concluſionis pars fulcitur 1. 45. Prima pars hujus concluſionis, nimirum characterem pertinere ad potentiam paſſivam vel activam, quæ eſt ſecunda ſpecies qualitatis, probatur: quia ſi character non eſſet poteſtas quædam per ſe ad operationem ordinata; ſed ſolum conveniret animæ, ac formaliter perficeret illam, ſine ullo ordine ad operationem, ut contendunt auctores oppoſitæ ſententiæ, fruſtrà pertineret ad aliqua Sacramenta, & non ad omnia: ſiquidem non reciperetur in anima tanquam potentia ad recipiendum, vel agendum, ſed ſolum tanquam ornatus quidam, aut diſpoſitio bene ſe habens in ordine ad animam: hàc enim ratione eodem modo pertinet ad omnia Sacramenta, imò potiori jure ad Sacramentum Euchariſtiæ deberet pertinere, quod præcipuè inter omnia habet reddere animam pulchram, & bene ornatam.

Firmatur 2. 46. Secundò: quia certum eſt, quod, qui non habet characterem Baptiſmi, non eſt potens ſuſcipere alia Sacramenta; & qui non habet characterem Sacerdotis non eſt potens conſecrare Euchariſtiam, aut à peccatis abſolvere: ergo negari non poteſt, quod character eſt potentia activa, vel paſſiva; ſiquidem per illum redditur homo potens ad recipiendum, vel ad agendum.

Solutio. 47. Reſpondent auctores oppoſitæ ſententiæ, hæc argumenta convincere, quod character ſit aliquo modo potentia activa, vel paſſiva; non quidem phyſica; ſed ſolum moralis: undè phyſicè, & realiter loquendo eſt qualitas primæ ſpeciei, & ſolum per quandam deputationem extrinſecam eſt potentia quædam moralis.

Impugnatur 1. 48. Sed contrà: quia in primis negari nequit, quod potuerit Deus de potentia abſoluta producere talem qualitatem, quæ eſſet potentia phyſica paſſiva, vel activa Sacramentorum, cum nulla poſſit contradictionis implicatio in eo aſſignari, ut verum eſt, & conſtabit ex ſolutione argumentorum, quæ ab adverſariis fiunt: ſed character de facto habet eandem naturam, quam haberet illa potentia phyſica, quæ eſt producibilis à Deo: Vel dicant nobis oppoſitæ ſententiæ auctores, quid haberet illa qualitas, quod de facto non inveniatur in charactere, & cum hoc non poſſit ab illis cum fundamento aſſignari, relinquere deberent modum dicendi, quem defendunt, & ſententiæ Angelici Præceptoris adhærere.

49. Deinde impugnatur eadem ſolutio: *Secundò.* quia characteri Baptiſmi verè competit, quod ſit potentia phyſica receptiva, & non ſolum moralis. Tum quia ſecundum ordinem gratiæ, & potentiam ordinariam Dei alii characteres non recipiuntur in intellectu, niſi medio charactere Baptiſmi, licet Deus ſuâ potentiâ abſolutâ oppoſitum poſſit facere, & ſic character Baptiſmi eſt talis entitas, quod ſibi debetur pati, & alios characteres ſuſcipere, quod non niſi phyſicè, & reali potentiæ paſſivæ poteſt competere. Tum etiam: quia character Baptiſmi verè, & phyſicè reddit hominem receptivum aliorum Sacramentorum, quorum ſine tali charactere non eſſet verè, & phyſicè receptivus: ergo eſt poteſtas realis, & phyſica ad alia Sacramenta recipienda.

50. Dices: hoc poſterius in charactere ſolum eſſe denominationem quandam extrinſecam, ens rationis, vel quid morale, idque colligi, ex eo quod Sacramenta non recipiuntur in charactere; ſed immediatè ſubjectantur in corpore. *Evaſio.*

51. Sed contrà: quia ſi hæc eſſet bona illatio, bene etiam inferretur eſſe ſolum denominationem extrinſecam, ens rationis, vel quid morale in ipſamet anima, hoc, quod eſt reddere hominem verè, & phyſicè ſuſceptivum potentiæ ſenſitivæ, vel quantitatis (quod eſt apertè falſum:) quandoquidem nec potentia ſenſitiva, nec quantitas recipiuntur in anima; ſed immediatè recipiuntur in corpore. *Rejicitur.*

52. Dices cum Suarez: nihil phyſicum eſſe in Matrimonio, quod eſt Sacramentum, quod non ſit etiam in Matrimonio infidelium, ac proindè non videri neceſſariam novam potentiam phyſicam ad recipiendum prædictum Sacramentum. *Effugium.*

53. Sed contrà: quia Sacramentum Matrimonii verè eſt productivum gratiæ ſacramentalis, quod non habet Matrimonium infidelium, & per conſequens tale Sacramentum aliquid reale importat, quod non reperitur in Matrimonio infidelium, ad quod nova potentia paſſiva requiritur ex parte ſuſcipientis, nempe character baptiſmalis, ſine quo Matrimonium nullo modo haberet rationem Sacramenti; ſed ſolummodo rationem contractus. *Evertitur.*

54. Præterea impugnatur ſuperior ſolutio: quia character ſacerdotalis vere eſt potentia phyſica activa, qua Sacerdos conficiens Sacramentum, non tantum producit actionem materialem conſecrandi, vel abſolvendi; ſed etiam producit in illa virtutem, & motionem ſupernaturalem: quia licet talis virtus, & motio ſpecialiter producatur à Deo; tamen Deus ipſe aſſumit hominem ſimul cum charactere ad illam producendam, & ex utraque virtute, ſcilicet ex motione, & virtute ſpirituali, quæ eſt in verbo, & ex charactere exi- *Superior ſolutio evellitur amplius.*

exiſtente in anima Sacerdotis abſolventis, vel conſecrantis, coaleſcit integra virtus ſacramentalis productiva gratiæ, ſicut ex virtute inſtrumentali, quæ eſt in manu, & quæ eſt in penna, actio ſcribendi perficitur, ut optimè explicat Angelicus Doctor *in 4. diſt. 8. q. a. art. 3. ad 9.* vbi ſic ait: *Quando aliquod opus perficitur pluribus inſtrumentis, virtus inſtrumentalis non eſt completè in uno; ſed completè in utroque, ſicut manu, & pennâ ſcribitur: & ſimiliter contingit in propoſito: quia virtus inſtrumentalis ad faciendam prædictam converſionem, non ſolum eſt in verbo, nec in Sacerdote; ſed in utroque complete: quia nec Sacerdos ſine verbo, nec verbum ſine Sacerdote conficere poteſt.*

55. Quod verò tam characteres Ordinum minorum, quam character Confirmationis ſint potentiæ phyſicæ, ex ſolutione argumentorum patebit.

Secunda aſſertionis pars ſuadetur.

56. Secunda pars aſſertionis, ſcilicet, quod character non ponatur directè, ſed ſolum reductivè in ſecunda ſpecie qualitatis, probatur a D. Thoma, *in art. 2.* efficaci ratione. Nam character eſt potentia quædam inſtrumentalis, & incompleta: ſicut ſupra dictum eſt de virtute, quæ eſt in Sacramentis: ergo ſicut virtus, quæ eſt in Sacramentis, non eſt per ſe in genere; ſed per reductionem, eo quod eſt inſtrumentalis, & incompleta: ita etiam character non eſt propriè in genere, vel in ſpecie; ſed reducitur ad ſecundam ſpeciem qualitatis.

Objectio.

57. Verum hæc ratio D. Thomæ non placet aliquibus recentioribus: putant enim, etiam conceſſo, quod character ſit potentia phyſica inſtrumentalis, non rectè concludi, quod ſolum per reductionem pertineat ad ſecundam ſpeciem qualitatis, idque probant ſic. Potentia ignefaciendi, nempe calor, eſt virtus inſtrumentalis ignis: & tamen per ſe collocatur in ſecunda ſpecie qualitatis: ergo ex hoc, quod character ſit potentia inſtrumentalis, non rectè concluditur à D. Thom. quod ſolum reductive pertineat ad ſecundam ſpeciem qualitatis.

Diluitur.

58. Reſpondetur negando conſequentiam: nam calor non eſt virtus purè inſtrumentalis, ſicut character; ſed participat aliquem modum cauſæ principalis, ratione cujus perfectionis per ſe, & directè collocatur in prædicamento qualitatis; non autem character cum ſit virtus purè inſtrumentalis, & incompleta. Conſiſtit autem prædictus modus in duobus: primum eſt, quod licet calor non aſſimilet ſibi ignem productum, quod eſt proprium inſtrumenti; aſſimilat tamen illum cauſæ principali, in qua eſt inhæſivè, & à cujus eſſentia dimanat. Secundum eſt, quod licet prædicta potentia ſit virtus inſtrumentalis reſpectu actus ignefaciendi; eſt tamen cauſa principalis reſpectu alterationis: utrumque autem magnam importat perfectionem in ratione potentiæ, & propterea directè collocatur in ſecunda ſpecie qualitatis. Hoc autem nullo modo in charactere reperitur; ſed ſuos effectus ſupernaturales purè inſtrumentaliter producit, ſiquidem neque eſt ſubjectivè in cauſa principali, cui effectus aſſimilatur; ſed in miniſtro, cui ſolum miniſterialiter, & ſecundum quid reſpondet effectus: nec producit aliquem effectum ex illis; cujus ſit cauſa principalis: unde manifeſtè deducitur eſſe virtutem quandam purè inſtrumentalem, & per conſequens ſolum reductivè pertinere ad ſecundam ſpeciem qualitatis, ſicut virtus, quæ eſt in Sacramentis, ut profundè docuit Div. Thom.

59. Adde ex eodem Ang. Doctore loco à nobis ſuprà *num. 54. relato*, characterem etiam in linea inſtrumenti eſſe aliquid partiale, & incompletum: etenim character Sacerdotis concurrit ad conſecrationem partialiter, nempe ſimul cum virtute inſtrumentaria tranſeunte, quæ eſt in verbis conſecrationis: & idem dicendum eſt de concurſu ad effectum remiſſionis peccatorum: concurrit enim ad illum ſimul cum virtute inſtrumentali, quæ eſt in verbis abſolutionis.

Objectio.

60. Dices: ſi virtus integrè cauſativa ſacramentalis effectus partim infunditur animæ, & partim verbis, quare oportet, quod illa, quæ ponitur in anima, ſit permanens, & non ſufficit, quod ſit fluens, ſicut quæ eſt in verbis?

Solutio.

61. Reſpondetur: quod ideò virtus, quam ponimus in verbis, eſt tranſiens, & non permanens: quia non eſt niſi ad unum effectum determinatum, ac proinde habito tali effectu ſtatim ceſſat; virtus autem miniſtri, nempe character, eſt ad plures effectus, & ideò eſt permanens, & non tranſiens. Diſcrimen hoc, ipſiuſque radicem tradit idem Sanctus Præceptor *loco num. 54. relato*, ubi poſt verba ibi citata, ſubdit immediatè: *Et quia Sacerdos ſimilior eſt agenti principali, quam verbum, quia gerit ejus figuram: ideò ſimpliciter loquendo ſua virtus inſtrumentalis eſt major, & dignior: unde & permanet, & ad multos effectus hujuſmodi ſe habet; virtus autem verbi tranſit, & ad ſemel tantum eſt; ſed ſecundum quid eſt potior virtus verbi, in quantum effectus propinquior, quaſi ſignum ipſius: ſicut etiam penna eſt propinquior ſcripturæ, ſed manus ſcribentis.*

Prima ratio in oppoſitum enervatur.

62. Reſtat reſpondere ad argumenta initio dubii facta; quæ militant contra primam partem noſtræ aſſertionis.

Ad primum neganda eſt major: ſolum enim verificatur univerſaliter illa propoſitio in potentiis naturalibus, ut probat ratio ibi facta: Ariſtot. enim ſolum cognovit naturales potentias; character verò eſt potentia ſupernaturalis, & idcircò, licet quantum ad multa, præcipuè quantum ad eſſentialia, habeat modum potentiæ; non tamen quantum ad hoc, quod eſt eſſe naturalem alicui ſubjecto. Neque ex hoc ſequitur, quod non ſit verè, & propriè potentia: quia non eſt iſta ratio eſſentialis potentiæ: ſed ſolum quidam modus, & conditio potentiæ naturalis.

Secunda diſſolvitur.

63. Ad ſecundum reſpondetur illas potentias, quæ non ſunt purè inſtrumentales, & collocantur per ſe, & directè in prædicamento qualitatis, neceſſariò ſequi ad aliquam eſſentiam in ſubjecto, in quo ſunt: illas verò, quæ ſolum reductivè pertinent ad tale prædicamentum, nempè ad ſecundam ſpeciem illius, & ſunt merè inſtrumentales, non neceſſariò conſequi eſſentiam ſubjecti; ſed potius eſſe quaſdam incompletas participationes virtutis completæ exiſtentis in cauſa principali.

64. Ad

Confirmatio diluitur. 64. Ad confirmationem dicendum miniſtrum non operari per characterem tanquam per potentiam perfectam, & dimanantem ab ejus eſſentia, ſed per potentiam incompletam, & participatam à Deo. Unde nulla ratione ſequitur, quod miniſter per hujuſmodi potentiam operetur, ut cauſa principalis.

Tertiæ rationi occurritur. 65. Ad tertium reſpondetur characterem Baptiſmi eſſe potentiam phyſicam paſſivam: tum quia in ſe recipit alios characteres, qui ſupponunt in anima characterem Baptiſmi, eumque perficiunt: tum etiam, quia reddit ſubjectum proximè receptivum aliorum Sacramentorum, ita ut ſine charactere Baptiſmi illa non poſſet recipere: & licet alia Sacramenta recipiantur in corpore; recipiuntur tamen cum virtute phyſica immutativâ animæ. Quare neceſſarium eſt hujuſmodi potentiam paſſivam, quæ eſt character Baptiſmi, in anima exiſtere.

Ad quartam reſpondetur. 66. Ad quartum patet ex dictis ſupra *num.* 34. characterem Confirmationis eſſe quodammodo potentiam paſſivam; eſſe verò potentiam activam ad proteſtandam fidem exterius contra illam impugnantes, quaſi ex officio. Undè licet non confirmatus poſſit aliquando fidem profiteri coram exterius impugnantibus; confirmatus tamen hoc munus exercet tanquam miniſter ex officio ad illud deputatus: ac proindè peculiari quodam modo, qui non competit homini non habenti characterem Confirmationis, reſpectu cujuſmodi tantùm eſt in homine virtus inſtrumentalis, licet ad ipſam actionem vitalem quantum ad ſubſtantiam concurrat principaliter cum habitu Fidei, Religionis, Charitatis, vel Fortitudinis.

Quintæ ſit ſatis. 67. Ad quintum dicendum per characteres ordinum minorum conferri potentiam phyſicam activam ad exercendos quoſdam actus ſacri miniſterii cum peculiari modo, ſcilicet ex officio, iſto autem modo neceſſario procedunt à charactere Ordinis: ſicut de externa proteſtatione fidei nuper dicebamus collatâ cum charactere Confirmationis.

D. Thom. 68. Loquendo verò de charactere ſacerdotali dicendum eſt eſſe potentiam phyſicam activam ſimpliciter neceſſariam ad conſecrandum, & ad abſolvendum à peccatis, ſumptis his actionibus in ratione Sacramentorum Et ad impugnationem patet ex dictis ſuprà *num.* 54 ubi ex D. Thom. viſum eſt virtutem divinam, quæ eſt in verbis conſecrationis, produci non ſolum à Deo, ſed etiam à charactere ſacerdotali, qui quidem character ſe habet reſpectu illius virtutis, quæ eſt in verbis, ſicut ſe habet virtus, quæ eſt in manu reſpectu virtutis, quæ eſt in penna, & ex utraque illa virtute coaleſcit integra virtus inſtrumentalis.

Impugnatio quædam adducta enodatur. 69. Ad impugnationem autem, *num.* 42. allatam, negandum eſt, quod miniſter, qui concurrit per characterem, cauſet in anima effectum gratiæ, eâ ſolum ratione, quâ applicat Sacramentum, non autem per ipſum characterem. Etenim ut rectè Capreolus, *in 4. diſt. 4. q. 1. art.* 3. non ſolum concurrit immediate ad illum effectum virtus ſpiritualis, quæ eſt in Sacramento, ſed etiam character exiſtens in anima Sacerdotis abſolventis, vel conſecrantis; imò ut ſupra ex D. Thoma retulimus, ex utraque virtute coaleſcit integra virtus inſtrumentalis productiva gratiæ.

Additioni illius ſit obviam. 70. Ad id verò, quod ibidem additur, reſpondetur, quod elevatur Sacerdos ad producendam gratiam medio charactere tanquam media potentia inſtrumentaria, quod eſt magis ſecundum ordinem gratiæ. Neque ex hoc ſequitur, quod omnis creatura ſit in ſpecie potentiæ, propterea quod poteſt elevari à Deo ad cauſandam inſtrumentaliter gratiam: quia non ſibi debetur, quod elevetur, ſicuti debetur characteri: eſt enim character Sacerdotis, ut bene inquit Nuñus, *3. p. q. 63. art. 2. difficultate 3.* ſicut inſtrumentum, quod ex natura ſui habet, quod elevetur ad productionem effectus agentis principalis, ut calor reſpectu ignis, & calamus reſpectu litteræ.

DUBIUM VII.

Utrum character ſubjectetur in anima, vel in aliqua ex potentiis ejus ſpiritualibus, & in qua?

Supponitur aliquid, & aliud in dubium vocatur. 71. SUpponit titulus characterem non recipi in corpore, aut in aliqua potentia corporea: nam ſacra Concilia Florentinum, & Tridentinum expreſsè diffiniunt, quod recipitur in anima, ſeu quod imprimitur animæ, in quibus verbis anima ſumitur, prout diſtinguitur à corpore. Similiter diffiniunt, quod character eſt indelebilis; quod ſtare non poſſet, ſi in exterioribus potentiis reciperetur, cum iſtæ unà cum corpore corrumpantur. Hoc ergo ſuppoſito, cum in anima reperiantur duæ potentiæ ſpirituales, ſcilicet intellectus, & voluntas, inter ſe, & ab ipſa anima realiter diſtinctæ, quæritur an immediatum ſubjectum characteris ſit anima ipſa ſecundum ſuam ſubſtantiam præcisè, vel aliqua potentia ex his, & quænam hæc ſit?

Quod anima ſit immediatum characteris ſubjectum probatur 1. 72. Et videtur, quod ſubjectū characteris ſit ipſa ſubſtantia animæ immediate. Primò: quia quando aliquid imprimitur alicui, ut ſit ſignum, quo ab aliis diſtinguatur, & ad certum munus deſtinetur, debet imprimi in ea parte, quæ ſit notior & aptior ad notificandam illam rem, & diſtinctionem ejus: ſed anima eſt ſecundum ſe notior potentiis: ergo in eſſentia animæ collocari oportet characterem.

Secundo. 73. Secundò: quia character Baptiſmi non eſt principium operandi, ſed potius recipiendi: ergo non eſt cur debeat poni in potentia, & non immediatè in ipſa anima.

Tertio. 74. Tertiò: quia potentia animæ non videtur eſſe ſubjectum alicujus, niſi habitus, vel diſpoſitionis: ſed character, ut dictum eſt, non eſt habitus, vel diſpoſitio, ſed magis potentia, cujus ſubjectum non eſt, niſi eſſentia animæ: ergo videtur, quod character non ſit ſicut in ſubjecto in potentia animæ, ſed magis in eſſentia ipſius.

Quarto. 75. Quartò: quia character Confirmationis, vel Ordinis non eſt principium alicujus

actus

Digitized by Google

actus intellectus, vel voluntatis: ergo non eſt conſtituendus in intellectu, aut voluntate; ſed ſolùm in eſſentia animæ.

Quinto. 76. Quintò: quia ſecundum Concilia character imprimitur in anima: ita enim loquuntur Florentinum, & Tridentinum: ergo non eſt in intellectu, aut voluntate; & ita eum recipi immediatè in ipſa eſſentia animæ, tenent Bellarminus, *lib. 2. de Sacram. cap.* 19. *concluſ.* 4. Saurez, *diſput.* 11. *ſect.* 4. Vazquez, & alii, quos refert, & ſequitur Lugo, *diſp.* 6. *num.* 55. Bonacina, *diſp.* 1. *q.* 6. *puncto* 2. *num.* 2. & alii.

Quod intellectus non ſit immediatum ſubjectum, probant alii. 77. Ex alio capite videtur, quod ſubjectum characteris non ſit intellectus, ut tenent Scotus, *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 11. Villalobos *tract.* 4. *difficult.* 9. & alii exiſtimantes immediatè recipi in ſola voluntate. Idque probant: quia character baptiſmalis eſt ſignum obligationis ad ſervandam legem Chriſti Domini: obligatio autem ad legem pertinet ad voluntatem: ergo ſaltem character Baptiſmi debet in voluntate immediatè ſubjectari.

Authoritas D. Dionyſ. 78. Sed contrà: quia D. Dionyſius ſecundo capite eccleſiaſticæ Hierarchiæ docet characterem eſſe lumen divinum illuminans nos, & configurans Chriſto: lumen autem, & configuratio ſpiritualis ad intellectum pertinet: ergo potentia intellectiva eſt characteris ſubjectum.

Concluſio. 79. Reſpondeo dicendum characterem ſubjectari in intellectu, non verò immediatè, & proximè in eſſentia animæ, neque in voluntate. Ita D. Thom. 3. *part. quæſt.* 63. *art.* 4. *ad* 3. ubi ſic ait: *Dicendum, quod ſicut dictum eſt, character ordinatur ad ea, quæ ſunt divini cultus, qui quidem eſt quædam fidei proteſtatio per exteriora ſigna: & ideò oportet, quod character ſit in cognoſcitiva potentia animæ, in qua eſt fides.* Idem docet Ang. Doctor, *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 1. quem ſequuntur communiter ejus diſcipuli, Capreolus, Sotus, Cajetanus, quos refert, & ſequitur Araujo, *dub.* 3. Ledeſma, *cap.* 5. *concluſ.* 3. Nuñus *difficultate* 1. N. Philippus *diſp.* 6. *dub.* 4. N. Gabr. *quæſt.* 4. N. Ant. Gonet. *art.* 3. Sylvius *artic.* 4. Idem etiam tenent Henriquez *lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 3. Ricardus, Valentia, & alii, quos citat, & ſequitur Granados, *diſp.* 5. *num.* 9. & plures alios referens Leander, *diſp.* 3. *q.* 20.

Ratio prioris partis. 80. Et quod character non ſubjectetur immediatè in anima probatur: quoniam, ut ex dictis dubio præcedenti habemus, character per ſe ordinatur ad operationem conſiſtentem in traditione, vel receptione divinorum: ergo non debet ſubjectari immediatè in eſſentia animæ, ſiquidem hæc non eſt principium proximum operationis; ſed in aliqua ipſius animæ potentia, quæ determinata per characterem concurrit immediatè ad actiones ſacras, quibus traduntur, vel recipiuntur divina.

Ratio poſterioris. 81. Quod verò non debeat ſubjectari in voluntate, ſed in intellectu probatur: quia character, qui eſt potentia activa, nimirùm Confirmationis, & Ordinis, eſt quædam potentia executiva inſtrumentalis dirigens potentias externas in ordine ad operationes, quæ ſunt divini cultus, habenſque hujuſmodi perfectionem participatam à potentia executiva Dei: ergo ſicuti potentia executiva Dei pertinet in recto ad intellectum practicum, & non ad voluntatem Dei, ut ex D. Thoma tradunt noſtri Salmanticenſes, *tom.* 1. *tractat.* 3. *diſp.* 5. *à n.* 43. & deinceps: ita etiam character Confirmationis: & Ordinis ad intellectum practicum, & non ad voluntatem creatam pertinet. Et ſicut munus potentiæ executivæ Dei exiſtentis in intellectu practico Dei, eſt exequi efficaciter opus externum: ita etiam hujuſmodi characteris munus eſt dirigere, & ordinare operationes ſacras externas, & hoc quidem præſtat elevando intellectum practicum, ſimulque cum illo ad prædictam directionem concurrendo, in quo ſenſu vocatur lumen à D. Dionyſio ubi ſupra: quia videlicet eſt principium directionis practici intellectus, ut ſcilicet veram operationem divini cultus efficiat.

82. Quod verò character Baptiſmi, qui eſt potentia paſſiva in intellectu, & non in voluntate debeat recipi, ex nuper dictis, & ex his, quæ dubio præcedenti tradidimus, facilè ſuadetur. Nam character Baptiſmi eſt potentia phyſicè paſſiva reſpectu aliorum characterum, ſine qua iſti in ſubjecto non recipiuntur: ergo ſi alii characteres, Confirmationis nimirùm, & Ordinis, in intellectu, & non in voluntate ſubjectantur, neceſsè eſt characterem Baptiſmi in intellectu, & non in voluntate immediatè recipi. *Etiam quoad characterem baptiſmi.*

83. Ad primum primæ ſententiæ reſpondetur negando majorem, quando licet conſtituatur in alia parte ſufficienter diſtinguet, & alioqui ratio poſtulat, ut in parte ſecundum ſe minus nota conſtituatur: non enim quia caput eſt pars notior, in ea conſtitui debent omnia ſigna, quibus milites, aut Duces diſtinguuntur ab aliis: character ergo conſtituitur in intellectu, qui eſt pars ſatis nota: quia id ſufficit ad diſtinguendum, & obſignandum hominem, cui imprimitur, & alioqui ratio poſtulat, ut in ea conſtituatur, ut viſum eſt. *Solvitur primum argumentum.*

84. Ad ſecundùm patet ex dictis ſupra *numer* 80. ubi aſſignata eſt ratio, cur character Baptiſmi, etiamſi ſit potentia paſſiva, debeat poni in intellectu. *Secundum.*

85. Ad tertium reſpondet pro nobis Ang. Doctor *loco* ſupra *citato, in ſolutione ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod eſſentia animæ eſt ſubjectum potentiæ naturalis, quæ ex principiis eſſentiæ procedit, talis autem potentia non eſt character; ſed eſt quædam ſpiritualis potentia ab extrinſeco adveniens: unde ſicut eſſentia animæ, per quam eſt naturalis vita hominis perficitur per gratiam, quâ anima ſpiritualiter vivit: ita potentia naturalis animæ perficitur per ſpiritualem potentiam, quæ eſt character. Habitus enim, & diſpoſitio pertinent ad potentiam animæ, eo quod ordinantur ad actus, quorum potentiæ ſunt principia, & eadem ratione omne, quod ad actum ordinatur, eſt potentiæ tribuendum.* *Tertium.*

86. Ad quartum reſpondetur admittendo, characterem Confirmationis, vel Ordinis non eſſe principium alicujus intellectionis, niſi ſolum regulativè, & quoad determinatum modum practicæ directionis: quia videlicet eſt principium practici intellectus, ut veram efficiat operationem divini cultus; & quamvis actiones ſacræ, ad quas ordinatur, externæ ſint; character tamen illas dirigens debet in intellectu *Quartum.*

intellectu

tellectu practico collocari, ut in ſimili clarè conſtat in arte fabricatoria domus, quæ eſt ſubjective in intellectu, licet conſtructio ipſius ſit opus externum, eo quod tale opus regulatur per exiſtentem in mente artificis.

Quintum. 87. Ad quintum dicendum ſufficere ad verificandum id, quod dicunt Concilia, quod character recipiatur in anima medio intellectu.

Evertitur fundamentum ſecundæ ſententiæ. 88. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur non debere ſemper ſignum obligationis poni in voluntate; ſed ibi ubi videri poſſit: nam etiam homo interdum voluntate ſe obligat, & vendit in ſervum; ſignum autem ſervitutis defert in facie, quod maximè habet locum in charactere Baptiſmi, qui non ſemper ſuſcipitur liberè, ut conſtat in infantibus baptizatis.

Interrogatio. 89. Sed inquires an character taliter ſit indelebilis, quod etiam poſt mortem maneat in anima ſeparata, vel manſurus ſit poſt diem judicii? *Reſponſio.* Reſpondetur affirmativè cum D. Thom. 3. *part.* q. 63. *art.* 5. præſertim *ad* 3. & ſuper Epiſtolam ad Hebræos, *lect.* 7. eſtque communis Theologorum ſententia. Et ratio eſt manifeſta: quia anima, & intellectus, in quibus recipitur character, manent poſt mortem hominis, & nihil eſt, à quo poſſit character corrumpi: manebit ergo poſt mortem, in beatis quidem ad eorum ornatum, in damnatis verò ad eorum ignominiam.

Objectio. 90. Dices ex hoc ſequi, quod anima ſeparata Sacerdotis, aut ſaltem ipſe Sacerdos poſt diem judicii poſſit conſecrare quippe, qui habet characterem ſacerdotalem, qui eſt potentia operativa hujus effectûs.

Quorundam evaſio. 91. Hoc argumento convicti nonnulli affirmant, quod poſt mortem manebit quidem character in anima; non in ratione potentiæ; ſed ſolum in ratione ornatus. Hæc tamen doctrina non eſt nobis admittenda: nam ut conſtat ex ſupradictis, ratio potentiæ eſt eſſentialis characteri.

Vera reſponſio. 92. Ad objectionem ergò reſpondetur negando ſequelam: nam anima ſeparata à corpore nequit propria verba ſenſibilia formare: ac proinde ſecundum legem ſtatutam à Deo non poteſt conſecrare, aut aliud Sacramentum conficere. Neque etiam id poterit Sacerdos poſt diem judicii: Sacramenta enim ſtatuta ſunt à Chriſto Domino, uſque ad finem ſæculi tantùm. Nec propterea dicendum eſt characterem tunc fruſtra manere, ſicut nec fruſtrà manebunt potentia generativa, & augmentativa, quia ſufficit, quod habuerint ſuos actus tempore debito: & prætereà character, ut dictum eſt, in beatis ad ornatum, in damnatis ad ignominiam pertinet, & per conſequens in illis fruſtrà non eſt.

CAPUT SEPTIMUM.

De Miniſtris Sacramentorum.

IN HOC CAPITE SVNT VNDECIM PVNCTA.

P. 1. *An miniſter Sacramenti ſit cauſa gratiæ in eo, qui ſuſcipit Sacramentum?*

P. 2. *An ſolus homo ſit Sacramentorum miniſter?*

P. 3. *Utrùm ex parte miniſtri ſit neceſſaria intentio aliqua ad ſubſtantiam, & valorem Sacramenti?*

P. 4. *Qualis debeat eſſe hæc intentio miniſtri?*

P. 5. *Utrùm Sacramentum poſſit eſſe validum per verba miniſtri in ebrietate, ſomno, aut dementia prolata?*

P. 6. *An ad valorem Sacramenti requiratur intentio Miniſtri abſoluta, vel ſufficiat conditionata?*

P. 7. *Utrum intentio miniſtri debeat verſari circa determinatam materiam?*

P. 8. *An probitas, vel fides miniſtri ſit per ſe neceſſaria ad valorem, & effectum Sacramenti?*

P. 9. *Quid requiratur, ut miniſter non peccet conferendo Sacramenta?*

P. 10. *Utrùm miniſter conficiens Sacramentum cum conſcientia peccati mortalis peccet mortaliter?*

P. 11. *An miniſter, qui non conficit Sacramentum, etiamſi ex officio miniſtret cum conſcientia peccati mortalis, excuſetur à culpa lethali?*

PUNCTUM I.

An miniſter Sacramenti ſit cauſa gratiæ in eo, qui ſuſcipit Sacramentum?

1. Concluſio. 1. Dicendum eſt miniſtrum Sacramenti eſſe cauſam gratiæ, quæ per Sacramentum confertur, non quidem cauſam principalem; ſed inſtrumentalem: idem enim modus inſtrumentalis concurſus in Sacramentis ipſis, & in miniſtris Sacramentorum intelligendus eſt, ſicut rectè Cajetan. 3. *part.* q. 64. *art.* 1. Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 1. Valentia *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *puncto* 2. notaverunt. Et colligitur ex Scriptura ſacra, ubi non minus, imò magis clarè ea inſtrumentalis vis efficiendi gratiam tribuitur miniſtris, cum Sacramenta adminiſtrant, ut patet ex illa Chriſti ſententia, Joan. cap. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; Et Matth. cap. 18. *Quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.*

Secunda. 2. Idem etiam colligitur ex forma Baptiſmi à Chriſto Domino aſſignata Math. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* hoc eſt, abluentes eos non ſolum exterius, ſed etiam interius à peccatis.

Fulcitur ex Conciliis. 3. Probatur primo auctoritate Conciliorum: nam in Conſtantienſi in Bulla Martini V. inter alia, de quibus interrogantur, qui ſuſpecti ſunt de hæreſi Wickleff hæc interrogatio

continetur: *Utrùm credant, quod malus Sacerdos cum debita materiâ formâ, & intentione faciendi, quod facit Eccleſia verè conſecret? verè baptizet? verè abſolvat? &c.* Similiter in Concilio Tridentino, *ſeſ. 14. cap. 16. & can. 9. & 10. & ſeſ. 23. cap. 1. & can. 1.* definitur Sacerdotes conferentes, & miniſtrantes Sacramenta, peccata remittere.

Ratione etiam primò. 4. Secundò probatur duplici ratione. Prima eſt, quia ſi miniſter, etiam qui non habet characterem, non concurreret inſtrumentaliter ad effectum gratiæ, non ſtaret veritas formæ Sacramentalis: *Ego te baptizo*: per hæc enim verba ſignificatur, quod miniſter abluit baptizatum à peccatorum ſordibus: formæ enim Sacramentorum novæ legis efficiunt quod ſignificant, atque adeò ita verum eſt, quod qui baptizat, abluit animam à ſordibus peccatorum.

Secundò. 5. Secunda ratio ſumpta eſt ex communi axiomate, *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*: ſed Sacramenta novæ legis ſunt cauſa gratiæ: ergo ſimiliter miniſter, cum ſit cauſa perficiens ipſummet Sacramentum, erit etiam cauſa gratiæ ab ipſo cauſatæ.

Effugium. 6. Dices hinc ſolum ſequi, miniſtrum Sacramenti concurrere ad effectum gratiæ, ut applicantem cauſam agentem, ſicut ille, qui applicat ignem ad combuſtionem; non verò ut cauſam propriè concurrentem per aliquam virtutem intrinſecam inſtrumentalem.

Præcluditur 1. 7. Sed contrà: nam in primis loquendo de miniſtro concurrente per characterem, ut de Sacerdote abſolvente, vel conſecrante, vel de Epiſcopo ordinante, vel confirmante, character ad hujuſmodi actus eſt virtus inſtrumentalis incompleta, quæ ſimul cum virtute in Sacramento exiſtente, efficienter concurrit ad effectum gratiæ producendum, ut cap. præcedenti viſum eſt.

Secundò. 8. Ulterius: nam in miniſtro etiam non concurrente per characterem actio ſacra, quæ Sacramentum eſt, per ſe pendet à miniſtro, ut ab agente, & intentio miniſtri eſſentialiter concurrit unà cum materia, & formâ ad perficiendum Sacramentum: ergo ſimiliter concurrit per ſe ad ſacramentalem effectum: ac proindè non ſolum remotè, quaſi conditio applicans cauſam agentem; ſed per ſe, ut inſtrumentum propriè concurrit, ut benè notavit Sotus in 4 *diſt. 1. q. 5. art. 1.* & etiam Nuñus *3. p. q. 64. difficult. 2. concluſ. 1.*

Explicatur. 9. Itaque ex Sacramento, & Miniſtro integratur unicum completum inſtrumentum gratiæ cauſativum, & hoc ſivè miniſter ſit conſecratus, ſivè non conſecratus (qualis eſt laicus baptizans in caſu neceſſitatis) cum duplici tamen diſcrimine. Primum eſt, quod miniſter conſecratus concurrit ex officio: miniſter verò non conſecratus, non ita. Secundum, quod miniſter operans per characterem habet virtutem inſtrumentalem permanentem, miniſter verò, qui non concurrit per characterem, non habet virtutem inſtrumentalem permanentem, ſed ſolum tranſeuntem, per quam actio, quæ eſt ab illo, elevatur non ſolum ut eſt ab inſtrumento, ſed etiam ut eſt ab ipſo miniſtro. Quocircà ſicut ex rebus, & verbis integratur unicum Sacramentum, ita ex Sacramento, & perſonâ miniſtri cum intentione debita perficitur, & integratur unicum, atque completum inſtrumentum hic, & nunc productivum gratiæ. Undè, qui nobiſcum dicunt, Sacramenta eſſe inſtrumenta phyſica, idem conſequenter loquendo, tenentur dicere de miniſtro.

10. Sed objicies: miniſtrans Sacramentum Euchariſtiæ non cauſat gratiam, quæ confertur ſuſcipienti; ſed ſolum ſe habet per modum conditionis applicantis cauſam, quod poteſt ſimiliter facere, qui non eſt miniſter, imò & infans: ergo nullus miniſter cauſat illam. *Objectio.*

11. Reſpondetur prænotando, poſſe aliquem dici miniſtrum Sacramenti dupliciter. Uno modo, quia conficit Sacramentum, & iſte cum omni proprietate vocatur miniſter. Alio modo, quia Sacramentum jam confectum porrigit alteri, & iſte dicitur etiam miniſter, largè tamen, & impropriè. Quandò ergo dicimus, quod miniſter Sacramenti cauſat inſtrumentaliter effectum gratiæ, ſolum loquimur de miniſtro priori modo ſumpto: nam ille, qui tantùm porrigit Sacramentum Euchariſtiæ, non concurrit phyſicè inſtrumentaliter ad effectum gratiæ; ſed ſolum remotè, per modum cujuſdam conditionis applicantis Sacramentum. *Solutio.*

12. Si autem loquamur de efficientia, ſeu cauſalitate morali, benè inquit Lugo, *diſp. 7. de Sacramentis, ſect. 1. num. 10.* quod poteſt in aliquo ſenſu, qui porrigit hoſtiam, dici cauſa moralis gratiæ, quam Sacramentum confert, quatenus omnis, qui cooperatur ad aliquem finem ex intentione illius finis, dici ſolet cauſa moralis illius effectus: ſic enim qui adducit confeſſarium ad ægrotum, vel Parochum, ut eum ungat, dici etiam ſolet cauſa moralis concurrens aliquo modo ad hoc, ut ſubjectum recipiat effectum illorum Sacramentorum: & in eodem ſenſu, qui tribuit Euchariſtiam, dicitur aliquo modo cauſa illius refectionis ſpiritualis, quam intendit ſubjecto communicare. Hæc autem cauſalitas, quæcumque eſt, æqualis eſt in Sacerdote, & laico porrigente hoſtiam; non tamen extenditur ad infantem, cui deeſt intentio finis requiſita ad cauſam moralem in hac ſignificatione. *Quo ſenſu miniſter Euchariſtiæ dici poſſit cauſa moralis gratiæ.*

PUNCTUM II.

Utrùm ſolus homo ſit Sacramentorum miniſter?

13. Dicendum eſt primò, ſolos homines eſſe poſſe, ex vi præſentis inſtitutionis, miniſtros Sacramentorum novæ legis. Ita D. Thom. *3. part. q. 64. art. 7.* & eſt certum apud omnes. *1. Concluſio.*

14. Probatur autem primò ex Sacramentorum inſtitutione, ex vi cujus ſolis hominibus data eſt poteſtas ea miniſtrandi: ut patet de Euchariſtia, de qua Apoſtolis dictum eſt Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et de Baptiſmo Matth. ultimo: *Baptizate omnes gentes.* De Pœnitentia, Joan. cap. 20. *Quorum remiſeritis peccata.* De Extrema Unctione Jacobi 5. *Suadetur primò.*

Inducat

Digitized by Google

Induat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum. De Ordine, & Confirmatione, in quibus miniſter regulariter debet eſſe Epiſcopus ad Hæbreos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum,* id eſt, in Sacramentis. De matrimonio deniquè, in quo contrahentes ſimul ſunt miniſtri, Matth. 19. *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Secundò. 15. Secundò probatur congroenti ratione addita a D. Thom. ubi proximè: *Tota virtus Sacramentorum à Paſſione Chriſti derivatur, quæ eſt Chriſti ſecundum quod eſt homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli; ſed potius ſecundum paſſionem dicitur modicò ab Angelis minoratus: & ideo ad homines pertinet diſpenſare Sacramenta, non autem ad Angelos.*

Confirmatur 1. 16. Poteſt confirmari primò ex eo, quod præſens Eccleſia eſt humana, & viſibilis: ergo conveniens eſt per ſolos humanos, & viſibiles miniſtros gubernari: ac proinde, quod ſoli ipſi ſint Sacramentorum miniſtri ex Chriſti inſtitutione; ſicut ſoli homines ſunt, quibus Sacramenta miniſtrantur.

Secundò. 17. Secundò: quia forma Sacramentorum Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, &c. conſiſtit in verbis prolatis per propriam locutionem: hæc autem ſolis hominibus competit: nam licet Angeli per corpora aſſumpta poſſint facere ſonum aliquem ſimilem locutioni; propriè tamen non loquuntur, ut docet D. Thomas, 1. *part. quæſt.* 5. *artic.* 3. *ad* 4. & ratio eſt manifeſta; nam propria locutio eſt actus vitalis loquentis, quo exprimitur internus conceptus: locutio verò Angeli per corpus aſſumptum, eſt motus corporis non viventis: ergo conveniens fuit, ut ſoli homines Sacramentorum miniſtri inſtituerentur.

Tertiò. 18. Tertiò: quia in Sacramentis eſt aliquid ſpirituale, & aliquid ſenſibile: ac propterea conveniens fuit, ut miniſter eorum ſit talis, qui ſenſum, & intellectum habeat, qualis eſt ſolus homo.

Corollarium. 19. Ex dictis ſequitur animam ſeparatam non poſſe de lege ordinaria eſſe Sacramentorum miniſtrum: non ſolum quia non valet propria verba formare; ſed etiam, quia reverà non eſt homo.

Quæſitum. 20. Quæres: An ſaltem de potentia abſoluta, poſſit Angelus eſſe Sacramentorum miniſter? Et eadem prorſus eſt difficultas de anima ſeparata?

Reſponſio. Huic interrogationi affirmativè reſpondet D. Thomas, *artic.* 7. *cit.* quem communiter ſequuntur Theologi. Et ratio ejus eſt: quia ſicut Deus non alligavit virtutem ſuam Sacramentis, quin poſſit ſine Sacramentis effectum Sacramenti conferre: ita etiam virtutem ſuam non alligavit Eccleſiæ miniſtris, quin etiam poſſit Angelis virtutem tribuere miniſtrandi in Sacramentis.

Corollarium ejuſdem. 21. Ex quo colligit optimè idem Angelicus Doctor ibidem, quod ſi aliquando inveniatur, Angelum bonum aliquod Sacramentum exhibuiſſe; ratum, & firmum habendum eſſe: quia cum hujuſmodi Angeli ſint nuntii veritatis, licet non habeant ordinariam poteſtatem miniſtrandi Sacramenta, deberet tamen meritò exiſtimari id juſſu Dei feciſſe: ac proinde Deum, qui eſt Sacramentorum Auctor, voluiſſe Sacramentum per Angelum miniſtratum, firmum, & ratum eſſe; ſecus eſt (ſubdit D. Thomas) ſi dæmones aliquod Sacramentale miniſterium exhiberent: nam cum ſint ſpiritus mendaces, non eſſet ratum habendum.

Secunda concluſio. 22. Dicendum eſt ſecundò, non omnes homines, etiam baptizatos, poſſe eſſe quorumcumque Sacramentorum miniſtros; ſed illos ſolum poſſe validè Sacramenta miniſtrare, qui juxtà Chriſti Domini inſtitutionem, & variam Sacramentorum eſſentiam, hanc poteſtatem acceperunt. Hoc indubitatum eſt apud omnes Catholicos: cujus ratio eſt: quia ille ſolus eſt ſufficiens, & neceſſarius cujuſcumque Sacramenti miniſter, quem Chriſtus ſua inſtitutione deſignavit: Chriſtus autem Dominus non ordinavit, nec voluit omnes homines habere æqualem poteſtatem conferendi quæcumque Sacramenta: & ita licet in Baptiſmo propter ejus neceſſitatem, quilibet homo ratione utens, poſſit eſſe miniſter, & in Matrimonio omnes fideles baptizati, qui poſſunt inter ſe matrimonium contrahere; in Euchariſtia tamen, Extrema Unctione, & Pœnitentiâ, non poteſt eſſe miniſter, qui non eſt Sacerdos: & in Confirmatione, & Ordine, ordinarius miniſter debet eſſe Epiſcopus, ut in ſingulis Sacramentis latiùs ſigillatim explicabimus.

PUNCTUM III.

Utrùm ex parte miniſtri ſit neceſſaria intentio aliqua ad ſubſtantiam, & valorem Sacramenti?

Hæreticorum error damnatur in Concilio Trident. 23. Recentiores hæretici aſſerunt, nullam intentionem eſſe ex parte miniſtri neceſſariam: atque adeo, ſivè jocosè, ſivè irriſoriè miniſtrent, dummodò verba proferant, & applicent debitam materiam, valida confici, Sacramenta. Contrà quos Doctrina Catholica definita eſt in Concil. Trident. *ſeſ.* 7. *can.* 11. his verbis: *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Et *ſeſ.* 14. *can.* 6. ubi definitur, ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſolvendi deſit, pœnitentem non manere verè abſolutum. Et in Concilio Florentino in decreto fidei ubi ſic habetur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & perſonâ miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.* Et Leo XII. eundem errorem damnaverat in Bulla contra Lutherum, cujus error duodecimus erat: *Sacramentum validum eſſe, etiamſi verba à miniſtro irriſoriè, & jocosè dicantur.*

Confutatur à D. Thom. 24. Eandem veritatem probat D. Th. 3. *p.* *q.* 64. *art.* 8. hac efficaci ratione. Nam cum aliquid indifferenter ſe habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, ut illud

Digitized by Google

efficí debeat: ſed ea, quæ in Sacramentis aguntur, indifferenter ſe habent ad multa: ablutio enim aquæ, quæ fit in Baptiſmo, poteſt ordinari, & ad munditiam, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia; ergo oportet, quod determinetur ad unum, id eſt, ad ſacramentalem effectum per intentionem abluentis.

Duplicem intentionem diſtinguit. 25. Ambroſius Catharinus in Opuſculo de Intentione miniſtri Sacramentorum, diſtinguit duplicem intentionem. Una eſt proferendi legitima verba ſuper legitimam materiam, prout Eccleſia à Chriſto Domino inſtituta, jubet: & hæc ſecundum ipſum, neceſſaria eſt ad Sacramenta, ſicut & materia, & forma. Altera eſt efficiendi illam externam cæremoniam, animo celebrandi, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia celebrat: & hanc intentionem credit non requiri. Subjicit autem in fine opuſculi opinionem ſuam Concilio, & Summo Pontifici, ut Catholicum virum decebat. Et hanc ſententiam jam abolitam, & ſepultam, noviſſimè excitare, & tueri conatus eſt Joannes Marius Scribonius Gallus in Panthalithia, ſeu ſummâ Theologiæ, *diſp. 1. de Sacram. in genere, q. 6. & 7.*

Concluſio. 26. Dicendum tamen eſt, ut verum, ac ratum ſit Sacramentum, requiri miniſtri intentionem, quâ non ſolum intendat proferre legitimam formam ſuprà debitam materiam, prout exterius fit ab Eccleſia, ſed etiam facere Sacramentum, quod Chriſtus inſtituit, vel facere id, quod eâ extremâ, ſacrâque cæremoniâ intendit Eccleſia, vel quod alii miniſtri facere ſolent, vel quid ſimile. In hac aſſertione conveniunt unanimiter Theologi, *in 4. d. 6.* quos referunt, & ſequuntur Suarez *diſp.* 13. *ſect.* 2. Vazquez *diſp.* 138. Granados *tract.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 1. Lugo *diſp.* 8. *ſect.* 2. Leander *diſp.* 4. *quæſt.* 12. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *puncto* 2 §. 3. G. Gabr. *diſp.* 7. *q.* 7. N. Franciſc. *dub.* 3.

Firmatur 1. ex Conciliis. 27. Probatur primò ex teſtimoniis Conciliorum ſuprà adductis: in illis enim requiritur ad valorem Sacramenti intentio faciendi, quod facit Eccleſia: quæ intentio non habetur ab eo, qui non intendit facere verum Sacramentum.

2. ex D. Thom. 28. Secundò probatur ratione D. Thom. ſupra *num.* 4. adducta, quæ etiam efficaciter hanc aſſertionem probat.

Tertio ratione. 29. Tertiò, quia miniſtris Sacramentorum non eſt tantùm commiſſa nuda executio talis actionis, ſicut nuntio deferenti litteras; ſed cum miniſteriali auctoritate, ac poteſtate, ſicut diſpenſatoribus myſteriorum Dei, ut habetur *1 Corinth.* 4. & judicibus de legatis, ut ex *Joan.* 20. clarè docet Concilium Tridentin. *ſeſ.* 14. *cap* 6. *& can.* 9. Atqui actio diſpenſatoris, aut judicis ſi non ex vero animo procedat, ſed ex fictione, & animo ſimulandi, nulla eſt: ergo, &c.

Reſponſio Scribo. 29. Reſpondet Scribonius dicta *quæſt.* 7. ſi judex proprius proferat exterius ſententiam abſolutionis, reum eſſe vere abſolutum, quantumcumque interius aliud intendat; dummodò exterius illam fictionem non prodat.

Rejicitur Lugo. 30. Verum hæc reſponſio, ut benè advertit Cardinalis Lugo ubi ſupra, *num.* 18. eſt contrà unanimem Theologorum ſententiam, quæ nullum actum legitimum, validum in foro conſcientiæ judicat, quando fit abſque interno conſenſu; licet in externo validum exiſtimetur. Undè quoties poſteà conſtat de fictione interna, Matrimonium, profeſſio, & contractus omnes declarantur nullius roboris, prout Summi Pontifices de facto declararunt: neque in hoc eſt controverſia aliqua apud Theologos, vel Juriſtas: neque ullus ab hac communi regula excepit ſententiam abſolutoriam, ut hæc abſque interno animo prolata, ſit etiam valida.

31. Sed objicies primò quod D. Thom. *Objectio prima.* *3. p. q. 64. art. 8. ad 2.* prædictam opinionem refert, eamque videtur oppoſitæ præferre. Nam poſtquam retulit ſententiam aſſerentem, eſſe ex parte miniſtri neceſſariam intentionem mentalem ad valorem Sacramenti, ſubdit: *Alii melius dicunt, quod miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter: in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti; niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum.* In quibus verbis clare ſignificare videtur, non neceſſariò requiri aliam intentionem mentalem, niſi adhibendi materiam, & proferendi verba, in quibus intentio Eccleſiæ continetur.

32. Secundò: quia Nicolaus Papa I. ad *Objectio ſecunda.* conſulta Bulgarorum, *titul.* 16. (habetur *tom.* 3. Conciliorum, & refertur *cap. A quodam Judæo, de conſecratione, diſt.* 4.) cum quæſitum eſſet, an Baptiſmus collatus à quodam Judæo eſſet validus? reſpondet: *Si in nomine Trinitatis baptizati ſunt, rebaptizari non debere:* ubi nullam mentionem fecit de intentione: ergo ex mente Pontificis non eſt neceſſaria.

33. Tertiò: nam res, quæ ſunt materia, & *Objectio tertia.* verba, quæ ſunt forma Sacramentorum, non pendent in ſua ſignificatione ex intentione miniſtri; ſed ſolum ex intentione Chriſti inſtituentis Sacramenta: ergo ſi miniſter exerceat actionem, quæ eſt materia Sacramenti, & proferat verba inſtituta à Chriſto Domino, ſine alia intentione mentali validum conficiet Sacramentum.

34. Ad primum deſumptum ex teſtimonio *Diſſolvitur 1.* D. Thomæ reſpondetur cum Cajetano, Soto, *De his fusè* Suarez, Nuño, Cabrera, & aliis pluribus in- *Gonet diſp.* terpretibus, verba Ang. Doctoris in prædicto *6. art. 2.* teſtimonio ſumi debere, ut relata ad argumentum, ad quod ibi reſpondet: erat enim argumentum ad probandum non requiri mentalem intentionem miniſtri: eò quod aliàs ſequeretur, quod accedentes ad Sacramentum, v. g. Baptiſmi, non manerent in conſcientia tuti, & per conſequens manerent cum magna anxietate, & formidine ſuæ ſalvationis, ſiquidem eis conſtare non poteſt de tali intentione miniſtri. Quocircà aliud eſt loqui de intentione miniſtri, quæ per ſe requiritur, ut Sacramentum ſit validum; aliud de intentione, quæ exigitur, ut ſuſcipiens Sacramentum, non ſit anxius, ſed quietus, atque in conſcientia pacatus, credent ſe verum Sacramentum ſuſcepiſſe. Quandò ergo dixit D. Thomas citata verba, intelligenda ſunt præcisè juxta difficultatem argu-

Google

argumenti, videlicet, quantum ad hoc, quod accedentes ad Sacramentum, ſuæ obligationi ſatisfecerint, quam habent recipiendi Baptiſmum, & ita maneant tuti in conſcientia. Non tamen locutus eſt Ang. Doctor ibi de requiſito ad valorem Sacramenti: nam de hoc expreſsè docet in ultimo ejuſdem quæſtionis articulo, ſcilicet 10. quod ſi miniſter non intendat Sacramentum conferre, talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti. Undè ſtylo ſuo formaliſſimo optimè exponit Cajetanus verba illa Præceptoris Angelici: *In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti.* Reſpondens, quod *non intendit auctor, quod qui ſufficiant ad perfectionem Sacramenti ſimpliciter; ſed ad perfectionem ejus ſecundum humanam certitudinem: per hoc enim evitatur inconveniens, quod quilibet incertus poſſit dici de ſuſceptis Sacramentis.*

Secunda diluitur.

35. Ad ſecundum reſpondetur facile, argumentum eſſe negativum: ex eo enim, quod Pontifex materiam, & formam expreſſit, & non meminit intentionis, non rectè inferetur, quod indicaverit non eſſe neceſſariam; ſed potius dicendum, eam non expreſſiſſe, quia quæſtio non fuerat ei propoſita de intentione, ſed de miniſtro infideli.

Tertia enodatur.

36. Ad tertium reſpondetur negando antecedens: Sacramenta enim non habent ſignificationem ſuam ſacramentalem, niſi dependentem ex intentione miniſtri: quia Chriſtus non inſtituit in ſigno ſacramentali ſolam actionem externam cum verbis ſecundum ſe; ſed ut factam ex intentione miniſtri, ut ſuprà probatum eſt.

37. Alias plures veteres, novaſque rationes, & argumenta contra eandem noſtram, & communem Doctorum aſſertionem congeſſit Scribonius ubi ſupra: quæ adducit, & diſſoluit Card. Lugo, *diſp.* 3 ſic concludens: *Hæc argumenta illius auctoris referre volui, non quia apud doctos indigerent ſolutione; ſed ne aliquis multitudine argumentorum obrutus, exiſtimaret non induci iterum in ſcholam ſinè magno fundamento doctrinam illam jam omnibus Theologis omninò excluſam, & derelictam.*

PUNCTUM IV.

Qualis debeat eſſe hæc intentio miniſtri.

Intentio actualis formalis.

38. INtentio Miniſtri poteſt eſſe in triplici differentia. Prima vocatur *actualis formalis*: & eſt illa, qua miniſter actu, & formaliter vult id facere, quod facit Chriſtus, & Eccleſia, aut alii miniſtri facere ſolent.

Intentio virtualis primo modo contingens.

39. Secunda dicitur *actualis virtualis*: & hæc quoad valorem Sacramenti duobus modis contingit. Primò quando intentio actualis formalis non eſt interrupta per actum contrarium; ſed ordinatè dirigit actus conſequentes, manetque virtualiter in aliquo medio ab illa ordinato in conſecutionem finis intenti: qua ratione intentio finis manet virtualiter in electione mediorum. Quod ſolet hoc exemplo declarari: cum quis domi, v. g. habuit expreſſam voluntatem conſecrandi, & eo fine domo exit, ſacriſtiam ingreditur, veſtes ſacras induit, ſacrificium offert, & tandem profert verba conſecrationis: licet iſte non recordetur prioris intentionis, verè in virtute illius conficit Sacramentum: quia virtualiter perſeveravit illa prior voluntas, cum ratione illius facta ſint ea, quæ ad conſecrationem ordinantur: & hic modus virtualis intentionis, ab omnibus admittitur.

Secundo modo.

40. Secundò modo contingit, ut explicant noſtri Salmantic. *tom.* 3. *tract.* 11. *diſp.* 4. *n.* 41. quandò ſcilicet, tametſi prima intentio formalis interrumpatur, repetitur ſaltem in communi, & in confuſo, & ab ea ſic repetita ſequentes actus imperantur, modo numero præcedenti explicato. Et hæc intentio dicitur virtualis comparatione primæ intentionis formalis expreſſæ, non quia illa formalis, & expreſſa, quæ jam fuerat interrupta, phyſicè tunc ad Sacramentum concurrat; ſed quia ſe habet per modum objecti reſpectu illius repetitionis.

Intentio habitualis.

41. Tertia denique intentio miniſtri dicitur merè *habitualis*: & eſt illa, quæ aliquando fuit actualis, & poſteà nullo modo manet in ſe, aut in effectu ſuo, nec ſaltem in communi, & in confuſo repetitur: unde & in dormiente, quando de re nihil cogitat, ſalvatur.

Bimembris concluſio & probatio 1. partis.

42. His ſuppoſitis, dicendum eſt ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſariam in miniſtro actualem intentionem formalem, ſed ſufficere virtualem ſuprà explicatam: habitualem verò eſſe inſufficientem. Concluſio hæc habet tres partes. Prima eſt communis Theologorum cum D. Thoma, 3. *p. q.* 64. *art.* 8. *ad* 3. & probatur ratione Angelici Doctoris. Quia non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate, dum actu conficit Sacramentum, actualiter attendere, qualiter requiritur ad actualem intentionem formalem; ſed valdè humanum eſt aliò diverti, etiam inadvertenter, ſecundùm illud Pſ. 139. *Cor meum dereliquit me.* ergo requiri ad valorem Sacramenti actualem intentionem formalem, eſſet diligentiam pluſquam humanam exigere: quod de pietate Chriſti ſentiendum non eſt.

Admonitio D. Thom.

43. Admonet tamen D Thomas in illa ſolutione *ad* 3. diligenter curandum eſſe, ut habeatur intentio actualis: quod in actu exercito intelligendum eſt, non autem in actu ſignato, ut rectè advertit Cajetanus: hoc eſt, ſtudere debet miniſter, ut non tam formaliter, & expreſsè dicat ore, vel mente: ego intendo Sacramentum conficere: quam ut attendat ad tantum negotium, quod tunc peragitur, v. g. ad prolationem diſtinctam formæ, ad reverentem contractionem materiæ, ad ineffabilem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, aut divinæ gratiæ in aliis Sacramentis: & hoc eſt actualiter habere intentionem in actu exercito. Quod monet D. Th. & eſt optimum conſilium, non tamen ſimpliciter neceſſarium ad valorem Sacramenti, ut dictum eſt; ſed ſolum pertinet ad quandam decentiam, & reverentiam illius.

2. partis probatio.

44. Secunda pars concluſionis eſt etiam communis, & probatur: quia aliqua intentio neceſſaria eſt ad Sacramenta miniſtranda: non autem requiritur actualis formalis, ut viſum

Digitized by Google

eſt: nec ſufficit ſola habitualis, ut ſtatim probabimus: ergo ſaltem requiritur virtualis ſuprà explicata, & illa ſufficiet.

Probatur tertia.

45. Tertia denique pars concluſionis eſt ſimiliter communis, & probatur: quia illa intentio habitualis nullo modo eſt cauſa actionis; ſed eo modo quo cenſetur habitu manere, tantum concomitanter ſe habet: unde ſicut ratione illius non poteſt dici actio bona, aut mala, ita neque humana: ergo illa eſt inſufficiens ad effectionem Sacramenti.

Explicatur D. Thom.

46. Neque obſtat, D. Thomam loco proxime citato docere, ſufficere ad perfectionem Sacramenti intentionem miniſtri habitualem. Etenim ut noſtri Salmanticenſes, *tom. 3. diſp. 5. num* 37. ex Caietano reſpondent, S. Doctor communicando in vocabulis uſui illius temporis, appellavit intentionem habitualem, quam nos virtualem dicimus: quia ſicut habitualis durat actuali tranſacta, ſic tranſactâ formali, poteſt manere virtualis: & ob hanc rationem potuit largo modo habitualis nuncupari.

PVNCTVM V.

Vtrum Sacramentum poſſit eſſe validum per verba miniſtri in ebrietate, ſomno, aut dementia prolata collatum?

Concluſio.

47. CONcluſio eſt negativa, & communis Theologorum. Hoc autem non ideò eſt, ut rectè tradunt noſtri Salmanticenſes, *tom. 4. tract 3. diſput*, 5. *num.* 119. quia libertas in cauſa, ſi ſemel daretur, ad hæc non ſufficiat: nam Sacerdos, qui animo celebrandi accedit ad altare, & mente diſtractus, ac ſinè advertentia verba conſecrationis profert, verè conficit Sacramentum, ut communiter docent Theologi; & nihilominus illa prolatio non eſt formaliter libera in ſe, ſed tantùm virtualiter, vel in cauſa: quia libertas formalis nequit eſſe ſine formali advertentia. Aliundè ergo hoc provenit, ex eo nimirum, quod actus conficiendi Sacramenta petunt exerceri ab eo, qui actu eſt ſui compos: nam Sacramenta ex parte formæ conſiſtunt in verbis, quæ formaliter ſunt verba humana; illa verò, quæ dormiens, ebrius, vel amens poſſunt proferre, non ſunt verba formaliter defectu actualis ſignificationis: unde eo ipſo, quod ità proferantur, non tam defectu ſolius libertatis, ſed quia ipſa verba humana, & forma Sacramenti non ſunt, nequeunt illud conſtituere. Et eadem ratio, quæ probat de verbis, procedit ſimiliter de aliis actionibus ſacramentalibus, ut ablutione, unctione, &c. Nam licet non ſint locutiones, omnes tamen ſunt ſigna ſenſibilia, & aſſumi debent à miniſtro ad ſignificandum ſenſibiliter, & humano modo id, quod per Sacramenta ſignificatur, & ut Chriſtus Dominus inſtituit: ipſe autem non inſtituit in Sacramentis verba, vel actiones, quæ ſignificarent mentem præteritam, ſed præſentem: quia inſtituit ea, prout ſunt ſigna humana, & prout ſignificant humano modo, & directè ex intentione id, ad quod ſunt inſtituta. Undè cum verba, & actiones ebrii, dormientis, vel amentis non ſint ad exprimendum mentem humanam præſentem, quam tunc habeant, cum nullam talem habeant in eo ſtatu, fit inde, hominem, qui non eſt ſui compos, non poſſe conficere Sacramentum.

Objectio prima.

48. Sed objicies primò, videri valida Sacramenta, ſi ebrius, aut demens tempore ſanæ mentis voluntatem habuerunt ea conficiendi, eamque voluntatem tempore ebrietatis, aut dementiæ, verbis, & actionibus exequantur: quia Baptiſmus eo tempore receptus, validus eſſet propter voluntatem præcedentem, ut ait Innocentius, *in cap. Maiores, de Baptiſmo.*

Secunda.

49. Secundò: quia non deficit deliberatio requiſita ad peccatum mortale: homicidium enim tunc commiſſum, ſi tempore quo ſui compores erant, prævìſum eſſet, culpa lætalis foret.

Tertia.

50. Tertiò: quia qui inter conficiendum Sacramentum diſtrahitur, valide conficit: ergò etiam validè baptizat, qui baptizat in ebrietate, aut dementia in caſu poſito.

Solvitur prima.

51. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur: in ſuſcipiente Baptiſmum ſufficere voluntatem præcedentem, non revocatam, ut validè illum recipiat in dementia, ut colligitur ex dicto capite *Majores*, & communiter docent Theologi. In eo autem, qui baptizat, id non ſufficit: quia in hoc requiritur, quòd verbis humanis, & actione humana mentem præſentem ſignificet; quod in ſomno, dementiâ, aut ebrietate nequit contingere, ut dictum eſt. Nec mirum, quod magis in baptizante, quam in baptizato, in agente, quam in recipiente requiratur: quia etſi ſapientem ſæpè deceat ſua bona diſpenſare in amentes; eum tamen non decet eadem diſpenſare per amentès.

Diluitur Secunda.

52. Ad ſecundam reſpondetur negando conſequentiam. Ratio autem diſparitatis eſt: tum quia bonum ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu, teſte Dionyſio, *cap. 4. de divinis nominibus*. Undè cum verba, & actio, quibus conficitur Sacramentum, ſint de genere boni, exigunt quòd non niſi ab homine, qui ſui compos eſt, fiant: peccatum autem cum malum ſit, ſatis eſt, ſi in ſua cauſa ſit volitum. Tum etiam, quia cum homo teneatur vitare homicidium, eo ipſo, quod ſciat in ebrietate ſe illud ſore commiſſurum, & cũ poſſit non curat id vitare, indirectè illud vult. Quod non habet locum in actione, qua conficitur Sacramentum: nam cum ſit de genere boni, non poteſt eſſe voluntaria indirectè: quia hoc genus voluntarii non habet locum in bonis: nam ut rectè tradunt N. Salmanticenſes, *tom. 4. tract. 13. diſput.* 10. *n.* 241. hic modus volendi omninò regulandus eſt ex potentia ſimul, & obligatione ad aliquid prohibendum, & evitandum: neque habet locum reſpectu boni, & liciti: quia reſpectu iſtius non adeſt talis obligatio.

Evertitur tertia.

53. Ad tertiam neganda eſt etiam conſequentia. Et ratio diſparitatis eſt: quia in primo caſu, quando homo eſt ſui compos, & diſtrahitur, potentia eſt integra, & ſoluta; cum tamen in ſecundo caſu potentia non ſit integra, & ſoluta, ſed ligata ſomno, vel ebrietate: in primò, verbis, & actione humanis explicatur mens præſens; in ſecundò verò minimè, cum in eo ſtatu homo mente careat.

PUNC-

PUNCTUM VI.

Utrum ad valorem Sacramenti requiratur intentio miniſtri abſoluta, vel ſufficiat conditionata.

Concluſio bimembris. 54. Dicendum eſt primò: conferens Sacramentum ſub conditione præterita, vel præſenti, ſi conditio verè à parte rei ſit poſita, validè confert; ſi non ſit poſita, nihil agit. Ita Suarez, *diſp.* 13 *ſect.* 3. Cajetanus *in ſumma verbo abſolutio*, Henriq. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. Coninchus, 3. *p. quæſt.* 64. *ar.* 8. *dub.* 2. *n.* 77. & eſt communis apud omnes.

Utraque pars oſtenditur. 55. Prior pars patet ex *cap.* 2. *de Baptiſmo*, ubi jubemur ſub conditione baptizare eos, de quibus dubitamus, an baptizati ſint: quod fieri non poſſet, niſi talis Baptiſmus poſſet eſſe validus. Ratio eſt: quia intentio conditionata, poſita conditione, tranſit in abſolutam. Secunda pars etiam patet: quia in tali caſu abſolutè deeſt intentio baptizandi.

Corollarium. 56. Hinc, apponere conditionem de præterito, vel præſenti in conficiendis Sacramentis, ſi adſit cauſa rationabilis, nullum erit peccatum; ſi deſit, erit, & mortale: quia eſt exponere ſe periculo miniſtrandi Sacramentum invalidè. Ita Henriquez *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 7. & plurès referens Bonacina, *diſput.* 1. *de Sacramentis*, *puncto* 2. *num.* 20. Leander *diſp.* 4. *q.* 22. & alii communiter.

Limitatur. 57. Hoc tamen limitandum eſt, ut ratio facta teneat, niſi miniſter abſquè dubio ſciviſſet hujuſmodi conditionem jam eſſe in re poſitam: tunc enim non ſe exponeret periculo miniſtrandi Sacramentum invalidè. Adhuc tamen omni prorſus culpâ non careret appoſitio ſinè cauſa talis conditionis.

Secunda concluſio. 58. Dicendum eſt Secundò, Sacramentum collatum ſub conditione de futuro, ut *abſolvo, vel baptizo te, ſi cras reſtitueris*, eſt invalidum. Eſt communis. Et ratio eſt: quia in eo caſu, neque Sacramentum ponitur in eſſe, dum ponuntur ejus materia, & forma, quia miniſter non intendit illud conficere pro eo tempore: neque etiam ponitur in eſſe poſteà pro illo tempore, in quo impletur conditio: quia in illo materia, & forma Sacramenti non ſunt.

Illatio. 59. Ex quo benè infert Granados *controverſ.* 7. *de Pœnitentia*, *tract.* 1. *diſp.* 6. *ſect.* 3. graviter peccaturum Sacerdotem, qui abſolutioni apponeret conditionem de futuro: nam gravis culpa eſt miniſtrare Sacramentum, cum ſcitur illud forè irritum, & inane: eſt enim genus quoddam irriſionis, & ſacrilega adminiſtratio.

PUNCTUM VII.

Utrum intentio miniſtri debeat verſari circa determinatam materiam.

Concluſio. 60. Concluſio eſt affirmativa, & communis: probatur ex ipſis formis, quæ aut continent pronomen demonſtratiuum, aut ad certam perſonam diriguntur.

61. Hinc oritur quæſtio, an error miniſtri reddat irritum Sacramentum: ſi v. g. cogitabat baptizare Petrum, cum eſſet alius: vel ſi putabat eſſe puerum, cum eſſet puella: vel ſi conſecrationis verba proferens ſuper duas hoſtias, putabat tantùm eſſe unam? *Quæſtio incidens.* Cui quæſtioni Suarez *diſput.* 13. *ſect.* 3. *in fine*, Lugo *de Sacramentis. diſp.* 8. *ſect.* 7. Coninchus, *q.* 64. *art.* 8. *dub.* 4. Granados *tract.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num* 15. cum aliis communiter reſpondent, in omnibus Sacramentis, ſi conſtat de alligatione voluntatis ad certam perſonam vel materiam, non poſſe circà aliam habere valorem; de facto tamen, quando id non conſtat, regulariter cenſendum eſſe miniſtrum voluntatem ſuam ita non alligare in aliis Sacramentis, pratèr Matrimonium, in quo contrahentes, propter magnum onus, quod ſuſcipiunt, meritò limitant ſuam intentionem ad talem perſonam, excludendo omnes alias: in aliis verò Sacramentis regulariter id non poſſunt facere; ſed intentio debet dirigi ad præſentem perſonam, aut rem, qualiſcumque demum ſit: modò ſit ſubjectum capax Sacramenti.

Corollarium 1. 62. Hinc, qui abſolveret Petrum, credens eſſe Paulum, aut virum credens eſſe fœminam, verè abſolveret; niſi haberet intentionem non abſolvendi alium, quam Paulum. Quæ intentio, & alligatio voluntatis in aliis Sacramentis præter Matrimonium, communiter ſinè peccato eſſe non poteſt; niſi juſta cauſa ſubeſſet, ut v. g. ſi in collatione ordinis timeatur, ne aliquis ſimulans ſe eſſe alium, petat ordinari; cum multum referat hunc non ordinari.

Corollarium 2. 63. Hinc etiam proferens formam verborum ſuper duas hoſtias, putans tantum eſſe unam, utramque conſecrat, niſi reſtringat voluntatem ad conſecrationem unius. Quod nè fiat, cavendum eſt: nam forma debet ferri ſuprà totam materiam conſecrabilem præſentem, niſi ſingularis occurreret ratio faciendi contrarium, quod vix accidere poteſt.

PUNCTUM. VIII.

An probitas, vel fides miniſtri ſit per ſe neceſſaria ad valorem, & effectum Sacramenti.

Concluſio 1 & probatio primæ partis illius. 64 Dicendum eſt primò: probitas, vel ſanctitas miniſtri non eſt per ſe neceſſaria ad valorem Sacramenti, neque ut habeat effectum in ſuſcipiente ſinè obice. Hæc concluſio quoad primam partem eſt definita in Trid. *ſeſ.* 7. *can.* 12. Et colligitur ex Florent. *in decreto de Sacramentis poſt ultimam ſeſſionem*: ubi definitum eſt, tria ſolum requiri ad ſubſtantiam Sacramenti, ſcilicet, materiam, & formam, & intentionem miniſtri: ſed hæc poſſunt haberi à miniſtro exiſtente in peccato mortali: ergò, &c. Et ratione probatur primò: quia aliàs maxima perturbatio eſſet in Eccleſia Dei: nam ſanctitas miniſtri perſæpè deeſt. Secundò: quia miniſter operatur divina virtute, quæ non tollitur propter ipſius peccata.

Probatio ſecundæ partis. 65. Quoad ſecundam partem, nimirum effectum gratiæ, vel characteris non impe-

diri

diri à malitia (& idem eſt de infidelitate miniſtri) de charactere quidem certa eſt res: ideò enim Baptiſmus ab hæretico collatus, iterari non poteſt: & idem eſt de Ordine, & Confirmatione. De gratia autem, conſtat ex Tridentino, *ſeſ.7.can.6. & 7.* ubi definitur Sacramenta gratiam conferre non ponentibus obicem.

Concluſio ſecunda. 66. Dicendum eſt ſecundò: Sacramentum collatum ab hæretico, aut ab aliis infidelibus validum eſt, ſi reliqua omnia concurrant, quæ neceſſaria ſunt eſſentialitee ad valorem Sacramenti. Hæc concluſio etiam eſt de fide tradita in Concilio Cartaginenſi 1. & in aliis Conciliis.

Ex traditione fulcitur. 67. Probarur ex perpetua, & antiqua traditione, de qua Vincentius Lyrinenſis loquens contrà Agripinum prædeceſſorum Cypriani, qui primus inter catholicos exiſtimavit Baptiſmum collatum ab hæretico eſſe nullum, ac proindè iterandum, ſic ſcribit: *Primus omnium mortalium contrà divinum canonem, contrà univerſalis Eccleſiæ regulam, ac ſenſum omnium Sacerdotum, contrà morem, & inſtituta majorum, rebaptizandos eſſe cenſ bat.*

68. Ratio autem hujus veritatis eſt voluntas Chriſti Domini ſic inſtituentis Sacramenta. Nam ſicut non determinavit ſuorum Sacramentorum virtutem ad probitatem, & ſanctitatem, ita neque ad fidem miniſtri: ergo ſicut Sacramentum collatum à peccatore, ſi cætera adſint, eſt validum, & habet effectum in ſuſcipiente illud ſinè obice; ita ſimiliter collatum ab hæretico; aut ab alio infideli, ſi reliqua omnia concurrant, quæ ad id neceſſaria ſunt.

PUNCTUM IX.

Quid requiratur, ut miniſter non peccet conferendo Sacramenta?

In miniſtro Sacramenti primum requiſitum. 69. IN primis, ut peccatum excuſetur, neceſſaria eſt in miniſtro poteſtas illa Ordinis, aut juriſdictionis, quæ ad tale Sacramentum conferendum requiritur, ut ordo ſacerdotalis, v. g. ad conſecrationem Euchariſtiæ, & ad abſolutionem ſacramentalem juriſdictio. Quæ autem, & qualis ſit poteſtas requiſita in quolibet Sacramento ad validam, & licitam adminiſtrationem illius, patebit ex dicendis in ſingulis Sacramentorum tractatibus.

Secundum. 70. Deinde, non poteſt licitè Sacramentum conferri a miniſtro, niſi adhibeat materiam, & formam, quæ ad eſſentiam Sacramenti ſunt neceſſaria. Unde peccat mortaliter, ſi utatur materia vel forma falſa, ut omnes fatentur, vel extra neceſſitatem, dubia, ut tradunt Suarez, *diſp.* 16. *ſect.* 1. & plures referens Bonacina *diſp.*1.*q.* 2. *puncto* 1. *n.* 32.

Tertium. 71. Tertiò, tenetur etiam miniſter ſervare in Sacramentis cæremonias Eccleſiæ, nihilque ſubſtantiale, aut accidentale mutare in eorum adminiſtratione. Quandò autem obligatio ſit ſub mortali, quandò ſub veniali, pendet ex ipſius rei gravitate, aut levitate prudentis arbitrio judicanda, ut benè obſervant Granados *controv. 3. de Sacram. diſp.*5. *n* 3. Filliucius *de miniſtro Sacramentorum, cap.* 5. & alii.

72. Quartò, tenetur non adminiſtrare Sacramenta peccatori publico indignè petenti, ſive petat publicè, ſivè occultè. Ratio eſt: tum quia non ſunt margaritæ mitteodæ ante porcos: tum quia Sacerdoti incumbit onus, & officium non admittendi indignum ad Sacramentum: quia cui commiſſa eſt Sacramenti adminiſtratio, conſequenter & ex natura rei præceptum eſt, ut illud munus peragat tanquam fidelis diſpenſator, & prudens: ac proinde ex vi hujus præcepti tenetur non dare Sacramentum peccatori publico indignè petenti: quia hoc pertinet ad fidelem, & prudentem diſpenſatorem Sacramenti. Tum denique, quia ſicut Sacerdos, qui non collocat Euchariſtiam in loco decenti, peccat; ita à fortiori graviter peccat, qui Sacramenta præbet peccatori puplico indignè petenti. Ita Vivaldus, Chamerota, & alii plures, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 1. *q.* 4. *punct.* 4. *num.* 2. *Quartum.*

73. Quintò tenetur non adminiſtrare Sacramenta peccatori occulto indignè petenti, quandò petit occultè; modò non ſit peccator cognitus ſolum in confeſſione. Ita Henriquez, Filliucius, Coninchus, & alii plures, quos refert, & ſequitur Bonacina ubi proximè, *num.* 4. Prior pars patet ex rationibus numero præcedenti allatis: & poſterior probatur: nam peccator non debet expelli à Sacramentis propter peccatum occultum cognitum ſolum in confeſſione: non enim licet uti ſcientia confeſſionis, ne confeſſio reddatur odioſa, & ne ab ea retrahantur homines. *Quintum.*

74. Sextò, tenetur non adminiſtrare Sacramenta excommunicatis denuntiatis, & manifeſtis Clerici percuſſoribus, quouſque abſolvantur; vel præſumatur veroſimiliter abſolutos eſſe. Hoc eſt omninò certum, & habetur 11. *quæſt.* 3. per multa capita, Cap. *Significavit.* Cap. *cum deſideres.* De ſententia excommunicationis. Atque ita peccabit mortalitet miniſter conferens eis Sacramenta: & inſuper, ut obſervat N. Cornejo *tract. de excommunicatione, diſp.*10.*dub.*1.§. 2. incurrit excommunicationem minorem, & interdictus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ. Cap. *Epiſcoporum. De privilegiis in* 6. Si verò à Pontifice fuerint excommunicati, aut denuntiati, majorem excommunicationem contrahit Papæ reſervatam. Cap. *Significavit. De ſententia excommunicationis.* Et Clementina 3. eodem titulo. Quod ſi eſſent exeommunicati propter hæreſim, vel quia fautores hæreticorum ſunt, & his Sacramenta miniſtrare auderet, ſuſpendendus eſſet ab officio: nec reſtituendus abſque Papæ diſpenſatione. *Ex cap. Excommunicamus. §. Credentes, de Hæreticis.* *Sextum.*

75. Aliis verò excommunicatis, qui denuntiati non ſunt, nec manifeſti Clerici percuſſores, non obligatur miniſter ex vi cenſuræ, Sacramenta denegare, juxtà Extravagantem *Ad evitanda*: ſed ſolùm ex generali ratione, quod indebitè accedunt. Ut cum Suarez. *diſput.* 10. *ſect.* 2. *n.* 12. Vazquez *tract. de excommunic. dub.* 2. *n.* 12. Filliucio *tract.* 12. *cap.* 3. *n.* 65. Bonacina *diſp.* 2. *de cenſuris, q.* 2. *puncto* 1. §. 2. notat Palaus *de cenſuris, diſp.* 2. *puncto* 7. *n.* 7.

PUNC-

PUNCTUM X.

Utrùm minister conficiens Sacramentum cum conſcientia peccati mortalis, peccet mortaliter?

Diſtinctio duplicis miniſtri.

76. SUpponendum eſt, duplicem eſſe miniſtrum Sacramentorum. Unus dicitur miniſter ex officio, ſive ſolemnitatis, ſic dictus, quia ratione conſecrationis habet ex officio conficere Sacramenta. Alius dicitur miniſter neceſſitatis, ſic dictus, quia confert Sacramentum tantùm, ut ſubveniat neceſſitati, ut in Sacramento Baptiſmi: undè hic non illud adminiſtrat ex officio, vel ratione conſecrationis.

1. Concluſio authoritate firmatur.

77. Dicendum eſt primò: miniſter ſolemnitatis, qui conficit Sacramentum ex officio, ratione conſecrationis, ſi cum conſcientia peccati mortalis id efficiat, peccat mortaliter. Hæc aſſertio eſt certa, & conſtans apud omnes Theulogos: & probatur primò ex C. *Quæſitum eſt: De cohabitatione Clericorum*, ubi Gregorius IX. ait, quemlibet miniſtrum pro mortali peccato eſſe ſuſpenſum quoad ſe ipſum, id eſt, non poſſe licitè miniſtrare Sacramenta. Et *cap. ultimo. De temporibus ordinandorum*, ait idem Pontifex, malos Sacerdotes monendos eſſe, & ſub interminatione divini judicii obteſtandos, ut in teſtimonium ſuæ damnationis, in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent. Et in *cap. Omnia* 1. *quæſt.* 1. dicitur. *Omnia Sacramenta, cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus.* Qui, & ſimiles Canones ad minus de perfecta, & completâ adminiſtratione Sacramenti, qualis eſt ipſius confectio facta à miniſtro, ut ad id munus ſpecialiter conſecrato, & deputato, debent intelligi.

C. omnia.

Roboratur ratione.

78. Secundò probatur ratione Ang. Doct. D. Thomæ, 3. *part. quæſt.* 64. *artic.* 6. Nam miniſtri conficientes Sacramenta, ut ex officio ad id munus ſpecialiter conſecrati, tenentur conformare ſe cum principali agente, cujus ſe exhibent miniſtros, juxta illud Levit. cap. 19. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum.* Et Eccleſiaſtici 10. *Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus*: ergo ſi id faciant cum conſcientia peccati mortalis, peccant mortaliter: quia irreverentiam in materia gravi irrogant Deo principali agenti, & quantum eſt ex parte ipſorum, coinquinant ipſa Sacramenta, licet ſecundum ſe incontaminabilia ſint.

1. Objectio.

79. Sed objicies primò: conſecratio miniſtri ad hoc ordinatur, ut faciat opera religionis: ſed opus religionis ſecundum ſe non exigit, quod miniſter ſit in gratia, ſiquidem nullum peccatum eſt extra ſtatum gratiæ, aliqua opera religionis exercere, ut audire ſacrum: ergo, &c.

Secunda.

80. Secundò: quia per characterem Confirmationis conſecratur baptizatus ad profitendam fidem: & tamen, licet hoc faciat extra ſtatum gratiæ, non peccat: ergo ex eo, quod miniſter conſecratus ſit ad conficienda Sacramenta, non ſequitur, quod peccet, illa conficiendo extrà ſtatum gratiæ.

Tertia.

81. Tertiò: quia ſicut miniſtrant Deo in Sacramentis, ita per opera charitatis: ſed mali non peccant, ſi miniſtrant Deo in operibus charitatis; quinimò huc eſt eis conſulendum: ergo videtur, quod mali non peccent Sacramenta miniſtrandu.

Quarta.

82. Quartò: quia nullum eſt præceptum divinum, aut naturale circà hoc: ergo non eſt peccatum.

Occurritur primæ.

83. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur: aliud eſſe conficere Sacramentum tanquam miniſtrum deputatum ex officio; aliud verò elicere actum religionis tanquam fidelem. In primo caſu, ſi cum conſcientia peccati mortalis fiat, injuria irrogatur Deo principali agenti, & ſanctitati Sacramenti, ut dictum eſt; non verò in ſecundo caſu.

Diluitur ſecunda.

84. Ad ſecundam dicendum, confirmatum confitentem fidem in mortali, inſtante occaſione, non peccare: quia licet ſit inſignitus charactere, & ex officio profiteatur fidem; confeſſio tamen illa non eſt confectio Sacramenti in ſe ipſo ſanctificationem quandam habentis per myſticam conſecrationem; de qua confectione procedit ratio adducta pro concluſione.

Solvitur tertia.

85. Ad tertiam reſpondet D. Thomas, *quæſt.* 64. *artic.* 6. *ad* 1. his verbis: *Dicendum, quod opera charitatis non ſunt aliqua conſecratione ſanctificata, ſed ipſa pertinent ad juſtitiæ ſanctitatem, ſicut quædam juſtitiæ partes, & ideò homo, qui ſe exhibet Deo miniſtrum in operibus charitatis, ſi ſit juſtus, ampliùs ſanctificatur; ſi verò ſit peccator, per hoc ad ſanctitatem diſponitur. Sed Sacramenta in ſe ipſis ſanctificationem quandam habent per myſticam conſecrationem: & ideò præexigitur, in miniſtro ſanctitas juſtitiæ, ut congruat ſuo miniſterio: & ideò incongruè agit, & peccat, ſi in peccato exiſtens ad tale miniſterium accedat.*

Enodatur quarta.

86. Ad quartam dicendum, quod habetur præceptum divinum impoſitum à Chriſto Domino, quod miniſter Sacramentorum ex officio debet eſſe in ſtatu gratiæ, ut colligitur ex communi conſenſu Eccleſiæ, qui procedit ex continuata traditione apoſtolica. Eſt etiam præceptum connaturale in ordine gratiæ.

Secunda concluſio.

87. Dicendum eſt ſecundò: Sacerdos privatim in extrema neceſſitate baptizans eo modo, quo laicus poſſet baptizare, etiam ſi habeat conſcientiam peccati mortalis, non peccat mortaliter. Hæc aſſertio non ab omnibus admittitur: eam tamen tenent Suarez *diſp.* 16. *ſect.* 4. Petrus de Ledeſma *de Sacram. in genere, concluſ* 8. Nuñus 2. *part. quæſt.* 64. *art.* 6. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt* 3. *puncto* 2. *num.* 11. Valentia *puncto* 3. Granados *Controverſ.* 3. *tractat.* 5. *diſp.* 5. *num.* 6. & alii: & eſt Angelici Doct. D. Th. 3. *p. q.* 64. *art.* 6 *ad* 3. ubi ſic ait: *In articulo tamen neceſſitatis non peccat baptizando in caſu, quo etiam laicus poſſet baptizare: ſic enim patet, quia non exhiberet ſe miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti.*

Explicatur D. Thom.

88. Adverte tamen, quod cum dicit D. Thomas miniſtrum neceſſitatis conferentem Baptiſmum non exhibere ſe in illa actione ut Eccleſiæ miniſtrum, non eſt intelligendum, quod hujuſmodi baptizans, non ſit Chriſti,

 & Ec-

& Eccleſiæ miniſter, eſt enim: nam debet Chriſti, & Eccleſiæ intentionem habere, & applicare materiam, & formam à Chriſto Domino inſtitutam. Sed ſenſus eſt, quod talis miniſter non exhibet ſe, ut miniſtrum Chriſti ad illud munus ſpecialiter deputatum, & conſecratum, ſed ſolum aſſumitur per accidens propter neceſſitatem Sacramenti.

Probatio concluſionis.

89. Probatur autem concluſio ex diſcrimine aſſignato ab Ang. Præceptore inter miniſtrum ſolemnitatis, ſeu ex officio, & miniſtrum neceſſitatis. Nam ille dum baptizat ſolemniter, ſeu ex officio, cum exhibeat ſe in illa actione, ut miniſtrum Chriſti ad illam ſpecialiter conſecratum, irreverentiam irrogat Chriſti, & ſanctitati Sacramenti; ſi baptizet cum conſcientia peccati mortalis, ac proinde mortaliter peccat. Secus vero miniſter neceſſitatis: quia licet in re ſit inſtrumentum Chriſti, ex vi tamen illius miniſterii ſolum intendit ſubvenire neceſſitatem patienti: quare ejus malitia non redundat, etiam quantum eſt ex parte ipſius, vel in ipſa Sacramenta, vel in Sacramentorum auctorem, ſcilicet Deum; ſicut redundat malitia miniſtri ſolemnitatis: quia non exhibet ſe miniſtrum Chriſti, ad id munus ſpecialiter conſecratum, ſed ſolum aſſumitur per accidens propter neceſſitatem Sacramenti.

Objectio.

90. Sed objicies ex Vazquez: Sacerdos in iſto caſu non baptizat loco alterius, ſicut baptizat laicus: ergo non baptizat per accidens, vel quod idem eſt, conſecratio non ſe habet per accidens in illo caſu: ac proinde ſemper Sacerdos peccabit mortaliter, ſi cum conſcientia peccati mortalis baptizet.

Solutio.

91. Reſpondetur negando conſequentiam: nam ratio propter quam conſecratio ſe habet per accidens in Sacerdote, dum in caſu extremæ neceſſitatis baptizat, non eſt, quia id facit loco alterius, ut argumentum falſo ſupponit, ſed quia in eo caſu poterat laicus idem Sacramentum conferre, licet ad illud munus non ſit conſecratus.

Illatio.

92. Ex quo colligitur ratio, quare Sacerdos abſolvens cum conſcientia peccati mortalis in caſu neceſſitatis etiam extremæ, per ſe loquendo, peccet mortaliter: nam ad abſolutionem Sacramentalem in quocumque caſu conſecratio miniſtri, aut ordo ſacerdotalis non ſe habet per accidens, ſed per ſe: ſiquidem in nullo eventu poteſt dari à laico: ac proinde, cum Sacerdos abſolvat, ut miniſter per ſe ad prædictum munus conſecratus, mortaliter per ſe loquendo peccat etiam in caſu extremæ neceſſitatis, ſi id efficiat cum conſcientia peccati mortalis.

Caſus per accidens.

93. Diximus, *per ſe loquendo*, peccare mortaliter hujuſmodi Sacerdotem cum conſcientia peccati mortalis abſolventem in extrema neceſſitate: quia per accidens probabile eſt eum excuſari, ſi non valet moraliter in eo neceſſitatis articulo, & breviſſima morula diſponere ſe ad juſtificationem per actum contritionis, ne interim moriatur homo, qui jam animam agit, abſque abſolutione ſacramentali, quæ tunc exiſtimetur homini neceſſaria ad ſalutem, ut tenent Vazquez *diſp.* 36. *cap.* 3. *n.* 27. Cardinalis Lugo *diſp* 8. *ſect.* 9. *num.* 151. Coninchus, *dub.* 1. *n.* 22. N. Gabr. *diſp.* 7. *quæſt.* 5.

Quæſitum primum.

94. Quæres primò: ad quid teneatur miniſter exiſtens in mortali, ut dignè, & ſinè novo peccato conficiat aliquod Sacramentum, ut miniſter ad id munus ſpecialiter conſecratus?

Reſolvitur.

Reſpondetur breviter, & reſolutoriè, per ſe loquendo teneri ad veram contritionem, aut probabiliter exiſtimatam, non tamen ad actualem confeſſionem peccatorum, exceptâ Euchariſtiâ. Ita Vazquez *diſp* 138. *cap.* 1. *num.* 1. & ſequentibus, Lugo Cardinalis, *diſp.* 8. *ſect.* 9. *n.* 145. & communiter Theologi, quos refert, & ſequitur Bonacina ubi ſupra *num.* 3.

95. Et quoad primam partem patet: quia ut talis miniſter dignè conficiat Sacramentum, requiritur per ſe loquendo, quòd ſit in ſtatu gratiæ, ut dictum eſt: diſpoſitio autem per ſe requiſita ad talem ſtatum, eſt contritio: ergo illa requiritur per ſe, loquendo, in eo, qui habet conſcientiam peccati mortalis, ut dignè conficiat Sacramentum.

96. Quoad ſecundam partem etiam liquet: quia nullum per ſe loquendo extat præceptum divinum, aut humanum præmittendi confeſſionem in tali caſu, exceptâ Euchariſtiâ: ergo per ſe loqnendo illam præmittere in ordine ad alia Sacramenta, non eſt neceſſarium, ſed ſufficit contritio.

Quæſitum ſecundum.

97. Quæres ſecundo: an conjuges peccato lethali affecti, celebrantes Matrimonium, peccent mortaliter, non ſolum ea ratione, qua Sacramentum ſuſcipiunt, quod indubitatum eſt; ſed etiam quatenus miniſtrant? Affirmant Navarrus *cap.* 1. *num.* 10. *de Pœnitentia*, *diſp.* 6. *in ſolut. ad* 6. Petrus de Ledeſma *de Matrim. q.* 42. *art.* 3. *ad ultimum*, & alii, quos refert, & ſequitur Lugo ubi ſupra, *num.* 150. Hurtado *de Matrimonio*, *diſp.* 3. *difficult.* 22. & eſt probabile. Alii verò etiam probabiliter putant eos non peccare lethaliter ea ratione præciſè, qua miniſtrant: quia non ſunt miniſtri ſpecialiter ad id munus conſecrati, ſed ſolum illis conceſſum eſt neceſſitate quadam: quia oportuit materiam, & formam in ipſo contractu conſtitui: contractus autem fieri non poterat, niſi per contrahentium conſenſus. Unde ſolum miniſtri ſpecialiter conſecrati lethaliter delinquunt, ſi culpa lethali affecti miniſtrent. Ita plures referens Sanchez *lib.* 2. *de Matrimonio*, *diſp.* 6. *num.* 4. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 4. *difficultate* 4. *num.* 5. Suarez *diſp.* 16. *ſect.* 4. & alii, quos referunt, & ſequuntur Diana, 3. *p. tractat.* 4. *reſolut.* 199. & Leander *diſp.* 4. *q.* 7. Ita etiam Granados *tractat.* 5. *diſp.* 5. *num.* 6. Filliucius *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 87.

PUNCTUM XI.

Utrùm miniſter, qui non conficit Sacramentum, etiam ſi ex officio miniſtret cum conſcientia peccati mortalis, excuſetur à culpa mortali?

Communior ſententia in duobus caſibus.

98. Communior ſententia hujuſmodi miniſtrum in duobus caſibus, etiam ſecluſo ſcandalo, & contemptu, à culpa mortali non

non excuſat. Prior eſt, quando Euchariſtiam jam confectam alteri miniſtrat, ſive ſumendam porrigit. Et ratio hujus eſt: quia ſola diſpenſatio eſt graviſſimum miniſterium, ad quod ſanctè perficiendum conſecratur ſpecialiter miniſter, & peculiarem gratiam accipit.

99. Poſterior caſus eſt, quando Epiſcopus conficit Chriſma, quod eſt materia Confirmationis, & oleum, quod eſt materia Extremæ Unctionis. Et ratio hujus eſt: quia licet per conſecrationem Chriſmatis, & benedictionem olei non perficiantur Sacramenta Confirmationis, & Extremæ Unctionis; incipiunt tamen fieri per illas, atque adeo exigunt ſanctitatem in miniſtro: & ex alia parte materia eſt gravis: ſiquidem ipſo jure divino non poſſunt fieri, niſi ab Epiſcopo, fiuntque cum magna ſolemnitate. Et ita hoc in utroque caſu cenſemus valdè probabile.

Contraria probabilis in primo caſu.

100. His tamen non obſtantibus, non pauci probabiliter defendunt in utroque caſu miniſtrum non peccare mortaliter: in primo quidem, Nuñus *3. part quæſt. 64. art. 6 concluſ 2.* Silvius, & Cabréra ibidem. Ledeſma *cap. 6.* ubi ſic ait: *A eſta duda ſe reſponde, que es provable, que el tal miniſtro en eſte caſo no peca mortalmente. Eſta ſententia tienen mu hos Doctores: pruevaſe, porque eſte tal miniſtro no haze obra ninguna ſagrada, y cauſadora de Sacramento: luego no peca mortalmente miniſtrando el Sacramento: porque por eſta razon, el que confieſa la fè en pecado mortal, eſtando confirmado, y conſagrado con la gracia, y con el character para eſte efecto, no peca mortalmente: porque la confeſſion de la fè, no es accion ſacramental, cauſadora de Sacramento: y aſi no es pecado mortal; pero ſerà pecado venial mui grave.* Et ad rationem pro ſententia communiori, *num.* 92. allatam in hunc modum reſpondet. *A la razon deſta duda ſe reſponde facilmente, poniendo los ojos en eſta condicion*: nimirum, quod ad peccatum mortale non ſufficit ſola diſpenſatio, quæ non ſit Sacramenti confectio. In eodem etiam dicto primo caſu à culpa mortali excuſant miniſtrum Vazquez *tom. 2. d. 136. c. 3. n. 38.* Cardinal. Lugo *de Sacram. d. 8. ſect. 9 n. 155.* & alii plures quos referunt, & ſequuntur Diana, *part. 2. tractat. de celebr Miſſæ, reſolut.* 23. Bernal *diſp. 27. ſect. 6. §. 3.* N. Gabr. *diſp. 7. q. 5.*

Probabilis etiam in ſecundo.

101. In ſecundo verò caſu docent Epiſcopum non peccare mortaliter, Vazquez ubi ſupra, *cap. 4. num. 48.* Villalobos *tract. 4. de Sacramentis, difficult. 14. concluſ. 4.* Suarez *diſp. 16. ſect. 3.* Granados *Controv. 3. tract 5. diſp. 5. n. 7.* & alii plures, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Sacramentis in genere, diſp. 1. q. 3. puncto 2. num.* 8. & noviſſimè Bernal ubi ſupra, *ſect. 7. num.* 132. & ratio eſt: quia cum aliæ actiones præter Sacramenta, non ſint ad ſanctificationem per gratiam proximè ordinatæ, neque in eis ſe exhibeat eas exercens, ut miniſter Dei ſanctificantis animam, non eſt tam gravis cauſa, & ratio exigendi internam animæ ſanctitatem ad eas exercendas: ac proinde illas in peccato efficere, ex parte materiæ non videtur eſſe grave ſacrilegium. Ex quo reſponderi poteſt ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

102. Accedit ad probabilitatem ſententiæ excuſantis miniſtrum in utroque caſu à culpa mortali, ratio excuſans à mortali univerſaliter miniſtrum non conficientem Sacramentum, etiam ſi ex ufficio miniſtret, adducta à Filliucio, *tract. 1. cap. 6. num.* 87. quia nimirum miniſtratio propriè eſt confectio Sacramenti, & miniſter propriè dicitur is, qui conficit Sacramentum. Quarè non eſt præceptum aliquod obligans ſub mortali, de quo clarè conſtet, extendendum ad alia, quæ impropriè talia ſunt: tale autem eſt præceptum diſponendi ſe ad gratiam pro miniſtris. Undè poſſunt omnes ſcripturæ, & canones ita exponi, ut ſcilicet loquantur de perfecta adminiſtratione Sacramenti, quæ conſiſtit in ejus confectione.

103. Ex his à fortiori infertur non peccare mortaliter, primo miniſtros in ordinibus minoribus, exercentes illos ſolemniter in peccato mortali, ut benè tradunt Suarez dicta *ſect. 3.* & Sotus *in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 6.* unde ad ſummum eſt peccatum veniale, quia aliqualis eſt irreverentia. *Corollarium 1.*

104. Secundò: non peccant mortaliter Diaconus, & Subdiaconus, ſi in peccato mortali ſolemniter in altari miniſtrent, ut tradunt Suarez, Sotus, & alii, quos referunt, & ſequuntur Bonacina, *n. 7.* & Bernal *ſect. 7. §. 2.* contrà Sylveſtrum, & alios. Imò, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, frequens hujuſmodi functio non eſt peccatum mortale, ut cum Vazquez, Conincho, & aliis docet idem Bonacina ubi proximè. *Corollarium 2.*

105. Tertio, non peccat mortaliter Epiſcopus in lethali, conferens primam tonſuram, populum ſolemniter benedicens, altaria, templa, calices, Virgines, Abbatiſſas conſecrans, veſtibus ſacris benedictionem impendens, concionem ad populum habens, ſacramentalia exercens, ſententiam contrà Eccleſiaſticos proferens, excommunicans, vel etiam abſolvens ab excommunicatione, vel indulgentias concedens. Ita Sotus, Suarez, Nuñus, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina, ubi proximè, *num.* 8. *Corollarium 3.*

106. Quarto: non peccat mortaliter Sacerdos, ſi cum peccato mortali Euchariſtiam de loco in locum transferat, aut ſolemniter in proceſſione deferat: aut reverentiæ, & adorationis cauſa deoſculetur res ſacras, ut calicem, corporalia, & cætera tangat, ſecluſo ſcandalo, concionetur, nuptias, candelas, ramos, cineres, panem, ſal, aquam benedicat, aut alia ſacramentalia exerceat, aut ſi Parochus ſit, & in mortali, matrimonio aſſiſtat. Ut Suarez, Bonacina, Petrus de Ledeſma, Wiggers & alii paſſim contrà nonnullos tradunt. *Corollarium 4.*

107. Imò ſi Confeſſionem Sacramentalem in peccato mortali tantùm audiat, dummodo habeat propoſitum confitendi, vel habendi actum contritionis, antequam verba abſolutionis proferat, ut docent Henriquez, & Diana, quos refert, & ſequitur Cardinalis Lugo *num.* 158. N. Gabr. contra Luduvicum de Ponte, & alios. *Corollarium 5.*

108. Ratio verò horum omnium, & ſimilium tradita eſt ſupra à *num.* 95. & deinceps. Cui etiam accedit, quod ubi non conſtat de præcepto, non eſt facile imponenda obligatio ſub peccato mortali: in his autem omnibus, & ſimilibus actionibus non conſtat de præcepto poſitivo. *Horum & ſimilium ratio.*

poſitivo. Unde gravitas ex objecto, & materia dijudicanda relinquitur: cumque materia hæc, de qua agimus, non videatur eſſe adeò gravis, ut ex natura rei cenſenda ſit injuria, vel ſacrilegium grave, hujuſmodi actiones, quæ Sacramenti confectiones non ſunt, in peccato mortali exequi, probabile videtur, eas peccati venialis limites non excedere; licet intra ſphæram venialis peccati illæ graviores meritò cenſendæ ſint, quæ magis accedunt ad perfectam adminiſtrationem ex officio, quæ in confectione Sacramenti conſiſtit, & in qua peccatum mortale, ſi cum conſcientia lætalis culpæ fiat, reperitur.

CAPUT OCTAVUM.

De ſuſcipientibus Sacramenta.

IN HOC CAPITE SVNT DVO PVNCTA.

P. 1. *Utrùm ad valorem Sacramenti requiratur ex parte ſuſcipientis liber conſenſus voluntatis?*

P. 2. *Utrùm ſit peccatum petere, vel accipere Sacramentum à malo miniſtro?*

PUNCTUM I.

Utrùm ad valorem Sacramenti requiratur ex parte ſuſcipientis liber conſenſus voluntatis?

1. Concluſio.

1. DIcendum eſt primò, qui numquam uſi ſunt ratione, validè ſuſcipiunt Sacramenta, quorum capaces ſunt, & ſi nullo modo id intendant. Concluſio eſt certa, & per ſe patet: quia non poſſunt habere ullam liberam intentionem.

Quorum ſacramentorum ſint capaces, qui numquam ratione uſi ſunt?

2. Tantùm dubitari poteſt, quorum Sacramentorum ſint capaces? Et quidem conſtat eſſe capaces Baptiſmi. De Confirmatione idem tradunt Theologi: & olim Confirmatio poſt Baptiſmum conferebatur infantibus, ſicut & venerabile Sacramentum. De hoc autem certum eſt, quod ſit Sacramentum ante recipientis conſenſum: daret etiam fructum gratiæ parvulis, ſi illis miniſtraretur; propter inconvenientia tamen meritò eos Eccleſia tanti Sacramenti à participatione excludit, ut ſuo loco dicemus. Certum etiam eſt non eſſe capaces Matrimonii, aut Pœnitentiæ: quia utrumque requirit actus liberos in ſuſcipientibus. Neque etiam Extremæ Unctionis: quia hujus ſolùm ſunt capaces, qui potuerunt peccare. Tantùm poſſet eſſe dubium de ordine: ſed etiam hunc validè ſuſciperent, ut docet D.Th. in ſupplemento, *3.p. q. 39. art. 2.* quamvis conferens peccaret.

2. Concluſio.

3. Dicendum eſt ſecundò: adultus rationis compos ad valorem Sacramenti, excepta Euchariſtia, debet habere conſenſum formalem, aut virtualem, ſeu interpretativum recipiendi Sacramentum. Hæc eſt communis, & vera ſententia, quam docent Theologi cum D.Th. *3. part. q. 68. art. 7.* quos congerunt, & ſequuntur Suarez, *diſp. 14. ſect. 2.* Vazquez *diſp. 157. cap. 2.* Bonacina *diſp. 1. q. 6. punct. 2.* N. Gabr. *diſp. 8. q. 1.* & alii.

Firmatur ex Conciliis.

4. Probatur auctoritate Conciliorum: nam in Carthaginenſi 3. *cap. 34.* ſic dicitur: *Ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, dixerint, baptizentur.* Et ſimiliter in Arauſicano I. *cap. 12.* *Obmuteſcens baptizari, aut Pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet.* In quibus Conciliis apertè ſupponitur conſenſum adulti eſſe neceſſarium, ut Sacramentum accipere poſſit.

Conſule lat. N. Gabr. loc. cit.

Suadetur congruenter.

5. Ratio vero, ſeu congruentia eſt: quia ſicut ad ſuavem Dei providentiam ſpectat non juſtificare adultum ſinè ejus conſenſu: ita pari ratione pertinet ad idem providentiæ genus, ut nullus adultus per Sacramenta initietur, vel conſecretur ſinè proprio conſenſu.

Illatio 1.

6. Hinc ſequitur primò contra Gloſſam *in cap. Majores, de Baptiſmo*, ut quis validè baptizetur, non ſufficere, ut ore dicat ſe conſentire, ſi corde diſſentiat.

Illatio 2.

7. Sequitur ſecundo contra Cajetanum, *3. part. quæſt. 68. art. 7.* non ſufficere ad ſuſcipiendum validè Sacramentum, ut habeat ſe adultus merè negativè, ſeu neutraliter.

8. Diximus autem in hac ſecunda concluſione, quod adultus debet habere conſenſum formalem, aut virtualem, ſeu interpretativum, non determinando modum: quia non eodem modo neceſſarius eſt omnibus Sacramentis, ut dicetur, cum de ſingulis agemus.

3. Concluſio.

9. Dicendum tertiò: excepto Pœnitentiæ Sacramento, in reliquis nulla diſpoſitio fidei, pœnitentiæ, aut juſtitiæ neceſſaria eſt ad valorem præcisè Sacramenti. Communis, & certa eſt concluſio: & patet, quia neque hæretici baptizati, aut ordinati, ſunt iterum baptizandi, aut ordinandi, ſi juxta ritum Eccleſiæ baptizati, aut ordinati ſint. Neque idem eſt de valore, & effectu Sacramenti: ille enim prior eſt, & ſeparabilis ab effectu: quare ſi ad effectum requiratur fides, vel pœnitentia, vel juſtitia, non erit neceſſe requiri ad valorem.

10. De exceptione autem poſità dicemus ſuo loco; quia in Sacramento Pœnitentiæ illud eſt peculiare, ut ille actus, quo ſuſcipiens diſponitur ad effectum Sacramenti, ſit pars ſubſtantialis ipſius Sacramenti.

PUNCTUM II.

Utrùm ſit peccatum petere, vel accipere Sacramentum ab indigno miniſtro.

Qui ſint miniſtri non tolerati?

11. INter indignos Sacramentorum miniſtros, quidam dicuntur tolerati ab Eccleſia: alii verò, non tolerati, ſed vitandi. Hi ſunt poſt Conſtantienſe Concilium illi ſolum,

qui

qui nominatim ſunt excommunicati, aut manifeſti percuſſores Clerici, ita ut nulla poſſit tergiverſatione celari: ut conſtat, tum ex verbis ipſius Concilii, quæ refert Dominicus Sotus *in 4. diſt. 22. q. 1. ar. 4. verſ. Tenor autem.* Tum etiam ex recepta ſententia Doctorum.

Notatio. 12. Notat autem Henriquez *lib. 13. cap. 5. §. 5.* ad hoc miniſtrorum non toleratorum genus revocari etiam degradatos, ſuſpenſos, interdictos, & irregulares, publicè & nominatim denuntiatos.

Publicus concubinarius an non toleratus. 23. Publicus verò concubinarius, licet etiam poſſet ad hoc genus revocari ſecundùm jus antiquum; jam tamen conſuetudo contraria enervavit iſtud jus, ut docent Sotus *diſp. 5. art. 6.* Valentia *q. 5. puncto 3.* Suarez *diſput. 18 ſect. 2.* Henriquez ubi proximè *§. 3. in fine*, Granados *diſput. ultima, num. 1*

Indigni miniſtri tolerati. 14. Indigni verò miniſtri ab Eccleſia tolerati dicuntur illi, qui non ſunt prædicto modo prohibiti; ſed vel nullâ cenſurâ ligantur ſed ſolum ſunt in peccato mortali, vel ſi quâ cenſurâ irretiuntur, non ſunt nominatim denuntiati, aut manifeſti percuſſores Clerici, ut explicatum eſt.

1. concluſio. 15. His poſitis dicendum eſt primò: à miniſtro, qui non habet poteſtatem valide conferendi Sacramentum, ſivè quia deſit illi ordo, & poteſtas neceſſaria, ſivè quia non eſt exhibiturus ritum ſubſtantialem, aut habiturus intentionem conferendi verùm Sacramentum, nemo poteſt petere Sacramenta. Hæc concluſio eſt certa apud omnes, & patet: quia ſic induceret miniſtrum ad actum intrinſecè malum, & ſacrilegum, & ipſa ſuſceptio eſſet fictitia, & non verâ Sacramenti, ſed ſpeciei tantùm, & apparentiæ Sacramenti ſuſceptio.

2. concluſio circa Baptiſmum. 16. Dicendum eſt ſecundò: aliqua neceſſitas poteſt ſufficere, ut ab excommunicato vitando poſſit peti, aut accipi Sacramentum. Et quidem primò de Baptiſmo res eſt omnino certa apud omnes poſſe recipi, & miniſtrari à quocumque excommunicato, etiam hæretico, quando baptizandus eſſet in mortis articulo, & non eſſet alius miniſter: ſumiturque ex Div. Auguſtino, & refertur *in cap. ſi quem fortè 24. q. 1.* & ratio eſt: quia cum hoc Sacramentum ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, pia mater Eccleſia noluit deeſſe in neceſſariis, & ita non prohibet excommunicatis, etiam denuntiatis, aut hæreticis in caſu neceſſitatis extremæ illud conferre.

Advertentia. 17. Advertit tamen Hugolinus, *tabula 1. cap. 13. §. 17. n. 6.* in hoc caſu Baptiſmum adminiſtrandum eſſe ab excommunicato ſinè cæremoniis, & ſolemnitate: nam ſatis ſubvenitur neceſſitati alterius, ſi ſaluti æternæ illius provideatur, quod optimè fit ſolo Baptiſmo, ſinè ſolemnitatibus ad ejus valorem minimè requiſitis.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ 18. Secundò de Sacramento Pœnitentiæ in mortis articulo, & alio Sacerdote deficiente, merito idem affirmant Suarez *diſp. 11. ſect. 1. num. 6.* Savrus *lib. 2. cap. 2. n. 18.* ubi plures antiquiores referunt, quibus ſubſcribunt N. Cornejo *tract. 5. de excommunic. diſp. 10. dub 3.* Granados *controverſ. 3. de Sacram. in genere, tract. 5. diſp ult. n. 3.* Bonacina *de excommunic. diſp. 2. q. 1. puncto 2. §. 3.*

Ratio. 19. Ratio eſt: quia pro tali articulo conceditur omnibus Sacerdotibus ſinè aliqua exceptione juriſdictio, & ejus uſus ad abſolvendum, ut patet ex Tridentino *ſeſ. 14. cap. 7.* ubi ſic dicitur: *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt* Lex autem generaliter loquens, generaliter debet intelligi: argumento *leg. 1. §. generaliter. ff. de legatis præſtandis.* Præſertim cum qui totum dicit, nihil excludat: argumento legis *Iulianus, ff. de legatis 3.* Ratio autem talis permiſſionis eſt magna in eo caſu neceſſitas hujus Sacramenti: nam licet ſinè illo in re ſuſcepto, poſſit quis ſalvari per ſolam contritionem; tamen difficile eſt illam habere, & rarò ſumus ſecuri eam habuiſſe: ac proindè in illa generali conceſſione includuntur etiam Sacerdotes excommunicati, etiam denuntiati.

Confirmatur. 20. Accedit; quia quod quilibet Sacerdos poſſit abſolvere in articulo mortis, eſt gratia, & favor populi chriſtiani, atque ita debet potius ampliari, quam reſtringi: econtrà verò, quod Sacerdos excommunicatus privetur adminiſtratione Sacramentorum, eſt pœna, & odium ipſius excommunicati, ac propterea eſt reſtringendum ad ſolos caſus extrà mortis articulum.

Illatio. 21. Ex his infert N. Cornejo ubi ſuprà, cum Suarez *loc. cit. n. 14.* & 15. & cum Sayro, *n. 18.* ab excommunicato propter hæreſim, in caſu poſito licitè peti adminiſtrari pœnitentiæ Sacramentum. Unde jura, in quibus dicitur hæreticos carere poteſtate juriſdictionis ligandi, & ſolvendi, intelligenda regulariter ſunt extrà mortis articulum.

Circa Sacramentum Euchariſtiæ 22. Tertio de Sacramento Euchariſtiæ in eodem mortis articulo, & deficiente alio miniſtro licere illud petere, & accipere à miniſtro non tolleraro tenent probabiliter Navarrus *in ſumma, cap. 2.* Sotus *in 4. diſt. 13. q. 1. art. 4.* Nuñus *3. p. q. 64. art 6. difficultate 3.* Suarez, *diſput. 11. ſect. 1. n. 17.* N. Cornejo ubi ſuprà, *dub. 4.* Bonacina ubi ſupra, *propoſitione 3.* contrà Sayrum, Avilam, Alterium, & alios. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum eſt neceſſarium neceſſitate præcepti divini, quod probabilius eſt obligare in articulo mortis: ſed præcepta juris divini ſtrictius obligant, quam præcepta juris humani Eccleſiaſtici: ergo non obſtante prohibitione facta ab Eccleſia ratione dictæ excommunicationis, poteſt in articulo mortis Euchariſtia licitè peti ab huiuſmodi excommunicato denuntiato, & ab eo licité miniſtrari, & præſertim cum poſſit contingere, infirmum non eſſe contritum, ſed attritum dumtaxat, & ſinè conſcientia peccati mortalis: in quo caſu Sacramentum Euchariſtiæ primam illi gratiam conferret. Undè etiam Avila *de cenſuris 2. p. cap. 6. diſp. 3. dub. 3.* quamvis contrarium circà Sacramentum Euchariſtiæ teneat, excepit tamen unum caſum, quo ſcilicet jam morituro nulla poſſent dari alia Sacramenta, quam communio; quia tunc videtur eſſe maxima neceſſitas, cum poſſit per eam juſtificari, ſi tantùm ſit attritus.

23. Quartò de Sacramento etiam Extremæ Un-

Digitized by Google

Circa Sacramentum Extremæ Unctionis.

Unctionis, quandò exiſtens in periculo mortis non poteſt Sacramentum Pœnitentiæ, neque Euchariſtiæ recipere, quia nullum dedit contritionis, neque motus ſignum, licitum eſſe miniſtrari à miniſtro non tollerato, deficiente alio miniſtro, ut ſi fortè infirmus fuerat attritus, fiat per tale Sacramentum contritus, tenent Suarez, Avila, Bonacina, & N. Cornejo ubi proximè, Coninchus 3. *p. q.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. & Filliucius *tract.* 12. *cap.* 3. Et ratio eſt: quia in illo caſu jam tale Sacramentum reſpectu illius infirmi eſt moraliter neceſſarium ad ſalutem.

Circa Sacramentum Ordinis.

24. Quintò de Sacramento Ordinis in caſu, in quo in aliqua provincia remota eſſet penuria Sacerdotum, & non eſſet niſi unus Epiſcopus, & ille eſſet excommunicatus denuntiatus, aut publicus Clerici percuſſor: tunc ratione boni communis licitè poſſe Sacramentum Ordinis miniſtrari docent Suarez *loco citato n.* 23. & 25 & N. Cornejo, *dub.* 4. *§. ſecundus eſt.*

Circa matrimonium.

25. Sextò denique idem docent Suarez, & Cornejo ibidem de Sacramento Matrimonii, in caſu in quo moraliter neceſſarium ſit, vel ad ſpiritualem ſalutem hominis morientis, vel ad magnum commodum temporale filiorum, ut in articulo mortis uxorem ducat, quam uſquè ad illum in concubinam babuerat; & quod nullus alius adſir Sacerdos, niſi excommunicatus denuntiatus, qui intereſſe poſſit. In quo caſu quantum eſt ex parte cenſuræ, non dubitant, quod licitè poſſit hujuſmodi Sacerdos adeſſe tali matrimonio. Tum quia hæc neceſſitas eſt graviſſimâ. Tum etiam, quia Parochus non eſt verus miniſter hujus Sacramenti: ſed ſolum adeſt, ut teſtis qualificatus jure Eccleſiaſtico neceſſarius ad valotem talis contractus, & conſequenter ad ſubſtantiam Sacramenti.

Tertia concluſio.

26. Dicendum èſt tertiò: licitum eſt petere Sacramentum ab excommunicato tollerato, ſi nullum aliud obſtaculum, demptâ excommunicatione, interveniat, quoties cedit in favorem petentis, ſeu moraliter eſt neceſſarium, aut utile, quod excommunicatus tolleratus ei conferat Sacramentum. Ita Suarez *diſp.* 21. *de excommunic. ſect.* 4. *num.* 11. N. Cornejo *tract.* 5. *diſp.* 10. *§.* 1. *dub. ultimo*, N Anton. N. Gabr. *diſp.* 8. *q.* 3. & alli: fundaturque in extravaganti: *Ad evitanda.*

27. Diximus, *ſi nullum aliud obſtaculum dempta excommunicatione interveniat.* Nam ſi talis excommunicatus tolleratus, eſt in peccato mortali, & cognoſcis eſſe adminiſtraturum Sacramenta in peccato mortali, quando liceat tibi Sacramentum petere, vel accipere, & quando non: alia eſt quæſtio infra decidenda à *num.* 34. & deinceps.

Quæſitum & reſponſio ad illud.

28. Sed inquires, quando cenſendum ſit eſſe modo dicto in favorem petentis recipere Sacramentum ab excommunicato tolerato, potius quam ab eo, qui non ſit excommunicatus? Reſpondet cum Suarez, & N. Cornejo; vel quando habet jus petendi, ut ſi ſit ejus Parochus, vel quando non ſit, eſt tamen ipſi petenti utile à tali excommunicato Sacramentum recipere, potius quam ab eo, qui non eſt excommunicatus, eo quod iſte indoctior ſit, nec valet ita ſufficienter reſpondere difficultatibus proponendis, aut minus benè poſſit ipſum fidelem in ſpe dirigere, aut ſi eſſet valdè moroſus, aut alia neceſſitas occurrat ei, quæ antè privilegium dictæ Extravagantis non ſufficeret.

Illatio.

29. Ex his infertur, quod male faceret, qui à Sacerdote excommunicato peteret Sacramentum, quod æque bene poſſet à non excommunicato recipere: quia diſſonantia, & irreverentia quædam eſt, quod Sacerdos excommunicatus Sacramentum miniſtret, quod æquè bene poſſet a Sacerdote non excommunicato miniſtrari: atque adeo ceſſante prorſus neceſſitate, aut utilitate petentis, contrà jus eſt naturæ obligans ad evitandam diſſonantiam, & irreverentiam in hac materia, petere Sacramentum ab hujuſmodi excommunicato. Et à ſimili explicari poteſt ex doctrina, quam cum multis tradit Palaus *de cenſuris, diſp.* 2. *puncto* 21. *n.* 10. dicens, ſaltem peccatum veniale committi ab eo, qui cum minore excommunicatione adminiſtrat Sacramenta; non quia minori excommunicatione innodatus, lege aliqua eccleſiaſticâ remotus ſit à Sacramentorum collatione: ſed quia lege naturali ab eorum collatione removetur, eo quod remotus ſit ab eorum ſuſceptione: quippè indecens eſſe videtur aliis conferre Sacramenta, quorum ſuſceptione ipſe, tanquam indignus, privatus eſt.

Limitatur doctrina.

30. Undè niſi juxta hæc limitetur, aut explicetur, non approbamus ſententiam Sanchez *de Matrimonio, lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 8. dicentis petentem Sacramenta à miniſtro quocumque, etiam non parato, excommunicato, dum non ſit denuntiatus, nec notorius Clerici percuſſor, abſque quavis neceſſitate, immunem eſſe culpæ, ſi nullum aliud obſtaculum dempta excommunicatione interveniat. Exiſtimamus namque à peccato ſaltem veniali non excuſari eum, qui à Sacerdote excommunicato tolerato peteret Sacramentum, quod æquè bene poſſet à non excommunicato recipere, propter indecentiam, Irreverentiam, & diſſonantiam dictam. Unde etiam ſi ſit immunis culpæ, quæ ſit contra legem aliquam eccleſiaſticam; non tamen ejus, quæ eſt contra jus ipſum naturæ.

Objectio.

31. Dices, materiam gravem eſſe: atque adeò ſi ſemel peccatum eſt, debere eſſe mortale, & non tantum veniale.

Solutio.

Reſpondetur, materiam quidem gravem eſſe: ſed quia lege Eccleſiaſtica non prohibentur ab excommunicato tolerato petere Sacramentum, ſuppoſita indulgentia Extravagantis. *Ad evitanda*; ſed ſolum ipſi ex lege naturali honeſtatis, & decentiæ interdicitur, nulla ſcilicet interveniente neceſſitate, neque utilitate, ideò non arguit culpam gravem in petente.

In quo Doctores conveniant primo.

32. Conveniunt tamen Doctores primò, non licere hujuſmodi excommunicatis toleratis ſe ipſos offerre ad Sacramenta miniſtranda: quia in prædicta Bulla Martini V. nullus favor eis directè conceditur; ſed tantum datur facultas aliis communicandi cum ipſis: atque adeò quouſque à fidelibus requiſiti ſint, non licet eis cum illis in Sacramentorum adminiſtratione communicare.

33. Conveniunt ſecundò: quod ſi excommuni-

In quo conveniat ſecundo. municatus poſſit tunc facilè prius abſolutionem cenſuræ petere, ſinè dubio ad id tenetur: quia per ſe illi prohibitum eſt Sacramentum cum cenſura miniſtrare, & tunc jam nulla ei imminet neceſſitas, cum poſſit prius cenſuram à ſe expellere.

34. Dicendum eſt quartò: licitum eſt petere, & recipere Sacramentum à quolibet Sacerdote poteſtatem, & juriſdictionem habente, quem ſcimus adminiſtraturum in peccato, ſive paratus ſit ad illa adminiſtranda, ſive non, quando noſtra intereſt, ut neceſſitati noſtræ conſulamus, vel ob juſtam, & rationabilem utilitatem. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 64 *art.* 6 *ad* 2. Ledeſma *de Sacramentis, cap* 6. Nuñus *dicto art.* 6. Suarez *tomo* 3. *diſp.* 18. *ſect.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de Matrimonio diſp.* 9. *n.* 8. plures alios congerens Bonacina *diſput.* 1. *q* 6. *puncto* 5. N. Gabr. Urban. Franciſ. *quos refert & ſeq.* N. Steph. *diſp.* 1. *dub.* 5. & alii communiter.

Probatur. 35. Ratio eſt, quia tunc non eſt petere peccatum, nec cooperari peccato alterius; ſed res petita poteſt licitè fieri, & alter malitia ſua illicitè præſtat. Quare petens ſolùm utitur malitia alterius, illi minimè cooperans, ut contingit in petente in neceſſitatè mutuum ab uſurario, quem ſcit non mutuaturum niſi ſub uſuris, vel ex juſta cauſa juramentum ab eo, qui juraturus eſt per falſos Deos, qui petens neutrum inducit ad peccatum, aut cooperatur peccato, ſed tantùm permittit ipſum ex juſta cauſa, quia quantum eſt ex ſe, rem licitam, & honeſtam petit.

5. Concluſio. 36. Dicendum eſt quintò: non licet extra neceſſitatem, aut rationabilem utilitatem petere Sacramentum ab eo Sacerdote, quem cognoſcimus adminiſtraturum in peccato gravi, etiam ſi ſit Parochus, vel alias paratus adminiſtrare. Tum ob charitatem proximi, qua tenemur peccatum illius impedire, ſi commodè poſſumus, Tum etiam, ne divinus honor, & reverentia Sacramento debita lædatur. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 5. *artic.* 6. Suarez *ſect.* 2. *circa finem*, Coninc. *quæſt* 64. *art.* 6. *dub* 2. *num* 43. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 6. *puncto* 5. *n.* 2. Palaus *diſput unica, puncto* 15. *n.* 2. Dicaſtillus *de Sacramentis in genere, diſput.* 3. *dub.* 13. *n.* 298. & alii ex noſtris citati.

Quæſitum primum. 37. Sed inquires primò: an à Sacerdote peccatore, etiam ſi non ſit proprius Parochus, nec aliàs paratus ſit adminiſtrare, licitè peti poſſint Sacramenta, quoties adeſt neceſſitas implendi præceptum illorum, aut quoties utile eſt petenti non multum differre uſum illorum Sacramentorum? Affirmative reſpondetur: quia adeſt juſta cauſa petendi Sacramenta, & permittendi illius peccatum. Ita Vazquez *de Pœnitentia, q.* 95. *art.* 1. *dub.* 2. *n.* 24. Pitigianus *diſp.* 5. *q.* 2. *art.* 2. Bonacina ubi ſupra, *n.* 4. Dicaſtillus *n.* 300. & alii.

Quæſitum ſecundum. 38. Inquires ſecundò: an liceat tibi petere Sacramenta à tuo Parocho, quem probabiliter conjicis adminiſtraturum in peccato, caſu quo non eſt tibi difficile alium Sacerdotem invenire, qui dignè tibi miniſtret? Reſpondetur negative: quia quilibet tenetur ruinam proximi evitare, quoties non habet juſtam, & rationabilem cauſam illam permittendi. Ita Navarrus *cap.* 14. *n.* 28. Sotus *lib.* 6. *de juſtitia, q.* 1. *art.* 5. & alios referens Bonacina *loco citato*, *n.* 3. & Ledeſma *de Sacramentis in genere, cap.* 6. *concluſione* 11. ubi ſic ait: *Si tuvieſe à la mano otro Confeſſor tan docto, y bueno, como ſu proprio Parrocho, no ſeria licito inducirle, à que le confeſſaſe: porque no es licito uſar ſiempre de ſu proprio derecho de juſticia, ſi no es conforme à las leies de prudencia, y de caridad: porque aunque no pèquè contra juſticia, pecarà contra caridad: y aſi en el tal caſo, pecarà contra la caridad, como pecaria contra la caridad, el que pidieſe à ſu dendor la deuda, aviendo de caer en grave, ò extrema neceſſidad ſi ſe la paga.*

Quæſitum tertium. 39. Inquires tertiò: an teneatur aliquis ſuſcepturus Sacramentum, inquirere, de probitate adminiſtraturi Sacerdotis, ut non accipiat ab indigno? Reſpondetur non teneri nemo enim præſumitur malus, niſi conſtet, nec temerè judicandum eſt de proximo, neque ea diligentia eſt ipſi commiſſa.

Additio. 40. Imò etiam ſi videat Sacerdotem paulò antea mortaliter peccantem, poteſt ab illo petere Sacramentam, etiam ſi non ſit paratus, neque ex officio illud dare teneatur: quia ſemper poteſt ſperari eum forè convenienti modo diſponendum, quod breviſſimo tempore præſtare poteſt. Ità Suarez, *diſp* 18 *ſect.* 1. propè finem. Vazquez *q* 93. *art.* 1. *dub.* 2. & 14. Coninch. *q.* 64. *art* 6. *n.* 45. Clavis Regia, *cap* 8. *de Sacram. q.* 1. *artic.* 2. *prope finem* Pitigianus, & Reginaldus, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus ubi ſupra *num.* 301. & 302. Bonacina *loco ſupra citato, n.* 5 & 6. & alii communiter.

Quæſitum quartum. 41. Inquires quarto: utrùm liceat inſervire Epiſcopo peccatori, dum ordines confert in peccato, aut inſervire Sacerdoti indignè celebranti? Reſpondetur, quod quia moraliter loquendo, vix commodè poteſt vitari hoc miniſterium, neque ea de cauſa vitabitur peccatum, ideò non ſunt hujuſmodi ſcrupuli his miniſtris injiciendi, ut prudenter docet Suarez ubi ſupra in fine ſectionis, quem ſequitur Bonacina *loco citato, n.* 7. & Dicaſtillus referens *n.* 303. Reginaldum, & Pitigianum. Vide Dianam, *tom* 5. *tract.* 7. *reſolut.* 4.

Quæſitum quintum 1. ſententia. 42. Inquires quintò: an petens Sacramentum abſque neceſſitate, vel utilitate aliqua à miniſtro malo parato, ſciendo fore, ut in peccatum mortali miniſtret, peccet mortaliter, an ſolum venialiter? Et videtur talem petitionem eſſe peccatum mortale: quia præceptum charitatis, & fraternæ correctionis obligat quemlibet ſub mortali ad vitandum mortale proximi, quando commodè, & abſque damno facere poteſt: atque ideò hanc partem ſuſtinent Sylveſter, *verbo uſura* 7. *q.* 1. Aragon 2. 2. *q.* 89. *artic.* 6 *dub.* 2. *concluſ.* Conradus *de contractibus, q* 47. Molina *tom.* 2. *de juſtitia, diſp.* 335. *concl.* 4. Valentia 22. *diſp* 5 *q.* 21. *puncto* 4.

2. ſententia. 43. Quamvis autem hanc ſententiam probabiliorem eſſe credamus: quia ratio facta fortiter urget: at probabile videtur culpam ſolam venialem admitti, niſi aliàs alia mortalis circumſtantia adjungatur. Ducimur ad cenſendum eſſe probabile: quia videmus, viros graviſſimos tenere eſſe ſolum culpam venialem Ità Sotus *in* 4 *diſt.* 1 *à* 5. *art.* 6. *columna* 9. *verſ. Prima itaque propoſitio ſit* Et in ſimili Cajetanus 22. *q.* 78. *art.* 4. paulo poſt principium. & *in ſumma, verbo uſura, cap. penultimo.* Navarrus *in ſum-*

ſumma, cap. 17. *n.* 262. Sà, *verbo uſura, n.* 5. Diana *tom* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 21. & alii. Et ita probabile cenſent Thomas Sanchez *in ſumma, tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 8 *num.* 23. Valboa *tom.* 2. *in c.* 26. *de jure jurando, n.* 71. & ſequentibus, ubi ſic ait: *Dubium autem eſt, quale ſit peccatum, juramentum exigere ab infideli parato jurare per falſos Deos, neceſſitate, aut utilitate deficiente? Hanc difficultatem explicant Doctores in ſimili caſu petentis mutuum ab uſurario parato ſub uſuris dare, abſque ulla juſta cauſa, dicentes talem petitionem eſſe peccatum mortale: & moventur. Nam præceptum charitatis, & fraternæ correctionis obligat quemlibet ſub mortali ad vitandũ mortale proximi, quando commodè, & abſque damno facere poteſt, ut advertit* Sylveſter *verbo uſura* 7. *q.* 1. Aragon. 2. 2. *q.* 89. *art.* 6. *dub.* 2. *concl.* 3. *ubi expreſsè de petitione juramenti ab infideli parato jurare per falſos Deos.* Molina *tom.* 2. *de juſtitia, & jure, diſput.* 335 *conclus.* 4. *Quæ ſententia valdè probabilis eſt: & puto etiam probabilem eſſe opinionem, ſolam eſſe culpam venialem; niſi aliàs adſit mortalis circumſtantia, v. g. ſi peteretur mutuum ad erogandum meretricibus, quo caſu, ratione circumſtantiæ, erit mortale: & audeo dicere, ſolùm eſſe culpam venialem propter multorum Doctorum authoritatem ita dicentium. Cajetan.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *& in verbo uſura. cap. penultimo. Soto lib.* 6. *de juſtitia, & jure, q.* 1. *art.* 5. *dubio* 1. Navarro *cap.* 17. *n.* 172. Ledeſma 2. *tomo ſummæ, tract.* 8. *cap.* 33. *poſt concluſionem,* 29. *dub.* 2. Bannez 2. 2. *à q.* 78. *art.* 4. *Et confirmari poteſt exemplo petentis Sacramentum à malo miniſtro, de quo cognoſcitur in peccato mortali adminiſtraturum: & tamen is, qui petit, etiam ſinè neceſſitate, ſolùm peccare venialiter, tenent tanquam certum Soto in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *art* 6. *in verſ. prima, itaque propoſito ſit. Idem ergo dicendum videtur de petenti ab infideli juramentum, qui paratus eſt jurare per falſos Deos abſque juſta neceſſitatis, & utilitatis cauſa. Sed quamvis hæc ſententia probabilis ſit; prior autem, & verior, & probabilior mihi videtur.* Ita Valboa.

44. Unde ad rationem oppoſitæ ſententiæ reſponderi poſſet, quod quamvis præceptum vitandæ ruinæ proximi in mortale, obliget ex genere ſuo ad mortale; at in caſu hujus quintæ dubitationis eæ circumſtantiæ concurrunt, ut videatur is rigor temperandus: concurrunt enim ex parte dantis, occaſionem eam non cenſeri datam, ſed acceptam ex ſua prava voluntate, qui ſi vult, poteſt abſque culpa miniſtrare Sacramentum petitum. Item videtur grave onus tam ſtricta peccati mortalis obligatione adſtringere petentem Sacramentum, ad diſcutiendum an cauſa juſta ſit, nec nè? Et ex parte miniſtri concurrit, quod ſponte ſua in mortale labatur, ad idque paratus ſit: & ſi modo huic non miniſtret Sacramentum, miniſtrabit aliis, præſertim ſi ſit in loco publico excipiens pœnitentium confeſſiones.

TRACTATUS SECUNDUS

DE

SACRAMENTO BAPTISMI.

CAPUT PRIMUM.

De diviſione Baptiſmi in communi, nec non de nomine, & definitione Baptiſmi noſtri, ejuſque inſtitutione.

In hoc Capite ſunt duo Puncta, & unicum Dubium.

P. 1. *De diviſione Baptiſmi in communi.*
P. 2. *De nomine Baptiſmi noſtri, ejuſque definitione.*
D. vn. *An Baptiſmus à Chriſto fuerit inſtitutus ante Paſſionem?*

PUNCTUM I.

De diviſione Baptiſmi in communi.

1. *Baptiſmus fluminis.* CElebris eſt Baptiſmi diviſio, quam communiter Doctores cum triplicem faciunt. Primus eſt *fluminis*, id eſt aquæ: & hoc eſt Sacramentum Baptiſmi, de quo in præſentiarum agimus, vocemque ipſius, & eſſentiam puncto ſequenti explicabimus.

Baptiſmus flaminis. 2. Secundus eſt *flaminis*, ideſt pœnitentiæ, & contritionis, quæ quoniam fit impulſu Spiritus Sancti, qui dicitur flamen, ipſa quoque dicta eſt flamen: eſt autem hic Baptiſmus in ſolis adultis habentibus uſum rationis, nec dum baptizatis, hic Baptiſmi Sacramenti vices gerit, & illius defectum ſupplet, eàque de cauſâ Baptiſma nuncupatur: etenim impeditus ſuſcipere Baptiſmum, ſi votum illius habeat in contritione, ſeu dilectione Dei ſuper omnia incluſum, gratiam, & remiſſionem cujuſcumque culpæ conſequitur, & pœnæ etiam omnis, ſi valdè fervens contritio ſit, quamvis communiter partem tantum ejus deleat, ut docent Bellarminus *lib. de Baptiſmo, cap* 6. Henriquez *lib.* 2. *de Sacram. cap.* 1. §. 2. Filliucius *de Baptiſm. cap.* 1. *n.* 3. Ipſe tamen flaminis Baptiſmus Sacramentum non eſt, ut Docet D. Thomas 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 11. *ad* 2. & communiter Doctores.

3. Tertius eſt *ſanguinis*, ideſt martyrium, *Baptiſmus ſanguinis.* quo proprii ſanguinis effuſſione quis baptizatur, de quo Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, &c. Et Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari*, ideſt ipſa

ipſa morte, & effuſione ſanguinis. Accommodatur autem ſpecialiter illi martyrio, quod ſupplet defectum Baptiſmi: ut ſi contingat quempiam rapi ad martyrium, antequam baptizari poſſit, tunc enim martyrium ſupplet effectum Baptiſmi; non tamen eſt Sacramentum, ut docet idem D. Thomas ubi proximè, & communiter Theologi.

PUNCTUM II.

De nomine Baptiſmi noſtri, ejuſque definitione.

Baptiſmi nomen Græcum. 4. BAptiſmi nomen Græcum, Latinè idem eſt, quod immerſio vel intinctio in aquam. Ideò autem appellatur hoc Sacramentum immerſio, quia per immerſionem fieri olim ſolebat in repræſentationem ſepulturæ Chriſti, juxta illud ad Colloſ. 2. *Conſepulti ei per Baptiſmum.* Retinuit autem Eccleſia latina nomen Græcum ob antiquitatem.

Varia baptiſmi nomina. 5. Habet etiam varia nomina apud Scripturam, & Sanctos Patres, ut videre eſt apud D. Thom. *loco nuper citato in ſolut. ad* 1. Bellarminum *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 1. Suarez, *quæſt.* 66. *art.* 1. & alios. Præcipua ſunt: *Lavacrum regenerationis*: quia per illud denuò naſcimur, & regeneramur, juxta illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei. Signaculum, ſeu ſigillum*: quia in oves Chriſti eo primò ſigillamur. *Indumentum*: quia nuditas per peccatum contracta, gratiâ hujus Sacramenti tollitur. *Illuminatio*: quia fide accepta in cognitionem Dei illuminamur. *Donum*, ſeu *gratia*: quia in eo fit liberaliſſima remiſſio, primaque gratiæ infuſio abſque ullo præcedenti merito. *Principium, & janua Sacramentorum*: quia per illud fit homo capax ad cætera Eccleſiæ Sacramenta recipienda. *Circumciſio Chriſti non manufacta* ad Coloſſ. 2. quia per Baptiſmum circumcidimur, & expoliamur non carne, ſed peccatis, & eis morimur. *Sepultura* Joan. 3. & 6. quia vetus homo in Baptiſmo moritur, & quaſi ſepelitur.

Prima baptiſmi definitio. 6. Baptiſmi nomine explicato, Præceptor noſter Angelicus ſequens Magiſtrum *in* 4. *diſt.* 3. definit hoc Sacramentum per materiam ejus, & formam ad modum compoſiti phyſici, ſeu definitione phyſica: *Baptiſmus eſt exterior corporis ablutio facta ſub præſcripta forma verborum.* Quæ definitio communiter recipitur: & bonam eſſe ex eo patet: quia datur per materiam ejus proximam, quæ eſt exterior ablutio, & per formam, quæ ſunt verba: colligique videtur ex D. Paulo ad Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ubi ſecundum communem intelligentiam Sanctorum fit Sermo de Baptiſmo: & dicitur eſſe *lavacrum aquæ*, id eſt, ablutionem corporis exteriorem, *in verbo vitæ*, id eſt, ſub præſcripta verborum forma.

Objectio prima. 7. Sed contra illam objicies primò: pars non prædicatur de toto: ſed ablutio eſt pars Baptiſmi, cum hic conſtet rebus, & verbis, & ablutio ſit res: ergo ablutio non poteſt prædicari de Baptiſmo, & conſequenter neque hic per illam definiri.

8. Secundò: quia licet in rebus artificioſis materia prædicatur de toto; non tamen pars materiæ: ſed ablutio non eſt tota materia Baptiſmi; ſed pars materiæ illius: quia Sacramenta novæ legis conſtant rebus, & verbis tanquam materiâ, & ſignificatione tanquam formâ, ut diximus *in tractat. de Sacramentis in genere, cap.* 4. ergo non poteſt de illo prædicari. *Secunda.*

9. Tertiò: eo ipſo quod Baptiſmus dicatur ablutio in definitione, definitur per ſe ipſum voce ſynonimâ: ſicut ſi quis definiret enſem per gladium: idem enim eſt latinè *ablutio*, quod græce *Baptiſmus*. *Tertia.*

10. Quartò: quia iſta definitio non continet omnia, ſine quibus non ſalvatur Baptiſmus: ſiquidem non continet legitimam intentionem miniſtri, ſine qua nullus eſt Baptiſmus: ergo non eſt bona. *Quarta.*

11. Quintò: ſi ſemel baptizatus, iterum baptizetur, vel baptizetur invitus, eſt vera ablutio, &c. tamen non eſt Baptiſmus: ergo. *Quinta.*

12. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur, quod in rebus artificioſis pars, quæ eſt materia, de toto prædicatur; ſicut cum dicimus, domus eſt lignum, calx, & lapides in certa forma diſpoſita: ſimiliter baptiſmus, qui eſt res artificioſa, optimè dicitur, quod ſit ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta forma verborum. *Solvitur 1. objectio.*

13. Ad ſecundam dicendum, ablutionem eſſe totam materiam phyſicam, & hoc ſufficere, ut de toto prædicetur: quia in compoſitione phyſica Baptiſmi ſolum inveniuntur res tanquam materia, & verba tanquam forma. Compoſitio verò, quæ tangitur in hac objectione eſt metaphyſica. *Solvitur ſecunda.*

14. Ad tertiam negatur Baptiſmum definiri per ablutionem voce ſynonima: quia ſecundum communem uſum, & virtualem impoſitionem Baptiſmus non ſolum ablutionem ſignificat; ſed omnia illa, quæ ad eſſentiam hujus Sacramenti pertinent. *Solvitur tertia.*

15. Ad quartam reſpondetur legitimam intentionem ſufficienter intelligi in illis verbis: *Sub præſcripta forma verborum.* *Solvitur quarta.*

16. Ad quintam dicendum, quod talis ablutio excluditur à ratione Baptiſmi illo pronomine te, quod ſignificat ſubjectum capax Baptiſmi. *Solvitur quinta.*

17. Si velimus autem definire Baptiſmum per genus, & differentiam, & ad modum compoſiti metaphyſici, ſivè definitione metaphyſica, optima eſt definitio Catechiſmi Roman. *titulo de Baptiſ.* 2. *p. cap.* 2. *Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ.* Ubi ponitur *Sacramentum* pro genere, *regenerationis* pro differentia, quæ diſtinguit Baptiſmum: tum à Sacramentis legis veteris, quæ non habebant ex ſe vim regenerandi: tum à Sacramentis novæ: ſi vox regeneratio propriè ſumatur per quandam ſingularitatem, quia per illum fit prima ſanctificatio. Denique additur *per lavacrum aquæ in verbo vitæ*, ad explicandam materiam, & formam ejus. *Secunda baptiſmi definitur.*

DUBIUM UNICUM.

An Baptiſmus à Chriſto fuerit inſtitutus ante paſſionem?

18. BAptiſmi Sacramentum fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum, ſicut & alia Sacramenta definit Trident. *ſeſ.* 7. *can.* 1. Quo autem tempore inſtitutum ſit, non ita certum eſt. Et videtur, quòd non fuerit inſtitutum ante Paſſionem.

1. Dubitandi ratio. 19. Primò, quia Joan. 7. dicitur nondum Spiritum datum, quia Jeſus nondum erat glorificatus, hoc eſt, quia nondum erat mortuus, & reſuſcitatus: ſi autem Baptiſmus, quo Spiritus Sanctus confertur, eſſet ante Chriſti Paſſionem, & ejus glorioſam Reſurrectionem inſtitutus, Spiritus Sanctus ante illam datus eſſet: ſignum ergo eſt Baptiſmum ante Paſſionem non fuiſſe inſtitutum.

Secunda. 20. Secundò, quia cauſam non præcedit effectus: ſed Baptiſmus habet efficaciam à Paſſione Chriſti: ergo non debuit ante paſſionem inſtitui.

Tertia. 21. Tertiò: quia Baptiſmus non fuit ſinè forma ſua: ſed forma fuit inſtituta poſt Paſſionem Matth. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ergo & Baptiſmus.

Quarta. 22. Quartò: quia ut communiter dicitur, Sacramenta omnia fluxerunt ex latere Chriſti pendentis in Cruce: ergo nullum erat antea.

Quinta. 23. Quintò: quia Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, & ità videtur, quòd ex quo Baptiſmus inſtitutus fuit, homines obligarentur ad Baptiſmum: ſed ante Paſſionem Chriſti homines non obligabantur ad Baptiſmum: ergo videtur, quòd Baptiſmus non fuerit inſtitutus ante Paſſionem Chriſti.

Authoritas D. Thom. 24. Sed contrà: quia ut docet D. Thom. 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 2. Sacramenta ex ſui inſtitutione habent, quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod Sacramentum inſtitui, quando accipit virtutem producendi ſuum effectum: hanc autem virtutem accepit Baptiſmus, quando Chriſtus eſt baptizatus: undè tunc verè Baptiſmus inſtitutus fuit, quantum ad ipſum Sacramentum: ſed neceſſitas utendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus poſt Paſſionem, & Reſurrectionem, Matth. ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Aſſertio. 25. Reſpondemus dicendum, Baptiſmi Sacramentum fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum ante Paſſionem. Ita D. Auguſtinus, *tract.* 5. *in Joan.* Sanctus Parens N. Cyrillus, *l.* 2. *ſuper Joan. cap.* 57. Magiſter ſententiarum, & communiter ſcholaſtici in 4. *diſt.* 3. & Theologi cum D. Thom. *q.* 66. *art.* 2. *citato.* Et colligitur ex illis verbis Joan. 1. *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Et Matth. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Quæ verba licet poſſint explicari de Baptiſmo futuro; multò tamen melius explicantur de Baptiſmo præſenti, ut explicat D. Gregor. Nazianz. *Oratione* 20. erga finem, & Gloſſa Ordinaria, & Lyra. Colligitur etiam ex aliis locis, quæ videri poſſunt apud Suarez, *diſput.* 19. *ſect.* 1. apud Valentiam, Gonet. N. Gabr. Franciſ.

1. Aſſertionis ratio. 26. Probatur primò: quia Apoſtoli ſunt initiati ordine ſacerdotii, & receperunt Sacramentum Euchariſtiæ ante Paſſionem Chriſti: ergo jam fuerant baptizati Baptiſmo Chriſti: quia hic eſt janua omnium Sacramentorum, ita ut nullus ſit capax alterius Sacramenti ſine Baptiſmo. Nec poteſt dici, quod Chriſtus diſpenſaverit: quoniam à generali regula exceptionem facere non licet, ſine teſtimonio, aut ratione efficaci, & hic neutrum reperitur. Imò Nicephor. *lib.* 2. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 3. refert Chriſtum Dominum manibus ſuis baptizaſſe B. Petrum, Petrum autem filios Zebedæi, & illos, reliquos Apoſtolos, Apoſtolos verò alios diſcipulos. Et Euthimius *Joan. cap.* 3. dicit Chriſtum Dominum ante Apoſtolos baptizaſſe B. Virginem manibus ſuis.

Secunda. 27. Secundò probatur: quia Circumciſio fuit inſtituta multo tempore, antequam lex ſcripta promulgaretur: quia erat principium illius legis: ſed ſimiliter ſe habet Baptiſmus in lege nova, & figuratur per Circumciſionem: ergo etiam debuit inſtitui, ante quam lex promulgaretur.

Diluitur 1. ratio dubitandi. 28. Ad primum reſpondetur, quòd illud Joan. cap. 7. *Non erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*, non ſignificat, Spiritum Sanctum ante Paſſionem, & Reſurrectionem non datum fuiſſe: datus enim eſt per gratiam Magdalenæ, & aliis: ac eadem ratione potuit etiam illo tempore dari in Baptiſmo. Senſus igitur eſt, non fuiſſe datum viſibiliter, & ſecundùm eam gratiæ copiam, qua datus eſt poſteà in Pentecoſte: ita enim interpretatur S. Parens N. Cyrillus.

Diluitur ſecunda. 29. Ad ſecundum dicendum, Sacramentum Baptiſmi habere efficaciam, non ſolum à Paſſione Chriſti, non adhuc ſecutâ, prævisâ tamen, ut à cauſa finali, & meritoria; ſed etiam à Paſſione, quæ jam erat inchoata (quatenus tota Chriſti vita fuit continuum ſacrificium habens infinitum meritum ad hunc effectum, & ad alios plures ſufficientiſſimum) ut à cauſa efficienti phyſica. Poſt Paſſionem autem Crucis, & Reſurrectionem multa acceſſerunt Baptiſmo: ut quòd aperiret januam cœli: quòd haberet ſignificationem conſummatam, & completam: quod facultas daretur Apoſtolis, imò, & lex baptizandi omnes gentes, & ipſis gentibus, & omnibus hominibus præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum. Quibus addit Ledeſma *de Sacrament. Baptiſm. cap.* 2. *Tambien podemos dezir, que el Sacramento del Baptiſmo recibio gran fuerza, y virtud de la Paſſion de Chriſto: porque aunque es verdad, que el Baptiſmo antes tenia fuerza por la muerte, y paſſion, como comenzada, pero deſpues de conſumada, tuvo mayor fuerza, y virtud.*

Tertiam ſolvit D. Thom. 30. Ad tertium reſpondet pro nobis D. Thom. *in* 4. *diſt.* 3. *artic.* 5. *quæſtiunc.* 2. *Sciendum*, *quod* Matthæi ultimo *non fuit forma inſtituta, cum ante Paſſionem in eadem forma baptizaverint; ſed fuit iterata.*

Occurrit quartæ. 31. Ad quartum reſpondetur: quod Sacramenta ex latere Chriſti fluxerunt: quoniam

ex

ex tunc cœperunt habere virtutem à Paſſione in Cruce, tanquam à cauſa efficienti.

Quintam enervat.

32. Quinto argumento occurrit D. Thom. *quæſt. 66. tuat. artic. 2. ad 3.* his verbis: *Dicendum, quod Sacramenta non ſunt obligatoria, niſi quando ſub præcepto ponuntur: quod quidem non fuit ante paſſionem, ut dictum eſt: quod enim Dominus ante Paſſionem Nicodemo, dixit Joan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei; magis videtur ad futurum reſpicere quàm ad præſens tempus.*

Baptiſmus inſtitutus eſt à Chriſto eo tempore, quo, baptizatus eſt à Joanne.

33. Sed inquires, quo tempore ante Paſſionem inſtitutus fuerit à Chriſto Domino Baptiſmus? Reſpondetur, quòd eo tempore, quo ipſe eſt baptizatus à Joanne. Ita D. Thomas ubi proximè, & Magiſter *in 4. diſt. 3.* Sotus ibidem, *quæſt. unica, artic. 2.* Cajetanus *3. part. quæſt. 66.* Ledeſma, Candidus, *diſquiſition. 16. art. 1. dub. 1.* Vazquez *diſp. 140. cap. 6.* Bonacina *diſp. 2. quæſt. 2. punct. 1. num. 2.* Wiggers *art. 2.* & plures referens Leander *de Sacrament. Baptiſm. diſp. 1. quæſt. 5.* & Caſtrus Palaus, *diſp. unica, punct. 2.* Gonet *diſp. 1.* N. Anton. N. Gabr. *diſp. 2. q. 6.*

Probatur authoritate.

34. Præcipuum fundamentum ſumitur ab auctoritate Sanctorum Patrum, qui ita docere videntur. Præſertim Ambroſ. *lib. 2.* ſuper Lucam *cap. ult.* *Baptizatus eſt*, ait, *Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas: ut abluta per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, baptiſmatis jus haberent.* Hieronymus ſuper *cap. 3.* Matthæi, ubi dicit, Chriſtum Dominum contactu ſuo aquam ſanctificaſſe. Auguſtinus in quodam Sermone de Epiphan. citatus à D. Thoma: *Ex quo Chriſtus* (inquit) *in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Beda ſuper illud Matth. 3. *Tunc venit Jeſus*, inquit, Chriſtum à Joanne baptizatum fuiſſe, ut ejus Baptiſmum comprobaret, ſivè ut fluenta aquarum ſanctificaret, nempe tribuens illis virtutem regenerandi homines.

35. Dices, his, & aliis Patrum teſtimoniis illud ſolum probari, Baptiſmo ipſo, quo Chriſtus à Joanne baptizatus eſt, præmiſſum fuiſſe quoddam hujus Sacramenti indicium, & promiſſionem: quaſi Chriſtus tunc ſolum promiſerit inſtitutionem illius, non autem illud inſtituerit. *Effugium.*

36. Sed contrà: quia per ſolam deſtinationem aquarum in Baptiſmum, ſeu promiſſionem hujus Sacramenti, incongruè dicerentur aquæ ſanctificatæ, & conſecratæ, illiſque datam virtutem regenerandi; ſed deberent dici ſanctificandæ, & conſecrandæ, illiſque dandam vim regenerandi: ergo cùm Sancti Patres doceant, quod tunc temporis Chriſtus ſanctificavit, & conſecravit aquas, illiſque vim regenerandi dedit, non ſignificare videntur, quod tunc ſolum Baptiſmus eſſet promiſſus, & adumbratus, aut in illum aquas deſtinatas; ſed quod eo tempore Baptiſmus fuerit inſtitutus. *Præcluditur.*

CAPUT SECUNDUM.

De materia Baptiſmi, tàm proxima, quàm remota.

In Tractatu primo de Sacramentis in genere diximus materiam remotam Baptiſmi eſſe aquam, proximam verò ablutionem: in his autem duabus propoſitionibus probandis, & explicandis, tota difficultas hujus capitis eſt, quod continet quatuor puncta.

P. 1. *An ſola aqua vera, & naturalis ſit materia Baptiſmi?*

P. 2. *An ablutio ſit materia proxima Baptiſmi? & in quo conſiſtat?*

P. 3. *Quænam pars corporis neceſſariò abluenda ad valorem Baptiſmi?*

P. 4. *Quænam quantitas aquæ ſufficiat ad baptizandum?*

PUNCTUM I.

An ſola aqua vera, & naturalis, ſit materia Baptiſmi?

Sola aqua vera & naturalis, eſt materia remota Baptiſmi.

1. Concluſio eſt affirmativa, & certa ſecundum fidem. Ita definitur in Concilio Lateran. *cap. Firmiter, de Summo Trinit.* & in Concilio Florentino *in Decreto de Sacrament. Baptiſm.* ubi dicitur: *Materia hujus Sacramenti eſt aqua vera, & naturalis: nec refert, frigida ſit, an calida.* Et in Trident. *Seſ. 7. Can. 2. de Baptiſm.* ubi damnatur, qui dixerit: *Aquam veram, & naturalem non eſſe neceſſariam ad Baptiſmum.* Et conſtat ex ſacris literis, ut Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et Matth. ultimo: *Baptizantes eos.* Actor. 8. *Venerunt ad aquam, &c.* & alibi ſæpè. Sic etiam conſtat traditione, & uſu Eccleſiæ perpetuo.

2. Cur autem aqua adhibita ſit pro materia, & non quid aliud? pendet ex Chriſti Domini inſtitutione, qui ita voluit. Congruentiæ verò rationes aſſignat optimè D. Thom. *p. 66. art. 3.* his verbis: *Ex inſtitutione divina aqua eſt propria materia Baptiſmi: & hoc convenienter. Primò quidem quantum ad ipſam rationem Baptiſmi, qui eſt regeneratio in ſpiritualem vitam: quod maximè congruit aquæ. Unde & ſemina, ex quibus generantur omnia viventia, ſcilicet plantæ, & animalia, humida ſunt, & ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philoſophi poſuerunt aquam omnium rerum principium.* *Cur ea, & non aliud.*

Secundò, quantum ad effectus Baptiſmi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ ſua humiditate lavat: ex quo conveniens eſt ad ſignificandum, & cauſandum ablutionem peccatorum. Sua frigiditate etiam temperat ſuperfluitates caloris: & ex hoc competit ad mitigandam concupiſcentiam fomitis. Sua diaphaneitate eſt luminis ſuſceptiva: unde competit Baptiſmo, in quantum eſt fidei Sacramentum.

Tertiò, quia convenit ad repræſentandum myſteria Chriſti, quibus juſtificamur: ut enim dicit Chryſoſtomus ſuper illud Joan. Niſi quis renatus fuerit, &c. ſicut in quodam ſepulchro, in aqua ſubmergentibus capite, vetus homo ſepelitur, & ſubmerſus deorſum occultatur, & deinde novus rurſus aſcendit.

Quartò, quia ratione ſua communitatis, & abundantiæ eſt conveniens materia neceſſitati hujus Sacramenti: poteſt enim ubique de facili inveniri.

Prima regula.

3. Notandæ tamen ſunt aliquot regulæ ad plures quæſtiones, & dubitationes explicandas, quæ circa Baptiſmi veritatem, ſeu valorem oriri ſolent.

Prima eſt: omnis, & ſola aqua, quæ naturalis eſt, & manet apta ad abluendum, eſt ſufficiens materia remota ad validitatem Baptiſmi. Ita D. Thom. *art.* 4. *cit. in ſolutionibus argumentorum.* Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. unic. art.* 4. Suarez, *diſp.* 20. *ſect.* 1. *concluſ.* 2. plurimos referens Bonacina *de Baptiſm. q.* 2. *punct.* 3. *num.* 5. Palaus *diſp. unica, punct.* 3. Valentia, Vazquez, Coninchus, Ledeſma, Nuñus, Filliucius, N. Gabr. Anton. Franciſ. & alii multi, quos congerit Dicaſtillus, *dub.* 3. *num.* 29. Unde reſolves.

Aquæ ſufficientes.

4. Primò: aquæ maris, fluminis, lacuum, paludum, puteorum, fontium, mineralium, balneorum, nec non & pluviæ, ſunt ſufficiens materia remota ad veritatem Baptiſmi.

Liquores minime ſufficiunt.

5. Secundò: non ſunt materia Baptiſmi liquores manifeſtè ab aqua diverſi, quamvis externa ſpecie ſimiles, ut vinum album, lac, ſaliva, ſudor, lacrymæ, & ſimilia: ut contra Lutherum, qui dixit valere Baptiſmum in cerviſia, lacte, aut alio liquore, in quo fieri poſſit balneum, docet Bellarminus *de Baptiſmo, c.* 2. Et quidem de ſudore, & lacrymis conſtat ex *cap. In quadam. De celebrat. Miſſar.* De ſaliva, ex *cap. Non apponas. De Baptiſm.* Ratio autem eſt eadem: quia hæc omnia non ſunt aqua elementaris, ſed mixta quædam ſubſtantialiter ab ea diverſa: & idem eſt de urina, & phlegmate.

Cap. In quadam. Cap. Non apponas.

Non ſufficit aqua roſacea, ardens, aut quæ ſunt ex vitibus, vel arboribus.

6. Tertiò: non ſunt materia Baptiſmi liquores habentes eandem denominationem aquæ, ut aqua ardens, roſacea, aliique liquores expreſſi ex ſuccis arborum, florum, herbarum, qui dicuntur aqua, ſed cum addito: ſunt enim hæc mixta diverſa ab aqua. Et idem cenſemus de aqua, quæ diſtillat ex vitæ, vel aliqua arbore: quia ille humor non eſt aqua, quamvis propter perſpicuitatem, & ſimilitudinem appelletur aqua; ſed ſubſtantialiter ſuccus eſt.

Item nec ſal, grando, gelu, nix, & glacies non reſoluta.

7. Quartò: non ſunt materia Baptiſmi ſal, grando, gelu, nix, & glacies, niſi reſolvantur. Tum quia veram aquæ eſſentiam non habent. Tum etiam, quia non ſunt apta ad abluendum: & ita non verificaretur forma: *Ego te baptizo*, ideſt, abluo.

Sufficit tamen aqua reſoluta ex glacie, nive, &c.

8. Eſt tamen vera materia Baptiſmi aqua reſoluta ex nive, gelu, grandine, rore, glacie, imò & ſale, ut docent Henriquez, *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 2. & 3. & cum aliis Bonacina, *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 3. & 4. Diana, 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 5. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 2. Candidus, *diſquiſit.* 16. *artic.* 2. *dubitat.* 1. N. Gabr. *diſp.* 1. *q.* 1. Quia ſal efficitur ex aqua ſalſa.

Secunda regula.

9. Secunda regula: ſi aqua vera, & naturalis ſolum tranſmutatione accidentaria fuerit mutata, ita ut retineat naturam aquæ naturalis, & ſit apta ad abluendum, ſufficiet pro materia neceſſaria hujus Sacramenti. Quare ſivè ſit calida, ſivè frigida, ſivè dulcis, ſivè ſalſa, ſivè per venas, & meatus ſulphuris fluat, aut per cinores tranſeat, & fiat lixivium, ſufficiens materia ad hujus valorem Sacramenti cenſeri debet. Ita communiter Doctores ſupra *num.* 3. *citati.* Et de aqua ſulphurea, & lixivio expreſsè notavit D. Thom. *loco citat. art.* 4. *ad* 4. Idem dixit *ad primum*, de aqua maris, & *ad* 2. de aqua decoctionis carnium, quam jus vocamus; aut aliarum rerum, quando non eſt tanta reſolutio corporum lixatorum, ut liquor plus habeat de alia ſubſtantia, quam de aqua: quod ex ſpiſſitudine diſcerni debet. Addit tamen, quod ſi ex liquore ſic inſpiſſato exprimatur aqua ſubtilis, ſic poteſt in ea fieri Baptiſmus: ſicut ex aqua, quæ exprimitur ex luto; licèt in luto Baptiſmus fieri non poſſit.

Lixivium & jus, an ſufficiens hujus Sacramenti materia.

Tertia regula.

10. Tertia regula eſt; ſi aqua naturalis aliis rebus ita permixta ſit, ut plus ſit alterius ſubſtantiæ, quam aquæ, ſicut in luto, aqua ſupermixta, licèt naturalis ſit, pro materia Sacramenti eſſe nequit: eo quod potius terra, aut alia ſubſtantia, quàm aqua cenſeatur, & ita ad abluendum apta non ſit. Ita D. Thomas ubi proximè, Vazquez *diſput.* 141. *cap.* 1. & alii.

Quarta regula.

11. Quarta regula valdè generalis, & utilis eſt illa, quam ex communi doctrina adducunt Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. unica, art.* 4. & Valentia, *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 2. ut ſi quando nimirum poſt factum dubitetur meritò de veritate aquæ, rebaptizatio tunc fiat ſub conditione: ſi autem ea de re dubitetur ante factum, & alia aqua adhiberi poteſt, nullo modo in illo humore, de quo dubium eſt, Baptiſmus fiat: quod ſi alia non ſuppetat aqua, & neceſſitas urgeat, fiat Baptiſmus ſub conditione.

In caſu neceſſitatis extremæ Baptiſmus conferri poteſt in aqua dubia ſub conditione, non inventâ aquâ certâ.

12. Unde rectè Cardinalis Lugo, *de Sacram. diſp.* 8. *ſect.* 9. *num.* 140. & Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 2. docent in extrema neceſſitate, non inventâ aquâ certâ, ſed liquore aliquo, de quo dubium eſſet, an eſſet aqua, nec poſſet id examinari, ut ſi eſſet locus obſcurus, neque odore, aut guſtu valeret id percipi; poſſe in tali caſu exiſtentem in periculo mortis ſub conditione baptizari: quia cum præceptum non baptizandi abſque tali materia, oriatur ex reverentia Sacramenti, ſequitur, ut in prædicto caſu non obliget tale præceptum, eo quod ſumma indigentia proximi, cui aliter ſubvenire non poſſumus, illi præponderet, & reddat licitam talem operationem propter neceſſitatem.

Quinta regula.

13. Quinta denique, & generalis regula in his rebus ſervanda eſt, ut ſemper adhibeatur materia pura, quoad fieri poſſit, ſervatis Eccleſiæ ritibus, & cæremoniis: nam hoc ſpectat ad reverentiam Sacramenti, & ad ejus certitudinem. Ita Suarez, *diſp.* 20. *ſect.* 1. *concluſ.* 2. & alii paſſim.

Uti aqua turbida ad Baptiſmum

14. Adverte etiam, uti aquâ impurâ, & turbidâ ad Baptiſmum conficiendum abſque neceſſitate gravi, eſſe peccatum mortale ſacrilegii.

Digitized by Google

ſine neceſſitate peccatum lethale eſt.

legii. Nam eſto ſit hujus Sacramenti materia certa, eſt tamen aliena ab uſu Eccleſiæ, & contraria reverentiæ Sacramenti: imò ſecluſa urgente neceſſitate, uti aliâ aquâ præter aquam benedictam, quæ in fonte baptiſmali ad hunc effectum ſervatur, peccatum grave eſt. Tum quia conſuetudo, & præcepta ſervanda ſunt. Tum quia ſic colligitur ex *Clement. unica de Baptiſm.* Ita Coninchus, *q.* 66. *art.* 4. Reginaldus *lib.*27. *num.*12. Henriquez, *lib.* 2. *cap.*6. Bonacina *diſputat.* 2. *quæſt.* 2. *puncto* 3. *num.* 6. Palaus, *num.*5. N. Gabr. N. Steph. *n.* 5. & alii.

PVNCTVM II.

An ablutio ſit materia proxima Baptiſmi: & in quo conſiſtat?

Materia proxima Baptiſmi non eſt aqua ſecundum ſe, ſed ablutio.

15. CErtum eſt materiam proximam Baptiſmi non eſſe aquam ſecundum ſe ſumptam, ſed ablutionem, quæ fit eâdem aquâ: juxta illud ad Epheſios 5. *Mundans lavacro aquæ.* Et Matth. ultimo. *Baptizantes eos*, id eſt, abluentes, &c. Ita D. Thomas, q. 66. art. 1. & ferè omnes Doctores. Et ratio eſt, tum quia eſt proxima, & immediata Sacramenti materia, quæ per formam illius determinatur: forma autem Sacramenti Baptiſmi non aquam ſecundum ſe, ſed aquæ uſum, ſcilicet ablutionem, determinat. Tum etiam, quia hoc Sacramentum non eſt res permanens, ſed conſiſtit in uſu: atque adeo non aqua ut ſic, & manens quieta, ſed ut in uſu eſt poſita, & conſequenter ut per eam aliquid abluitur, erit proxima materia.

In qua conſiſtat ablutio

16. Hæc ablutio conſiſtit in applicatione, contactuque ſucceſſivo aquæ ad corpus baptizati facto per miniſtrum Baptiſmi: ablutio enim intelligi non poteſt, niſi aqua applicetur abluendo, & conſequenter niſi intercedat contactus inter baptizatum, & aquam: & hic contactus debet fieri per miniſtrum Baptiſmi: quia aliàs non poſſet verè dicere: *Ego te baptizo*, ſive *abluo*. Rurſus hujuſmodi contactus debet eſſe ſucceſſivus, ut eo homo dicatur ablutus: ſicut enim aqua contenta in vaſe, non dicitur illud abluere, niſi per illud diffundatur, & ſucceſſive contingat, ita non dicitur abluere corpus per ſolum contactum, ſed per contactum ſucceſſivum, quo vel aqua corpori, vel corpus aquæ ſucceſſivè applicetur. Ità Suarez, *diſp.* 20. *ſect.* 2. Reginaldus *lib.*27. *n.* 14. Coninchus *q.* 66. *art.* 4. *dub.* 1. *n.* 25. *& dub.* 2. *n.* 29. Filliucius *tract.* 2. *cap.* 2. *q.* 4. Chamerota *de Baptiſm. cap.* 2. *dub.* 6. Bonacina, *diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 13. Dicaſtillus *diſp.* 1. *dub.* 3. *n.* 38. & alii.

Validus eſt baptiſmus, ſive fiat per infuſionem, ſive per immerſionem vel aſperſionem.

17. Sivè autem hoc totum fiat infundendo, immergendo, vel aſpergendo validus erit Baptiſmus: quovis enim modo lavari, aut baptizari dicitur, qui ſic tangitur. Ita Cathecismus Pii V. cap. de Baptiſmi Sacramento, & communiter Doctores. Qui etiam optimè advertunt, quod ut licitè miniſtretur Baptiſmi Sacramentum, ſervanda ſit Eccleſiæ Dioceſanæ conſuetudo: nam in aliquibus Eccleſiis adeſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, in aliis per effuſionem: ſimulque monere oportet (addit Cathecismus) ab eo, qui baptizat, non ante, vel poſt ablutionem verba Sacramenti, quæ formam continent, ſed eodem tempore, quo ablutio ipſa peragitur, pronuntianda eſſe.

Non requiritur triplex immerſio in Baptiſmo conferendo. c. Multi.

18. Licet autem fuerit olim in Eccleſia præceptum de trina immerſione in Baptiſmo ſervanda, ut conſtat ex cap. *Multi. de conſecrat. diſt.* 4. *& ex can.* 49 *Apoſtol. ut habetur cap. Si quis Presbyter*, eadem diſtinctione; hoc tamen præceptum per contrarium Eccleſiæ uſum abrogatum eſt: ut ſumitur ex Gregorio Papa relato de conſecrat. *diſt.* 4. *cap. De trina.* Et ex Concilio Toletano 4. *cap.* 5. *& latius probat doctiſſim.* P.N. Dominic. à SS. Trinit. *tom.* 5. *ſect.* 10. *cap.* 15

Quæſitum primum & prima ratio dubitandi illius.

19. Sed inquires primò. An ſi quis projiciat infantem in puteum cum animo baptizandi, & ſuffocandi ſimul, maneat vere baptizatus? Rationes dubitandi ſunt. Prima, quia materia hujus Sacramenti debet eſſe ablutio hominis vivi: illa autem, quæ eſt hominis occiſi, non cenſetur illius ablutio.

2. dubitandi ratio.

20. Secundà: quia immerſio dicit relationem ad emerſionem ſuccedentem: ſed ibi non ſuccedit emerſio: ergo non fuit immerſio.

Tertia.

21. Tertiò: quia illa actio ordinatur ad mortem: ergo non eſt ablutio, ſed occiſio.

Quarta.

22. Quartà: quia ſi quis habeat puerum in manibus, & fortè concidat in aquam, licet ſtatim proferat verba, non manet baptizatus: ergo idem dicendum eſt in noſtro caſu.

Quinta.

23. Quinta: quia illa immerſio ſolum ſignificat Chriſti mortem, non ejus Reſurrectionem; cum tamen Baptiſmo utriuſque ſignificatio competat.

Reſolutio quæſiti.

34. Propter hæc argumenta, in caſu poſito infantè non manere baptizatum tenent Scotus *in* 4. *diſt.* 3. *q.* 3. Paludan. ibidem. Sotus *quæſt. unic. art.* 8. Sylveſter, *verbo Baptiſmus* 4. *n.* 8. Tabiena 5. *n.* 7. Armilla, *n.* 29. Toletus *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 9. S. Antoninus, 3. *p. titulo* 14. *cap.* 13. Angelus, *verbo Baptiſmus* 4. *n.* 1. Chamerota, *dub.* 7. Vivaldus in Candelab. *aur. de Baptiſm. cap.* 5. *num.* 6. Pitigianus *diſt.* 3. *q.* 3. *art.* 6. & ut probabilem P. Herinx *diſp.* 5. *num.* 33. & alii.

25. His tamen non obſtantibus, dicendum eſt in caſu poſito validè Sacramentum conferri, etiam ſi grave ſimul peccatum ſit; dummodo tamen materia ſimul cum forma finiantur, antequam infans moriatur. Ita Panormitanus *in capite Non ut apponeres Extrav. de Baptiſ.* Gabril *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 2. *art.* 3. *dub.* 3. Suarez *ſect.* 3. Nunus *q.* 66. *art.* 8. *conc.* 5. Ledeſma *de Baptiſm. cap.* 3. *dub.* 5. Major *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 3. Valentia *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *puncto* 2, *verſ.* 7. Vazquez *diſp.* 145. *cap.* 3. *num.* 19. Coninc. *art.* 7. *dub.* 1. *n.* 68. Bonacina *n.* 27. Layman *lib* 5. *tract.* 2. *cap.* 3. *quæſt.* 4. Dicaſtillus *num.* 61. Palaus *diſp. unica, punct.* 4. *num.* 10. Gonet. *art.* 2. N. Gabr. *diſp.* 1. *q.* 2. Anton. *ſect.* 2. Franciſc. *dub.* 3. *reſol.* 4. Stephan. & alii.

Latius R. Gabriel

26. Ratio eſt: quia illa immerſionis pars, quæ antecedit mortem, & perficitur cum forma Sacramenti, propriè eſt ablutio hominis adhuc viventis: ergo cum (ut ſupponimus) ante mortem proferatur forma cum intentione miniſtri, nihil deeſt Baptiſmo.

1 Ratio dubitandi.

27. Ad primam rationem dubitandi reſpondetur, quod quamvis tota immerſio, qua

puer occiditur, ablutio hominis adhuc viventis dici non poſſit; illa tamen pars, quæ ante mortem cum forma Sacramenti finitur, propriè eſt, & dicitur ablutio hominis vivi, & materia Sacramenti.

2 Diſſolvitur. 28. Ad ſecundam dicendum, illos terminos *immerſionis*, & *emerſionis* non eſſe ſemper relativos: & ita communiter conceditur, quod talis infans immergitur in aqua, licet non emergatur: ſicut è contra, quando piſcis, qui naſcitur in aqua, exit foras, dicitur emergere, licet non præceſſerit immerſio.

Tertia enervatur. 29. Ad tertiam reſpondetur, negando, quod illa actio ordinetur tantùm ad mortem: utrumque enim intenditur, & ablutio, & occiſio, & utrumque ibi eſt; prius autem ablutio, quam occiſio, ut dictum eſt.

Quarta evertitur. 30. Ad quartam, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: & ratio diſparitatis eſt: quoniam in caſu antecedentis non datur ablutio vera, & humana, ſicut datur in caſu conſequentis.

Quinta enodatur. 31. Ad quintam, concedendum eſt Baptiſmum ſignificare Chriſti mortem, ejuſque Reſurrectionem, quatenus baptizatus, eo Baptiſmo ſuſcepto, veterem Adam ſepelit, & novum inducit, moritur peccato, & Chriſto vivit: ad cujus ſignificationem ſola immerſio, quæ corpus abluat, ſufficiens eſt.

Quæſitum ſecundum. Reſponſio. 32. Inquires ſecundò: utrùm finita qualibet ablutione, perficiatur Sacramentum Baptiſmi? Reſpondetur, Sacramentum perfici per quamlibet ablutionem, modò ſufficienter prolata ſint verba, & corpus poſſit dici ablutum: propterea quando triplex merſio adhibetur, Baptiſmus ſtatim per primam ablutionem ſuum ſortitur effectum, antequam triplex merſio adveniat, ſi poſt primam merſionem forma Baptiſmi ſufficienter prolata ſit. Ita D. Thomas, *q.* 66. *art.* 8. Peſantius ibidem. Nuñus *art.* 8. *concluſ.* 1. *&* 6. Coninchus *n.* 84. Vazquez *cap.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 2. *&* 3. *q. unica. art.* 8. Ledeſma & alii plures, refert, & ſequitur Bonacina.

33. Et ratio eſt: quia adſunt omnia requiſita ad Baptiſmum: cum adſit debita forma, ablutio, & intentio miniſtri, ut ſupponimus.

Quæſitum tertium reſolvitur. 34. Inquires tertiò: utrum ſi quis intenderet baptizare infantem ſub tribus immerſionibus, & poſteà ex oblivione, vel negligentia faciat unam tantùm, ſit verè baptizatus? Reſpondetur, quod ſi miniſter habet intentionem, quam tenetur habere, faciendi ſcilicet, quod facit Eccleſia, licet ſub tribus immerſionibus intendat baptizare, prima tamen vice immergens infantem ſub aqua, & abſolvens prolationem formæ, verè baptizat infantem. Ratio eſt: quia Eccleſia non intendit, quod trina immerſio in aqua ſit eſſentialis Baptiſmo: ſed ſolum ſpectat ad ſolemnitatem. Si vero miniſter habeat intentionem excluſivam, ideſt, non baptizandi niſi tribus immerſionibus, & tantùm faciat unam, tunc nullus eſt Baptiſmus: quia miniſter non habuit intentionem baptizandi. Ità Petrus de Ledeſma *in reſponſione ad dubitat.* 6. Nuñus ubi proximè, *conc.* 6. Bonacina *n.* 31. & alii. Unde ſi quis conficiens Baptiſmum, vellet trina immerſione conficere Sacramentum, oportet uſque ad illud tempus formæ prolationem differre: nam ſi antè ſecundam, vel tertiam merſionem formam integrè proferret cum intentione conficiendi Sacramentum, ſinè dubio conficeret, ut dictum eſt.

35. Inquires quartò: an quando non eſt aliud medium baptizandi puerum, niſi projiciendo illud in puteum, ita ut occidatur, id facere liceat? Reſpondetur non licere, tametſi alia via infanti miniſtrari Baptiſmus non poſſit, & timeatur ſtatim moriturus: quia ea immerſio per ſe, & directè tendit ad occiſionem: atque adeò eſt illicita, & grave peccatum homicidii: non autem ſunt facienda mala, unde eveniant bona. Ita ex communi ſententia Suarez, *ſect.* 3. Vazquez. Coninch *num.* 75. Layman *c.* 3 *q.* 4. Dicaſtillus *n.* 66. Palaus *punct.* 4. N. Ant. *n.* 48. N. Franc. *num.* 45. Hinc benè inferes non eſſe ſecondam matrem, alias proximè morituram, ut infanti in utero illius exiſtenti miniſtrari poſſit Baptiſmus: quia nemini licet homicidium perpetrare, tametſi inde plura bona naſcantur. Ita etiam Coninchus *dicto dub.* 1. *n.* 75. Et eſt expreſſa doctrina Div. Thomæ, *in* 4. *diſt.* 6 *q.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. his verbis: *Dicendum, quod non ſunt facienda mala ut veniant bona, ſicut dicitur Rom.* 3. *Et ideo homo potius debet dimittere perire infantem, quam ipſe pereat, homicidii crimen in matrem committens.* Et idem docet Ang. Doct. 3. *p. q.* 68. *art* 11. *ad* 3. *Quæſitum quartum diluitur.*

36. Inquires quintò; an liceat, infanti proximè morituro miniſtrare Baptiſmum, ex cujus miniſtratione præſumitur mortem accelerandam eſſe? Reſpondent communiter Doctores caſum moraliter eſſe impoſſibilem: nam cum Baptiſmus parva aquæ tepefactæ effuſione confici poſſit, vix credi poteſt, ex ea mortem accelerandam eſſe. Sed gratis admiſſo naturaliter accidere poſſe ex ea mortem accelerari, reſpondetur adhuc Baptiſmum miniſtrandum eſſe. Tum quia non per ſe, ſed per accidens ex illa actione mors ſuccederet: cum per accidens eſſet prædictæ Baptiſmi adminiſtrationi, baptizandum in ea eſſe diſpoſitione, ut actio ita humana, & temperata illi nocere poſſet. Tum etiam, quia illud periculum eſſet tam rarum, parvum ac incertum, ut nullius momenti eſſet, nec in conſiderationem humanam deberet venire, ut propter illud Baptiſmus ita neceſſarius eſſet omittendus. Ità Coninchus *n.* 76 Vazquez *diſp.* 145 *cap.* 3. in fine Layman aliis relatis, *quæſt.* 4. Palaus, *punct.* 4. *n.* 14. N. Gabr. Franc. *loc. cit.* *Quæſitum quartum enodatur.*

PUNCTUM III.

Quænam pars corporis neceſſariò abluenda ad valorem Baptiſmi?

37. IMprimis certum eſt non requiri, ut totum corpus abluatur: nam hoc in Baptiſmo adultorum nec fit, nec decenter fieri poteſt. Deinde etiam conſtat eam ablutionem eſſe neceſſariam, quæ ſufficiat ad denominandum hominem ſimpliciter ablutum. Unde ſi veſtes tantùm, & non corpus abluatur, Baptiſmus nullus eſt, ut communiter tradunt Doctores. *Non requiritur totius corporis ablutio ad Baptiſmum.*

Qua

Qua pars eligenda ſit, ut in Baptiſmo abluatur.

38. Qua propter in praxi obſervandum eſt, ut ſecurior pars, quantum eſt poſſibile, eligatur. Unde ſemper, ſi fieri poteſt, in Baptiſmo caput abluendum eſt. Tum quia illa eſt certiſſima, & ſufficientiſſima materia; eo quod in capite omnes ſenſus, tam interni, quàm externi ſundentur, & in nulla alia exteriorum partium, integritas vitæ ita conſiſtit; & proptereà ab ea maximè poteſt totus homo denominari. Tum etiam, quia dari præceptum eccleſiaſticum de abluendo capite in Baptiſmo, eo quod iſta eſt conſuetudo univerſalis Eccleſiæ, ut habetur *de Conſecrat. diſt. 4. cap. Poſtquam*, tradunt Nuñus, & Petrus de Ledeſma *locis proximè cit.*

Quid ſi ablutio fiat in ſcapulis, pectore, aut humeris.

39. Si autem ablutio fiat in ſcapulis, aut in pectore, vel in humeris, ſatis certam, & indubitatam eſſe materiam, cenſent Suarez *loco proximè cit.* Filliucius *cap. 2. n. 33.* & alii. Imò ſi ablutio fiat in brachio, vel in tota manu, materiam ita certam probat Nuñus *q. 66. art. 8. concluſ. 2.* ut non eſſet iterandus Baptiſmus, neque etiam ſub conditione. Alii verò oppoſitum opinantur, ut teſtatur D. Thomas, *q. 68. artic. 11. ad 4.* his verbis: *Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam, quod propter dubium, quâcumque aliâ parte corporis ablutâ, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Unde cum aliquale ſit dubium, an ablutio, in prædictis partibus, præter caput, ſit ſufficiens materia, non immeritò ad majorem cautelam poterit ſub conditione puer rebaptizari. Ita Turreblanca *lib. 2. tract. cap. 5.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 9.* Leander *diſp. 2. q. 26.* N. Anton. *ſect. 2. num. 45.* & alij. Et hujus optimam rationem inſinuat D. Thomas, *in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 1.* ubi loquens de aliis partibus, præter caput, aquâ baptiſmali ablutis, & oppoſitam ſententiam referens, ſic ait: *Si tamen poſteà plenariè naſcatur, non eſt rebaptizandus ſecundum quoſdam.* Et ſtatim ſubdit: *Sed nihil periculi accidit, ſi ad majorem cautelam baptizetur ſub hac forma: ſi non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

Quid ſi ſolus pes, aut manus, aut brachiolum infantis abluatur.

40. Et quidem ſi ſolus pes, aut manus, aut brachiolum infantis baptizetur, cenſemus debere ſub conditione, tranſacta neceſſitate, rebaptizari. Ita faciendum eſſe, teſtatur Dicaſtillus, *diſp. 1. dub. 3. num. 57.* ſe audiviſſe à fide dignis, reſponſum fuiſſe Clementis VIII. Epiſcopo Patavino datum: qui cum conſuluiſſet Pontificem, an rebaptizandus eſſet puer, qui in periculo antequam naſceretur, expoſuit quidem brachiolum, & in eo baptizatus fuit? reſponſum accepit, debere baptizari ſub conditione, propter maximam hujus Sacramenti neceſſitatem.

Quid ſi digitus manus, aut pedis vel quælibet minima pars corporis ſolùm abluatur.

41. Si verò ablutio fiat ſolum in digito manus, aut pedis, vel in qualibet alia minima parte corporis, vel in ſolis unguibus, aut capillis, vel in pelle, quam medici ſecundinam appellant, materia eſt valdè incerta, & dubia. Et quidem eſſe veram, affirmant nonnulli, quos refert, & ſequitur Diana, *5. p. tract. 3. reſolut. 4.* Econtra non eſſe veram, contendunt Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 5. difficult. 4. num. 2.* Zambranus *de Baptiſm. cap. 1. dub. 1. num. 7. & ſequentibus.* Bonacina *diſput. 1. de Baptiſmo. puncto 3. num. 22. & 24.* & alii. Concedendum tamen eſt tempore mortis in qualibet ex dictis materiis, ſi in alia præſtari non poteſt, adhibendum eſſe Baptiſmum cum conditione: quia melius eſt puero moribundo adhibere medium ſalutis incertum, & dubium, quod fortaſſe proderit, quam nullum. Nunquam tamen extra neceſſitatem licet ſic miniſtrare Baptiſmum; quia nunquam extra neceſſitatem poteſt uti quis materiâ dubiâ, cum certam ſumere poſſit: Baptiſmuſque in his omnibus caſibus, ceſſante neceſſitate, iterari debet ſub conditione, ut eſt compertum apud omnes.

PUNCTUM IV.

Quænam quantitas aquæ ad baptizandum ſufficiat?

An una, vel duplex aquæ gutta ſucceſſivè corpus tangens ſufficiens ſit.

42. MInimam aquæ quantitatem, ut guttam unam, vel duas tangentes corpus ſucceſſivo motu ſufficere ad conficiendum Baptiſmum, tenent Vazquez, *diſput. 145. num. 32.* ſequutus Innocentium, Panormitanum, & Roſellam, quos refert. Item Meratius *in 3. p. de Baptiſm. diſput. 2. ſect. 4.* Ochogavia, *tractat. unico quæſt. 4. num. 8.* & alii, quos refert, & ſequitur Diana, *tom 5. tract. 3. reſolut. 5.*

Contrarium alii opinantur.

43. Alii unam, vel duas aquæ guttas corpus tangentes, cenſent inſufficientes eſſe ad valorem Baptiſmi. Ita Bonacina, *diſput. 20. quæſt. 2. puncto 3.* Layman, *tractat. 2. cap. 3.* Coninch. *artic. 7.* Toletus, *lib. 2. c. 18.* Valentia, *quæſt. 1. puncto 3.* Vivaldus *de Baptiſm. cap. 2. num. 2.* Poſſevinus *de Baptiſm. num. 7.* Candidus, *diſquiſit. 16. art. 2. dubit. 6. &* Palaus, *diſp. unica, puncto 4. num. 5.* Quia ex una, vel duabus guttis ſolum aſperſus, & aqua tactus, ſed non lotus quis dicitur ſecundum uſitatum loquendi modum.

An parva aquæ quantitas quæ ſufficit, ut homo per illam dicatur ablutus ſufficiat.

44. Concedunt tamen, ſufficere parvam quantitatem aquæ, quæ ſufficiat ad abluendam ſucceſſivè eam corporis partem, quâ ablutâ, poſſit homo dici ablutus. Id quod magis explicat Candidus dicens, quod ſi quis moribundum infantem, ſigno Crucis ſucceſſivè impreſſo in fronte pueri, digito aqua madefacto contingeret, formam integram Baptiſmi, dum imprimit ſignum, proferens, verum conficeret Baptiſmum. Utraque autem ex his ſententiis videtur probabilis.

Quid tempore mortis.

45. Tempore verò mortis poſſe cum gutta aquæ, ſi alia quantitas aquæ non adeſſet, Baptiſmum ſaltem ſub conditione miniſtrari, concedunt Hurtado *de Baptiſ. diſp. 1 difficult. 6.* Præpoſitus *in 3. p. q. 66. artic. 8. dub. 3 num. 93.* & alii multi etiam ſecundæ ſententiæ, ut obſervat Diana ubi proximè: quia ex opinione probabili in tali adminiſtratione Sacramenti nulla ei fit injuria in illa extrema neceſſitate, & moribundo datur remedium, eo modo quo dari poteſt: quod etiam nos libenter concedimus; imò in eo caſu cenſemus ad id tunc miniſtrum teneri.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De forma Baptiſmi.

Baptiſmi forma, qua Eccleſia latina utitur eam eſſe legitimam præclare oſtendit. R. D. N. Dominic. tom. 5. ſect. 10. cap. 14.

FORMA BAPTISMI, QUA ECCLESIA LATINA UTITUR, HÆC EST: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Sic Alex. III. *in cap.* de Baptiſm. Concilium Florentinum *in decreto* Eugenii. Tridentinum *ſeſ. 6. can.* 4. & ſumitur ex illo Matth. *ultim. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In qua forma, quia quinque exprimuntur. Primum, miniſter baptizans. Secundum, perſona baptizanda. Tertium, actus baptizandi. Quartum, unitas divinæ eſſentiæ. Quintum, Trinitas divinarum perſonarum: ideò an ſingula ſint non ſolum nobis de neceſſitate præcepti, ſed etiam de neceſſitate Sacramenti.

In hoc capite examinandum eſt, quatuor punctis, & unico dubio.

P. 1. *An in forma Baptiſmi ſit de neceſſitate Sacramenti, quod exprimatur miniſter baptizans?*

P. 2. *An explicatio perſonæ baptizandæ ſit requiſita ad valorem Baptiſmi?*

P. 3. *An expreſſio actus baptizandi ſit de neceſſitate Baptiſmi?*

P. 4. *An explicatio unitatis eſſentiæ, quæ fit dicendo:* In nomine, *requiratur, ut ſit validus Baptiſmus?*

D. un. *An ſit de neceſſitate Baptiſmi, ut in forma illius exprimantur* Pater, Filius, & Spiritus Sanctus?

PUNCTUM I.

An in forma Baptiſmi ſit de neceſſitate Sacramenti, quod exprimatur miniſter baptizans?

1. concluſio. 1. DIcendum eſt primò cum D. Th. *q. 66. art. 5. ad 1.* quod pronomen *Ego* quod ponitur in forma Baptiſmi, non eſt de ſubſtantia formæ. Unde ſi eo omiſſo, diceres: *Te baptizo,* non eſt dubium, veram formam baptiſmi te proferre: quia ſatis ſub verbo *baptizo* continetur. Et ita Cathecismus Romanus *cap. de Sacram. Baptiſm* ſic ait: *In hac forma, quam integram, & perfectam eſſe oſtendimus, obſervandum eſt, quædam prorſus neceſſaria eſſe, quæ ſi omittuntur, Sacramentum confici non poteſt; quædam verò non ita neceſſaria, ut ſi deſint, Sacramenti ratio non conſtet, cujuſmodi eſt vox illa Ego, cujus virtus in verbo baptizo continetur.*

Omiſſio pronominis Ego, ſecluſo contemptu, non excedit venialem culpam. 2. Dictum tamen pronomen *Ego*, & ſi nunquam omittendum eſt in Eccleſia latina ob conſuetudinem præſcriptam, ejus tamen omiſſionem, ſecluſo contemptu, non videtur culpam venialem excedere. Docent Sotus *in 4. diſt. 3. q. unica, art. 5. §. Quod ſi.* Coninchus *q. 66. art. 6. n. 45.* Palaus *diſp. unica, puncto 5. num. 2.* Ledeſma, *c. 4.* N. Gabr. *de Sacram. in genere, diſp. 2. q. 6.* Herinx. *diſp. 2. q. 3.* & alii, quos congerit Leander de Sacramento Baptiſmi, *diſp. 3. q. 3.*

2. concl. 3. Dicendum eſt ſecundò, non requiri ad valorem Baptiſmi, quod exprimatur perſona miniſtri; ſed ſufficit, quod exprimatur actus exercitus per illum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita D. Thomas ibidem, ubi loquens de forma, qua utuntur Græci, ſic ait: *Et ideò dicunt: baptizetur ſervus Chriſti talis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et quia exprimitur actus exercitus per miniſtrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur Sacramentum.* Hæc concluſio ab omnibus admittitur: & conſtat: quia illa formâ, qua utuntur paſſim Græci, perfectè Sacramentum miniſtrari ex Concilii Florentini ſententiâ, & definitione apparet, ut docet Cathecismus Romanus *loco cit.* cum illis verbis ſatis expliceturid, quod ad Baptiſmi veritatem attinet, nimirum actus exercitus per miniſtrum cum dicta invocatione Trinitatis: ubi etiam perſona miniſtri implicitè ſignificatur, ut innuit D. Thomas, & benè obſervat Palaus ubi ſupra, *n. 3.* Layman *cap. 4. de forma Baptiſmi*, quatenus ſignificatur implicitè, effectum Sacramenti a Sanctiſſima Trinitate conferri per eam, quam ipſemet miniſter exercet actionem miniſterialem, videlicet ablutionem: ſicut ſi à Principe accepiſſet quis poteſtatem diſtribuendi aliquam pecuniam, quibus vellet, & poſtea illam diſtribuens diceret: *Hanc pecuniam Princeps tradit vobis,* ſanè non ſolum ſui Principis donationem, ſed ſuam propriam miniſterialem traditionem implicitè ſignificaret. Similiter ergo cum poteſtas delegata ſit à Chriſto Domino docendi gentes, & baptizandi eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, exprimens miniſter, ut Deus eas baptizet, implicitè ſignificat, quod Deus per illum eam ablutionem exercentem, tanquam per ſuum miniſtrum baptizet.

4. Ex dictis in hac concluſione colligitur, ſi latinus prædicta forma Græcorum baptiſmum miniſtret, verum conficere Sacramentum: nam Sacramenti eſſentia una eſt in univerſa Eccleſia. Unde forma, quæ in una parte ſufficit ad conſtituendum Sacramentum, ſufficit in qualibet parte, ſeu regione Eccleſiæ, quod attinet ad Sacramenti neceſſitatem. Ita Suarez, *diſp. 16. ſect. 2. conc. 2.* Adrianus *quæſt. 1. de baptiſmo, artic. 3. dub. 2.* Henriquez *cap. 8. de baptiſmo, num. 3.* N. Dominicus à SS. Trinit. *loc. cit.* & alii ex communi ſententia. *Illatio.*

5. Peccabit tamen latinus graviter, ſi utatur prædicta forma Græcorum, quia diſcederet à communi uſu totiùs Eccleſiæ latinæ in re gravi. Ita Nuñus *quæſt. 66. artic. 5. difficult. 1. concluſ. 2.* Ledeſma, *cap. 4. de baptiſmo* & alii. *latinus miniſter utens forma Græcorum in baptiſmo graviter peccat.*

PUNC-

Digitized by Google

PUNCTUM II.

An explicatio perſonæ baptizandæ ſit requiſita ad valorem Baptiſmi?

Ad eſſentiam Baptiſmi debet exprimi perſona, quæ baptizatur.

6. CONveniunt Doctores, ad eſſentiam, & valorem Baptiſmi neceſſariò eſſe explicandam perſonam, quæ baptizatur: ſive dicatur *baptizo te*, ſive *baptizo hunc*, ſive *baptizo Petrum*, ſive *tu baptizaris à me, &c.* ſive *baptizetur ſervus Chriſti Petrus, &c.* juxta Græcos. Conſtat hoc ex traditione, & uſu Eccleſiæ, quæ ita intellexit verba illa Matth. ultimo: *Baptizantes eos, &c.* ut Chriſtus non ſolum voluerit, ut re ipſa abluantur non baptizati, ſed etiam, quod exprimantur in ipſa forma Baptiſmi. Et ita in utrâque formâ tam Græcorum, quam Latinorum obſervatum eſt. Quod etiam ſatis rationi congruum videtur: quia alioqui neque actus ipſe baptizandi ſufficienter ſignificaretur, ut hic & nunc exercitus: neque ulla eſſet formæ determinatio, ſicut ſi diceres: *Ego baptizo in nomine Patris.* Nec Indicaretur diſtioctio baptizantis, & baptizati, quæ ſicut ioter generantem, & generatum ſigoificari debet, *cap. Debitum de Baptiſmo.*

Quæſitum ſolvitur.

7. Sed inquires: an efficeret verum Baptiſmum, qui baptizans diceret: *Ego vos baptizo in nomine Patris, &c.* Reſpondetur: ſi uous tantum baptizandus ſit, & vel propter ignorantiam, vel propter honorem dicat *vos*: velit tamen ſignificare ſingularem perſonam, verum efficeret Sacramentum. Ita cum multis Bonacina *diſp. 2. quæſt. 2. puncto 4. num. 11.* Filliucius, *tract. 2. cap 3 num. 53.* Leander *quæſt. 9.* N. Ant. *ſect. 3.* Peccaret tamen, ſecluſo ſcandalo, ad minimum venialiter, ut benè Filliucius ibidem.

8. Quod ſi ſint multi baptizandi, ut in neceſſitate, etiam licitè exprimitur: *Ego vos baptizo, &c.* Tunc autem vox illa *vos* ſignificat *te*, & *te*. Ita D. Thomas, *quæſt. 66. art. 5. ad 4.* Sotus *in 4. quæſt. unica, art. 4.* Henriquez *lib. 2. cap. 7. & cap. 12. num. 3. & cap. 30. num. 1.* Coninchus, *quæſt. 67. artic 6. dub. 2.* Filliucius ubi ſupra, & cum multis Bonacina, *num. 21.*

9. Extra neceſſitatem teneret qoidem Baptiſmus: illicitè tamen fieret. Scotus *in 4. diſt. 6. quæſt. 2. §. Reſpondeo* Et Gabriel ibidem, *q1. artic. 1. concluſ. 7.* Diana *tom. 9. tract. 6. reſol. 30.* docent, quòd eſſet peccatum mortale, ſi plures ſimul baptizaret, dicens: *Ego vos baptizo.* Sotus verò ibidem, *§. Secundo arguitur*, cenſet, quod tantùm eſſet peccatum veniale, ſi citrà ſcandalum fieret. Et pro Soto contra Scotum, ſunt Henriquez *cap. 30. num. 1.* Vivaldus *de Baptiſmo, cap. 2. num. 13.* Reginaldus, *cap. 30. num. 46.* Valeotia, *diſp 4. quæſt. 3. puncto 2.* Unde non immerito Bonacina, *quæſt. 2. puncto 4. num. 21.* ait, utramque ſententiam probabiliter ſuſtineri poſſe. Sic etiam Dicaſtillus *de Baptiſmo, diſput. 1. dub. 6. num. 138.* *Utramque ſententiam*, inquit, *probabilem puto. Et quidem aliquod peccatum eſſe ſine neceſſitate, non dubito; probabilius tamen non eſſe mortale.*

PUNCTUM III.

An expreſſio actus baptizandi ſit de neceſſitate Baptiſmi?

Concluſio.

10. COncluſio eſt affirmativa, & de fide. Sumitur ex Florentino in decreto de Armeois, & ex Alexandro III. *cap. 3. de Baptiſmo.* Et hic eſt ſenſus verborum Chriſti Matth. ult. *Baptizantes eos, &c.* ex uſu Eccleſiæ. Id autem fit primò: quia ablutio hominis io aqua propter multa fieri poteſt: & ita oportet, quod determinetur in verbis formæ, ad quid fiat; quod quidem non fit per hoc, qood dicitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quia omnia in tali nomine facere debemus: & ideò ſi noo exprimatur actus Baptiſmi, vel per modum noſtrum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum. Secundò: quia Sacramenta novæ legis efficiunt, quod ſignificant: & ita cum Sacramentum Baptiſmi abluat animam gratiâ, neceſsè eſt, ut exprimatur in forma actus baptizándi, hoc opus ſignificans, quod noo fieret, ſi non exprimeretur actus baptizandi. Ita Ledeſma, *cap. 4. de forma Baptiſmi, dub. 2.*

Quæſitum primum & ejus ſolutio.

11. Sed inquires primò: An neceſsè ſit exprimere hunc actum per illud verbum *baptizo*; vel ſufficiat aliud æquivalens, *ut abluo, lavo, intingo*? Sed ſi obſerventur, quæ in tractatu de Sacramentis io genere à nobis dicta ſunt, nihil hoc loco addere neceſsè eſt; ſed ſolum obſervare an verbum ſit ſynonimum, vel æquivalens: nam ſi ſit hujuſmodi, mutatio erit accideotalis, qua non obſtante, forma erit ſufficiens ad cooſtituendum Sacramentum: hujuſmodi ſunt hæ voces *abluo, lavo, intingo.* Ut docet Suarez, *diſp. 16. ſect. 2.* Vivaldus *c. 3. n. 10.* Filliucius *tract. 2. n. 51.* Ægidius, *q. 66. n. 44.* & alii plures, quos refert & ſequitur Leander, *diſp. 3. q. 10.*

Verbum baptizo obſervandum eſt, quantum fieri poſſit.

12. Retinendum tamen eſt verbum *baptizo*, quantum fieri poteſt, ut rectè obſervant Suarez, & Filliucius *loc. cit.* etiam ſi forma proferatur in lingua vulgari: jam enim ex accommodatione factum eſt, ut utrique inſerviat, & præterea tale verbum eſt certum, & indubitatum.

Quæſitum 2. & ejus reſponſio.

43. Inquires ſecundò: an ſit ſufficiens ad valorem Baptiſmi ſi actus baptizandi exprimatur: indicativo modo, activo, vel paſſivo: quale eſt *babtizo te*, aut *baptizaris*, vel *baptizatur*, ſive imperativo modo, *baptizetur*? Reſpondetur affirmativè: quia actus baptizandi ſignificatur, ut actu exercitus, & hoc ſufficit, quantum eſt ex neceſſitate Sacramenti. Ita Suarez, & Filliucius ubi ſupra. Valentia, *q. 1. punc. 3.* & alii. Non eſſet autem ſatis, ſi quis diceret *Baptiza Petrum*: quia noo ſignificat ablutionem ut actu exercitam ſub tali forma, ſed ut alteri imperatam, & exercendam ab alio. Ita Suarez, & Filliucius citati, & Coninchus, *q. 66. art. 6. num. 47.*

PUNCTUM IV.

An explicatio unitatis eſſentiæ, quæ fit dicendo in nomine, *requiratur, ut ſit validus Baptiſmus?*

Significatio unitatis divinæ eſſen-

14. REſpondetur, in forma Baptiſmi ſignificare unitatem divioæ eſſentiæ, quod fit dum dicitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiri-*

tiæ facta per particulam in nomine eſt de neceſſitate baptiſmi.

tus Sancti, eſſe de neceſſitate Sacramenti. Ita colligitur ex verbis Chriſti Matth. ultimo, adjunctâ Eccleſiæ, & Sanctorum intelligentiâ. Non enim ſine myſterio exiſtimatur dixiſſe Chriſtus *in nomine*, & non *in nominibus*; ſed ut indicaret unam eſſe trium Perſonarum virtutem, ſubſtantiam, & majeſtatem, quæ uno illo nomine ſignificatur. Unde Hieronymus, Matth. 28. *Baptizantes*, inquit, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quorum una eſt divinitas, una ſit largitio, nomenque Trinitatis, unus Deus eſt.* Et clarius ſuper ad Epheſ. 4. circa illa verba: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma: Non baptizamur*, inquit, *in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ſed in uno nomine, quod intelligitur Deus.* Idem docet D. Auguſtinus *lib. 3. contra Maximum cap. 32.* D. Ambroſius *lib. 2. de Sacramentis cap. 7.* D. Gaudentius *tract. 14. de promiſſione Paracliti*, D. Fulgentius *lib. de Incarnat. & gratia Jeſu Chriſti, cap. 11.* D. Nazianzenus *Oratione in Sanctum Baptiſma, quæ eſt in ordine 40.*

15. Ratio verò eſt: quia non minus eſt de neceſſitate ſalutis, unius divinitatis, quam trium Perſonarum profeſſio, nec poteſt eſſe vera, ac perfecta hujus myſterii profeſſio ſine fide unius divinitatis: utrumque ergo debuit in forma Baptiſmi ſignificari.

Illatio 1.

16. Hinc eſt primò, ut ſi quis dicat: *Ego te baptizo in nominibus Patris, &c.* invalidè baptizet: quia in tali forma fit eſſentialis mutatio, ut omnes fatentur.

Secundò.

17. Hinc eſt ſecundò: quod ſi quis illam particulam *in nomine* ſumeret perſonaliter, non conficeret Sacramentum, ut bene notat Ledeſma *c. 4.* quia mutaret ſenſum formæ.

Tertia.

18. Hinc eſt tertiò: quod invalidus ſit Baptiſmus, ſi dicatur: *Baptizo te cum Patre, cum Filio, cum Spiritu Sancto*: quia non exprimitur unitas eſſentiæ. Ita notant Coninchus *quæſt. 66. art. 6. n. 60.* Filliucius *cap. 3. n. 62.* Dicaſtillus *de Baptiſm. diſp. 1. dub. 5. n. 96.* Candidus, *diſquiſit. 16. art. 3. dub. 5.*

Quæſtio 1. incidens, & 1. circa illam ſententiam.

19. Sed quid ſi quis baptizet hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti?* Invalidum eſſe Baptiſmum, inquit Bonacina, *diſp. 2. quæſt. 2. punct. 4. num. 5.* quia non oſtenditur unitas divinæ eſſentiæ. Nuñus verò, *quæſt. 66. art. 5. diffic. 4.* dicit, hanc formam eſſe æquivocam: ſi enim illud nomen multiplicatum accipiatur per modum repetitionis intendendo ſignificare, quod tantùm eſt unum nomen eſſentiale in divinis, verum eſt Sacramentum: ſi verò illa multiplicatio accipiatur per modum repetitionis ad ſignificandum, quod ſunt in divinis multa nomina, tunc illa propoſitio æquivalet propoſitioni de plurali, & ſic nullum eſt Sacramentum. Et hanc formam dicit eſſe dubiam ob ſententiam utrimque probabilem auctorum, Medulla Theologiæ Moralis, *dub. 2. de forma Baptiſmi, num. 4.*

Secunda ſententia.

20. E contra Suarez, *tom. 3. diſp. 2. ſect. 3.* Ledeſma *cap. 4.* Filliucius, Sotus *diſt. 3. quæſt. unica, art. 6.* Henriquez *c. 8. n. 2.* Coninchus *q. 66. art. 6. n. 58.* cum quibus ſentiunt Diana, *pag. 2. tract. 17. reſol. 15.* Candidus, Leander, *diſp. 3. q. 15.* & Dicaſtillus *loc. cit.* contra Bonacinam, referentes alios plures, dicunt illam formam Baptiſmi eſſe validam: quia unum, & idem nomen poteſt iterum, atque iterum nominari, & invocari abſque pluralitate, & illa repetitio ſingularis vocis per ſe ſenſum non mutat: ſicut idem omninò eſt dicere: *Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, ac ſi dicatur: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus*, niſi quis velit eam repetitionem perversè intelligere. Hæc ratio, ſimul cum Doctoribus, magis pro hac ſententia urget; oppoſita tamen non videtur omninò improbabilis.

21. Quæres: an particula *In* ſit de eſſentia Sacramenti, vel an ſaltem peccet mortaliter, qui talem particulam baptizando, omitteret? *Quæſtio ſecunda.* Reſpondetur, illam particulam non eſſe de eſſentia: quia illa ſublata, remanet idem ſenſus. Nam idem eſt, ſi dicatur *In nomine Patris*, ſive *nomine Patris*. Ita Henriquez *n. 6.* Coninchus ubi ſupra, *n. 61.* Filliucius *n. 63.* Bonacina *n. 26.* Candidus *art. 4. dub. 5.* & cum aliis Leander *q. 11.* & ita, qui illam baptizando omitteret, non peccaret mortaliter, ſed venialiter tantùm, ſecluſo contemptu, & ſcandalo. Ita Henriquez, Bonacina, Diana, Leander, N. Anton. & alii apud ipſos.

DUBIUM UNICUM.

An ſit de neceſſitate Baptiſmi, ut in forma illius exprimatur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

22. ET videtur, quod non. Primò, quia forma Sacramentorum non variatur, quando ſolum fit variatio in nominibus habentibus idem ſignificatum formale: ex eo quod tunc retinetur eadem ſignificatio, & hac retentâ, remanet forma Sacramenti; ſed idem ſignificatum formale habent nomen *Patris*, & *Genitoris*, nomen *Filii*, & *Geniti*, & *Verbi*, nomen *Spiritus Sancti*, & *Procedentis à Patre, & Filio*: ergo non eſt de neceſſitate Baptiſmi, quod tradatur ſub nomine *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* *1. Dubitandi ratio.*

23. Secundò, quia Concilium Florentinum definit, illam formam eſſe ad Baptiſmum ſufficientem, in qua exprimitur actus baptizandi, cum Sanctæ Trinitatis invocatione; & non addit, neceſſarium eſſe hanc invocationem fieri ſub nomine *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ergo validus erit Baptiſmus, ſi quis dicat: *Baptizo te in nomine Trinitatis.* Item ſi dicat: *Baptizo te in nomine Trini, & unius*, vel *in nomine trium perſonarum*, vel *in nomine primæ, ſecundæ, & tertiæ perſonæ*, non exprimendo *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* *Secunda.*

24. Tertiò: quia in nomine unius perſonæ intelligitur alia: ſicut in nomine *Patris* intelligitur *Filius*: & ille, qui nominat unam ſolam perſonam, poteſt habere rectam fidem de tribus: ergo non eſt de neceſſitate Baptiſmi, quod in ejus forma exprimantur tres divinæ perſonæ. *Tertia.*

25. Quartò: quia videtur, quod in nomine Chriſti poſſit dari Baptiſmus. Nam *Actor. 8.* dicitur, quod in nomine Chriſti baptizabantur viri, & mulieres: ergo etiam nunc poteſt dari Baptiſmus in nomine Chriſti: ſicut enim omnium una eſt Fides: ita & unum Baptiſma. *Quarta.*

26. Con-

Confirmatio. 26. Confirmatur: quia Nicolaus Papa (ut habetur *de Conſecrat. diſt* 4. *cap. A quodam Judæo*) ad conſulta Bulgarorum reſpondens, dicit: *Qui in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti (ſicut in actibus Apoſtolorum legitur) baptizati ſunt (unum quippe, idemque eſt, ut Sanctus ait Ambroſius) rebaptizari non debent.* Rebaptizarentur autem, ſi hâc formâ baptizati Sacramentum Baptiſmi non reciperent: ergo poteſt conferri baptiſmus in nomine Chriſti ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Chriſti.*

Authoritas cap. in ſynodo. Sed contrà eſt, quia *in cap. In ſynodo. De Conſecrat. diſt.*4. Baptiſmus dicitur non perfici, niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ergo eſt de neceſſitate Baptiſmi, quod in forma illius exprimantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Conclusio. 27. Reſpondetur dicendum, de neceſſitate baptiſmi eſſe exprimere tres perſonas Divinas per nomina conſueta *Patri, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita D. Thom. *q.* 66. *art.* 5. D. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 3. *art.* 2. *q.* 3. Scotus *q.* 2. *art.* 3. Richardus ibidem. Paludanus *q.* 1. *art.* 3. *n.* 16. Durandus *q.* 2. Gabriel *art.* 2. *concluſ* 4. *& art.* 1. *dub.* 1. qui dixit Theologos omnes, juriſperitos, & ſummiſtas in hanc ſententiam convenire. Eandem tenent Altiſiodorenſis, Alexander Alenſis, & Marſilius, quos refert, & ſequitur Suarez *diſp.* 21. *ſect.* 4. Ledeſma *cap.* 4. Nuñus *q.* 66. *art.* 5. *difficult.* 6. Filliucius *c.* 3. *q.* 9. Palaus *diſp. unica, puncto* 5. & plures alios referens Dicaſtillus *diſp.* 1. *dub.* 6. *n.* 120.

Probatur authoritate. 28. Colligitur primò ex verbis Chriſti Domini, Matth. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Secundò: Ex Conciliis Florentino ſub Eugenio IV. Lateranenſi ſub Innocentio III. in quibus aſſignatur forma baptiſmi, & in ea exprimuntur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Tertiò: ex *can* 48. (aliàs 49.) Apoſtolorum ubi præſcribitur, ut baptiſma conferatur, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quartò: ex uſu univerſali Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ.

Probatur ratione. 29. Ratio vèro potiſſima eſt D. Thomæ *loco citato.* Quia ſicut in baptiſmo determinata eſt ex parte materiæ aqua naturalis: quia ejus uſus eſt communiſſimus, facilis, & aptiſſimus ad ſignificationem hujus Sacramenti: ita ex parte formæ determinatæ ſunt illæ voces, quæ facilius, & aptius perſonas divinas ſignificant, quæquè futuræ erant in uſu frequentiori Eccleſiæ ad Trinitatem invocandam, ejuſque fidem profitendam: hujuſmodi autem ſunt illæ, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*: ac proinde in aliis nominibus non perficitur Sacramentum.

Solutio Cajetan. ad 1. rationem dubitandi. 30. Ad primum argumentum, Cajetanus *q.* 66. *art.* 5. concederet totum: quia credit eſſe ſufficientem formam baptiſmi illam, quæ traditur ſub nominibus denotantibus eaſdem perſonas divinas; quamvis non exprimant illas ſub nominibus *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Rejicitur. 31. Cæterum licet hæc ſententia ſpeculativè probabilis ſit; non tamen practicè, ut rectè, ſicut alii plures, docent N. Salmaticenſes, *tom.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 2. *num.* 124. Nam ut ex D. Thom. *loco citato* dictum eſt, in unoquoque idiomate ſunt communiora, & uſitatiora nomina, quibus res ſignificantur, & ſub his forma baptiſmi fuit à Chriſto Domino inſtituta: communiora autem, & magis uſitata nomina, quibus tres divinæ perſonæ ſignificari ſolent, & ſub quibus Matth. ultimo, Baptiſmi forma traditur, ſunt hæc, nempe *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*: & ita ſub his, & non ſub aliis, licet aliqualiter æquivalentibus, debet legitima baptiſmi forma exhiberi.

De his latius Gonet. loco citato d. 1. art. 3.

32. Accedit, quod *Pater*, & *Genitor* aliquomodo virtualiter diſtinguuntur: quia Pater relatione paternitatis, Genitor generatione activa conſtituuntur: generatio autem activa virtualiter diſtinguitur à relatione: quoniam relatio non eſt activa. Et licet Pater, ut dicens, & regenerans, ſeu Genitor, & ſimiliter Filius, Verbum, & Genitus, & pari modo Spiritus Sanctus, & procedens à Patre, & Filio, in divinis ſint idem ex parte rei conceptæ, ſine diſtinctione virtuali; nihilominus ex parte noſtri modi concipiendi diſtinguuntur, ratione ſummæ eminentiæ, quam dicunt. *Acceſſio.*

33. Unde communiter inferunt Doctores, peccaturum mortaliter, qui in forma Baptiſmi prædicta nomina *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* mutaret. Tum quia non uteretur verbis Chriſti, contra conſuetudinem Eccleſiæ. Tum quia uteretur formâ incertâ, & contra communem fere omnium Doctorum: ideoque ſe exponeret periculo non conficiendi Sacramentum. Hinc etiam docent talem fore rebaptizandū ſub conditione: quia eſſet valde dubium Sacramentum. *Illatio.*

34. Ad ſecundum dicendum, Concilium Florentinum, cum requirit, ut exprimatur actus baptizandi cum Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione, ſatis perſpicuum eſſe (ſi locus ipſe inſpiciatur) nomine *Trinitatis* ibi intelligere ipſas perſonas diſtinctè ſignificatas: nam paulo antè ibi definitur per formam baptiſmi contineri expreſſa illa ſignificatione Trinitatis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quarè cum Concilium decernat, neceſſe eſſe, ut ſic Trinitas exprimatur, expreſſam illam ſignificationem requirit. Unde non eſſet ſufficiens forma Baptiſmi: *Baptizo te in nomine Trinitatis*, vel *baptizo te in nomine primæ, ſecundæ, & tertiæ perſonæ*, non exprimando *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* *Solvitur 2. ratio dubitandi.*

35. Tertio argumento occurrit tacitè D.Th. *q.* 66. *art.* 6. in corpore his verbis: „Nec obſtat, quod in nomine unius perſonæ intelligitur alia, ſicut in nomine Patris intelligitur Filius, aut quod ille, qui nominat unam ſolam perſonam, poteſt habere rectam fidem de tribus: quia ſicut ad Sacramentum requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis. Unde non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur. Et ita Zacharias Papa, de *Conſecrat. diſt.* 4. *cap. In ſynodo*, probans decretum cujuſdam Concilii Anglicani ſuper hac re editum, ſic inquit: *Si quis unam de Trinitate Perſonarum in Baptiſmo nominaret, illud Baptiſma verum eſſe non poſſet.* *3. Enervat D. Thom.*

36. Ad quartum dicendum cum Catechiſmo Pii V. ſecundùm legem ordinariam, neque jam valere, neque unquam valuiſſe Baptiſmum in nomine tantum Chriſti. Et ita *cap. Multi* *Quarta evertitur.*

Digitized by Google

ſunt, *de Conſecrat. diſt. 4.* Pelagius Papa dicit: *Baptiſmum datum ſolummodò in nomine Chriſti, eſſe nullum*, Sed ſi dicimus, quòd Apoſtoli aliquando in nomine tantùm Chriſti baptizarunt, ex peculiari revelatione, & privilegio feciſſe aſſerendum eſt.

37. Quamquàm non penitùs compertum habetur, quod non etiam Apoſtoli nominarent alias perſonas, & eàdem formâ, quam Dominus noſter ſervandam præceperat, baptizaſſe, ſcilicet: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quod ſi fecerunt, argumentum, ut patet, nullum eſt. Neq; non feciſſe convincitur ex illo Act. 8. ubi dicitur, quod *in nomine Chriſti baptizabantur viri, & mulieres*; ut conſtat ex his, quæ ex Ambroſio, & Baſilio tradit idem Catechiſmus *cap. de Baptiſmo*, aureis his verbis: „Quod ſi „etiam aliquando tempus fuiſſe dicendum „eſt, quod Apoſtoli in nomine tantùm Domi„ni Jeſu Chriſti baptizarent; id quidem Spiri„tus Sancti afflatu eos feciſſe, exploratum no„bis eſſe debet, ut initio naſcentis Eccleſiæ, „Jeſu Chriſti nomine prædicatio illuſtrior fie„ret, divinaque, & immenſa ejus poteſtas magis „celebraretur, &c. Quamquàm dubium fortaſſe „videri poteſt, an hujuſmodi formâ Apoſtoli „aliquem baptizaverint, ſi Ambroſii, & Baſilii „ſanctiſſimorum, & graviſſimorum Patrum „auctoritatem ſequi volumus, qui ita baptiſ„mum in nomine Jeſu Chriſti interpretati ſunt, „ut dixerint, his verbis ſignificari Baptiſmum, „non qui à Ioanne, ſed qui à Chriſto Domino „traditus eſſet; tametſi à communi, & uſitata „formâ, quæ diſtincta trium perſonarum no„mina continet, Apoſtoli non diſcederent. At„que hoc loquendi genere Paulus etiam in „Epiſtola ad Galatas uſus videtur, cum inquit, *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; „ut ſignificaret in fide Chriſti, neque aliâ ta„men forma, quam idem Salvator, & Dominus „noſter ſervandum præceperat, baptizatos eſſe.

Occurritur confirmationi. Vid. lat. Suarez & Wiggers *3. p. quæſt. 66. artic. 5. num. 29.*

38. Ad confirmationem multi reſpondent, Nicolaum ut Pontificem ſolùm definire, baptiſmum collatum à Judæo ſub debita forma, repetendum non eſſe, eo quòd à Judæo fuerit collatus: quia de hac quæſtione interrogatus fuerat. Quod verò ſub expreſſione Trinitatis, vel Chriſti Baptiſmus collatus ſufficiens fuerit, non decidit, ſed ſupponit, ſententiæ aliorum adhærens; & in hoc, ut privatus Doctor, deceptus eſt.

Quæſitum 1. ſolvitur.

39. Hic quæri ſolet primò: an particula *Amen* ſit de neceſſitate, & ſubſtantia formæ baptiſini? Reſpondetur, non eſſe de neceſſitate: quia ſolum eſt quædam confirmatio, & deprecatio baptiſmi facti, ut ſit proficuus. Ita Sotus *diſt. 3. art. 5.* Vazquez, *diſp. 142. n. 30.* Vivaldus *c. 2. num. 5.* Filliucius *c. 3* Henriquez *l. 2. c. 8. num. 6.* Coninchus *art. 6. num. 61.* Bonacina *punct. 4. n. 16.* Leander *diſp. 3. q. 31.* Chamerota *tract. 2. de Baptiſmo, c. 3. dub. 8. n. 10.* Dicaſtillus *n. 139.* Et eſt communis.

Omiſſio particulæ Amen *ſolum eſt venialis.*

40. Qui autem prædictam particulam *Amen* omitteret, miniſtrando baptiſmum, cum non ſit materia gravis, venialis tantùm culpæ reus eſſet. Sic alios referens Bonacina *loco citato.* Ægidius *dict. num. 61.* Henriquez, Dicaſtillus, & alii citati.

Quæſitum ſecundum. In quo conveniant 1. Doctores.

41. Secundò quæri ſolet: cum quanta ſimultate, vel propinquitate debeant forma, & materia baptiſmi, ut validus ſit adhiberi? Conveniunt in primis Doctores, non eſſe neceſſarium ſimul formam, & materiam baptiſmi incipere, nec ſimul finiri: id enim veritas formæ non requirit, & præter humanam facultatem eſt: cum humanâ diligentia ſæpe nequeat diſcerni omnimoda illa ſimultas.

In quo conveniant 2. omnes Doctores.

42. Item conveniunt Doctores contra Gloſſam *in cap. Detrahe 1. q. 1.* non eſſe neceſſarium, materiam proximam baptiſmi perſeverare uſque ad ultimam prolationem verborum: cum neque id veritas verborum requirat; quamvis enim prius finiatur ablutio, quam verba, ſufficit moralis conjunctio, ut verum ſit dicere: *Ego te baptizo.*

Sententia Scoti, & aliorum.

43. Scotus *in 4. diſt. 6. q. 3.* Gabriel *q. 1. art. 2.* Cajetanus *tom. 1. opuſcul. tract. 16.* Navarrus *c. 22. n. 7.* Zambranus *de caſibus occurrentibus, c. 1. dub. 2. dict. 2.* & alii, putant, baptiſmum non valere, niſi tanta ſit ſimultas materiæ, & formæ, ut neutra finiatur, antequam altera incipiat: quia hæc ſimultas videtur neceſſaria ad veritatem verborum, *Ego te baptizo*: eſt enim verbum de præſenti: & non erit verum, ſi anteà, aut poſtea fiat ablutio.

Quæſitum reſolvitur.

44. Nihilominus dicendum eſt, quòd etſi maximè curandum ſit in Sacramento Baptiſmi, quod eſt janua cæterorum Sacramentorum, ut dum quis aqua tingitur, miniſter proferat verba formæ, juxta ea, quæ docet Catechiſmus Pii V. *cap. de Baptiſmo*, nimirum ab eo, qui baptizat, non antè, aut poſt ablutionem verba Sacramenti, quæ formam continent; ſed eodem tempore, quo ablutio ipſa peragitur, pronuntianda eſſe. Si tamen finita ablutione, ſtatim proferret formam, vel finita forma, ſtatim ablueret, cenſerentur ſimul moraliter: & ita validus eſſet baptiſmus. Ita Victoria *de Baptiſmo, num. ultim.* Sotus *in 4. diſt. 3. q. unica, art. 8.* Ledeſma *c. 4.* Nuñus *3 p. q. 66. art. 8. concl. 10.* Candidus *diſquiſit. 16. dub. 13.* Henriquez *lib 1. cap. 9. n. 10.* Suarez *diſp. 2. ſect. 2.* Villalobos *tract. 4. de Sacram. difficult. 2 n. 6.* ibi: *Aunque es mas ſeguro, que en el Sacramento del Baptiſmo pronuncie las palabras el miniſtro, al miſmo tiempo que haze la ablucion: mas ſi las pronunciaſe antes, y luego inmediatamente hizieſe la ablucion, ó las pronunciaſe luego, deſpues de hecha, harta verdadero Sacramento.* Ita etiam Layman, *lib. 5. tract. 2. c. 7. n. 5.* Hurtado *de Baptiſmo, diſp. 2. difficult. 8.* Diana *3. p. tr. 4. de Sacram. reſolut. 6.* Leander *diſp. 3. quæſt. 41.* Dicaſtillus *diſp. 2. dub. 4. num. 48.* Vega, Toletus, Sa, quos refert, & ſequitur Granado, *controv. 3. diſp. 4.*

Reſolutionis ratio ex quo patet ad fundamentum Scoti.

45. Et ratio eſt: quia ſic cenſentur materia, & forma baptiſmi ſimul moraliter eſſe ſecundùm humanum agendi, & loquendi morem. Quæ ſimultas, ſeu conjunctio moralis ſufficit tum ad veritatem formæ, tum etiam, ut moraliter cenſeatur cadere ſuper talem materiam, & cum illa conjungi ad unum ſignum conſtituendum: ſicuti in ſimili vere dicere cenſetur: *Ego bibo*: qui poculum in manu capit, ſtatim illud ori applicaturus, bibendi cauſa: per quod patet ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De miniſtro Baptiſmi.

IN HOC CAPITE SUNT QUATUOR PUNCTA.

P. 1. *Quis miniſter ſimpliciter neceſſarius Sacramenti Baptiſmi, ut factum teneat.*

P. 2. *Inter varios Baptiſmi miniſtros neceſſitatis, quis ordo ſervandus? & illum pervertere, an ſit peccatum mortale?*

P. 3. *An unius Baptiſmi plures miniſtri eſſe poſſint?*

P. 4. *Quis ſit miniſter Baptiſmi ex officio, quive ex commiſſione?*

PUNCTUM I.

Quis miniſter ſimpliciter neceſſarius Sacramenti Baptiſmi, ut factum teneat?

DUpliciter ſumi poteſt Baptiſmi miniſter. Primò quoad valorem Sacramenti: & de hoc agimus in hoc puncto. Secundò, quoad licitum ejus uſum, de quo agemus in ſequentibus.

Concluſio. 1. Loquendo igitur de valore Sacramenti, quilibet, ſive Sacerdos, ſive laicus, ſive vir, ſive fœmina, ſive Baptizatus, ſive non baptizatus, Sacramentum miniſtrare poteſt, ut firmum, & ratum exiſtat; dummodo ſciat lavare, & verba proferre cum debita intentione. Hæc aſſertio in caſu quidem neceſſitatis, definita eſt in Concilio Florentino *in decreto* Eugenii, ibi: *In caſu neceſſitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus, & hæreticus baptizare poteſt.* Sumitur etiam ex *cap. Firmiter, de ſum. Trinit. cap. In neceſſitate, cap. Romanus, de Conſecrat. diſt. 4. cap. Ad limina* 30. *q.* 1. Ex his ergo, & ex traditione Eccleſiæ nobis conſtat, hanc fuiſſe Chriſti voluntatem, & inſtitutionem, à qua totum potiſsimum pendet, ut latè contrà Armeros demonſtrat doctiſsim. P. N. Dominic. à SS. Trinit. *tom. 5. ſect. 10. cap. 16.*

2. Extra caſum vero neceſsitatis, ſi laicus baptizet, etiamſi malè faciat, tamen factum tenet. Ita D. Thomas ab omnibus receptus, *q. 67. art. 3. ad 1.* his verbis: *Dicendum, quod baptizare pertinet ad ordinem ſacerdotalem ſecundum quandam convenientiam, & ſolemnitatem; non autem hoc eſt de neceſſitate Sacramenti. Unde etiamſi extra neceſſitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem; tamen Sacramentum baptiſmi confert: neque eſt rebaptizandus, ille, qui ſic eſt baptizatus.* Et eſt ſententia D. Auguſtini, *lib. 2. contra epiſtolam Parmen. cap. 13.* dicentis: *Sed etſi nulla neceſſitate uſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, non poteſt dici non datum; quamvis rectè dici poſſit, illicitè datum* Unde *in cap. A quodam Iudæo, de Conſec. diſt. 4.* definitur, verum eſſe Baptiſmũ datum a Iudæo ſub debita forma: & nihil diſtinguitur, an baptizaret ille Judæus in caſu neceſsitatis, nec nè, ſed generaliter docetur, baptizatos ab illo, non eſſe iterum baptizandos. Et ſimiliter *in cap. Romanus; eadem diſt.* generaliter ſine ulla limitatione ſic dicitur: *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat; ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi, etiam ſi paganus ſit, qui baptizat.* Et hoc ipſum comprobat hiſtoria illa de Athanaſio, qui cum puer eſſet, Baptiſmum miniſtravit extrà caſum neceſſitatis, & tamen Baptiſmus judicatus eſt validus. Ex quibus colligitur juxtà communem ſenſum, & traditionem Eccleſiæ, ita fuiſſe intellectam Chriſti inſtitutionem, a qua potiſſimum hæc omnia pendent.

3. Hujus ratio rectè aſſignatur à D. Thoma, *q. 67. art. 5.* quia ſicut ex parte materiæ, quantum ad neceſſitatem Sacramenti, ſufficit quæcumque vera, & naturalis aqua, ita etiam ſufficit ex parte miniſtri quicumque homo.

4. Sed objicies: licet in articulo mortis, & in extrema neceſſitate poſſit ſimplex Sacerdos; ſi non adſit proprius, miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, etiam in materia neceſſaria, ſeu peccati mortalis; tamen ſi extra neceſſitatem illam Sacramentum confeſſionis miniſtrare tentet, non ſolum male faciet; ſed etiam nihil efficiet: ergo ſimiliter non erit validus Baptiſmus extra neceſſitatis articulum collatus à laico. *Obiectio.*

5. Reſpondetur, non eſſe eandem rationem de Pœnitentia: nam etiamſi ſit Sacramentum neceſſitatis, attamen duplex eſt differentia. Prima, quia Baptiſmus eſt majoris neceſſitatis, non modò in ordine ad ultimam ſalutem, ſed etiam ad effectus gratiæ in hac vita: eſt enim janua, & primum fundamentum: & ideò in Sacramento Pœnitentiæ non poteſt eſſe miniſter quilibet homo in neceſſitate; ſed ſolus Sacerdos: atque ille non in quacumque neceſſitate, ſed in extrema tantùm. In Baptiſmo verò poteſtas eſt abſoluta reſpectu cujuſcumque hominis non limitata ad caſum neceſſitatis, ſaltem quoad hoc, ut Sacramentum factum teneat. Secunda, quia Pœnitentia pendet ex poteſtate juriſdictionis, quæ ab hominibus datur, vel aufertur, vel limitatur ad caſum neceſsitatis; at Baptiſmi poteſtas eſt abſoluta, & tantum limitatur quoad bonitatem, vel malitiam actionis, non autem quoad validitatem. *Solutio.*

PUNCTUM II.

Inter varios Baptiſmi miniſtros neceſſitatis quis ordo ſervandus, & illum pervertere an ſit peccatum mortale?

6. STante extrema neceſsitate, ſervandus eſt ordo in Baptiſmi adminiſtratione: & ita non debet mulier baptizare, ſi adſit co- *Concl. 1.*

pia viri; ſicut nec laicus, præſente Clerico, nec Clericus, præſente Sacerdote, ut docet D. Thomas, *3. p. quæſt. 67. artic.* 4. quem communiter omnes ſequuntur, & tradit Cathecîſmus Pii V. *cap. de Baptiſmo*, his verbis: „Neque verò „hoc munus ita omnibus promiſcuè permiſ„ſum eſſe fideles arbitrentur, quin ordinem „aliquem miniſtrorum ſtatuere maximè de„ceat: mulier enim, ſi mares adſint, laicus item, „præſente Clerico, tum Clericus coram Sa„cerdote Baptiſmi adminiſtrationem ſibi ſu„mere, non debent. Quamquam obſtetrices, „quæ baptizare conſueverunt, improbandæ „non ſunt, ſi interdum præſente alioquo viro „qui hujus Sacramenti conficiendi minime „peritus ſit, quod aliàs viri magis proprium „officium videretur, ipſæ exequantur.

Quæſitum primum. 7. Sed inquires primò: an peccet mortaliter fœmina in præſentia viri; vel vir laicus in præſentia Clerici, aut Clericus in minoribus in præſentia Subdiaconi, in periculo mortis baptizantes? Affirmat Vazquez, *diſp.* 147. *cap.* 5. cui favet Palaus *diſp. unica, puncto* 9. *num.* 11. Sed communior, & probabilior ſententia eſt non peccare mortaliter, ſed tantum venialiter: quia in hoc, quod fœmina præferatur viro, & laicus Clerico, & Clericus in minoribus Subdiacono, licet aliqua indecentia reperiatur, eſt tamen levis, & ideò ſolum venialis. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 4. *art.* 2. Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 4. Nuñus, *q.* 67. *art.* 5. *difficult.* 2. Ledeſma *cap.* 6. Villalobos, *diffic.* 8. *num.* 10. Bonacina *puncto* 5. *num.* 12. & plures, quos referunt, & ſequuntur Dicaſtillus, *tract.* 2. *diſp.* 2. *dub.* 2. *num.* 31. & Leander *diſp.* 4. *q.* 9. N. Gabr. *diſp.* 3. *q.* 2.

Quæſitum ſecundum. 1. circa illud ſententia. 8. Inquires ſecundò: an peccet mortaliter non Diaconus, qui in neceſsitate in præſentia Diaconi baptizat. Affirmant Vazquez Reginaldus, *lib.* 27. *num.* 44. Gaſpar Hurtado, *diſp.* 2. Filliucius, *num.* 82, Ioannes à Cruce, *q.* 2. *dubitat.* 1. *conclu.* 3. Nuñus *difficul.* 7. Ægidius ibidem, *dub.* 2. *conc.* 3. *num.* 17. Dicaſtillus *loc. cit. num.* 29. Palaus, *n.* 13. Gonet, *diſp.* 2. *art.* 1. N. Gabr. & Steph. *num.* 24. quia Diaconus poteſt conficere baptiſmum cum ſolemnitate ex commiſſione, quod multum accedit ad miniſtrum ex officio: & idcircò videtur res gravis, quod in præſentia illius conficiatur ab alio. Et hæc ſententia eſt probabilis.

2. ſententia. 9. Verum non minus probabilis eſt oppoſita dicens, ſolum eſſe peccatum veniale. Tenent eam Sotus *art.* 2. Ledeſma *cap.* 6. *difficult.* 1. *concluſ.* 2. ubi ſic ait: *Paſar eſte orden ya dicho, como no eſte Sacerdote præſente, no es peccado mortal.* Villalobos, Suarez, Laiman, *lib.* 5. *art.* 2. *cap.* 7. *numer.* 4. Chamerota, Pitigianus, & Sylvius, quos refert, & ſequitur Diana, *tract.* 4. *de Sacram.* 3 *p. reſolut* 4. Bonacina ubi ſupra *num.* 11, Wiggers *art.* 5. & cum aliis plurimis Leander, *q.* 8.

Occurritur 1. ſententiæ fundamento. 10. Et ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur: quod licet illud ita ſit, nihilominus veroſimilius videtur non eſſe peccatum mortale Diacono præferre alium inferiorem, & laicum: quia Diaconus in rigore loquendo non eſt miniſter ex officio: quare cum nulla ratio ſufficienter cogat rem hanc eſſe gravem, non eſt hujuſmodi factum culpæ mortalis damnandum.

11. Inquires tertiò: an peccet mortaliter laicus, qui in neceſsitate præſente Sacerdote baptizat? Valentia, *tom.* 4. *diſp.* 4. *q.* 2. *puncto* 1. & Ioannes Suarez *in Enchiridio caſuum conſcientiæ, lib.* 5. *verſ. Baptiſmus*, N. Franciſ. *diſp.* 3. *reſp.* 4. docent laicum baptizantem, præſente Sacerdote, ſecluſo contemptû, & minimè renuente Sacerdote, peccare tantum venialiter. Et Ledeſma ubi ſupra ſic ait: *Digo lo tercero, en caſo de neceſsidad, es provable, que el lego que baptiza en preſencia del Sacerdote, y repugnando non peca mortalmente; pero mas provable es lo contrario.* *Quæſitum tertium.*

12. Ratio huius ſententiæ eſt: quia Sacerdos in caſu neceſsitatis non baptizat ex officio: ergo laicus non uſurpat ejus officium, & ex conſequenti non peccat mortaliter. *1. ſententia*

13. Nihilominus probabilior, & ferè communis omnium ſententia eſt, laicum in caſu poſito peccare mortaliter. Ratio eſt: quia lædit jus ortum ex poteſtate ordinis, quæ ſoli Sacerdoti competit ad baptizandum: ex hac enim ordinis poteſtate naſcitur jus, ut laicus tantùm ſinè illius læſione baptizet ob defectum Sacerdotis, qui ſine injuria ordinis, & Sacramenti talem licentiam dare non poteſt. *2. & probabilior.*

14. Inquires quartu: in caſu periculi mortis, præſente Sacerdote excommunicato, & laico non excommunicato, quis alteri ſit præferendus ad conferendum baptiſmum? In hac quæſtione ſunt duæ oppoſitæ ſententiæ. Prima eſt ſapientiſſimi N. Petri Cornejo, *diſp.* 10. *de excommunic.* §. 1. *dub.* 2. *q.* 4. & aliorum, quos refert, & ſequitur Leand. *tract.* 2. *de excommunic. diſp.* 5. *q.* 9. aſſerentium, in caſu poſito præferendum eſſe Sacerdotem excommunicatum. Quorum fundamentum eſt: quia quando pluribus conceditur privilegium, ſervandum eſt inter ipſos jus commune, lege *aſſiduis*, C. *qui portionem in pignore habeant*: ſed jure communi ratione ſuæ conſecrationis munus baptizandi competit ſolis Sacerdotibus, *cap. Diaconos, diſt.* 93. *cap. conſtat, de conſecrationibus diſt.* 4. ergo cum in extrema neceſſitate, v.g. in articulo mortis, concedatur, univerſis facultas licitè baptizandi, ſivè excommunicati ſint, ſivè non, ſervandum eſt jus commune, & præferendus Sacerdos. *Quæſitum quartum.* *1. ſententia*

15. Secunda ſententia eſt Sylveſtri *verbo Baptiſmus* 3. *num.* 1. Navarri *in manuali, cap.* 22. *num.* 6. & Suarez *diſp.* 11. *ſect.* 1. *num.* 11. & 12. N. Gabr. *loc. cit.* & Franciſ. *reſol.* 3. aſſerentium, in caſu poſito præferendum eſſe laicum. Et eorum fundamentum eſt: quia duo debent concurrere ad extremam neceſſitatem, quæ habilitant excommunicatum ad licitum miniſterium Sacramenti Baptiſmi: alterum, quod ſe tenet ex parte ipſius baptizandi, nempè quod ſit in articulo mortis: alterum ex parte ipſius miniſtri, videlicet, quod non ſit alius, qui poſſit, & velit illud Sacramentum conferre: nam ſi alius adſit, jam baptizandus non eſt in neceſsitate ſuſcipiendi Baptiſmum ab excommunicato, cum habet alium, à quo poſſit baptizari. Et quælibet ex his ſententiis videtur ſatis probabilis, omnibus hinc indè perpenſis. *2. ſententia.*

16. Pro praxi tamen obſervanda ſunt aliqua circà præfatum neceſsitatis caſum, documenta. *1. documentum.*

menta.

menta. Primum adducitur à Diana, *tom.5.trat.3.reſolut.*18. ex Zambrano *de Baptiſ. cap. 1. dub. 15. num.5. & 7.* Cavendum videlicet eſſe, ne ille, à quo petitur, ut miniſtret in periculo mortis Baptiſmum, propter ſcrupulos relinquant morientem ſinè Baptiſmo expectans miniſtrum magis idoneum; ſed ſi dubitet an opportunè veniet, vel non talis idoneus miniſter, conferat Baptiſmum: quia ea pars eſt tutior. Et idem eſt, ſi dubitet, an ſit periculum mortis, vel non. Et ſi pro rei qualitate, & tempore non poſsit rem examinare, nunquam diſcedat à loco, in quo eſt baptizandus periclitans: ſed mittat alium, qui vocet idoneum miniſtrum, ut ſi interim neceſsitas urgeat, ipſemet baptizet.

2. documentum. 17. Secundum eſt eorumdem ibidem, ut quando baptizat aliquis idiota, dicat formam vulgari ſermone, potius quam latino, ne erret; niſi conſtaret latinè bene proferendam.

3. documentum. 18. Tertium præbet Epiſcopus Moſcoſus *in ſumma, tract. 2. cap. 4 num. 2.* Ubi loquens de miniſtris non conſecratis ſic ait: *Mas lo que en en eſte caſo conviene advertir, es coſa laudable, y acertado poner los ojos en la perſona, que ſpa mejor adminiſtrar eſte Sacramento, para que la tal le adminiſtre: y por eſta razon algunas vezes, y no pocas, eſtando preſentes diverſas perſonas, y aun graves, las comadres dieſtras en eſte miniſterio, ſon las que baptizan los niños, quando eſtà en peligro de muerte.* Atque ita in Cathecismo juſſu Concilii Tridentini edito, dum agitur de miniſtro hujus Sacramenti, approbatur, quod obſtetrices, præſente aliquo viro, qui hujus Sacramenti adminiſtrandi minus peritus ſit, interdum baptizent.

4. documentum. 19. Quartum eſt, in caſu neceſsitatis quemlibet prædictorum ſub pœna peccati mortalis teneri baptizare, quando non eſt alius, qui id munus exequatur. Ita docent Paludanus *in 4. diſt.5. quaſt.2. artic.1.* D. Antoninus, *3.p.lib. 14. cap.13.§.4.* Reginaldus, *cap.6. num.*45. N. Anton. *di p.3. ſect.* 1. Quia præceptum charitatis obligans ſub mortali ad ſubveniendum proximo in gravi neceſsitate conſtituto, fortius obligat ad ſubveniendum ſpirituali neceſsitati ſalutis animæ proximi, quàm neceſsitati vitæ corporalis. Qui addunt, ideò bonum eſſe, ut quiſque formam Baptiſmi addiſcat; quantamvis, ut D. Antoninus ait, illam ſcire teneantur tantum ii quibus ex officio incumbit baptizare, ut Curatis, & etiam obſtetricibus propter pericula frequenter contingentia in partu.

5. documentum. 20. Quintum eſt: non Sacerdos, nec Diaconus ex commiſsione Sacerdotis miniſtrans Baptiſmum ſolemniter, etiam in caſu neceſsitatis, peccat mortaliter, & incurrit irregularitatem: quia exercet actum, ad quem non eſt ordinatus, & uſurpat munus alienum. Ita Sotus, *queſtion. unica, art.3. concl.* 1. Suarez, *diſp.* 31. *ſect.*4. Reginaldus *num.*46. Wiggers, N. Gabr. *q.*2. Et quantum ad irregularitatem patet ex *cap.1. de Clerico non ordinato miniſtrante*, ubi generaliter pœna irregularitatis imponitur ei, qui cum non ſit ordinatus, baptizat, Baptiſmo ſcilicet ſolemni, qui non conceditur ex vi ordinationis, niſi ſolum Sacerdoti. Unde pœna hæc etiam ad Diaconum non ex commiſsione, ſed ſua auctoritate baptizantem, extenditur. Purè tamen laicum ſolemniter baptizantem non fieri irregularem docet Henriquez *de Baptiſmo, cap.29. num.* 1. alios referens. Navarrus verò, *cap.27. num.*242. cum aliis melius docet contrarium, ut dicetur in tractatu de cenſuris.

21. Sextum eſt, vix excuſari poſſe à mortali, qui in caſu neceſsitatis, relicto fideli, paganum ad Baptiſmi adminiſtrationem invitaret. Sic docent Suarez Coninch. *quaſt.* 67. *artic.* 5. *dub.* 2. Palaus *num.* 12. Tum ob ſcandalum, quod fidelibus daretur. Tum ob periculum, quod credi poſſet adeſſe, miniſtraturum Baptiſmum cum errore in fide, & prava intentione, aut cum aliqua eſſentiali mutatione. *Sextum documentum.*

22. Septimum eſt, peccatum mortale committi baptizando, etiam in extrema neceſsitate baptizandi, præſente Parocho, & ipſo tenuente, atque volente in eo fungi ſuo munere: id ſiquidem eſt jus alienum invadere, & paſtorale munus ſibi uſurpare cum notabili injuria; quam non tollit illa ſubditi baptizandi neceſsitas, nec dat licentiam invertendi ordinem juſtitiæ, neque eſt ſufficiens cauſa, ut alius, quam proprius paſtor poſſit ad Baptiſmum dandum ſe ingerere: etenim quando is præſens adeſt, aut facile haberi poteſt ad illud ſuum munus exequendum, non eſt revera neceſſarium alterius miniſterium. Ita Reginaldus *num.*38. & 44. *Septimum documentum.*

PUNCTUM III.

An unius Baptiſmi plures miniſtri eſſe poſſint?

23. DIcendum eſt primò: unius Baptiſmi plures miniſtri eſſe poſſunt, quoad valorem Sacramenti, ſi abſolutè, & nulla inter ſe conſtituta dependentia, baptizandum abluant, & formam proferant, eamque perficiant eodem puncto, & inſtanti: quia eo caſu non ſe invicem impediunt; ſed ſicut cauſæ totales ad eundem effectum concurrunt, quarum una deficiente, alia effectum produceret. Velle tamen ſic cum alio concurrere in miniſtratione Baptiſmi, etiam intentione independenti, grave peccatum eſt: quia eſt contrà uſum, & conſuetudinem Eccleſiæ, & periculo manifeſto expoſitum nihil efficiendi, ſicuti nihil fit, ſi poſt ſocii ablutionem, & formæ prolationem, tuam perficis. Sic ſuſtinent Doctores communiter cum D. Thoma, *q.*67. *art.* 6. teſte Suarez, *diſp.*23. *ſect.*3. Vazquez *diſp.* 148. Coninch. *dub.* 1. Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.*7. *quaſt.*2. Palao, *num.* 14. N. Anton. *ſect.* 4. N. Gabr. *Concluſio.*

24. Sed contra primam hujus aſſertionis partem objicies, eundem numero effectum non poſſe produci ſimul à duabus cauſis totalibus, & ejuſdem ordinis, ut docet D. Thomas 1 *parte, quaſt.*52. *art* 3. ergo plures miniſtri ſimul abluentes, & proferentes verba Baptiſmi non poſſunt, ut cauſæ totales unum numero Baptiſma conficere. *Objectio contra primam partem concluſio.*

25. Huic objectioni optimè occurrunt N. Complutenſes *in libros Phyſicorum, diſp.* 15. *num.* 44. ex D. Thoma, 3. *p. quaſt* 82. *art.*2. *ad* 2 dicentes, nihil referre, quod inſtrumentaliter ſic ſimul *Enodatur.*

Legantur etiam Conarc. art. 2. Labat 3. ſimul concurrant: quia uniuntur in unica virtute ejuſdem agentis principalis, cui ſubordinantur. Unde de bis non ſequitur idem Angelicus Doctor, *1. p. quæſt. 52 artic. 3.*

Objectio contra ſecundam partem ejuſdem concluſionis 27. Contrà ſecundam etiam partem ejuſdem aſſertionis objicies, plures Sacerdotes de novo ordinati, poſſunt eandem hoſtiam ſimul cum Epiſcopo, non ſolum validè, ſed etiam licitè conſecrare, dummodo ſimul cum eo eadem verba in eodem inſtanti proferant: ergo etiam poſſunt plures miniſtri ſimul unum, non ſolum validè: ſed etiam licitè baptizare, ſimul abluentes, & proferentes verba formæ, eamque perficientes in eodem puncto, & inſtanti.

Evertitur. 27. Reſpondetur negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis aſſignatur à D. Thoma, *q. 82. art. 2. in corpore, & ad 1.* Quia Sacerdos, cum ordinatur, conſtituitur in gradu eorum, qui à Domino accipiunt poteſtatem conſecrandi in cœna: & ideò ſecundum conſuetudinem quarundam Eccleſiarum, ſicut Apoſtoli Chriſto cœnanti concœnaverunt: ita novi ordinati Epiſcopo ordinanti concelebrant: Chriſtus autem non legitur ſimul baptizaſſe cum Apoſtolis, quando injunxit eis officium baptizandi: & ideò non eſt ſimilis ratio, nec cauſa aliqua ob quam licitum ſit velle ſimul cum alio in confeſſione Baptiſmi concurrere.

2. concluſio. 28 Dicendum eſt ſecundò: ſi duo, pluresvè eundem ſimul baptizare conentur tanquam cauſæ partiales, nihil efficiunt. Ita Div. Thomas, *q. 67 art. 6.* in corpore, & *ad* 3. Alenſis *4. p. q. 16.* D. Bonaventura *in 4. diſt. 5 art. 1. q. 1.* Scotus *diſt. 6. quæſt.* 2 Gabriel, *quæſt.* .. Ricardus, *diſt. 3. art. 4.* Paludanus, *quæſt. 2. art* 2 Sotus, *diſt. 4. art* 4 Suarez, *diſp. 23. ſect. 3.* Meratius, Hurtadus, Vazquez, Coninchus, Granado, Tannerus, Filliucius, quos refert, & ſequitur Diana, *tom 5 tract. 3. reſol.* 26. Wiggers Labat. N. Gabr. *diſp. 3. q. 4.* N. Ant. Franc. *reſol. 3. n.* 16. Layman *c. 7. n* 7. contra Muſilium, *q. 4. art. 4.* Caiet. *q. 67. ar. 6.* Et probatur. Quaſi alter, v. g. non lavat, & tamen profert verba, falſo dicit: *Ego te baptizo*, & ſi neuter conficiat totum Sacramentum, neuter poteſt dici baptizare. Et ſi unus non habet intentionem baptizandi ſine alio, invalidum etiam eſt Sacramentum, quia eſt contra ſignificationem formæ: nam qui profert illam, ſignificat per eam, ſe applicare omnia neceſſaria ad Baptiſmum.

Objectio. 29. Sed objicies: Baptiſmus eſt Sacramentum maximæ neceſſitatis: ſed in aliquo caſu videtur eſſe neceſſarium, quod plures ſimul unum tanquam cauſæ partiales baptizent, putà ſi aliquis parvulus eſſet in articulo mortis, & adeſſent duo, quorum alter eſſet mutus, & alter manibus, & brachiis careret: tunc enim oporteret, quod mutilatus verba proferret, & mutus actum Baptiſmi exerceret: ergo videtur, quod plures poſſint eundem ſimul baptizare, tanquam cauſæ partiales.

Enervatur 30 Huic argumento occurrit D. Thomas *loc. cit. in ſolut. ad* 3. his verbis: „ Dicendum quod, „ ſicut ſupra dictum eſt, integritas baptiſmi „ conſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ: & ideò neque ille, qui tantùm verba „ profert, baptizat, neque ille, qui immergit: „ & ideò ſi unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit eſſe „ conveniens: neque enim poterit dici, ego „ te baptizo, cum ipſe non immergat, & per„ conſequens non baptizet: neque etiam po„ terit dici, nos te baptizamus, cum neuter „ baptizet. Si enim duo ſint, quorum unus „ unam partem libri ſcribat, & alius aliam, „ non erit propria locutio, nos ſcripſimus li„ brum iſtum; ſed ſynedochica, in quantum „ totum ponitur pro parte.

31. Addit tamen Suarez pro nobis relatus: *Non nego tamen, ſi occurreret talis neceſſitatis articulus, poſſe, juxta aliam ſententiam* (Marſilii ſcilicet, & Cajetani) *conferri baptiſmum quia melius eſt accipere baptiſmum dubium, & aliquo modo probabilem, quam omninò nullum:* eſſet tamen ille Baptiſmus ſub conditione iterandus, ſi poſteà occurreret oportunitas recipiendi indubitatum Sacramentum ab uno, & eodem miniſtro. Et ita puerum eſſe ſub conditione baptizandum, à duobus præfatis muto ſcilicet, & mutilato docuit Fernandez de Heredia *de baptiſmo, part. 5 lib. 9.* & idem tradunt Ioannes Chapeavilla de modo miniſtrandi Sacramenta tempore peſtis, *q. 20. de baptiſmo*, & Leander *diſp. 4. quæſt.* 16.

PUNCTUM IV.

Quis ſit miniſter Baptiſmi ex officio, quiſve ex commiſſione?

32. IN Cathecismo Pii V. triplex conſtituitur miniſter Baptiſmi. Unus ex officio. Alter, ex commiſſione. Et tertius, ex neceſſitate. De hoc poſteriori egimus in præcedentibus, de duobus prioribus in præſenti eſt nobis agendum.

33. Prima concluſio: Miniſter Baptiſmi ex officio eſt ſolus Sacerdos. Ita habetur in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. *in uno decreto, ubi ſic de baptiſmo* ait: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio convenit baptizare.* Et *in cap. Conſtat, de conſecratione, diſt.* 4. Optimeque id probat D. Thomas, *q. 67. art* 2. his verbis: „ Dicen„ dum, quòd Sacerdotes ad hoc conſecrantur, „ ut Sacramentum corporis Chriſti conficiant: „ illud autem eſt Sacramentum eccleſiaſticæ „ unitatis ſecundum illud Apoſtoli *1 Cor.* 10. *Unus panis, & unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus* „ Per „ Baptiſmum autem aliquis fit particeps ec„ cleſiaſticæ unitatis: unde & accipit jus ad „ menſam Domini accedendi: & ideò ſicut „ ad Sacerdotem pertinet conſecrare Euchari„ ſtiam, ad quod principaliter Sacerdotium or„ dinatur: ita ad proprium officium Sacerdotis „ pertinet baptizare: ejuſdem enim videtur eſſe „ operari totum, & partem in toto diſponere. *1. concluſio.*

34. Cæterùm Sacerdotis nomine comprehenditur Epiſcopus, ut ibidem *ad* 1. docet D. Thomas: quia quod poteſt inferior, poteſt & ſuperior.

35. Obſervandum tamen eſt, de jure poſitivo non omnem Sacerdotem poſſe licitè baptizare, ſed ſolum eum qui præter poteſtatem ordinis reſpectu Sacramenti, quam habet ex vi ſuæ ordinationis, habet etiam poteſtatem juriſ- *Animadverſio.*

juriſdictionis in perſonam, cui miniſtrandum eſt Sacramentum. Ut conſtat ex *cap. Interdicimus* 16. *quaſt.* 1. & ex eo quod per Baptiſmum recipiantur homines in Eccleſiam, & fiant ejus membra, deceatque ut poteſtas, & jus admittendi homines ad Eccleſiam ſit penes paſtores illius. Unde abſque urgente neceſſitate peccat mortaliter, quicumque alius baptizat, etiam ſi ſit Sacerdos, dum non ſit proprius, vel ex proprii commiſſione, modo in ſecunda concluſione explicando, baptizet, ut obſervant Villalobos *de miniſtro Baptiſmi*, *n.* 12. & alii.

Illatio 1. 36. Hinc etiam graviter peccant parentes, ſi prolem ſuam Parocho alieno abſque proprii licentia baptizandam offerant. Ita Layman, *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. Barboſa *de Officio & poteſtate Parochi*, *part.* 2. *cap.* 18. *n.* 1. & alii.

Obſervatio 1. Hinc item mortaliter peccat Epiſcopus, vel Parochus, qui reſidentem in alia Eccleſia, ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi illius, baptizat; quia aggregat baptizatum Eccleſiæ, cujus nullum regimen ſibi commiſſum eſt. Ita Coninchus, *quaſt.* 67. *artic.* 5. *diſtinct.* 1. *num.* 11. Layman ubi ſupra, *cap.* 6. *concluſ.* 2. Bonacina, *diſp.* 2. *quaſt.* 2. *p.* 5. *num.* 10. Palaus, *puncto* 9. *diſp. unica*, *num.* 2.

Obſervatio 2. 37. Obſervat autem Barboſa ubi ſupra, à *num* 7. & deinceps, quatuor, quæ ad præſens inſtitutum attinent. Primum eſt: ſi baptizandus peregrinetur, aut certum non habeat domicilium, in Eccleſia, quam elegerit, baptizari poſſe. *cap. Nec numerus* in principio, *verſ. aut in electa* 10. *quaſt.* 3.

Obſervatio 3. 38. Secundum eſt, de licentia proprii Sacerdotis expreſſa, aut rationabiliter præſumpta alienum ſolemniter baptizare poſſe. Miranda *in Manuali Prælatorum*, *tom.* 1. *quaſt.* 43. *artic.* 1. Henriquez *cap.* 29. *num.* 2.

39 Tertium, in caſu neceſſitatis, vel de licentia Ordinarii non eſſe prohibitum religioſis baptizare. Ut lat. N. Franciſ. *num.* 22.

Obſervatio 4. 40. Quartum: ſi alienus Sacerdos infantem alterius Parochiæ ſolemniter baptizaverit ſine licentia proprii Parochi, licet peccet mortaliter, nullam tamen incurrere excommunicationem, vel irregularitatem, cum hæc pœna nullibi reperiatur expreſſa. Machado *lib.* 4. *p.* 2. *tract.* 2. *documento* 9 *num.* 4.

Obſervatio 5. 41. Alia etiam duo obſervat Palaus. Primum: grave eſſe peccatum Sacerdotis, qui extra mortis periculum baptiſmum ſine ſolemnitate, & ritibus Eccleſiæ miniſtrat: quia textus in Clementina unica de baptiſmo id rigidè præcipit. Sic etiam, aliis relatis, Vazquez, *diſput.* 147. *cap.* 5. *numer.* 30. Layman, *cap.* 7. *quaſt.* 1. *concluſ* 2. Coninchus, *quaſt* 67 *art.* 5. *num.* 3. & Villalobos ubi ſupra *num.* 7. ubi ſic ait. *Fuera de caſo de neceſſidad, ſi el Saterdote baptiza ſin ſolemnidad, peca mortalmente, porque haze grave injuria al Sacramento: como peca mortalmente, el que celebra ſin ornamentos.*

42. Secundum: nullum Sacerdotem, Clericum, vel Laicum extra mortis periculum miniſtrare poſſe baptiſmum domi: quia eſt contrà ſolemnitatem, & ritum ab Eccleſia obſervatum, exceptis filiis, ſeu nepotibus Regis, & Principis, qui ſervatis aliis ſolemnitatibus, domi baptizari poterunt. Ut habetur *Clementina unica de Baptiſmo*, & ibi Gloſſa *verbo Liberi* Coninchus ubi ſupra, Sà *verbo Baptiſmus*, *num.* 13. *Obſervatio* 6.

43. Secunda concluſio. Ex commiſſione proprii Sacerdotis baptizare poteſt etiam ſolemniter, non ſolum Sacerdos, ſed etiam Diaconus juſtam ob cauſam. Ita Cajetanus, *q.* 77. *artic.* 5. Sotus *in* 4. *diſt.* 4. *quaſt. unica*, *artic.* 1. Suarez, *diſp.* 23. *ſect.* 2. Vazquez, *cap* 4 Coninchus. *dub* 3. *num.* 23. Layman, *concluſ.* 4. Bonacina plures referens, *diſp.* 2. *quaſt.* 2. *punct* 5. *num.* 3. Palaus, *puncto* 9. *num.* 4. Barboſa ubi ſupra, *num.* 9. N. Gabr. *quaſt.* 2. & colligitur ex Pontificali Romano, ubi Epiſcopus ad electos in Diaconos inquit: *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*: ſignum ergo eſt, eum ordinari, ut tanquam Presbyterorum miniſter baptizet; non quidem tantùm privatè: hoc enim etiam laicis competit; ſed ſolemniter. 2. *Concluſ.*

44. Obſervandum tamen eſt diſcrimen inter Diaconum, & Presbyterum, quod attinet ad poteſtatem baptizandi: nam Presbytero concedi poteſt hæc facultas abſque ulla ſpeciali neceſſitate: quia per ordinationem conſtitutus eſt aptus, cui hæc poteſtas concedatur; at Diacono concedi non poteſt, niſi deficientibus Sacerdotibus, qui velint, vel poſſint Baptiſmum, miniſtrare, eo quod non eſt conſtitutus miniſter baptiſmatis, niſi in Presbyterorum defectum: non tamen ad hanc facultatem Diacono concedendam requiritur extrema neceſſitas; ſed ſufficit rationabilis cauſa: puta, ſi propter baptizandorum multitudinem, gravem infirmitatem, excommunicationis cenſuram, aliudvè legitimum impedimentum, non poſſit proprius Sacerdos, neque per ſe, neque per ſubſtitutum Sacerdotem baptiſmum conferre. Ita Layman, Barboſa, & Palaus *loc. cit.* & N. Stephan. *num.* 24. *Differentia inter Sacerdotem, & Diaconum quæ attinet ad poteſtatem baptizandi.*

45. Secluſâ autem ſpeciali commiſſione, non poſſe Diaconum ſolemniter baptizare etiam in extrema neceſſitate colligitur ex *cap. Diaconos.* Et docent Suarez, *diſput.* 31. *ſect.* 4. Layman ubi ſupra *concluſ.* 5. Coninchus, *q.* 67. *artic.* 5. *dub.* 3. Palaus, *num.* 5. Et ratio eſt: quia ſemper, ut Presbyterorum miniſter ſe gerere debet: non autem ſic ſe gereret, ſed jure proprio miniſtraret, ſi ſolemniter, ſecluſa ſpeciali commiſſione, baptizare poſſet. *Sine ſpeciali commiſſione non poteſt Diaconus ſolemniter baptizare, etiam in extrema neceſſitate.*

Aliis verò Clericis inferioribus nullatenus ſolemnis baptiſmus committi poteſt, niſi à Pontifice ſummo in jure Eccleſiaſtico diſpenſante, ut docent Suarez, *diſp.* 23. *ſect.* 2. Coninchus, *dub.* 3. *num.* 24. Palaus, *num.* 5. & alii communiter.

CAPUT QUINTUM.

De neceſſitate Baptiſmi, & de ejus effectibus.

IN HOC CAPITE SUNT TRIA PUNCTA.

P. 1. *An Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem?*
P. 2. *Utrùm ſit neceſſarius neceſſitate præcepti?*
P. 3. *Quinam ſint Baptiſmi effectus?*

PUNCTUM I.

An Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem?

1. Concluſio. 1. PRima concluſio. Parvulis, ſeu rationis uſu carentibus, extra caſum martyrii, eſt neceſſarius baptiſmus in re ſuſceptus neceſſitate medii ad ſalutem conſequendam. Conſtat ex Innocentio I. *Epiſtola 26. ad Concilium Melevitanum*, & ex Concilio Carthaginenſi V. *cap. 6. relato in cap. Placuit, de Conſecrat. diſt. 4.* & ex Innocentio III. *in cap. Majores de Baptiſmo*, & ex Tridentino, *ſeſ. 5. decreto de Peccato Originali*, & *ſeſ. 7. can. de Baptiſmo.* Qui plurima de his voluerit legat Wiggers *quæſt.* 68. *artic.* 1. Gonet. *diſput.* 2. & precipuæ. N. P. Dominic. *tom. 5. cap.* 12.

Ratio propria. 2. Ratio eſt Chriſti Domini inſtitutio, indicata. Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Quæ verba non ubſcurè probant, regenerationem per baptiſmum parvulis ſimpliciter eſſe ad ſalutem neceſſariam: cum hi propriis actibus remiſſionem peccati obtinere nequeant, atque adeò médio aliquo à Chriſto Domino inſtituto ſimpliciter egeant: quod nullum aliud eſt præter Baptiſmum.

Parvulis ex ſpeciali privilegio ob martyrium originale dimittitur. 3. Dictum eſt autem in concluſione: *Extra caſum martyrii*: nam ob martyrium ex ſpeciali privilegio parvulis originale remittitur, & ſalus æterna conceditur: ut conſtat exemplo Sanctorum Innocentium: neque enim decebat occiſos in odium Chriſti, à Chriſto ſeparari, & animam perdere.

2. Concluſ. 4. Secunda concluſio. Adultis, ſeu ratione utentibus, poſt Evangelium promulgatum baptiſmus in re, aut in voto eſt ſimpliciter ad ſalutem neceſſarius. Ita omnes Doctores, teſte Ledeſma. *de Baptiſm. cap. 7. concluſ.* 1. Et ſumitur ex Tridentino, *ſeſ. 6. cap. 4. Tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum, poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt: ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.*

5. Dictum eſt, *aut in voto*: quia abſque baptiſmo re ipſa ſuſcepto poteſt ſalvari adultus, ſi ipſi habenti votum baptiſmi, & verè contrito in extrema neceſſitate deſit copia illius, ut habetur *cap. Debitum de Baptiſmo, & cap. 2. de Presbyt. non baptizato.*

PUNCTUM II.

Utrùm Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate præcepti?

6. COncluſio. Baptiſmus jure divino eſt in præcepto omnibus hominibus. Eſt communis Theologorum, & colligitur ex Tridentino, *ſeſ. 7. can. 5.* ubi dicitur *anathema* aſſerentibus Baptiſmum liberum eſſe, id eſt, non neceſſarium ad ſalutem. Fundatur autem in Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* **Concluſio.**

7. Et ratio eſt: quia omnibus jure divino præceptum eſt, media ad ſalutem neceſſaria apponere: Baptiſmus autem eſt medium ad ſalutem neceſſarium, ut puncto præcedenti viſum eſt: ac proinde jure divino omnibus in præcepto eſt.

8. Hoc autem præceptum diverſimodè parvulos, & adultos reſpicit: etenim parvulos ante uſum rationis adſtringere non poteſt: quia ſunt incapaces præcepti: eaque de cauſa non ipſos, ſed eorum parentes, vel tutores, Eccleſiæque Paſtores obligat. Adultos verò adſtringit à tempore, quo lex Baptiſmi homines obligare cœpit.

9. Si autem quæras: quando lex de baptiſmo lata fuerit, aut obligare cœperit? Reſpondet Catechiſmus Pii V. de Sacramento Baptiſmi, *num.* 17. his verbis: *De altero etiam, quo ſcilicet tempore lex de baptiſmo lata fuerit, nullus dubitandi locus relinquitur. Nam inter ſacros Scriptores convenit, poſt Domini Reſurrectionem, cum Apoſtolis præcepit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ex eo tempore omnes homines, qui ſalutem æternam conſecuturi erant, lege de baptiſmo teneri cœpiſſe.* **Quæſitum primum.**

10. Sed quæres adhuc iterum: quo tempore dictum præceptum obliget miniſtrari parvulis baptiſmum? Et quidem in periculo mortis manifeſta eſt obligatio, non ſolùm ex charitate, & pietate, verùm etiam vi legis baptiſmi: ſicut olim lex Circumciſionis obligabat parentes ad circumcidendos parvulos. Paſtores etiam animarum obligantur ex officio, & juſtitiâ in illa neceſſitate: nè carens baptiſmo, in perpetuum condemnetur, & à Regno cœleſti excludatur. **Quæſitum ſecundum, & ejus enodatio.**

11. Extra illam verò neceſſitatem obligantur parentes, ſeu tutores ſub gravi culpa, præcepto Eccleſiæ, non quidem ſcripto, ſed conſuetudine introducto, nè diu differant filiis parvulis baptiſmum. Cujus indicium eſt, quod ſi quis fidelium vellet contra hanc conſuetudinem agere, magnum ſcandalum in aliis generaret, niſi evidens aliqua neceſſitas ad baptiſmum differendum cogeret. Quod ſi ipſi parentes, vel tutores negligentes extiterint, Paſtores **Tenentur parentes ſub gravi culpa filiis ſuis baptiſmum non diù differre.**

Eccleſiæ

Eccleſiæ ratione officii tenentur eorum negligentiam emendare: ſicuti bene obſervarunt Suarez, *diſp. 31. ſect. 1. circa finem*, & Palaus *diſp. unica, puncto 8. num. 4.* Rationem optimè aſſignat Catechiſmus Romanus, *p. 2. de Baptiſmo, num. 28. Nam cum pueris infantibus nulla alia ſalutis comparandæ ratio, niſi eis Baptiſmus præbeatur, relicta ſit, facile intelligitur, quàm gravi culpa illi ſeſe obſtringant, qui eos Sacramenti gratia diutius, quàm neceſſitas poſtulet, carere patiantur: cum præſertim propter ætatis imbecillitatem, infinita penè pericula illis impendeant.*

Quæſitum tertium.

12. Quæ autem ſit diuturna dilatio ſufficiens ad peccatum mortale, arbitrio prudentis judicanda relinquitur à Patre Suarez, *diſp. 25. ſect. 2. §. Sed quæres tandem.* Diana verò *tom. 9. tract. 6. reſolut. 1.* ex Granado, Soto, & Valentia docet, non licere uſque ad duodecimum diem baptiſmum differre ſine peccato mortali; niſi urgeret aliqua gravis cauſa. Id quod ſuadet conſuetudo eccleſiaſtica baptizandi 8. die, ultra quem dilatio duorum, vel trium dierum non videtur gravis. Petrus autem de Ledeſma, *cap. 7. de Baptiſmo in fine*, ſic ait: *L lã maſe largo tiempo, el que los hombres diſcretos, y prudentes juzgaren ſer largo, y demaſiado. Quince, à veinte dias ſerà mui largo tiempo, conforme à lo que ſe uſa en lo Igleſia: deſuerte, que ſerà pecado mortal dilatar el baptiſmo por mas tiempo, ſino huvieſe alguna urgente razon.* Et hoc meritò magis placuit Leandro, *diſp. 1. quæſt. 14.* quàm quod addit Palaus, *puncto citato, num. 4.* dicens: *Crederem autem, ſecluſa gravi cauſa, ultra menſem à nativitate diuturnam eſſe dilationem: quia eſt dilatio contra communem praxim; & periculo ſcandali ſatis expoſita.* Hæc enim ratio etiam probare videtur, quindecim aut viginti dierum ſpatium, ſecluſa gravi cauſa, diuturnam eſſe dilationem: quia nimirùm eſt dilatio contra communem praxim, & periculo ſcandali ſatis expoſita.

Quæſitum quartum. Reſolvitur.

13. Deinde inquires: quo tempore adulti teneantur baptiſmum ſuſcipere? Reſpondetur, adultos, ſi in fide perfectè inſtructi ſint, obligari ex divino præcepto baptiſmum ſuſcipere, cum primùm, moraliter loquendo, commodè poſſunt. Ita ex Sanctis Clemente Romano, *lib. 6. conſtit. cap. 15.* Baſilio, *homil. 13. inter varias*, Nazianzeno, *Oratione in Sanct. Baptiſma*, & aliis. Firmant Vazquez *diſp. 149. cap. 4.* Suarez, *diſp. 31. ſect. 2.* Coninch. *q. 68. art. 3. num. 37.* Henriquez, *lib. 2. c. 4.* Bonacina, *diſp. 2. q. 2. p. 2. n. 4.* Valentia, *tom. 4. q. 3. p. 4.* Layman *tract. 2. cap. 6. q. 4.* Palaus, *p. 8. num. 5.* & alii, quos referunt, & ſequuntur Diana *tom. 9. tractat. 6. reſol. 2.* N. Gabr. *diſp. 2. q. 7.* Franciſ. *diſp. 5. n. 31.* Leander *diſp. 1. q. 12.* Dicaſtillus, *diſp. 1. dub. 10. num. 52.*

1. Reſolutionis ratio.

24. Probatur primò: quia certum eſt, præceptum baptiſmi obligare: ea autem obligatio non eſt reſtringenda ad ſolum articulum mortis; alias poſſet quis abſque peccato ſeparatus à Chriſto, & ejus Eccleſia, ac Sacramentorum uſu uſque ad mortis articulum perſeverare: quod tamen videtur valdè abſurdum: obligat ergo hoc præceptum ante mortis articulum: cum autem impoſſibile ſit, in ipſo vitæ curſu certam ætatem, ſeu tempus obligationis deſignare, ſequitur, ut dicamus divini hujus præcepti obligationem hominibus incumbere, cum illud primùm moraliter implere poſſunt; dummodò antea in fide inſtructi, ac probati ſint.

Secunda.

15. Secundo: quia adultus tenetur credere myſteria fidei, cum primum ei ſufficienter propoſita ſunt: ergo etiam tenetur ſuſcipere baptiſmum cum primùm commodè poteſt, ſi in fide perfectè inſtructus ſit. Antecedens eſt certum, & conſequentia liquet. Tum quia ſicut fides ſtatim obligat, eo quod eſt fundamentum vitæ ſpiritualis: ita etiam obligat baptiſmus, qui eſt janua Eccleſiæ, & Sacramentorum. Tum etiam, quia quemadmodum omnes tenemur interiùs credere: ita etiam fidem exteriùs profiteri ritu aliquo publico, & ſolemni, quo unitas fidei, & Eccleſiæ demonſtretur: ergo ſicut tenemur, ſtatim ac fidei myſteria ſufficienter propoſita ſunt, interiùs credere: ita etiam, ſi in fide ſufficienter inſtructi ſumus, ut primùm commodè poſſumus, adſtringimur baptiſmum ſuſcipere, quo fides ſolemniter aperitur, & fidei, & Eccleſiæ unitas indicatur.

Ex juſta cauſa poteſt differri baptiſmus.

16. Dictum eſt autem, obligari adultos baptiſmum ſuſcipere, cum primùm, moraliter loquendo, commodè poſſunt: quia ex juſtis cauſis poſſunt differre, & circumſtantiæ occurrere, ob quas deſit iſta commoditas, ac proinde ceſſet obligatio: & ita excuſandi ſunt S. Ambroſius, & S. Martinus, qui baptiſmum non ſtatim receperunt, & ſimiliter plures, qui olim uſque ad maturiorem ætatem, vel extremum vitæ, baptiſmum diſtulerunt, quia vel ex rationabili cauſa id fecerunt, vel ex ignorantia, excuſati ſunt.

Quando dilatio eſt major, major etiam cauſa excuſationis requiritur.

17. Quò autem mora fuerit diuturnior, eò majorem cauſam requirit, ut ſit legitima, ut communiter docent Doctores. Brevis verò dilatio, ut obſervat Coninchus ubi ſupra, *n. 40.* quia non continet tantam indecentiam: facilè excuſatur à peccato mortali ob levitatem materiæ, aut ſi aliqua juſta cauſa adſit, ab omni peccato poteſt excuſari.

Annotatio.

18. Nota etiam, quod *in cap. Duo tempora, & ſequentib. de conſecrat. diſt. 4.* miniſtris Eccleſiæ præcipiebatur, ſolùm vigiliâ Reſurrectionis, & Pentecoſtes Baptiſmum miniſtrare extrà caſum neceſſitatis: jam verò diu obtinuit conſuetudo, ut quovis tempore baptizentur hi, qui ſunt in fide ſufficienter inſtructi, & ad baptiſmum idonei.

Quæſitum quintum.

19. Sed inquires, utrùm Eccleſia adultis non baptizatis determinare poſſit tempus, quo ad ſuſcipiendum baptiſmum obligentur? Reſpondetur, directè non poſſe eos obligari aliquo Eccleſiæ præcepto: *Cum Eccleſia* (ut ait Trident. *ſeſ. 14. cap. 2.*) *judicium in neminem exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, De his, qui foris ſunt judicare?* Sed tantùm indirectè, quando cognita diſpoſitione baptizandorum, certum tempus deſignat, quo ritè, ac decenter baptizari poſſint, ut ſi illi, neglecta hac opportunitate, baptiſmum differant, contra præceptum divinum delinquant, in quo nullam in non baptizatos juriſdictionem exercet; ſed ſolum utitur clavi ſcientiæ à Chriſto Domino ſibi conceſſa pro rebus dubiis diſſolvendis, & difficilibus declarandis. Ita Suarez, *d. 31. ſect. 2.* Layman *c. 6. de Baptiſm.*

§. *Dubitant verò*, Wiggers *art.* 3. & alios refe- rens Palaus ubi ſupra, *num.* 7.

PUNCTUM III.

Quinam ſint Baptiſmi effectus?

Primus Baptiſmi effectus.

20. PRimus Baptiſmi effectus eſt omnis peccati originalis, & actualis, ſi ante ipſum Baptiſmum commiſſum ſit, remiſſio. Id quod multò ante ab *Ezech. c.* 36. *v.* 25. prænuntiatum eſt: per quem Dominus Deus ita loquitur: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Atque hanc doctrinam perpetuò à S. Eccleſia traditam eſſe docet Catechiſmus Pii V. de Baptiſmi effectibus, *num.* 31. Et ne dubitare ea de re cuiquam liceat. Sacra etiam Tridentina Synodus, poſt aliorum Conciliorum definitionem, idem declaravit *ſeſſ.* 5. de peccato originali dicens: *In renatis nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulat; ſed veterem hominem exeuntes, & novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt.*

21. Fateri autem oportet, ſicut in eodem loco ipſius Synodi auctoritate decretum eſt, in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem remanere; ſed illa verè peccati rationem non habet: & cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Jeſu Chriſti gratiam repugnantibus non valet: quinimò, qui legitimè certaverit, coronabitur.

Secundus baptiſmi effectus.

22. Secundus Baptiſmi effectus eſt omnium pœnarum, quæ pro peccatis debeantur, condonatio. *Nam etſi omnibus Sacramentis* (inquit Catechiſmus Pii V. num 33.) *hoc commune eſt, ut per illa virtus Paſſionis Chriſti Domini communicetur; de ſolo tamen Baptiſmo dictum eſt ab Apoſtolo* ad Rom. c. 6. Nos per ipſum Chriſto commori, & ſepeliri. *Ex quo Sancta Eccleſia ſemper intellexit, ſine maxima Sacramenti injuria fieri non poſſe, ut ei, qui Baptiſmo expiandus ſit, ejuſmodi pietatis officia, quæ uſitato nomine Sancti Patres opera ſatisfactionis vocarunt, imponantur.* Atque ita D. Ambroſius ſuper Epiſt. ad Rom. 11. *Gratia*, inquit, *Dei in Baptiſmo gratis omnia condonat.*

23. Ita etiam manifeſtè colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 5. §. 5. ubi ait, Baptizatos ità hæredes Dei, & cohæredes Chriſti per Baptiſmum effici: *Ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur.* Quod ſi Baptiſmus omnem pœnam debitam pro peccatis non remitteret, verum non eſſet. Et *ſeſſ.* 6. *cap.* 14. ubi dicit: in juſtificatione, quam lapſi poſt Baptiſmum obtinent, ſæpè manere obligationem ſolvendi aliquam pœnam pro peccatis debitam: quiaut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur. Similiter in Concilio Florentino, decreto de Armenis, habetur: *Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio.*

An pœnæ per civiles leges ſtatuta in baptiſmo remittantur.

24. Sed quamquam in Baptiſmo pœnas peccatorum condonari exploratum eſſe debet; ab eo tamen pœnarum genere, quæ civilibus judiciis ob grave aliquod ſcelus perſolvendæ ſunt, nemo liberatur: ita ut, qui morte dignus ſit, per Baptiſmum a pœna, quæ legibus conſtituta eſt, eripiatur. Tametſi vehementer laudanda eſſet eorum Principum religio, & pietas, qui eam quoque animadverſionem, ut Dei gloria in ſuis Sacramentis illuſtrior fieret, ſontibus remitterent, ac condonarent. Ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 69. *art.* 2. *ad* 3. & Catechiſmus Romanus, *num.* 34.

An pœnalitates corporales per Baptiſmum auferantur?

25. Pœnalitates verò mortis, famis, ſitis, & alia hujuſmodi non auferuntur per Baptiſmum in præſenti vita; ſed ejus virtute auferentur juſtis in Reſurrectione. Idque multis de cauſis: quarum prima eſt, quod nobis, qui per Baptiſmum, Chriſti corpori conjuncti, atque ejus membra effecti ſumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quàm ipſi capiti noſtro tributum eſſet. Secunda: ut per ea, quæ patimur, nobis merendi ſit occaſio. Tertià: nè homines præſentis potius vitæ commoda, quam futuræ ſperatam gloriam conſectantes ad Baptiſmum venirent. Ita D. Th. 3. *part. quæſt.* 69. *art.* 3. & Catechiſmus Romanus de effectibus Baptiſmi, *num.* 36. Quartam quoque cauſam addit Angelicus Doctor *loc. cit. in ſolutione ad* 3. quia peccatum originale hoc modo præceſſit, quod primò perſona infecit naturam, poſtmodùm verò natura infecit perſonam: Chriſtus verò, converſo ordine prius reparat id, quod perſonæ eſt, & poſtmodùm ſimul in omnibus reparabit id, quod naturæ eſt; & ideò culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ viſionis divinæ, quæ reſpiciunt perſonam, ſtatim per Baptiſmum tollit ab homine; ſed pœnalitates præſentis vitæ, ſicut mors, fames, ſitis, & alia hujuſmodi, reſpiciunt naturam, ex cujus principiis cauſantur, prout eſt deſtituta originali juſtitia: & ideò iſti defectus non tollentur, niſi in ultima reparatione naturæ per Reſurrectionem glorioſam.

Tertius baptiſmi effectus.

26. Tertius Baptiſmi effectus eſt gratiæ Dei largitio; hujus enim Sacramenti virtute animus noſter divina gratia repletur, quâ juſti, & filii Dei effecti, æternæ quoque ſalutis hæredes inſtituimur. Eſt autem gratia (quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis propoſita, decrevit *ſeſſ.* 6. *de juſtificatione*, *cap.* 7.) non ſolùm per quam peccatorum fit remiſſio: ſed divina qualitas in anima inhærens, & (ut Catechiſmus *num.* 38. ait) ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas delet, ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit. Atque id ex ſacris litteris apertè colligitur, cum gratiam effundi dicant, eamque Spiritus Sancti pignus ſoleant appellare. Huic autem additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitùs infunduntur: nimirùm fides, ſpes, charitas, ac ſeptem, quæ commemorantur *Iſai.* 11. Spiritus Sancti dona, nec non virtutes morales infuſæ: cuique, ut ſacramentalis, eſt, additur modus quidam intrinſecus, & permanens, ratione cujus habet exigentiam ſpecialis auxilii, quod per modum tranſeuntis confertur ad exequendum actum, ad quem per ſe ordina-

tur

tur Baptiſmus, ut dictum eſt in *tract. de Sacramentis in genere, cap. 5. num.* 28.

27. Hic autem effectus, ſi Sacramenti quidem vim expectemus, æquè ad omnes pertinere dubitari non poteſt: ſin autem quo quiſque animo affectus ad illum ſuſcipiendum acceſſerit, conſideremus, plus, minuſvè ad unum aliquem, quàm ad alium pervenire, omninò fateri oportet.

Effectus quartus.

28. Quartus Baptiſmi effectus eſt characteris impreſſio: per Baptiſmum enim conſignamur charactere, qui ex anima deleri nunquam poteſt, quo baptizatus redditur incapax denuò Baptiſmum ſuſcipiendi, ſicuti docuit Concilium Florentinum *decreto de Armenis*, & Tridentinum, *ſeſſ. 7. de Baptiſmo*: ideoque in ſymbolo Nicæno fatemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Quod quidem rei naturæ, & rationi valdè conſentaneum eſſe, ex eo intelligitur, quòd Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio: quemadmodum igitur naturali virtute ſemel tantum generamur, & in lucem edimur, atque ut D. Auguſt. *tract.* 11. in Ioan. ait: *Uterùs non poteſt repeti*. ſic enim una eſt ſpiritualis generatio, nec Baptiſmus ullo unquam tempore iterandus eſt.

Effectus quintus.

29. Quintus Baptiſmi effectus ex ante dictis conſequens eſt, cœli, quod peccato interclusum erat, apertio: aperire enim cœlum eſt, ut optimè docet D. Thom. *3. p. quæſt 69. artic. 7.* amovere impedimentum, quo quis impeditur illud introire: hoc autem impedimentum eſt culpa, & reatus pœnæ: oſtenſum eſt autem ſupra, quod per Baptiſmum omnis culpa, & omnis reatus pœnæ tollitur: unde conſequens eſt, quod effectus Baptiſmi ſit apertio regni cœleſtis.

30. Hoc verò per ſe convenit Baptiſmo, in quantum inſtitutus eſt ſignum Paſſionis Chriſti jam exhibitæ, & conſummatæ, à qua habet virtutem applicandi ſatisfactionem jam factam, ut bene obſervat Suarez *in commentario ejuſdem art.* Hinc ut habet Concilium Florentinum in litteris unionis, agens de effectu Baptiſmi, ſi baptizatus moriatur, antequam novum peccatum committat, ſtatim cœlum ingreditur: atque ita ſuper illud Lucæ 3. *Apertum eſt cœlum*, dicit Gloſſa venerabilis Bedæ. *Virtus hic Baptiſmatis oſtenditur, de quo quiſque cum egreditur, regni cœleſtis ei janua aperitur.*

Effectus sextus.

31 Sextus Baptiſmi effectus eſt ſubjicere baptizatum eccleſiaſticæ juriſdictioni: nam ex eo quod per Baptiſmum ſit quis Eccleſiæ membrum, conſequenter ſubordinatur, ac ſubjicitur auctoritati ejus, qui tanquam caput præeſt Eccleſiæ. Cujuſmodi effectum provenire etiam ex Baptiſmo infantum, ita ut poſtquam adoleverint, Eccleſia poſſit eos pœnis coercere, cum fuerit opus, conſtat ex definitione Tridentini, *ſeſſ. 7 de Baptiſmo, can. ultimo.*

Alii effectus ſupra aſſignati.

32. Alios etiam effectus illuminationis, diminutionis concupiſcentiæ, difficultatis ad bonum, & pronitatis ad malum, qui Baptiſmo attribuuntur, ex Dionyſio, & ex D. Thoma ſupra *tract. 1 de Sacramentis in genere, cap. 5, num. 16.* breviter aſſignavimus.

CAPUT SEXTUM.

De ſubjecto Baptiſmi, & de diſpoſitione ad illum, & quando ſub conditione iterandus ſit.

CAPUT HOC CONSTAT QUATUOR PUNCTIS.

P. 1. *Quod ſit ſubjectum capax Baptiſmi?*
P. 2. *An pueri infidelium ſint baptizandi, invitis parentibus?*
P. 3. *Quænam diſpoſitio in ſuſcipiente Baptiſmum requiratur?*
P. 4. *Quando Baptiſmus ſub conditione iterandus ſit?*

PUNCTUM I.

Quod ſit ſubjectum capax Baptiſmi novæ legis Sacramenti?

Concluſio. An baptizand. puer cùl ſemove viri natus negat. P. Loth. tract. 15. & n. Fran. affirmat. d. 4. n. 23.

1. OMnis, & ſolus homo vivus, nondum baptizatus, qui ablui in ſe ipſo poteſt, tam parvulus, quàm adultus, eſt ſubjectum capax Baptiſmi In hac aſſertione conveniunt omnes catholici. Ex qua reſolves

2. Primò: ſi puer inter baptizandum, nondum finita forma, moriatur, Baptiſmus eſt nullus.

Corolarium 2.

3. Secundò: ſi dubium ſit, an infans vivat baptizandus eſt ſub conditione.

Tertium.

4. Tertiò: non valet Baptiſmus iteratus: ideoque uterque, tum rebaptizans, tum voluntariè rebaptizatus peccant mortaliter, fiuntque irregulares, & in jure civili ſubjacent pœnæ mortis.

Quartum.

5. Quartò: puer intra uterum matris incluſus; Baptiſmi capax non exiſtit: quia dum ibi eſt incluſus, ablui in ſe ipſo non poteſt, quod ad Baptiſmum requiritur: ut docet D. Thomas ferè ab omnibus receptus, *q. 68. art.* 11.

6. Quintò: non excluditur monſtrum, dummodò homo ſit. Quod ſi certò conſtet hominem eſſe, Baptiſmus ei miniſtrandus: quia verè homo eſt. Si vero, adhibitâ diligentiâ, remanet dubium, an ſit homo, ſub conditione baptizandus eſt. Ita Filliucius *cap. 6. in fine.* Palaus *puncto* 6. *n.* 4 & alii paſſim.

Quintum.

7. Quòd ſi certo conſtet, monſtrum hominem eſſe, dubium tamen, ſint ne duo, vel unus tantum, eo quod ſub duobus capitibus

Digitized by Google

unum pectus appareat, in ſingulis capitibus, eſt Baptiſmus miniſtrandus, in eo quod perfectius apparet, abſolutè, in altero ſub conditione. Ita Sylveſter verbo *Baptiſmus* 3. q. 10. Palaus, & Filliucius ubi ſupra & plures referens Leander, *de ſubjecto Baptiſmi*, q. 4.

PUNCTUM II.

An pueri infidelium ſint baptizandi, invitis parentibus.

Concluſio 1. 8. PRima concluſio. Si filii infidelium uſum rationis habeant, Baptiſmumque ſuſcipere velint, poteſt, & debet illis miniſtrari, etiam invitis parentibus: quia in his, quæ ad ſalutem animæ pertinent, quilibet ratione præditus, ſui arbiter eſſe debet: nec tenetur patri obedire in his, quæ contraria ſunt Deo, animæque ſaluti. Ita D. Thomas q. 68 *art.* 10. Ledeſma ubi ſupra, *tom* 16. Suarez, *diſp.* 25 *ſect.* 3. Henriquez, *lib.* 2. *cap.* 25 *n.* 3. Vazquez, *diſp.* 155 *c.* 1. Coninchus *art.* 10. Layman *lib.* 5. *tract.* 2 *cap.* 6. q. 5. *verſic.* 4. Palaus, *punct.* 6. *num.* 5. & plures referens Bonacina. *diſp* 2. q. 2. *p.* 6. *n.* 12.

9. In dubio autem de uſu rationis, ſufficit compleſſe ſeptennium. Ita Bonacina *loco citat.* Medulla Theologiæ moralis, *dub.* 4. *de ſubjecto Baptiſmi reſp.* 3. Leander, *diſp.* 5. *quæſt.* 15. & alii, quos ſequitur Trullench, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 9. Quia completo ſeptennio, præſumitur quis uſum rationis habere.

Concluſ. 2. 10. Secunda concluſio. Baptiſmus collatus filiis infidelium ante uſum rationis, invitis parentibus, etiam ſi ſit illicitus, eſt tamen validus, & firmus. Ita D. Antoninus, *p.* 2. *titulo* 12. *cap.* 2. Sylveſter *verbo Baptiſmus* 4. q. 7. Cajetanus, 3. *p.* q. 68. *art.* 10. Nunus ibidem *dub.* 1. Suarez, *ſect.* 1. Vazquez, Coninchus, Layman, plures referens Bonacina, *n.* 11. Palaus, *num.* 7. N. Anton. *diſp.* *ſect.* 2. Franciſ. *num.* 39. Et eſt communis contra Durandum, *in* 4. *diſt.* 4 q. 7. Paludanum & Marſilium, q. 4. *art.* 4. *dub.* 3. qui très dicunt, quod baptiſmus collatus infantibus infidelium, invitis parentibus, eſſet nullus.

Suadetur primo. 11. Probatur autem hæc noſtra aſſertio primò: quia ad baptiſmi valorem in dictis parvulis ſolum requiritur materia, & forma, & intentio miniſtri: propria vero ſuſcipientium voluntas non expoſtulatur; ſed loco illius ſuccedit voluntas Chriſti, & Eccleſiæ.

Probatur ſecundo. 12. Secundò: quia ſi parvulo ante uſum rationis auferatur vita propter Chriſtum, invitis parentibus, verè eſt martyr, ut conſtat in Sanctis Innocentibus, quos celebrat Eccleſia: ergo ſi baptizetur, invitis parentibus, verè baptizatus erit, & cum fructu Sacramenti: ſicut enim per martyrium voluntas parvuli mutatur, ita & per baptiſmum: ac proinde ſicut martyrium, invitis parentibus, eſt validum, ita & baptiſmi Sacramentum.

Tertio. 13. Tertiò: quia Eccleſia non rebaptizat infantes invitis parentibus baptizatos.

Objectio. Neque obeſt, ſi dicas: ſi Deus conderet legem, ut nullus baptizaretur ante octavum diem, baptiſmus anteà factus eſſet nullus: ſed lex divina eſt, ut infans non baptizetur contra voluntatem parentum: ergo talis baptiſmus erit nullus. *Solutio.* Reſpondetur enim, quod in caſu hujus majoris, etiam valeret baptiſmus, ſi illa lex intelligeretur ſolùm ſecundum convenientiam: non tamen ita, quod baptiſmus eſſet nullus. Modò autem lex divina, quæ præcipit, ut non baptizentur infantes infidelium, invitis parentibus, intelligitur ſolum ſecundum convenientiam, non tamen ita, quod baptiſmus ſit nullus: tum quia ita explicatur communiter à Doctoribus: tum etiam, quia ut obſervat Nunus ubi ſupra, hic non eſt aliqua lex poſitiva expreſſa; ſed ſolum ſequitur ad alias leges divinas: ex aliis autem legibus divinis optimè colligitur, quod talis baptiſmus non eſſet conveniens; non tamen colligitur, quod ſit nullus.

Obſervatio. 14. Obſervandum tamen eſt infantes, quamvis illicitè invitis parentibus baptizatos, ſegregandos eſſe à parentibus, adveniente uſu rationis, ſi periculum adſit perverſionis, ut regulariter adeſt: quia ſuſcepto baptiſmo, Eccleſiæ ſubduntur, illiusque ſunt membra: ac proinde poteſt Eccleſia, & debet eos à perverſione defendere, & ex conſequenti eos à parentibus ſegregare: cum aliter à perverſionis periculo liberare non poſſit. Ita docent Coninchus, *n.* 83. Layman, *concl.* 3. Palaus, *n.* 8. Et colligitur apertè ex Concilio Toletano 4. *can.* 55. 58. & ſequentibus.

3. concluſio. 15. Tertia concluſio. Baptiſmus catholicè miniſtrari poteſt, & debet infantibus hæreticorum fidem in Baptiſmo ſuſceptam deſerentium, etiam invitis parentibus, ſicuti deciditur in Concilio Toletano 4. *c.* 56. relato *in cap. De Iudæis*, *diſt.* 45. Ratio eſt: quia hæretici Eccleſiæ juriſdictioni ſubjecti ſunt, à qua proinde ſinè injuria compelluntur, ut parvulos ſuos ad Baptiſmum catholicorum deferant, & in fide, ac religione catholica inſtruant. Sin verò id facere recuſent, infantes eorum baptizare, & baptizatos ab eorum conſortio ſeparare, ſi periculum adſit ſubverſionis (ut verè adeſt) jure poteſt Sic Coninchus, *art* 10. *num.* 81. & plures, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 2. *p.* 6. Layman, *c.* 6. *concluſ.* 4. Vazquez. *diſp.* 155. *c.* 1. Palaus, *puncto* 6. *num.* 9. *& num* 10. addit, idem dicendum eſſe, ſi unus tantùm ex parentibus infidelibus baptizatus extiterit: quia eo ipſo Eccleſiæ præceptis ſubditur, & obligationem habet offerendi filium Baptiſmo, & conſequenter non impediendi cum ab Eccleſia baptizatur.

Quid dicendum circa baptiſmi ad miniſtrationem filiis hæreticorum ſi parentum in poteſtate remaneant. 16. Hæc verò aſſertio certa eſt, caſu, quo filii ſeparari poſſint a parentum hæreticorum conſortio: ſi verò neceſſario in poteſtate parentum relinquendi ſint, difficultate non caret, an poſſis extra extremam neceſſitatem eos baptizare, ob morale periculum perverſionis eorum, ne Sacramento ſuſcepto irreverentia fiat, nevè baptizati gravius damnum ſuſcipiant ex futura apoſtaſia, quàm utilitatem ſuſceperunt ex ſuſcepto Baptiſmo Et ita tunc negant te poſſe licitè eos baptizare Suarez *diſp* 25. *ſect.* 5. Coninchus, Heredia *de baptiſmo*, *punct.* 7. N. Ant. & hoc verius eſſe cenſemus; quamvis contrarium defendat Layman, *c.* 6. q. 5. circa finem, ubi ſic ait: *Contraria praxis apud*

nos

nus à viro ductus, ac piis ſæpè obſervata fuit: & rectè quidem: quia periculum perverſionis non eſt adeò propinquum, aut certum; cum fieri poſſit, ut infantes ante uſum rationis moriantur, & per Baptiſmum ſalventur. Tum quia ſpes non parva eſt, ut hæreticorum liberi aliquando in fide catholica inſtruantur, quam idcircò libentius recipiunt, ſi ſciant à catholico Sacerdote ſe baptizatos fuiſſe. Adde etiam poſſe, tametſi à parentibus, & miniſtris ſuis hæreticis falſa dogmata edocerantur, interdum ignorantiâ difficulter vincibili laborare, & pertinaces hæreticos non eſſe, ut proinde tales dogmata fidei baptiſmalis retineant, & ſalvari poſſint, ſi de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, vera converſione doleant. Hæc omnia Layman: cujus ſententiam ſatis probabilem dicit Diana, *parte 3. tract. 4. de Sacramentis, reſolut.* 7. eique, ut æque probabili, ac oppoſitæ ſubſcribit Leander *tract.* 2. *diſp.* 5. *q.* 8. nec improbalem putat Palaus, *punct.* 6. *num.* 10.

Quinta concluſio.

17. Quarta concluſio. Conſentiente quolibet ex parentibus infidelibus, potes ejus filium baptizare: quia tunc pia ejus voluntas impiæ alterius præferenda eſt in favorem fidei, & prolis: modò tamen poſſit chriſtianè educari, abſitque morale periculum apoſtaſiæ, ſegregando filium à conſortio parentis reluctantis. Sic ex communi ſententia docent Paludanus *in 4. diſt.* 4. *q.* 4. Suarez *ſect.* 3. *verſ. Duo* Azor *tomo* 1. *lib.* 8. *cap.* 25 *q.* 3. Coninchus *n.* 82. Layman *verſ.* 3. Bonacina, *diſp.* 2. *q.* 2. *puncto* 6. Palaus *num.* 11. & plures referens Leander *q.* 16. N. Gabr. *diſp.* 4 *q.* 4. Anton. *loc. cit.* colligiturque apertè ex Concilio Toletano 4. *cap.* 62. *relato in cap. Iudæi* 28. *q.* 1. *&c. Ex litteris. De converſione infidelium.*

Obſervatio 1.

18. Obſervandum tamen eſt primò cum Filliucio, *tract.* 2. *c.* 6. *q.* 8. *n.* 145. cum Palao ubi proximè, & aliis, hujuſmodi conſenſum debere eſſe ob finem mundandi filium à peccato originali: quia hic conſenſus ſecurum reddit Sacramentum ab irreverentia, & filium ab apoſtaſia. Nam ſi parens conſentiat filium baptizari, non quia credit Baptiſmum ad ſalutem animæ prodeſſe; ſed quia exiſtimat eo liberandum à corporis ægritudine, vel dæmonis vexatione, non videtur ſufficiens, ut Baptiſmus filio concedatur, ſi filius parentibus reſtituendus eſt: quia ex illo conſenſu non removebitur periculum ſubverſionis, & irriſionis fidei.

Obſervatio 2.

19. Secundò obſervandum eſt cum Navarro, *conſilio* 4. *de converſione infidelium, editione* 2. cum Layman *cap.* 6. *q.* 5. *concluſ.* 2. *verſ.* 3. & cum aliis, quod dictum eſt de patre, eo conſentiente, matre verò reluctante, poſſe prolem baptizari, intelligendum quoque eſſe de avo paterno, quippe, qui in locum patris defuncti ſucceſſit. Et ita Valentia, *diſp.* 4. *q.* 3. *p.* 3. ait, Pontificem Gregorium XIII. ſtatuiſſe, ut parvulus, quem avus ejus paternus baptizari volebat, baptizaretur, invita matre judæa, quæ defuncto patre, ſuperſtes erat.

5. concluſio.

20. Quinta concluſio. Infantes infidelium non baptizatorum, utroque parente renuente, licitè baptizari non poſſunt, quamdiu fuerint ſub illorum cura, & poteſtate, aut periculum ſit, ne ad illam redeant. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. & 3. *p. q.* 68. *art.* 10. Cajetanus, Nuñus, & Cabrera, Wiggers, Gonet ibid. Suarez *diſp.* 35. *ſect.* 3. & 4. Sotus *in* 4. *diſt.* 5. Valentia, *puncto* 3. Granados *tract.* 4. *diſp.* 5. *ſect.* 3. N. Gabr. Ant. & plures, quos referunt, & ſequuntur Bonacina, *p.* 6. *n.* 12. & Palaus, *puncto* 6. *cit.* & eſt ferè communis Theologorum contra non nullos, qui abſolute ſentire videntur, quod propter ſpiritualem utilitatem, quam ordinariè affert parvulis Baptiſmus ſtatim collatus, liceat eos invitis parentibus infidelibus baptizare.

Suadetur 1.

21. Probatur autem hæc aſſertio primò ratione Ang. Doctoris *loc. cit.* ex 2. 2. Quia maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda: & in hac nunquam fuit, hujuſmodi infantes infidelium non baptizatorum, utroque parente renuente, baptizari, quamdiu ſub illorum cura, & poteſtate fuerunt, aut extitit periculum redeundi ad illam, quamvis retroactis temporibus multi catholici Principes, potentiſſimique floruerint, ut Conſtantinus, & Theodoſius, quibus fuerunt familiares Sanctiſſimi Epiſcopi, ut Sylveſter Conſtantino, & Ambroſius Theodoſio, qui nullo modo prætermiſiſſent ab eis id impetrare, ſi hoc eſſent conſonum rationi. Propterea que a'lit D. Thomas videri periculoſum oppoſitum inducere contra Eccleſiæ conſuetudinem.

Suadetur 2.

22. Secundò: quia iſti infantes, ut licitè baptizari poſſent, ſubtrahendi eſſent à parentum conſortio, ne ad falſos errores à parentibus traducerentur, & pravis eorum exemplis, & conſiliis in apoſtaſiam inciderent: talis autem ſeparatio eſſet injuſta: quia cederet in præjudicium poteſtatis parentibus jure naturę conceſſæ alendi, nutriendi, & regendi liberos, præcipuè dum propriam voluntatem non habent.

Utraque ratio æquè quid probet?

23. Utraque hæc ratio æquè probat hujuſmodi infantes licitè baptizari non poſſe, invitis parentibus non baptizatis, qui non ſunt ſervi, ſed tributarii tantum, & vaſalii Principis Chriſtiani. Ita Granados ubi ſupra, *n.* 22. N. Franciſ & cum multis Bonacina, *§. Reſpondeo ſexto*, contra Scotum, Herinx. *diſp* 6. & alios.

Objectio prima.

24. Nec refert, ſi contra objicias primò: poſt auditam doctrinam fidei, & ſufficienter propoſitam, tenentur divino præcepto infideles eam amplecti, & ipſi cum filiis ad Baptiſmum accedere: ergo licitè poteſt Eccleſia filios baptizare, licet parentes renuant. Patet conſequentia: quia illis nulla irrogatur injuria, cum non ſint rationabiliter inviti; ſed potius Eccleſia eximat eos ab obligatione, quam habent, præſtando, quod ipſi præſtare tenentur.

Secundò.

25. Secundò: præceptum ſuperioris ſervandum eſt, non obſtante voluntate, imò & præcepto inferioris: dicit enim D. Auguſtinus ſermone de verbis Domini: *Sicut dum Proconſul quidquam contra Imperatoris mandatum præcipit, parendum eſt potius imperatori; ita ſi Imperator contra imperium Dei quidquam jubeat, obediendum eſt potius Deo.* Sed præceptum babtizandi parvulos eſt Dei voluntas, non baptizandi eſt parentum, qui ſunt inferiores: ergo parendum eſt præcepto Dei, & ex conſequenti baptizandi ſunt infantes invitis parentibus.

26. Ter.

Tertia 26. Tertiò: ſi parentes vellent occidere filios, licitum eſſe eos cogere, ne id facerent: ergo multo magis hoc licet, ſi mortem illis ſpiritualem procurent, non permittentes filios baptizari.

Quarta. 27. Quartò: quia parentes infideles non permittentes baptizari filios, abutuntur proprio jure, quod habent ad cuſtodiam, & curam filiorum: ergo poterunt à Principe ſeculari hujuſmodi jure privari: qui enim malè utitur jure ſibi conceſſo, meretur illo privari, & juſtè de facto privabitur à ſuperiori.

Diluitur 1 objectio. 28. Non itaque hoc refert. Nam ad primam ex his objectionibus reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: & ad probationem dicendum, ita obligari parentes ad ſuum, & filiorum Baptiſmum, ut nihilominus ab Eccleſia compelli non poſſint, cum non ſint ei ſubditi. Sicuti ergo adultus, licet teneatur ſuſcipere Baptiſmum, non poteſt invitus trahi, ſeu ab Eccleſia cogi; ideoque diceretur rationabiliter invitus, ſi Eccleſia ei vim vellet inferre, ut catholicam religionem profiteretur: ita parentes dicerentur rationabiliter inviti, ſi contra eorum voluntatem Eccleſia baptizaret filios ſuos; quos tamen ipſi tenerentur baptizare.

Solvitur 2 29. Ad ſecundam reſpondetur, præcepta ſuperioris eſſe in duplici differentia. Quædam, quæ imponuntur ſimpliciter & abſolutè, ſine dependentia à voluntate inferiorum: & hæc inviolabiliter debent ſervari. Quædam verò, quæ ponuntur cum ſubordinatione ad voluntatem inferiorum & juxta illorum conſenſum: & hæc non debent ſervari contra voluntatem inferiorum. Sic autem eſt in præſenti: vult enim Deus, qui ſupremus Dominus eſt, ut infantes ab Eccleſia baptizentur; ſed hoc non jubet fieri, niſi juxta voluntatem parentum, qui Eccleſiæ ſubditi non ſunt, & ſub poteſtate, & cura ſua liberos habent; unde illis invitis, infantes baptizari non debent.

Enodatur 3 30. Ad tertiam, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Quia eſt differentia inter vitam corpotalem, & ſpiritualem: nam corporalis ex voluntate, aut libertate non pendet; ſed ex natura: & ideo mediis naturalibus conſervanda eſt, & repellenda ſunt, etiam per violentiam contraria, quæ ei nocere poſſunt. Unde cum vult pater filium corporaliter interficere, poteſt cogi, ne id faciat. Cæterum vita ſpiritualis eſt libera, utpote ex libertate dependens: & ideo obtinenda, & conſervanda eſt, non per media coacta, ſed libera: & quia baptizare infantem, invitis parentibus non baptizatis, in caſu quo loquimur eſt medinm coactum, ut infans vitam ſpiritualem conſequatur, ideo apponi non debet.

Evertitur 4 31. Ad quartam dicendum, quod abuſ jure ſtat dupliciter. Primo, contra jus naturæ: & ſic abutens poteſt per Principem ſua poteſtate privari Alio modo, contra jus ſupernaturale in his, in quibus non eſt ſubditus Eccleſiæ: & hic non poteſt per Principem ſuo jure privari: atque hoc poſteriori modo abutuntur parentes infideles, de quibus loquimur, jure, quod habent ad cuſtodiam, & curam filiorum, non permittentes eos baptizari, ſcilicet, non violando jus naturale, ſed jus ſupernaturale in in his, in quibus non ſunt ſubditi Eccleſiæ: quia ſicut Eccleſia non poteſt cogere illos ad fidem; ita non poteſt cogere, ut filios ſubjiciant fidei: & ideo nequeunt per Principem Chriſtianum ſuo jure, ſeu poteſtate privari.

32. Sexta concluſio: filii infidelium, ſi extra parentum, vel tutorum curam politi ſint, & ubi ſpes non ſubeſt in eorum conſortium forè redituros, poſſunt ſine illorum conſenſu licitè baptizari. Ita Palaus *n.* 17. Granado, *diſput.* 5. *ſect.* 4 N. Gabr. & hanc aſſertionem reputant abſolutè veram multi ex Doctoribus ſupra n. 20. relati, ut ex ſtatim dicendis conſtabit. Et ſuadetur: nam eo caſu ceſſant rationes, propterquas non licet baptizare infidelium infantes, invitis parentibus: quia nec conſuetudo Eccleſiæ eſt contraria, neque tunc ulla parentibus fit injuria, cum jus, quod habent gubernandi filios, exercere non poſſint, & moraliter loquendo infantes illi parentibus careant: ergo licebit in tali caſu eos baptizare ſine parentum, vel tutorum conſenſu, cum hoc cedat in infantium utilitatem, & Eccleſiæ augmentum. *Concluſio 6*

33. Ex hoc principio reſolvitur primò: ſi infans ſit in extremo mortis periculo, & moraliter deſperatus, poteſt & debet baptizari, ſaltem ſecreto, licet parentes renuant. Ita S. Antoninus, Sotus, Suarez, Valentia, & Henriquez, quos refert, & ſequitur Granado, ubi ſupra *ſect.* 4. *n.* 19. Naldus *verbo Baptiſmus, n.* 6. Philiarc. 2. *p. lib.* 1. *c.* 8. Filliucius *tract.* 2. *c.* 6. *q.* 8. *n.* 154. Bonacina, *diſp.* 2. *q.* 2. *p.* 6. N. Gabr. Anton. *loc. cit.* Quia cum eſt in mortis articulo, cenſetur extra poteſtatem parentum: nam quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, nec timeri poteſt periculum apoſtaſiæ, aut perverſionis: præſertim cum puer ſit tunc in extrema neceſſitate ſpirituali, cui, niſi per Baptiſmum ſuccurratur, æternus ſuccedet interitus. *Reſolutio 1*

34. Reſolvitur ſecundò: quando infans omninò non habet parentes vivos, aut tutores, quorum gubernationi ſubjectus ſit; aut ſi illos habet, ita ab eis diſtat, ut moraliter non poſſit jam ad illos redire, poteſt licitè hujuſmodi infans baptizari ſine conſenſu parentum, aut tutorum: quia moraliter loquendo, infans iſte non habet parentes, nec tutores, ac proinde non tenetur Eccleſia exſpectare conſenſum alicujus, ut illum baptizet. Ita Valentia ſupra §. *Secundo dico.* Henriquez *littera* L. Suarez, §. *Secundo infertur.* Granado *n.* 20. & cum Caietano, & Soto, Filliucius ubi proximè, nec non cum multis Palaus, *n.* 17. *Reſolutio 2*

35. Reſolvitur tertiò: infantes, quorum parentes infideles ſunt ſervi, qui emuntur, aut juſto bello capiuntur, & jure belli fiunt ſervi Chriſtianorum, ut ſunt Turcæ, Sarraceni, & alii, poſſunt ex conſenſu domini, invitis parentibus, baptizari; dummodò conſtituantur extra parentum curam, & ubi non ſit periculum deceptionis. Ita Suarez, *ſect.* 4. *concluſ.* 2. Valentia §. *Quinto dico*, & alii, quos refert, & ſequitur Granado, *n.* 21. Layman. *cap.* 6. *q.* 5. Palaus *n.* 18. Nuñus 3. *p. q.* 68 *art.* 10. *concl.* 3. Filliucius *num.* 142. Gonet. *num.* 68. N. Gabr. Ant. Francis. *n.* 65. Bonacina §. *Filios vero ſervorum*, *Reſolutio 3*

rum, contra Bartholomæum ab Angelo *de Baptiſmo*, §. 28. *&* 29. & contrà alios. Ratio eſt: nam dominus fidelis poteſt ſimpliciter donare, vendere, mittere ſervum, quò voluerit, ex vi poteſtatis, quam habet in illum, ac proinde, poteſt ſeparare eum a filio, ita ut non ſit ſpes in ejus conſortium fore redditurum. Qua ſeparatione facta, jam pater non habet tutelam filii; ſed proprius dominus: ergo poterit de domini conſenſu baptizari. Imò addit cum aliis, Nuñus, licitum eſſe Domino hac intentione filios mancipiorum vendere, ut ſint à parentibus diſſociati, ut ſic baptizentur.

Reſolutio quarta.

36. Reſolvitur quarto: poſſunt ſimiliter à paterna cura, & conſortio abſtrahi, & baptizari infantes parentum infidelium, contra quos ſuppetit Chriſtianis jus belli juſti. Tum quia ut aliæ res, ſic etiam liberi iſtorum poſſunt jure belli à parentibus abſtrahi ad eum rectiſſimum finem, ut baptizentur, & chriſtianè erudiantur. Tum etiam quia id firmat uſus Eccleſiæ, quæ baptizare ſolet parvulos bello juſto captos, Ita Valentia ubi ſupra Durandus *diſt.* 4. *quæſt.* 6. Granados. *n.* 21.

Reſolutio quinta.

37. Reſolvitur quintò: perpetuo amens, invitis parentibus infidelibus, baptizari poteſt, cum nullum morale periculum apoſtaſiæ immineat, & ejus neceſſitas ſit extrema, alias remedio ſalutis eſſet omnino deſtitutus. Ita Layman, *verſ* 5. & Palaus, *num.* 15.

Quæſitum.

38. Sed inquires: an tenearis, invitis parentibus, filium baptizare illis eventibus, quibus dictum eſt te id licitè facere poſſe? Affirmat Vazquez, *d.* 155. *c.* 7. Quod etſi ſecluſo incommodo verum ſit: quia ſi abſque incommodo potes eos baptizare, teneris lege charitatis non privare illos tanto bono: quia tamen varia ſunt incommoda, quæ ab hac obligatione excuſare poſſunt: ideò dicendum eſt, ſæpè te miniſtrare poſſe baptiſmum filiis infidelium: non tamen ad id teneri. Potes namque miniſtrare baptiſmum infanti extra extremam neceſſitatem conſtituto; non tamen teneris, ſi detrimentum temporale inde tibi immineat aliquod non leve. Sæpe etiam inconvenientia, quæ ex baptiſmi collatione timentur, incerta ſunt, & dubia, ob quorum incertitudinem ſub opinione eſſe poteſt, an præponderent utilitati ex baptiſmo provenienti, in quo caſu, & baptiſmum concedere, & ab illo abſtinere potes; non igitur quoties tibi licet prædictis infantibus baptiſmum miniſtrare ad id teneris; ſed quamvis licitè poſſis, variis tamen incommodis, & caſibus occurrentibus ſæpe ab obligatione excuſaris. Ita Palaus ubi proximè, *num.* 20. Et idem ſentire videntur Suarez, *diſp.* 25. *ſect.* 6. Coninchus *n.* 88. Henriquez, *lib.* 2. *c.* 25. *num.* 1. Bonacina, *n.* 14 Granado ſupra, *n.* 24. Layman *tract.* 2. *c.* 4. *q.* 5. *n.* 10. N. Anton. *n.* 150.

An Judæi, ſint Chriſtianorum mancipia & eorum infantes ſine parentum conſenſu baptizari poſſint: utrumque negat cum aliis. N. Gabr. q. 4. in fine.

PUNCTUM III.

Quænam diſpoſitio in ſuſcipiente Baptiſmum requiratur?

Prima concluſio.

39. IN parvulis uſu rationis carentibus (& idem eſt in perpetuo à nativitate amentibus non habentibus lucida rationis intervalla) nulla ex parte ipſorum diſpoſitio prærequiritur, ut validè, & licitè Baptiſmus illis miniſtretur: nam Chriſtus, & Eccleſia eorum voluntatem, & intentionem ſupplet. Ita D. Thom. 3. *part.* q. 68. *art.* 9. *&* 12. & omnes Theologi.

Secunda concluſio.

40. In adultis verò, ut validè baptiſmus conferatur, requiritur intentio libera recipiendi Baptiſmum: quia nemo utens libero arbitrio, niſi voluntariè in Eccleſiæ ſubditum adſcribitur, novam vitæ rationem, & diſciplinam ſuſcipit, ac per Sacramentum Deo initiatur, & conſecratur, & hæc omnia fiunt per baptiſmum validum. Hæc tamen voluntas, ſeu intentio neceſſario præſens actualiter eſſe non debet; ſed ſatis eſt fuiſſe, neque eſſe retractatam. Ut cum Sylveſtro, Henriquez, Conincho, docet Bonacina, *diſp.* 2. *q.* 6. *punct.* 6. *n.* 17. & cum aliis Palaus, *puncto* 7. *n.* 2. & colligitur ex *c. Maiores de Baptiſmo*. Unde reſolvitur.

Illatio 1.

41. Primò: adultus non manet baptizatus, ſi nunquam voluit baptizari; vel ſi aliquando voluit, voluntatem tamen retractavit.

Illatio 2.

42. Secundò; validus eſt Baptiſmus adminiſtratus illi, qui per metum gravem eum recepit: ut ſi quis metu ſervitutis recepit Baptiſmum intendens verè illum ſuſcipere, cum metus non tollat voluntarium, ſecus ſi per meram vim animo omninò repugnante. Ita cum multis Bonacina ubi ſupra, *n.* 22. Palaus, *n.* 2. & ex jure Pontificio, & Concilio Tolet. 4. *cap.* 56. firmat Suarez, *diſp.* 24. *ſect.* 1.

Tertiò.

45. Tertiò: validus eſt Baptiſmus collatus dormienti, qui Baptiſmum petierat antè ſomnum: & idem dicendum eſt de furioſo, & amenti, qui dum haberent lucida rationis intervalla, petierunt Baptiſmum, quamvis in amentia reſiſtere videantur. Ita Henriquez, Graſius, Angles, Chamerota apud Bonacinam, *n.* 19. & cum multis aliis Palaus *loco cit.*

Obſervatio.

44. Obſervat tamen benè Suarez, quamvis hoc ſufficiat, ut validè Sacramentum miniſtretur; tamen ut dignè, & ſinè peccato fiat, oportere, ut aliqua neceſſitas cogat, ad baptizandum hominem in eo ſtatu. Ut v. g. ſi homo ſit in probabili periculo mortis, vel impedimentum uſus rationis cenſeatur perpetuum: nam extrà hos caſus expectanda eſt ea diſpoſitio, ſeu aptitudo hominis adulti, in qua poſſit ſciens, & videns Sacramentum accipere. Tum propter majorem certitudinem. Tum propter majorem fructum, & reverentiam Sacramenti. Quando verò, neceſſitate cogente, oportunior tempus expectari non poteſt, ſi ſufficientia indicia præteritæ voluntatis data ſint, poterit validè, & dignè Baptiſmus conferri. Et quamvis ad dignam adminiſtrationem præter indicia voluntatis, & intentionis, neceſſaria etiam ſint aliqua pœnitentiæ ſigna; tamen ſi conſtet aliquem oſtendiſſe voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum, & non conſtet in virtuali complacentia peccati mortalis incidiſſe in phreneſim, vel amentiam, præſumenda eſt hujuſmodi diſpoſitio, & ipſum deſiderium Baptiſmi Eccleſiæ manifeſtatum, reputabitur ſufficiens, etiam ſignum attritionis, ſeu bonæ diſpoſitionis, ut dignè poſſit dari Sacramentum in articulo neceſſitatis. Hucuſque Suarez.

Illatio 4.

45. Reſolvitur quartò: amens de quo dubitatur, an petierit Baptiſmum ante amentiam,

baptizandus eſt ſub conditione in articulo neceſſitatis nuper explicato: modo non conſtet in virtuali complacentia peccati mortalis incidiſſe in amentiam, ut ſi conſtaret permanſiſſe in ſtatu peccati mortalis, ut in concubinatu: quia tunc non eſſet baptizandus, ne Sacramentum adminiſtraretur indigno. Ita Henriquez, *l.2.c.44.n.4.* Bonacina ubi ſupra *n.21.* & alii.

Quinto. Vid. lat. Conet hic d.3. art.2.

46. Quintò: non eſt baptizatus, qui baptiſmum ſuſcepit cum ſola intentione neutrali, habens ſe negativè, ut *tractat. de Sacramentis in genere*, cum multis diximus contrà Cajetanum.

Quæ requirantur ad licitam & fructuoſam ſuſceptionem baptiſmi.

47. Præterea licet conſenſus adulti qui baptizatur, ſufficiat ad valorem baptiſmi, ac proinde ut characterem recipiat; & nec fides, nec bona aliqua diſpoſitio in ſuſcipiente requiratur: ut cum communi omnium ſententia docet Suarez, *diſp.24.ſect.2.* & colligitur ex *cap. Majores de Baptiſmo.* Et *c. De Judæis 45. diſt.* Pro Baptiſmo tamen licitè ſuſcipiendo, & cum gratiæ fructu, requiruntur etiam adulti fides, & attritio.

1. Deſideratur fides.

48. Et quidem, quod fides neceſſaria ſit, conſtat. Tum ex illo Matthæi ultimo: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Prius enim præcipiuntur doceri, qui doctrinæ capaces extiterint, quam baptizari. Tum ex Marci 11. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Et hæc ſupernaturalis.

49. Hæc autem fides debet eſſe actus ſupernaturalis: quia eſt diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt ordinis ſupernaturalis, & diſpoſitio debet eſſe proportionata formæ, ad quam diſponit: eoque actu debet credere adultus, qui baptizatur, vera eſſe ea, quæ divinitùs revelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, nec non ſpecialiter, Deum eſſe trinum, & unum, myſterium quoque Dominicæ Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis, & reliqua, loquendo extra caſum neceſſitatis, quæ in ſymbolo continentur, ut ſtatim explicabimus. Ita Granado, *diſp. 2. n 2.* Palaus, *num. 3.* & alii.

50. Quarè quilibet adultus baptizandus, ſic inſtitui primùm debet, ut non ſolum præcepta Decalogi diſcat, & orationem Dominicam; ſed etiam ut fidei articulos, ſaltem craſſo modo, intelligat, & actum credendi illos explicitè eliciat, niſi mortis periculum urgeat; ut benè docent Sotus *in 4. diſt. 6. quæſt. 2. artic. 1.* & Thomas Sanchez, *lib. 2. in Decalogum, c.3. n. 24.* In mortis verò articulo, in quo neceſſitas urget, ſatis eſt explicare Catechumeno myſterium Trinitatis, & Incarnationis, & Paſſionis ob noſtram redemptionem, & Reſurrectionis, & efficere, ut eliciat actum credendi illa explicitè, ut tradit idem Sanchez ibidem.

2. Exigitur attritio.

51. Quòd verò neceſſaria ſit etiam attritio ad licitè ſuſcipiendum Baptiſmum, & cum gratiæ fructu, conſtat ex illo Actor. cap. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Et colligitur ex Concilio Carthaginenſi, c.85. Et Tridentino, *ſeſ. 6. cap. 6.* traditurque à D. Thoma, *3. part. quæſt. 68. art. 6.* & ab omnibus Theologis.

Et hæc ſupernaturalis.

52. Hæc autem attritio non ſufficit, ſi naturalis ſit: quia eſt diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt forma ſupernaturalis; ſed debet eſſe ſupernaturalis actus abſolutus, & efficax voluntatis, includens deteſtationem peccatorum, & propoſitum non peccandi de cætero, ex motivo aliquo ſupernaturali, & per auxilium gratiæ elicitus. Ita Suarez, *diſp. 28. ſect. 2. concluſ. 3.* & cum multis Bonacina, *n.26.* N. Anton. *ſect. 3. num. 159.* Et colligitur ex Tridentino, *ſeſſ. 6.* ubi loquens abſolute de juſtificatione, quæ fit per Baptiſmum in voto, vel in re, ad illam requirit ſupernaturalem diſpoſitionem, quæ ut minimùm includit prædictum actum: ut patet à *cap. 3. uſque ad 6.* & *ſeſ. 14 cap. 4.* ubi diſtinguens contritionem perfectam, ab imperfecta, quam nos attritionem vocamus, utramque dicit eſſe ſupernaturalem deteſtationem peccatorum, quæ voluntatem peccandi excludat.

Interrogatio.

53. Sed inquires, an ſufficiat hujuſmodi attritio, etiamſi cognoſcatur, ut talis? Negat Navarrus in ſumma, *cap. 1. num. 36.* dicens, non ſufficere attritionem, niſi reputetur contritio. Sed affirmativa ſententia tenenda eſt,

Reſponſio.

quam docent Sotus *in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 7.* N. Anton. Canus *relectione de pœnitentia, parte 5.* Corduba, & Turrecremata, quos refert, & ſequitur Suarez, *dicta ſect. 2. concluſ. 2.* Granado *n.6.* aſſerens Henriquez, Valentiam, & alios. Et colligitur ex D. Thoma, *3. part. q.79. art.3. ad 2.* ubi ſic ait: *Baptiſmus eſt ſpiritualis generatio, quæ eſt mutatio de non eſſe ſpirituali ad eſſe ſpirituale, & datur per modum ablutionis: & ideò quantum ad utrumque non inconvenienter accedit ad Baptiſmum, qui habet conſcientiam peccati mortalis.* Si autem requireretur contritio, ſaltem exiſtimata, eo ipſo deberet homo credere, ſibi jam fuiſſe remiſſa peccata antè Baptiſmum: cum contritio ſemper ſufficiet ſine reali ſuſceptione Sacramenti: & ſic non niſi inconvenienter accederet cum conſcientia peccati mortalis.

Ratio reſponſionis.

54. Ex hac Angelici Magiſtri doctrina deſumitur efficax ratio. Etenim, qui exiſtimat ſe habere contritionem, exiſtimat ſe jam liberum à peccatò: non poteſt autem exigi, ut quis licitè accedat ad Sacramentum inſtitutum primariò pro remittendis peccatis, quòd exiſtimet jam ſibi eſſe remiſſa ſine ipſo Sacramento: ergo quantumvis homo agnoſcat attritionem ſuam non eſſe contritionem, non ex hoc indiſpoſitus accedet ad illud.

PUNCTUM IV.

Quando Baptiſmus ſub conditione iterandus ſit?

Ad iterandum baptiſmum ſub conditione requiritur morale, & rationabile dubium.

55. ET quidem ad id non ſufficit quivis timor, aut levis ſuſpicio, vel ſcrupulus, an fuerit collatus: alioqui pauci eſſent, qui baptiſmum repetere ſub conditione non poſſent: ut rectè docet Granad. *diſp.8.n.6.* & alii paſſim. Sed debet eſſe morale, & rationabile dubium, id eſt, rationi conſonum, & homine cordato dignum: tunc enim baptiſmus eſt dandus ſub conditione ſi non es baptizatus, ut habetur in *can. 2. Extra, de Baptiſmo*: & ſic docent Suarez, *diſp.22. ſect. 2. verſ. Sed quæres.* Coninchus, Valentia, Vazquez, Layman, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus, *punct.13. n.2.* Granado N. Gabr. *diſp. 2. q. 2.* & alii communiter. Ratio autem, quare cum hujuſmodi rationabile dubium

dubium intercedit, baptiſmus ſub conditione repetendus ſit, ſivè tale dubium ſit facti, ſivè juris eſt: quia & proximo tunc ſubvenitur in re maximè neceſſariâ, & Sacramenti reverentia non læditur. Unde reſolvitur.

Reſolutio prima. 56. Primò: ſub conditione baptizandi ſunt, qui cum materia, aut forma, aut intentione modò explicato dubia ſiunt baptizati. Ita D. Thom. 3. *part. q.* 66. *art.* 9. *ad* 4. & decernitur in Concilio Carthaginenſi, *canon.* 6.

Secunda. 57. Secundò: infantes expoſiti ſine ullo teſtimonio indicante ipſos eſſe baptizatos: quia ſatis prudenter præſumitur ipſos baptizatos non eſſe, ſiquidem commune eſt hujuſmodi infantibus baptizatis teſtimonium habere. Ita Bonacina, *diſp.* 1. *q* 2. *punct.* 1. *num.* 40. Sotus, Vazquez, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *num.* 6. & alii communiter.

Tertia. 58. Tertiò: infantes arrepti à Barbaris, ſi dubitetur, an arrepti, vel abducti fuerint ante baptiſmum, vel poſt? Ita Bonacin. *n.* 39. Palaus *n.* 8. Et eſt deciſio Gregor. XIII. ad Bonifacium, *epiſt.* 4. & Concilii Carthaginenſis V. *cap.* 6.

Quarta. 24. Quartò: baptizati ab obſtetricibus ſagis, ſeu maleficis, vel quæ à Parocho examinatæ qualiter baptiſmum miniſtraverint, benè, & firmiter non reſpondent: quia ſatis prudenter præſumi poteſt baptiſmum invalidè adminiſtraſſe. Ita Palaus, *n.* 7. & favet Layman, *l.* 5. *Summa, tract.* 2. *cap.* 5. & Medul. Theolog. Moralis *de Baptiſmo, cap.* 1. *dub.* 4.

Quinta. 60. Non verò ſunt adhuc ſub conditione baptizandi. Primò, qui domi conſtat fuiſſe baptizatos à parentibus, vel obſtetricibus, vel ab aliis, qui boni, & benè inſtructi cenſentur; ſed ſolum in Eccleſia ſupplendæ ſunt ſolemnitates: quia de valore Baptiſmi prudenter, & rationabiliter dubitari non poteſt. Ita Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 6. Bonacina cum multis ubi ſupra, *num.* 37. Layman, Palaus ubi ſupra.

Sexta. 61. Secundò: qui nati, & educati fuerunt pluribus annis inter Chriſtianos; niſi clarè probetur non fuiſſe baptizatos. Ita expreſſè Innocentius in *cap. Veniens, de Presbytero non baptizato*, Navarrus, *l.* 27. *n.* 246. Coninchus, *q.* 66. *art.* 9. *n.* 94. Bonacin. *n.* 38. & communiter Doctores.

Septima. 62. Tertiò: is, de cujus baptiſmo habetur teſtimonium unius oculati teſtis, de quo non ſit probabilis ſuſpicio mendacii: quia dum hoc teſtimonium contrariis indiciis, & conjecturis non infirmatur, moralem certitudinem inducit. Ita cum multis Bonacina ubi ſupra, *num.* 40. Suarez, *diſp.* 22. *ſect.* 2. Layman, *c.* 5. *circa finem*, & cum aliis Palaus, *num.* 9. & hoc, etiamſi teſtis ſit fœmina docent Layman, & Medul. Theologiæ moralis ubi ſuprà.

Speciale quæſitum. 63. Sed ſpecialiter peres: an infans inter fideles, & Catholicos ad Eccleſiæ, vel alicujus domus valvas expoſitus, debeat baptizari ſub conditione, ſi ferat ſchedulam collo appenſam, in qua habeatur ſcriptum, eum fuiſſe baptizatum? *Prima ſententia.* Communior Theologorum ſententia, hunc non eſſe, nec ſub conditione baptizandum, aſſerit. Ita Suarez, *q.* 66. *diſp.* 22. *ſect.* 2. Vazquez, Ledeſma, *cap* 5. *diffic.* 2. Navarrus. Item Sotus, Layman, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus, *puncto* 13. *n.* 6. Sanctus Antoninus, Paludanus, Richardus, Marſilius, Sylveſter, Vivaldus, Tabiena, Roſella, Angelus, Llamas, Villalobos, Ochogavia, Zanardus, Comitolus, Granado, Zambranus, Gaſpar, Hurtado, & alii, quos citat Quintanadvenas, *tract.* 1. *ſingularium, ſingulari* 9. eo ducti fundamento e quia rationabiliter credi non poteſt parentes, ſeu tutores, qui Catholici eſſe præſumuntur, cum inter fideles, & Catholicos reperiatur expoſitus, filium ſuum velle tanto Sacramento privare.

64. Secunda tamen ſententia probabilis, & quæ executioni mandanda videtur, tum ob vitandum in re tam gravi periculum, tum ob receptam ex conſilio ſapientium Theologorum praxim, tenet, hujuſmodi infantem ſub conditione baptizandum; dummodo aliâ viâ de baptiſmo non conſtet. *Secunda ſententia.* Ita Marchantius *tract.* 2. *de Baptiſmo, cap.* 2. *q.* 4. Leander, *tract.* 2. *diſp.* 3. *q.* 44. Turreblanca, *lib.* 2. *pract. c.* 4. N. Franciſ. *diſp.* 1. *n.* 86. Quintanadveñas *loc. cit.* referens pro ea Didacum Ruyz de Montoia, Michaëlem Vazquem, Didacum de Corduba, Franciſcum Ruiz, Joannem Baptiſtam Gonzalez, Franciſcum de Aleman, Gundiſalvum Ramirez, Petrum Melgarejo, Joannem Baptiſtam Lanzabeche, Ildephonſum de Corduba, Joannem Muñoz, Ferdinandum de Mendoza, Matthæum Rodericum, qui de hac re conſulti ſunt, & quorum ſubſcriptiones apud ſe habere teſtatur. Idem etiam docet Martinus à Sancto Joſeph, *lib.* 1. *tract.* 3. *de Baptiſmo, n.* 6. ubi ſic ait: *Aunque ſe hallen com ellos cedulas, de que eſtàn baptizados, es mui provable coſa, que puedan ſer baptizados debajo de condicion, porque de ordinario los baptizan ſeglares, y mugercillas, que ſe turban, y hierran la forma.* Et paulò infra ſubdit: *Y aſi en algunas partes ay coſtumbre de baptizar todos los niños expoſitos, mientras no conſtàre con claridad, de que eſtàn bien baptizados.* Ita de uſu, & praxi Hoſpitalis Expoſitorum Toletanæ civitatis, ubi omnes ſub conditione baptizantur, quamvis ſecum ferant de baptiſmo ſchedulas, ſe accepiſſe à domino Gubernatore, teſtatur Leander ubi proximè. Et idem ſtatutum eſſe in Synodo Camaracenſi ex Marchantio refert Quintanadveñas, addens in Hiſpalenſi Archiepiſcopatu, tempore digniſſimi Præſulis domini Petri de Caſtro, & Quiñones, conſilio ſapientium virorum idem ſancitum, & obſervatum fuiſſe: ac illuſtriſſimum dominum Fratrem Didacum Mardones in ſua Cordubenſi Diœceſi idem obſervandum juſſiſſe poſt ſedulas doctiſſimorum Theologorum conſultationes, ac fixum fuiſſe decretum hoc in S. Hyacinthi Xenodochio.

65. Ad fundamentum autem communioris ſententiæ oppoſitæ reſponderi poteſt, prudenter quidem judicari noluiſſe ſcribentem prædictam ſchedulam, parvulum per eam tanto Sacramento privare, aut in re tam gravi fallere; ſed forſan nihil aliud teſtari in ſchedula, quam quod ſcribens audivit à fœmina, aut ſæculari, de quibus cordatè timeri poteſt, quod integram eſſentialem formam non protulerint, & validum baptiſmum non confecerint, vel ex ignorantia, vel ex turbatione. *Occurritur primæ ſententiæ.* Quarè ſequendo dictam ſententiam probabilem, in baptiſmo tunc ſub conditione miniſtrando, nulla irrogatur injuria baptiſmi Sacramento.

CAPUT SEPTIMUM.

De ritibus, & cæremoniis Baptiſmi, & de Patrinis in eo adhibendis.

IN HOC CAPITE SUNT DUO PUNCTA.

P. 1. *Quotuplices ſint ritus in Baptiſmo ſolemni ſervandi?*

P. 2. *Utrùm in Baptiſmo requiratur Patrinus, qui baptizatum levet de ſacro fonte? ad quid teneatur? & quæ conditiones exigantur in illo?*

PUNCTUM I.

Quotuplices ſint ritus in Baptiſmo ſolemni ſervandi?

Triplex genus ritus Baptiſmi ſolemnis.

1. RItus Baptiſmi ſolemnis ſunt triplices, ut docet Catechiſmus Romanus, *part. 2. de Baptiſmi cæremoniis, num. 46.* Primum genus eſt eorum rituum, qui antequam accedatur ad Baptiſmi fontem, ſervantur. Alterum eorum, qui cum ad ipſum fontem ventum eſt, adhibentur. Tertium eorum, qui peracto jam Baptiſmo, addi ſolent.

Ritus 1. generis.

2. Primi generis ſunt, primò conſecratio fontis baptiſmi, addito myſticæ unctionis oleo, ait Catechiſmus Romanus *loc. cit.* & D. Ambroſius, *lib. 1. de Sacramentis, cap. 5.* *Uſus habet hoc*, inquit, *ut antè fons conſecretur, & deſcendat, qui baptizandus eſt.* Unde Baptiſmus extrà neceſſitatem non poteſt abſque peccato conferri, niſi in aqua conſecrata, ut omnes fatentur: & peccatum mortale eſſe baptizare aliquem ſolemniter in aqua non benedicta, tradunt Nuñus, *3. part. quæſt. 77. art. 4. concl. 2.* Bonacina, *diſp. 2. quæſt. 2. punct. 7. num. 19.* Palaus, *puncto 12. num. 3.*

3. Secundò, afferuntur, vel adducuntur, qui Baptiſmo initiandi ſunt, ad Eccleſiæ fores: atque ab ejus introitu omninò prohibentur: ad ſignificandum, ut docet Catechiſmus Romanus, quod indigni ſint, qui domum Dei ingrediantur, antequam à ſe turpiſſimæ ſervitutis jugum repulerint, & totos ſe Chriſto Domino, ejuſque juſtiſſimo imperio addixerint.

4. Tertiò, Sacerdos ab eis exquirit, quidnam ab Eccleſia petant? Hinc baptizandi competentes dicebantur, quod ſimul Baptiſmum peterent. Quo cognito, eos de chriſtianæ fidei doctrinâ, quam in Baptiſmo profiteri debent, inſtruit: id autem Catechiſmo efficitur, qui convenienter antè baptiſmum præcedit, inquit D. Thomas, *3. part. quæſt. 71. art. 1.* *Quia baptiſmus eſt fidei Sacramentum, cum ſit quædam profeſſio fidei Chriſtianæ: ad hoc autem, ut aliquis fidem accipiat, requiritur, quod de fide inſtruatur: ſecundum illud* Roman. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſinè prædicante? Undè & Dominus præceptum baptizandi diſcipulis tradens, præmittit doctrinam baptiſmo dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

5. Quartò ſequitur exorciſmus, qui ad expellendum diabolum, ejuſque vires frangendas, & debilitandas, ſacris, & religioſis verbis, ac precationibus conficitur, de quo Cœleſtinus Papa dicit: *Sivè parvuli, ſivè juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non priùs fontem Vitæ adeant, quam exorciſmis, & ex ſufflationibus Clericorum ſpiritus immundus ab eis abjiciatur.* Et hoc convenienter ait D. Thomas, *quæſt. 71. artic. 2.* *Quia quicumque ſapienter aliquod opus facere proponit, prius removet impedimenta ſui operis. Unde dicitur Hieremiæ 4. Innovate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Diabolus autem hoſtis eſt humanæ ſalutis, quæ homini per Baptiſmum acquiritur, & habet poteſtatem aliquam in homine, ex hoc ipſo, quod ſubditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde convenienter ante Baptiſmum expelluntur dæmones per exorciſmos, ne ſalutem hominis impediant: quam quidem expulſionem ſignificat exſufflatio: benedictio autem cum manus impoſitione præcludit expulſo viam, ne redire poſſit.*

6. Quintò, ejus qui baptizandus eſt, ori ſal admovetur, ad ſignificandum eum fidei doctrinâ, & gratiæ dono conſecuturum eſſe, ut à peccatorum putredine liberetur, ſaporemque bonorum operum percipiat, & divinæ ſapientiæ pabulo delectetur. Ita Catechiſmus Romanus.

7. Sextò, obſignantur ſigno Cruci frons, oculi, pectus, humeri, aures: quæ omnia declarant, Baptiſmi myſterio ſenſus baptizati aperiri, ac roborari, ut Deum excipere, præceptaque ejus intelligere, ac ſervare poſſit. Ita idem Catechiſmus.

8. Septimò, illi nares, & aures ſaliva liniuntur: ut intelligamus, tum receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, & approbationem quantum ad nares, ut inquit D. Thomas, *art. 2. cit.* Tum etiam, ita ſacræ ablutionis eam vim eſſe, ut menti ad cœleſtem veritatem percipiendam lumen afferat: quemadmodum cœcus ille Evangelicus, quem Dominus juſſerat oculos luto illitos, Siloes aquâ abluere, lumen recuperavit, ut ait Catechiſmus.

Ritus ſecundi generis.

9. Secundi generis ritus ſunt, cum, his peractis, ad Baptiſmi fontem veniunt, ibique primò Sacerdos ter conceptis verbis, eum, qui baptizandus eſt, interrogat: *Abrenuntias ſatanæ, omnibus operibus ejus, & pompis ejus?* Et ille, ſi adultus eſt, ſin minùs, loco illius electus patrinus, ad ſingulas interrogationes reſpondet: *Abrenuntio.* Qui enim Chriſto nomen daturus eſt, hoc primum ſanctè, & religioſè polliceri debet, ſe diabolum, & mundum deſerere, ac nullum unquam tempus fore, in quo utrumque veluti hoſtem teterrimum non deteſtetur.

10. Secundò poſtmodum inungitur baptizandus à Sacerdote in pectore, & in ſcapulis Oleo Sancto.

Sanćto. *Quaſi Athleta Dei* (ut ex D. Ambroſio inquit D. Thomas, *q. 66. art. 10. ad. 2.*) *Sicut pugiles inungi conſueverunt.* Vel, ſicut Innocentius, *cap. unico §. Quia vero, de ſacra Unctione*, dixit: *Baptizandus in pectore inungitur, ut per Sancti Spiritus donum abjiciat errorem, & ignorantiam, & fidem rectam ſuſcipiat. Quia juſtus ex fide vivit. Inter ſcapulas autem inungitur, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat: quia fides ſine operibus mortua eſt, ut per fidei Sacramentum ſit munditia cogitationum in pectore, & fortitudo laborum in ſcapulis.*

11. Tertiò, ad ipſum Baptiſmi fontem conſiſtens, interrogatur a Sacerdote hoc modo: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* Et per ſe ipſum, ſi adultus eſt, vel per patrinum, ſi ſit parvulus, reſpondet; *Credo.* Atque ita deinceps de reliquis ſymboli articulis rogatus, fidem ſuam ſolemni religione profitetur: ut, ſi adultus eſt, plenam fidei notitiam habeat, & Eccleſiæ conſtet: ſi vero ſit parvulus, patrinus agnoſcat ſe obligatum eſſe ad inſtruendum infantem, cum opus fuerit.

12. Quartò, cum jam Baptiſmum adminiſtrare oportet, quærit Sacerdos ab eo, qui baptizandus eſt, num baptizari velit? Quo quidem per ſe, vel ejus nomine, ſi infans ſit, patrino annuente, ſtatim in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſalutari aquâ eum abluit: *Quemadmodum enim* (inquit Cathecismus) *homo ſua voluntate ſerpenti obediens, meritò damnatus eſt; ita Dominus neminem ad ſuorum numerum, niſi voluntarium militem adſcribi voluit, ut divinis juſſis ſponte obtemperans, æternam ſalutem conſequeretur.*

Ritus 3. generis.

13. Tertii tandem generis ritus, poſtquam jam Baptiſmus abſolutus eſt, ſunt. Primò, Sacerdos ſummum baptizati verticem chriſmate perungit: *Ut intelligat* (ait Cathecismus Romanus) *ſe ab eo die Chriſto capiti, tanquam membrum conjunctum eſſe, atque ejus corpori inſitum, & ea re Chriſtianum, à Chriſto, Chriſtum verò à chriſmate appellari.* Vel ſicut D. Thomas, *quæſt. 66. art. 10. ad 2.* Ex D. Ambroſio dicit: *Unguentum ſuper caput effunditur, quia ſapientis ſenſus in capite ejus, ut ſcilicet ſit paratus omnipotenti de fide, reddere rationem.*

14. Secundò, veſtis candida traditur baptizato in ſignum gloriæ reſurrectionis, ad quam homines per Baptiſmum regenerantur: & ad ſignificandam puritatem vitæ, quam debet poſt Baptiſmum obſervare, ſecundum illud Romanorum 6. *In novitate vitæ ambulemus.* Ita D. Th. *art. 10. citato in ſolutione ad 3.* Eodem etiam ſymbolo, ex Sanctis Patribus Cathecismus Romanus ſignificari docet, nitorem, & pulchritudinem, quâ dilutis peccatorum maculis, anima in Baptiſmo ornatur.

15. Tertiò, cereus ardens in manum baptizati traditur, ut oſtendat fidem charitate inflammatam, quam in Baptiſmo accepit, bonorum operum ſtudio alendam, atque augendam eſſe. Ita Cathecismus.

16. Quartò tandem, nomen baptizato imponitur: quod quidem ab aliquo ſumendum eſt qui propter excellentem animi pietatem, & religionem in Sanctorum numerum eſt relatus. Ita enim facile fiet, ait Cathecismus, ut quivis nominis ſimilitudine ad ſanctitatis, & virtutis imitationem excitetur, ac præterea quem imitari ſtudeat, eum quoque præcetur, & ſperet ſibi advocatum, tum ad ſalutem animi, tum corporis defendendam, venturum eſſe.

Propter quæ prædicti ritus & cæremoniæ fiant.

17. Ritus autem, & cæremoniæ iſtæ, ut docet D. Thomas, *q. 66. artic. 10.* adhibentur Sacramento Baptiſmi propter tria. Primò, ad excitandam devotionem fidelium, & reverentiam ad Sacramentum: ſi enim ſimpliciter fieret ablutio in aqua abſque ſolemnitate, de facili ab aliquibus æſtimaretur quaſi quædam communis ablutio. Secundò, ad fidelium inſtructionem: ſimplices enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua ſenſibilia ſigna. Tertiò, quia per orationes, & benedictiones, & alia hujuſmodi cohibetur vis dæmonis ab impedimento ſacramentalis effectus.

18. Notant verò Doctores cum D. Thoma, *q. 71. art. 3. ad 3.* cum neceſſitate urgenti Baptiſmus privatim ſine cæremoniis collatus eſt, illa ceſſante, cæremonias ſolemniter eſſe ſupplendas. Colligiturque apertè ex *cap. Hanc regulam, 1. q. 1. & cap. 1. de Sacramentis non iterandis:* & ex uſu, & conſuetudine recepta, & à Romano rituali approbata. Nec valet dici; fruſtrà, aut inutiliter ſuppleri, cum jam dæmon Baptiſmo expulſus ſit, & inſidiæ, ac tentationes illius pro impediendo Baptiſmo ſint diſſolutæ. Nam ut optimè Ang. Doctor *loco citato* ait: *Debent ſuppleri, ut ſervetur uniformitas in Baptiſmo. Nec fruſtrà ſupplentur poſt Baptiſmum: quia ſicut impeditur effectus Baptiſmi, antequam percipiatur: ita poteſt impediri, poſtquam fuerit perceptus.* Si quidem Eccleſia mediis illis cæremoniis intendit à Deo impetrare perfectam, & perſeverantem dæmonis expulſionem, & præcludere expulſo viam, ne redire valeat.

Germaniæ conſuetudo.

19. Layman, *cap. 8. num. 10.* teſtatur, non eſſe ſolitum in Germania baptizatum ab hæreticis in infantia, cum jam adultus ad fidem convertitur, ad Eccleſiam deferri, ut ſolemnitates in Baptiſmo omiſſæ adhibeantur: ne plebs putet Baptiſmum ab hæreticis miniſtratum Eccleſiam Romanam improbare. At ſi timor hujus ſuſpicionis, alteriuſvè ſcandali ceſſaret, credit ipſe, & benè, nullam eſſe legitimam cauſam, ob quam prædictæ cæremoniæ omittendæ forent.

Dubium incidens.

20. Sed inquires, utrùm ſi Baptiſmus ſolemniter collatus deprehendatur fuiſſe invalidus, ritus, & cæremoniæ, ſimul cum Baptiſmo, ſit opus, ut repetantur? Negat Henriquez, *lib. 3. cap. 2. n. 1. littera* N. Suarez, *diſp. 31. ſect. 6. §. Septimo inquiri poteſt.* Coninchus, *q. 66. ar. 9. dub. 1. num. 99.* Medul, Theologiæ moralis, *dub. 5. de cæremoniis Baptiſmi, art. 1. num. 6.* & Bonacina, *diſp. 2. q. 2. p. 7. num. 22.* limitans tamen, niſi aliter uſu receptum ſit.

2. ſententia.

21. Sed probabilius cenſemus, cæremonias, & ritus repetendos eſſe: ut docet S. Antoninus, *3. p. titulo 13. c. 14. §. 22.* Bartholomæus ab Angelo *de Sacramentis, dialogo 2. §. 69.* Reginaldus *lib. 27. cap. 5. num. 34.* Henriquez ſibi contrarius, *lib. 2. c. 15. n. 4. littera I.* referens Sotum, & Paludanum. Palaus, *puncto 12. nu. 24.* ne Baptiſmo debitus cultus, & ornatus deficiat.

Ut non ſufficit infantem tenere in aliis, quæ Baptiſmum præcedunt.

lem, ut teneat quis baptizandum in cæremoniis, quæ Baptiſmum præcedunt: ut communiter tradunt Doctores. Imò non ſufficit de manu alterius de ſacro fonte levantis ſuſcipere: quia id non eſt levare de ſacro fonte: ſed levatum ab alio ſuſcipere. Sic teſtantur, & deciſum referunt pro Epiſcopatu Abulenſi à ſacra Congregatione, Sanchez, *num.* 3. Baſilius Pontius, *lib.* 7. *cap.* 39 *n.* 9.

Quæ intentio requiratur in patrino.

33. Quartò requiritur, quod intendat efficere, quod patrini efficiunt, nimirum exercere actum illum ſuſcipiendi ab Eccleſia inſtitutum. Ita cum aliis Thomas Sanchez, *lib.* 7. *diſp.* 58. *num.* 4. N. Cornejo *de impedimentis Matrim. diſp.* 7. *dub.* 17. Baſil. *dicto cap.* 39. *n.* 9. Palaus, *puncto* 11 §. 2. *num.* 4. Quia ſinè intentione, & conſenſu nulla poteſt oriri obligatio. L. *in omnibus negotiis, ff. de actionibus, & obligationibus*: & quia ſi baptizanti deſit hæc intentio, nec cognationem contrahit, nec verum Baptiſmum confert: ergo ſimiliter, ſi deſit patrino, non eſt verus ſuſceptor, nec contrahit cognationem.

Poſita intentione neceſſaria patrinus impedire nequit cognationem ſpiritualem.

34. Si tamen intentionem habeat patrini munus exercendi, cognationem ſpiritualem nullatenus impedire poterit patrinus, ex eo quod noluerit eam contrahere: quia hæc cognatio officio patrini annexa eſt jure Eccleſiaſtico, cujus efficaciam patrinus impedire non poteſt: ut docet Palaus *dicto num* 4. & pluribus firmat Sanchez, *lib.* 7. *diſput.* 58 *n.* 4

Quotuplex patrinus, & inter quos cognatio ſpiritualis contrahatur.

35. Quintò requiritur, ut aliquis validè ſit patrinus, quòd non ſit alius tangens ultra deſignatos ad hoc à parentibus, vel Parocho, deſignatis tangentibus, ex novo jure Tridentini, *ſeſſione* 24. *cap.* 2. *de reformatione*, ubi Sancta Synodus ſtatuit: *Ut unus tantùm, ſivè vir, ſivè mulier, juxtà ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant: inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantùm ad eum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excuſari valeant. Quòd ſi alii ultrà deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant; conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus.*

Quæſitum primum.

36. Sed dubitari ſolet primò: an ſi nullus ſit deſignatus, vel ex malitia, vel ex ignorantia, vel incuriâ, & plures ſimul infantem de ſacro fonte ſuſcipiant, omnes veri patrini ſint, veramque cognationem ſpiritualem contrahant cum ipſo baptizato, & ejus parentibus? Negant Suarez 3. *p. q.* 67. *art.* 8. & alii, quos referunt, & ſequuntur Sanchez, *lib.* 7 *diſp.* 57. *num.* 12. Gutierre *de Matrimonio, cap.* 100. *num* 7. Moventur quia poſt Concilium Tridentinum deſignatio videtur conditio neceſſaria, ut tangentes ſint veri patrini, verumque cognationis impedimentum contrahant, quod reſtringere voluit Concilium.

1. ſententia & ejus fundamentum.

2. ſententia

37. Sed dicendum in prædicto caſu omnes ſimul infantem de ſacro fonte ſuſcipientes, veros eſſe patrinos, verumque cognationis ſpiritualis impedimentum contrahere. Ita Navarrus in ſumma. *cap.* 22. *num.* 39. Graſſis, 2. *p. lib.* 2. *cap.* 85. *num.* 4. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 3. Coninchus, *diſp.* 32. *num.* 37. Rebellus *de obligationibus juſtitiæ*, 2. *p. lib.* 3. *q.* 6. *num.* 7. & in appendice ad *lib.* 4. *num.* 95. N. Cornejo, *diſp.* 7. *dub.* 18. Granado *diſp.* 5. *n.* 6. Baſilius *n.* 11. Layman, *cap.* 9. *n.* 4. Barboſa 2. *p. de poteſtate Epiſcopi*, *allegatione* 30. *num.* 11. Palaus §. 2. *num.* 9. Sà *de impedimentis dirimentibus*, *num.* 5. Lopez 2. *p. inſtructorii, cap.* 51. & 62. Ledeſma *de Matrimonio, cap.* 56. *art.* 3. ubi teſtatur, idem tenuiſſe viros doctiſſimos, qui Concilio Tridentino interfuerunt.

38. Probatur primò: quia ita expreſsè declaratum eſt in ſacra Cardinalium congregatione, ut teſtantur Barboſa ubi ſupra cum Baſilio, & aliis, & Rebellus *loco citato, n.* 95. *Suadetur* 1

39. Secundò: quia à jure antiquo non eſt recedendum, niſi in his, quæ à novo excipiuntur, L. *Præcipimus, Cod. de appellationibus*: ergo cum jure antiquo omnes tangentes contrahant, ut conſtat ex Bonifacio VIII. *cap. finali de cognatione ſpirituali in* 6. & Concilium Tridentinum hoc coarctaverit ad deſignatos, conſequens videtur, ut quando non eſt deſignatio, ſtandum ſit jure communi. *Suadetur* 2

40. Tertiò: quia minus incommodum eſt, quod in tali eventu puer habeat plures patrinos, ut antè Concilium Tridentinum fiebat; quam quod ex tot tenentibus, ſine aliquo patrino maneat, à quo nomine Eccleſiæ in Baptiſmo ſolemni ſuſcipiatur, contra conſuetudinem ab Apoſtolorum tempore probatam. *Suadetur* 3

41. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, deſignationem non requiri pro conditione abſolutè neceſſaria, ſed ſolum in caſu, quo ultrà deſignatos alii quoque tangant, in quo eventu dumtaxat procedit illa deciſio Concilii. Neque obſtat voluiſſe impedimentum cognationis ſpiritualis reſtringere, ut indè inferatur, cum plures nullis deſignatis ſimul tangunt, non contrahere cognationis impedimentum: quia in hac parte Sancta Synodus nullam hujus impedimenti reſtrictionem irritativam fecit; ſed tantùm prohibitivam, prohibendo, ne plures, quam unus, vel ad ſummum duo vir, & fœmina deſignentur: reſtrictionem vero irritativam fecit quoad eos tantum, qui non deſignati baptizatum tetigerint, deſignatis tangentibus. Inſuperque ipſum impedimentum reſtrinxit, ne ultra patrinum cum baptizato, ejuſque patre, & matre, & ultra baptizantem, & baptizatum, ejuſque patrem, & matrem procederet, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omninò ſublatis. *Fit ſatis 1. ſententiæ fundamento.*

42. Unde quando ex deſignatis nullus puerum ſuſcepit, ſed quidam alius non deſignatus, dicendum eſt iſtum contrahere cognationem, & non illos. Ita Cornejo ubi ſupra, & cum multis Palaus, *n* 9. *Illatio.*

43. Si verò nullus ſit deſignatus, & plures non ſimul, ſed ſucceſsivè infantem tangant, dicendum eſt, eum tantum, vel eos, qui primò tetigerunt, pro patrino, & matrina habendos eſſe. Ita ex declaratione ſacræ Cardinalium Con- *Sacræ congregationis declaratio.*

Congregationis docent Cornejo, & favet Rebellus *loco cit.* Iuxta quam declarationem corrigendus eſt Navarrus *loco cit. num.* 39. dicens omnes tangentes contrahere cognationem, ſivè ſimul, ſivè ſucceſſivè tangant.

Quæſitum ſecundum.

44. Inquiras ſecundò: Quid ſi plures duobus deſignentur, neque à Parocho repellantur? Suarez ubi ſupra ſic diſtinguit, ſi ſucceſſivè tangant, eum, qui primò tetigerit, cognationem contrahere dicit, & ad ſummum duos, ſi fuerint vir, & fœmina ex primis tangentibus: cui conſentit Sanchez ubi ſupra, *num.* 14. Palaus *num.* 11. & alii.

45. Si verò ſimul tangant, probabilius credit idem Suarez, neminem eorum cognationem contrahere: quia tamen res eſt dubia, abſtinendum eſſe à matrimonio. Sanchez verò plures, referens, *diſp.* 57. *n.* 13. *&* 14. omnes deſignatos putat illam contrahere: quia Tridentinum poſt prohibitionem admiſſionis plurium, quam duorum patrinorum diverſi ſexus, ubi adjicit clauſulam irritantem, ſolum comprehendit tangentes ultrà deſignatos; quod ſi vellet irritare factum, quando plures duobus deſignarentur, facile id poſſet exprimere, dum dixit: *Quod ſi alii ultra deſignatos*, addens *ultra duos deſignatos*: cum ergo id non expreſſerit, ſignum eſt noluiſſe irritare. Ita etiam docent Coninchus *diſp.* 32. *num.* 37. Baſilius *lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 12. Rebellus *lib.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 6. & in appendice ad *lib.* 4. *ſect.* 4. *num.* 96. Palaus *num.* 11. Quod & nos cenſemus: quia Sacra Cardinalium Congregatio adducta à Rebello ubi ſupra declaravit: ſi plures tangant, & non conſtet, quis primò tetigerit, omnes contrahere ſpiritualem cognitionem, ſi plures ſint electi, vel nullus: ſi unus tantùm ſit electus, illum tantum contrahere.

Hæretici validè ſed illicitè ſunt patrini.

46. Validè quidem, ſed illicitè ſunt patrini, primò hæretici: validè, quia charactere Baptiſmi inſigniti ſunt: ac proindè ex hac parte ſunt capaces rationis patrini, & cognationis ſpiritualis, ac legibus Eccleſiæ ſubjiciuntur. Et ita ex omnium ſententia tradit Sanchez, *diſp.* 60. *num.* 2. Illicite verò, ut colligitur ex *cap. In baptiſmate. De conſecratione, diſt.* 4. Quippè qui, ut docet Catheciſmus Romanus, part. 2. de Sacramento Baptiſmi, *num.* 23. ab hoc munere omnino prohibendi ſunt, ut qui in ea cognitione, & cura verſentur, ut fidei veritatem mendaciis obſcurent, atque omnem chriſtianam pietatem evertant, atque adeo idonei non ſunt.

47. Secundò, non licet Abbatibus, & monachis aliquem ex ſacro fonte ſuſcipere: ut patet, ex *cap. Monachi. De conſecratione, diſt.* 4. & ex Concilio Altidiorenſi, *cap.* 25. & habetur *cap. Placet* 2. 16. *quæſt.* 1. Quod ſi tamen de facto aliquem ſuſcipiant, contrahunt cognationem ſpiritualem, verique ſuſceptores ſunt: quia factum prohibetur, non tamen irritatur. In quo decreto, utpote prohibitivo, & odioſo, *Monachorum* nomine non venire mendicantes, & canonicos regulares, docent Coninchus, *q.* 67. *art.* 7. *n.* 56. & Palaus, *puncto* 11. §. 1. *num.* 4. contra Layman, *cap.* 9. *n.* 3.

Etiam Abbatibus, & monachis non licet eſſe patrinos.

48. Tertiò, illicitè ſunt patrini publici pœnitentes, & moribus infames, donec peracta pœnitentia, reconcilientur: ut conſtat ex Concilio Pariſienſi 1. *lib.* 1. *cap.* 45. Quia non cenſentur ab Eccleſia idonei ad munus ſuſceptoris exequendum. Si tamen de facto exequantur, contrahunt cognatinnem ſpiritualem, & munus ſuſceptoris validè ſuſcipiunt: quia in dicto Concilio non irritatur factum, eſto prohibeatur: ſicuti docent Barboſa, *num.* 36. Layman, Palaus, *num.* 6. adverſus Baſilium Ponce, *lib.* 7. *cap.* 37. *n.* 15.

Nec publicè pœnitentibus aut & moribus infamib.

49. Quartò, quamvis validè, non tamen licitè poſſunt parentes ſuſcipere propriam prolem. *Cap. Dictum eſt* 30. *q.* 1. Quia alius debet eſſe pater ſpiritualis à patre carnali, ut docet D. Thom. 3. *p. quæſt.* 67. *art.* 8. *ad* 2. quem omnes Theologi ſequuntur. In neceſſitate tamen id licitum eſt, ut colligunt Doctores communiter ex *capite Ad limina* 30. *q.* 1. & teſtantur D. Thomas ubi proximè, & cum pluribus Sanchez de *Matrimonio lib.* 6. *diſp.* 26. *num.* 31.

Nec etiam parentibus carnalibus non licet extra neceſſitatem.

50. Sed inquires: an duo conjuges poſſint eſſe ſimul alienæ ſobolis patrini? Suarez 3. *p. q.* 67. *artic.* 8. putat eſſe veniale: quia licet Urbanus II. *c. final.* 30. *q.* 4. dicat nullibi reperiri id prohibitum; at ipſe decernit, ut id efficere minimè præſumant propter majorem decentiam. Quod ſi uſu contrarium receptum, eſſet, facile à culpa veniali poſſe excuſari, aſſerit. Et id eſſe interdictum, docet etiam Gallego, *de cognatione ſpirituali*, *c.* 9. *n.* 8.

Quæſitum tertium.

1. circa illum ſententia.

51. Verum nullam eſſe culpam verius eſſe cenſemus. Tum quia conſuetudine id obſervari videmus, ut teſtatur Sanchez, *diſp.* 57. *n.* 5. Tum etiam, quia attento jure antiquo, poſſe utrumque conjugem ſimul eo munere fungi, licet non ita decens ſit, affirmant D. Thomas, *in* 4. *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 4. & tamen vidit textum Urbani citatum: illum enim affert Magiſter in littera: & cum multis aſſerit Sanchez ubi proximè, cui ſubſcribit Coninch. *n.* 58.

2. Sententia.

TRAC.

Digitized by Google

TRACTATUS TERTIUS
DE SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS.
CAPUT PRIMUM.
De eſſentia, & inſtitutione hujus Sacramenti.

CAPUT HOC DUOBUS PUNCTIS CONSTAT.

P. 1. *An Confirmatio ſit novæ legis Sacramentum, & quid ſit?*

P. 2. *An ſit à Chriſto Domino inſtitutum, & quando?*

PUNCTUM I.

An Confirmatio ſit Sacramentum novæ legis, & quid ſit?

Confirmationis nomen.

1. UT à nomine initium ſumamus. *Confirmatio* hoc Sacramentum ab Eccleſia idcirco vocatur, ut docet Catechiſmus Rom. *c.* 3. *n.* 2. quoniam qui baptizatus eſt, cum ab Epiſcopo chriſmate ungitur, additis ſolemnibus illis verbis: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, niſi aliud efficientiam impediat, novæ virtutis robore firmior, atque adeò perfectus Chriſti miles eſſe incipit.

In confirmatione vera Sacramenti ratio reperitur.

2. In confirmatione autem veram, & propriam Sacramenti rationem Catholica Eccleſia ſemper agnovit: quod & Melchiades Pontifex *in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, *cap.* 2. Ex plures etiam alii ſanctiſſimi, & vetuſtiſſimi Pontifices, ut teſtatur idem Catechiſmus, apertè declarant. Et conſtat ex Concilio Florentino *in decreto* Eugenii IV. Et ex Trident. *ſeſ.* 7. *can.* 1. Et ex multis aliis Conciliis, quæ refert Bellarmin. *c.* 4 *de Confirm.* nec non ex ſacræ Scripturæ teſtimoniis, ut probat Suarez, *diſp.* 32. *ſect.* 1. Ex ſacris Doctoribus, quorum teſtimonia adducit idem Catechiſmus, *num.* 3.

Probatur.

3. Ratio eſt manifeſta: nam Confirmatio eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos: ergo eſt Sacramentum. Conſequentia patet, & antecedens probatur: quia ſicut ablutio corporalis ſub præſcripta forma verborum: *Ego te baptizo, &c.* ſignificat ablutionem ſpiritualem, & gratiam generantem hominem: ita ſimiliter unctio corporalis ſub præſcripta forma verborum: *Signo te ſigno crucis, &c.* ſignificat unctionem ſpiritualem, & gratiam perficientem, & corroborantem, ut reddatur homo vir ad pugnandum in vita ſpirituali.

Confirmatur 1.

4. Quod etiam confirmat primo D. Thom. 3. *part. quæſt.* 72. *art.* 1. ex ſimilitudine, & proportione ad vitam corporalem: ut ſicut in vita corporali præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam, eſt motus augmenti, quo perducitur ad perfectam ætatem: ſic igitur, & vitam ſpiritualem homo accipit per Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio, & quaſi ad quandam perfectam vitæ ſpiritualis ætatem perducitur per confirmationem, quæ augmentum præſtat ad gratiam.

Confirmatur.

5. Secundò confirmat Melchiades Papa (& habetur in *cap. Spiritus Sanctus, de conſecratione, diſt.* 5.) Quia ad Imperatorem ſpectat, non ſolùm ſignare militem; quod fit in Baptiſmo, ſed etiam armis inſtruere: & id fit in Confirmatione.

Duplex definitio Confirmationis.

6. Duplex verò, & utraque optima aſſignari poteſt Confirmationis definitio: altera quidem quaſi phyſica per materiam, & formam, & altera metaphyſica per genus, & differentiam. Prior eſt hujuſmodi: *confirmatio eſt Sacramentum, quo baptizatus inungitur in fronte, Unctione chriſmatis facta in modum crucis per manum legitimi miniſtri ſub præſcripta verborum formâ.* Poſterior eſt hæc: *confirmatio eſt Sacramentum novæ legis, ſpeciale robur Spiritus Sancti ad profitendam fidem ſignans, & conferens.* Ita Granado *diſp.* 1. *num.* 2. Filliucius *cap.* 1. *num.* 7. & alii.

PUNCTUM II.

An hoc Sacramentum ſit à Chriſto Domino inſtitutum, & quando?

Sacramentum confirmationis fuit immediatè inſtitutum à Chriſto Domino.

7. ET quidem à Chriſto Domino immediatè inſtitutum eſſe Confirmationis Sacramentum, conſtat ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 7. & ex Moguntino, *cap.* 17. & Senonenſi *in decretis morum*, *cap.* 38. Nec non ex ratione generali: quia inſtitutio Sacramenti pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quam ſolus Chriſtus habuit, ut diximus *in tractatu* 1. *de Sacramentis in genere*, *cap.* 3. *dub.* 1.

8. Præterea Catechiſmus Romanus, *part.* 2. *de Sacramento Confirmationis*, *num.* 5. à Paſtoribus Eccleſiæ explicandum eſſe docet, Chriſtum Dominum non ſolum hujus Sacramenti authorem fuiſſe, ſed Sancto Pontifice Fabiano teſte *in initio Epiſtolæ* 2. *quæ eſt ad Epiſcopos Orientales*, *tom.* 1. *conciliorum*, chriſmatis ritum, & verba, quibus in ejus adminiſtratione Catholica Eccleſia utitur, præcepiſſe.

Quare non fuit in uſu poſitum ante Pentecoſtem?

9. Non eſt autem à Chriſto Domino in uſu poſitum hoc Sacramentum, neque etiam ab Apoſtolis antè Pentecoſtem: quia, ut rectè docet D. Thom. *quæſt.* 72. *art.* 1. *ad* 2. in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quam dari non expediebat ante Chriſti Reſurrectionem, & Aſcenſionem, juxta illud Joan. 7.

Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.

Quomodo hoc Sacramento uſi fuerint Apoſtoli?

10. Jeſu autem glorificato, Spiritus plenè Apoſtolis datus fuit, non ſigno ſacramentali, ſed extraordinario, & miraculoſo. Quo ſpiritu accepto, Apoſtoli aliis divinum ſpiritum communicabant, quandoque viſibilibus ſignis miraculosè à Deo effectis, qui poteſt effectum Sacramenti ſine Sacramento conferre; & tunc non erat neceſſaria, neque materia, neque forma hujus Sacramenti. Quandoque autem tanquam miniſtri Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant; & tunc ſicut materia, ita & forma ex mandato Chriſti utebantur, frontem ſcilicet manu, & digito, chriſmate delinientes ſub præſcripta verborum forma, ut docet D. Thomas, *quæſt. 72. art. 2. ad 1. & art. 4. ad 1.* Quem ſequuntur communiter ejus diſcipuli, Sotus *in 4. ad 7. quæſt. unica, artic. 2. ad 1.* Ferrara *4. contra gent. cap. 60.* Nuſtus, *quæſt. 72. artic. 3.* & alii, quos referunt, & ſequuntur Suarez, *diſp. 32. ſect. 4.* & Palaus, *punct. 4. n. 4.* contra Granado, & alios, qui aſſerunt, nunquam Apoſtolos manus impoſuiſſe, ut conferrent Spiritum Sanctum, niſi utendo unctione chriſmatis ſub ea forma verborum, quâ nunc utitur Eccleſia.

Nocte cœnæ fuit deſignata materia, & forma Confirmationis.

11. Circà alterum verò hujus puncti quæſitum, nimirùm quo tempore hoc Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum ſit? Reſpondetur dicendum, quod nocte cœnæ à Magiſtro cœleſti edocti ſunt Apoſtoli chriſma conficere, ut tradit expreſsè S. Fabianus Papa, *Epiſtola 2. cap. 2.* Dominus, inquiens, *Jeſus poſtquam cœnavit cum Diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, chriſma conficere docuit.* Et fortè ob eam cauſam eo die cœnæ, & non alio, chriſma conſecratur: cumque chriſma ſit materia hujus Sacramenti, ut poſtea dicetur, meritò nocte cœnæ deſignatam, & declaratam eſſe à Chriſto Domino materiam, & formam hujus Sacramenti, Apoſtoloſque edoctos eſſe qualiter illud adminiſtrare deberent, diſertè docent Victoria, & Sotus, quos refert, & ſequitur Suarez, *diſp. 32. ſect. 2.* Henriquez *lib. 3. cap. 1. §. 4.* Filliucius *cap. 1. num. 5.* Bonacina *diſp. 3. quæſt. unica, punct. 1.* Granado *diſp. 1. num. 7.* Palaus, *punct. 1. num. 3.*

Poſt Reſurrectionem fuit Confirmatio plenè, & perfectè inſtituta.

12. Verùm quia ſecundum probabiliſſimam plurimorum ſententiam, Apoſtoli non ſunt conſtituti Epiſcopi cum poteſtate dictum Sacramentum miniſtrandi, quouſque Chriſtus Dominus poſt Reſurrectionem ſuam Joan. 20. dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos:* ideò quadam ratione dici poteſt, uſque ad illud tempus non fuiſſe hoc Sacramentum plenè, & perfectè inſtitutum: quia ad plenam, & perfectam Sacramenti inſtitutionem non ſolùm deſignatio materiæ, & formæ, ſed etiam miniſtri requiritur. Ita Palaus *loc. cit.* Filliucius, *n. 6.* Coninchus, *q. 72. art. 1. n. 23.* Pitigianus *diſt. 7. quæſt. 1. art. 2.* Bonacina contra Henriquez, *lib. 3. cap. 1. num. 5.*

CAPUT SECUNDUM.

De materia, & forma Sacramenti Confirmationis.

IN HOC CAPITE SUNT TRIA PUNCTA.

P. 1. *De materia remota Confirmationis.*
P. 2. *Quæ ſit materia proxima?*
P. 3. *Quænam ſit illius forma?*

PUNCTUM I.

De materia remota Confirmationis.

Chriſma eſt materia remota Confirmationis.

1. MAteriam remotam Sacramenti Confirmationis eſſe chriſma, conſtat ex Concilio Florentino *in decreto fidei*, & ex Tridentino, *Seſſ. 7. Can. 2.* chriſmate autem (quod eſt nomen à Græcis acceptum) etſi profani ſcriptores quodlibet unguenti genus ſignificent; illud tamen, qui res divinas tradunt, communi loquendi conſuetudine ad illud tantummodò unguentum accommodarunt, quod ex oleo, & balſamo ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur, ut docet Catechiſmus Romanus *de Sacramento Confirmationis, num. 16.*

Quare Chriſma aptiſſima materia remota ſit?

2. Neque verò ulla alia materia, quam chriſmatis, aptior videri poterat ad id declarandum, quod hoc Sacramento efficitur: oleum enim, quod pinguè eſt, & natura ſua manat, ac diffluit, gratiæ plenitudinem exprimit, quæ per Spiritum Sanctum à Chriſto capite in alios redundat, atque effunditur. Balſamum verò propter fragrantiam odoris ſignificat, fideles virtute hujus Sacramenti eam virtutis ſuavitatem effundere, quæ in alios redundat, atque effunditur: ita ut illud Apoſtoli *2. Corinth. 2.* queant dicere: *Chriſti bonus odor ſumus.* Et quia balſamum eam vim habet, ut quid, quid eo circumlinitum fuerit, putreſcere non ſinat, fidelium animos cœleſti gratia, quæ in Confirmatione tribuitur, præparatos, facile à ſcelerum contagione defendi poſſe declarat.

Oleum eſt de neceſſitate hujus Sacramenti.

3. Oleum eſt de neceſſitate Sacramenti ad Confirmationem, ut unanimiter tradunt Doctores, & ſumitur ex Innocentio III. *cap. ultimo de Sacra Unctione.* Et ex Concilio Florentino *in decreto ſuper unionem Græcorum, & Armenorum, in tractatu de Sacramentis.*

Obſervatio.

4. Advertendùm autem eſt ex D. Thoma, *q. 72. art. 2.* illud debere eſſe oleum olivarum: *Eo quod proprietates olei, quibus ſignificatur Spiritus Sanctus, magis inveniantur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo. Unde & ipſa oliva ſemper frondibus virens, viriorem & miſericordiam Spiritus Sancti ſignificat. Hoc etiam oleum propriè dicitur oleum, & maximè habetur in uſu, ubi haberi poteſt. Quilibet autem alius liquor ex ſimilitudine hujus*

oleum

oleum nominatur: neque eſt in uſu communi, niſi in ſupplementum apud eos, quibus deeſt oleum olivarum: & ideò hoc oleum ſolum aſſumitur in uſu hujus, & quorundam aliorum Sacramentorum.

Balſamum neceſſitate præcepti, & quæritur de neceſſitate Sacramenti.

5. Balſamum verò certum eſt eſſe de neceſſitate præcepti ad hoc Sacramentum. An verò ſit etiam de neceſſitate Sacramenti? Alii ajunt, alii negant: non enim eſſe materiam neceſſariam Confirmationis, ſed eam conſtare poſſe, etiamſi ſolum oleum adhibeatur, ſentiunt Cajetanus ad q.72. art.2. Sotus in 4. diſt.7. artic. 12. Navarrus in ſumma, cap. 22. num. 8. Covarruvias lib. 1. variarum, cap. 10. Valentia, Zanardus, Philiarc. Eſthius, Angles, Victoria, Vivaldus, Fernandez, Petrus de Reina, Carillo, Barboſa, Rubeus relati à Diana, tom.3. tr.4. reſolut 23.

1. Sententia.

Ratio pro hac ſententia.

6. Moventur præcipuè hi Authores ad aſſerendum, balſamum non eſſe materiam eſſentialem Confirmationis, quia Innocentius III. *in cap. Paſtoralis. De Sacramentis non iterandis*, conſultus ſuper duabus quæſtionibus, priore: an Subdiaconus ſine manus impoſitione ordinatus, permittendus eſſet miniſtrare? Poſteriore verò: an Sacramentum Confirmationis eſſet iterandum in eo, qui per errorem fuit, non chriſmate, ſed oleo delinitus? Reſpondet: *In talibus non eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerit prætermiſſum.* Ubi manifeſtè docere videtur verum fuiſſe Sacramentum, quod in oleo tantùm fuerit miniſtratum: cum eodem modo ad illas duas quæſtiones reſpondeat: & verum ſit Sacramentum Ordinis abſque manuum impoſitione.

2. Sententia.

7. Dicendum tamen eſt, materiam remotam Sacramenti Confirmationis eſſentialiter conſtare ex oleo olivarum, & balſamo, ita ut ſine utroque Sacramentum validum eſſe non poſſit. Ita videtur ſentire D. Thomas, in art.2. ubi abſolutè affirmat materiam eſſe chriſma ex oleo, & balſamo confectum: & reddit rationem, quare utrumque in hoc Sacramento debeat reperiri. Et 4. *contra gent. cap.* 60. ubi inter ea, quæ ad eſſentiam Confirmationis pertinent, numerat balſamum. Eandem aſſertionem tenent Ledeſma *cap. 2. concluſ.* 8. Nuñus *quæſt.* 82. *art.* 3. Sylvius *art.* 2. pluribus etiam relatis, Suarez, *diſp.* 32. *ſect.* 1. Tannerus *diſp.* 4. *q.* 4. Coninchus, *dub.* 1. *concluſ.* 1. *&* 2. Layman, *lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 2. *dub.* 1. Bonacina, *diſp.* 3. *de Sacramentis, quæſt. unica, punct.* 3. Paludanus *quæſt.* 1. *art.* 2. *in fine, & quæſt.* 2. *aſſert.* 3. Henriquez *cap.* 2. §. 2. Pirigianus *in* 4. *ſent. tom.* 1. *diſt.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 3. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 6. *difficult.* 2. *numer.* 2. Zambranus *de caſibus temp. mort. cap.* 2. *num.* 2. Granado, *tractat.* 1. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *num.* 3. Palaus, *puncto* 2. *num.* 3. Wiggers, Iabat. Gonet, N. Anton. Franciſc. *numer.* 11.

Stabilitur ex Conciliis. 1.

8. Probatur primò ex Conciliis: nam Florentinum *in Decreto* Eugenii: *Secundum*, inquit, *Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ.* Ubi planè docere videtur oleum, & balſamum æque pertinere ad materiam Sacramenti Confirmationis: unde cum conſtet, oleum eſſe materiam eſſentialem, conſtare etiam videtur, & balſamum. Concilium item Colonienſe *in Doctrina de Sacramento Confirmationis*, expreſſè docet balſamum eſſe de eſſentia, & negat ſolum oleum ſufficere ad Sacramenti veritatem. Bene tamen verum eſt, quod hoc Colonienſe Concilium tantùm eſt Provinciale, & non confirmatum à Summo Pontifice, ut advertit Granado ubi proximè.

9. Secundò probatur: quia in Eccleſia fuit *2. Suadetur.*
ſemper hic ritus à tempore Apoſtolorum, ut conſtat ex Fabiano Pontifice, *Epiſtola* 2. *ad Epiſcopos Orientales*: nunquam enim Sacramentum Confirmationis abſque oleo mixto balſamo miniſtratum eſt: quod indicat Chriſti mandatum, & inſtitutionem, & conſequenter materiæ neceſſitatem.

10. Tertiò: quia ad verificandam formam *3. Fulcitur.*
in illis verbis: *Confirmo chriſmate ſalutis*, eſt neceſſarium unguentum, quod ex oleo, & balſamo conficitur: chriſma enim ex accommodatione illorum, qui res divinas tradunt, communi loquendi conſuetudine illud ſignificat, ut ex Catechiſmo Romano viſum eſt ſupra, *n.* 1.

11. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ *Oppoſitæ*
reſpondetur, ſummum Pontificem Innocen- *ſententiæ*
tium voluiſſe breviter ſatisfacere eiſdem verbis *occurritur.*
utrique quæſtioni; non tamen taliter, quod verba eodem modo intelligantur: ad primam quidem, ut ſuppleatur id, quod relictum fuerat, ſcilicet aliquid accidentale: ad ſecundam verò, ut fiat id, quod eſt eſſentiale Sacramento, quia factum non fuerat; non tamen iterentur accidentia. Unde quia prætermiſſa erat unctio chriſmatis ſub ea forma verborum, quæ ſignificant talem unctionem, totum illud deberet iterari, ſaltem ſub conditione, ungendo nimirùm chriſmate ex oleo, & balſamo confecto, & repetendo verba formæ: cæteri verò ritus non eſſentiales minimè iterari deberent.

12. Unde reſolvitur. Qui confirmaret ſine *Illatio 1.*
balſamo, non ſolum peccaret mortaliter, quia faceret contra præceptum, ſed etiam, quia ſe exponeret periculo non conficiendi Sacramentum. Ita bene obſervat Nuñus ubi ſupra, §. *Quartum fundamentum.*

13. Sed inquires: an chriſma debeat neceſ- *Quæſitum*
ſariò eſſe ab Epiſcopo benedictum, ut ſit apta *primum.*
materia Confirmationis? Conveniunt omnes catholici Doctores materiam remotam hujus Sacramenti, ſcilicet chriſma, debere eſſe benedictum; & alioqui Sacramentum eſſe nullum. Ratio eſt Chriſti inſtitutio, uſu & conſuetudine Eccleſiæ declarata, & pluribus Conciliis ubique terrarum celebratis comprobata in Græcia, Niceno I. *Canone* 69. Laodicæno, *Canone* 48. in Italia, Concilio Romano II. ſub Sylveſtro, *Canone* 5. Florentino *in decreto* Eugenii. In Hiſpania, Toletano I. *Canone* 20. Hiſpalenſi II. *Canone* 7. & Bracarenſi I. *Canone* 37. In Africa, Carthaginenſi II. *Canone* 3. In Gallia, Concilio Baſenſi, *Can.* 3. quibus conſentiunt Patres tam Græci, quàm Latini.

14. Congruentia verò adducitur à D. Tho- *Congruen-*
ma, *q.* 72. *art.* 3. Cum enim omnis ſanctificatio *tia pro ſo-*
à Chriſto Domino derivetur: ipſe autem non *lutione.*
fuerit uſus materia Confirmationis, quippè, qui hoc Sacramentum non adminiſtravit: oportet, ut per benedictionem aliquam ſancti-

ficetur, ſeu conſecretur, ſicut decet rem valdè ſacram: quemadmodum è contra qui adminiſtravit Baptiſmum, & Euchariſtiam, ſuo contactu materiam illorum ſanctificavit; & ideò non eſt de neceſſitate horum Sacramentorum, ut materia præſupponatur conſecrata, ſeu benedicta.

Illatio 2. 15. Unde reſolvitur contra Paludanum *in 4. diſt. 7. quæſt. 19. & quæſt. 4. num* 34. Ita eſſe hanc benedictionem de neceſſitate Sacramenti Confirmationis, ut Eccleſia non poſſit diſpenſare, ut chriſma non benedictum, ſit materia ſufficiens ad veritatem Sacramenti: nam ea, quæ pertinent ad eſſentialem conſtitutionem Sacramentorum non ſunt relicta arbitrio Eccleſiæ, neque immutari ab Eccleſia poſſunt. Poteſt tamen Eccleſia his, aut aliis verbis uti in conſecratione chriſmatis, ſi Spiritus Sanctus ad id invocetur: quia à Chriſto Domino præſcripta non fuit ad talem benedictionem certa verborum forma; ſed ſolùm præſcripſit chriſma benedicendum, & conſecrandum divini ſpiritus invocatione. Unde Eccleſia benedictionem auferre nullatenùs poteſt. Ita Granado *ſect.* 2. *num.* 11. Suarez, *diſp.* 33. *ſect.* 2. Coninchus, *quæſt.* 72. *num.* 47. Filliucius, *tract.* 3. *c.* 1. *q.* 6. *art.* 12. Bonacina, *punct.* 3. *verſ. Obſervat.* 2. Layman, *cap.* 2. *dub.* 2. Palaus, *num.* 9.

Quæſitum ſecundum. 1. Sententia. 16. Dubitari verò ſolet, an hæc benedictio Chriſmatis facienda ſit ab Epiſcopo; vel poſſit à ſimplici Sacerdote ex commiſſione Summi Pontificis fieri? Cajetanus, 3. *part. quæſt.* 72. *art.* 2. Victoria *in Summa*, *quæſt.* 43. quos ſequitur Valentia, *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *puncto* 2. nec non Barboſa, 2. *part. de poteſtate Epiſcopi alleg.* 31. probabile reputant ſimplicem Sacerdotem ex commiſſione Summi Pontificis poſſe chriſma benedicere.

Fundamentum ipſius. 17. Fundatur præcipuè, quia poteſt Summus Pontifex ſimplici Sacerdoti committere adminiſtrationem Sacramenti Confirmationis, ut affirmat Concilium Florentinum, & refertur Gregor. XIII. conceſſiſſe in India: ergo poterit committere chriſmatis conſecrationem, utpote ad ipſam adminiſtrationem requiſitam: conceſſo namque uno, conceduntur ea, quæ ad ipſum prærequiruntur, L. *ad rem mobilem, ff. de procuratoribus*, L. *ſi quando*, C. *de inofficioſo teſtamento*, *cap. Præterea. De officio Legati.*

2. Sententia. 18. Nihilominus multo magis placet oppoſitum, nimirùm non poſſe à ſimplici Sacerdote ex commiſſione Summi Pontificis hanc chriſmatis benedictionem fieri; ſed neceſſariò materiam Confirmationis eſſe chriſma ab Epiſcopo Benedictum: Ita omnes Doctores, paucis exceptis, teſte Suarez, *ſect.* 2. *§. In hac re*, Nuñus, *q.* 72. *art.* 3. Coninch. *dub.* 1. *concluſ.* 4. Layman, Bonacina, Granado *num.* 12. Palaus *num.* 7. N. Anton. *ſect.* 3. *num.* 14. N. Gabr. Franciſ. *num.* 24. Et ſumitur ex D. Thom. qui in *art.* 3. abſolutè docet, benedictionem Epiſcopalem chriſmatis eſſe de neceſſitate Sacramenti Confirmationis.

Stabilitur Conciliorum authoritate. 19. Probatur ex Conciliis: Ex Wormatienſi *cap.* 2. his verbis. *Chriſma conficere nullus præter Epiſcopum præſumat.* Et ex Florentino ſub Eugenio IV. *in decreto fidei*, ubi aſſignans materiam confirmationis inquit. Eſt chriſma confectum ex oleo, quod conſcientiæ nitorem ſignificat, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ per Epiſcopum benedictum. Et agens de miniſtro hujus Sacramenti docet eſſe Epiſcopum. Aliquandò tamen ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ ſimplicem Sacerdotem illud miniſtraſſe ex chriſmate per Epiſcopum Benedicto. Quæ verba indicant diſcrimen inter conceſſionem illud miniſtrandi, & conſecrandi chriſma; & illam quidem ab Eccleſia fuiſſe datam, hanc verò nunquam.

20. Ex quo poteſt ſolvi ratio, quæ oppoſitæ ſententiæ favere videbatur, & afferri etiam conjectura diſcriminis: quia confirmationis miniſtratio ſæpe expoſtulat fieri à ſimplici Sacerdote ex diſpenſatione Papæ, ob carentiam Epiſcopi, at chriſmatis confectio raro, vel nunquam, cum unius chriſmatis conſecratio pluribus locis, imò diœceſibus poſſit deſervire, & ex uno loco in alium facili negotio chriſma transferri: illa autem communis regula: *Conceſſo uno, conceduntur ea, quæ ad ipſum prærequiruntur.* Solum habet locum in ſubordinatis eidem poteſtati, ſed benedictio Chriſmatis non ſubordinatur poteſtati Pontificis, ut delegare eam poſſit ſimplici Sacerdoti: eo quod ex Chriſti Domini inſtitutione Epiſcopali ordini ſit annexa. Congruentia verò hujus inſtitutionis fuit major dignitas materiæ hujus Sacramenti, in qua conſecranda decens erat, ut omnes à primis Eccleſiæ Paſtoribus dependerent. Et ſicut in naturalibus producere materiam, aliquid excellentius eſt, quam producere totum compoſitum: eo quod materia non eſt producibilis niſi per creationem: ſic etiam in confirmatione excellentius eſt conſecrare materiam, quam Sacramentum ipſum miniſtrare, nam qui materiam conficit, quaſi ad modum creantis ſe habet, & ideò hoc reſervatur magnis Principibus, ſcilicet Epiſcopo. *Fit ſatis fundamento 1. ſententiæ.*

21. Licet autem graviter peccet Epiſcopus, qui utitur chriſmate alio, quam novo, id eſt illo anno conſecrato, ut colligitur ex *cap. Si quis de conſecratione*, *d.* 4. in quem finem quotannis in die cœnæ conſecratur chriſma, veteri combuſto, Sacramentum tamen validum erit, ſive chriſma ſit novum, ſive vetus, quia Concilium Florentinum exactè deſcribens hujus Sacramenti materiam, tantum expreſſit benedictionem Epiſcopalem chriſmatis, quod verò ſit illa benedictio, hoc, vel illo anno facta, quid accidentarium eſt, non ex Chriſti domini inſtitutione, ſed ex Eccleſiæ tantum præcepto. Ita Suarez *ſect.* 1. in fine, Coninch. *art.* 3. *num.* 49. Bonacina *diſp.* 3. *quæſt. unica puncto* 3. Paludanus *in* 4. *d.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 2. *num.* 19. Barboſ. *num.* 17. Sà *verbo confirmatio*, *num.* 6. Palaus, *num.* 10. & alii. *Confirmationis adminiſtratio cum chriſmate veteri, licet illicita, eſt tamen valida.*

PUNCTUM II.

Quæ ſit materia proxima hujus Sacramenti?

22. Conſtat Materiam proximam Confirmationis eſſe unctionem chriſmatis in fronte per manum Epiſcopi in forma Crucis factam, ex uſu, & traditione Eccleſiæ, & ex variis Conciliorum decretis, præcipuè *Materia proxima confirmationis.*

cipuè Florentini, ſub Eugenio IV. ut latiſſimè probat. N. Dominic. *tom. 5. ſect. 10. cap. 18.*

Uſus materiæ remotæ eſt materia proxima in Sacramentis conſiſtentibus in uſu.

23. Et quidem primò, quod materia proxima confirmationis ſit unctio chriſmatis, liquet ex generali regula Sacramentorum, quæ in uſu conſiſtunt: nam in his proxima materia eſt uſus materiæ remotæ, quia eſt id; quod immediatè per formam ſignificatur.

Unctio in fronte confirmandi facienda eſt.

24. Secundò; quod facienda ſit unctio in fronte confirmandi, traditio docet, & uſus, ſumiturque ex Innocentio III. *in cap. unico de Sacra unctione*, & ex Concilio Florentino *decreto de Armenis*. ubi ſic habetur: *Ideo in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat*. Idque eſſe neceſſarium non ſolum ex Eccleſiaſtico præcepto, ſed etiam quia eſſentiale eſt Sacramento, eo quod inter eſſentialia illius numeratur, & ſervatus eſt ſemper in Eccleſia hujuſmodi ritus, communiter tradunt Doctores, Suarez, pluribus relatis, *diſp. 33. ſect. 3.* Coninch. *concluſ. 5 num. 53.* Layman, *cap. 2. num. 4.* Bonacina, *part. 3. num. 5.* Granado, *diſp. a ſect. 2. n. 14.* Palaus, *puncto 1. n. 5.*

Unctio in formam Crucis fieri debet.

25. Tertiò, quod hæc inunctio in forma Crucis fiat, eſt etiam quid eſſentiale: quia requiritur ad veritatem formæ, *ſigno te ſigno Crucis*. Idque comprobat praxis Eccleſiæ, quæ ſemper confert hoc Sacramentum ungendo frontem ſub ſigno Crucis, ut nimirum non erubeſcat Chriſtianus confiteri Crucem Chriſti Domini, ſeu Chriſtum Crucifixum, quantumcumque fuerit Iudæis ſcandalum, & gentibus ſtultitia. Ut tradit D. Thomas *q. 72. art. 4 ad 3.* Et cum multis Suarez, & Palaus ubi ſupra, Granado, *num. 15.* Filliucius *c. 2. num. 16.* & communiter Thelogi.

Immediatè per manus Epiſcopi ungenda eſt frons Confirmandi.

26. Quartò, debere fieri unctionem iſtam immediatè per manum Epiſcopi, præſcribit Pontificale Romanum, & niſi legitimus miniſter manu propria immediatè frontem confirmandi inungendo tangat, irritum eſſe Sacramentum (quia impoſitione manus à primis Eccleſiæ exordiis conficitur; ut conſtat ex Apoſtolorum uſu) bene tradunt Suarez, *diſp. 33. ſection. 3. in fine.* Coninch *q. 72. art. 3. dub. 1.* Layman, *lib. 5. tract. 3. cap. 2.* Bonacina, *diſp. 3. q. unica, p. 3. num. 5.* Palaus, *p. 3. n. 4.* & alii.

Quo digito manus eſt unctio miniſtranda.

27. Quod verò inunctio fiat pollice manus dextræ, ſolum ex ritu præſcripto ab Eccleſia, & ex conſuetudine habetur. Undè validum eſſet Sacramentum, ſi fieret alio digito, vel manu ſiniſtra, quia verè fieret per impoſitionem manus; peccaret tamen Epiſcopus: quia in hoc diſcederet ab eo, quod Pontificale diſpoſuit, & Eccleſia conſuevit, nimirum ungere pollice manus dextræ. Ita Granado, Palaus, Bonacina, & alii nuper relati, & ob hanc cauſam præcipuè conſecratur pollex Pontificis, ut dixit Durandus, *lib. 6. rationalis, cap. 84.*

Illatio.

28. Ex dictis autem reſolvitur contra nonnullos. Si inunctio fiat medio aliquo inſtrumento, utpotè penicillo, ſeu calamo, nullum eſt Confirmationis Sacramentum: quia debet fieri per impoſitionem manus. Ita præter citatos, Diana, *tractatu 4. de Sacramentis, tomo 3 reſolutione* 28. Reginaldus, *tom 2. lib. 28. cap. 2. num. 20.* Filliucius, *tom. 1. tract. 3. c. 1. num. 17. q. 72. art. 4. concl. 2.*

Quæſitum ſolvitur.

29. Hic quæri ſolet, quænam quantitas requiratur ad unctionem Confirmationis? Cui breviter reſpondetur, in ea quantitate fieri debere, quæ ſufficiat, ut digito Epiſcopi ungatur confirmati frons in figuram Crucis. Ita Suarez. *diſputat. 38.* Bonacina, *diſp. 3. de Sacramentis, quæſt. unica, p. 3. num. 5.* Palaus, *diſp. unica, part. 3. num. 5.*

PUNCTUM III.

Quænam ſit forma Confirmationis?

Confirmationis forma.

30. Forma Sacramenti Confirmationis hæc eſt: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Ita D Thom. ab omnibus receptus, *3. p. q. 7. art. 4.* Et conſtat ex Concilio Florent, *in decreto* Eugenii, & habetur in Pontificali Romano, & in Cathec. Pii V. *parte 2. de Sacrament. Confirmat.* Conſtàt etiam ex uſu, & traditione Eccleſiæ perpetua.

Ratio & congruentia hujus formæ.

31. Ratio eſt Chriſti inſtitutio. Congruentia ſumitur ex tribus neceſſariis, quæ continentur in forma prædicta, quæque Sacramenti Confirmationis naturam, & ſubſtantiam explicant, quorum primum eſt cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt Sancta Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur: *In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Secundum eſt ipſum robur ſpirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ viſibilis ad ſalutem, quod quidem tangitur, cum dicitur: *Confirmo te charismate ſalutis.* Tertium eſt ſignum, quo notatur, is, qui in certamen chriſtianæ militiæ deſcenſurus eſt: ſicut in pugna corporali milites inſigniis Ducum inſigniuntur, & quantum ad hoc dicitur: *Signo te ſigno Crucis.* Ita D. Thomas, & Cathecismus Romanus.

Notabile primum.

32. Duo tamen breviter notari oportet, primum eſt: licet in ſacra Scriptura non legamus hanc formam, non propterea dubitari poſſe de ipſius veritate, & neceſſitate: ſufficit enim perpetua Eccleſiæ traditio, & authoritas, cujus magiſterio ita ſemper edocti fuimus, nec omnia in Scripturis expreſſè contineri debent, cum plura Chriſtus Dominus circà Sacramentorum adminiſtrationem Apoſtolos docuerit, quæ ſola traditione conſtant.

Notabile 2.

33. Secundum eſt: omnem ſubſtantialem mutationem factam in prædictis verbis obſtare veritati hujus Sacramenti, & invalidum illud reddere; non autem mutationem accidentalem, quod quidem patet ex generali doctrina, quam in *tractatu de Sacramentis in genere*, tradidimus.

Non invocare expreſſe ſanctiſſimam Trinitatem eſt mutatio ſubſtantialis.

34. Fieret autem mutatiò ſubſtantialis primò, ſi non fieret expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis invocatio, ſicut in Baptiſmo. Eſt communis ſententia Theologorum, teſte Suarez, *diſp. 33. ſect. 5.* ex junioribus tradunt eam, Coninch. *q. 72. art. 4. n. 69.* Peſant. ibidem, *q. 11. n. 22.* Leyman *lib. 5. tract. 3. cap. 3.* Diana, *tom. 3. tract. 4. reſolut. 27.* Palaus, *diſp. unica, puncto 5. num. 3.*

Ratio 1. hujus aſſertionis.

35. Probatur 1. ex Conc. Florentino ponente eam Trinitatis invocationem expreſſam in forma, & uſu communi Eccleſiæ,

Digitized by Google

36. Secundo: congruentia adducta à D. Thoma, *q 92. art.* 4. quia confirmatio eſt perfectio Baptiſmi: quare ſicut in Baptiſmo Trinitas exprimitur: ita in Confirmatione.

Secunda.

37. Tertiò: quia armatur Chriſti Domini miles in Confirmatione, ut inter alia myſteria, Trinitatem profiteri, & adverſus diabolicos exercitus tueri non erubeſcat.

Tertia.

38. Secundò fieret mutatio ſubſtantialis, ſi omitteretur verbum *Signo*, aut verbum *Confirmo*, utrumque enim eſt eſſentiale, ut ex communi docent Suarez, *ſect.* 5. Granado, *diſp.* 3. *n.* 3. Filliucius, *cap.* 1. *n.* 21. Bonacina, & Diana, & Palaus ubi ſupra, favet Florentinum ponens utrumque, Sic etiam 1. Corinth. 5. utrumque ponitur: *Qui confirmat nos, & qui ungit nos Deus.*

Mutatio ſubſtantialis 2.

39. Ratio eſt, quia altero eorum dempto tollitur ſubſtantialis ſignificato: nam *ſigno* ſignificat actionem miniſtri conſignantis, qui quoniam multa poſſet ſignificare, determinatur per ſequentia (*ſigno Crucis.*) *Confirmo* deindè explicat materiam, & effectum: materiam quidem addendo *chriſmate*: effectum ſignificando Confirmationem internam, quam cauſat, ideò utrumque neceſſarium.

Mutatio ſubſtantialis 3.

40. Tertiò fieret mutatio ſubſtantialis, ſi omitteretur propomen *te*: quia eſt eſſentiale, ut exprimatur ſubjectum. Ita Suarez, Bonacina, Diana, Coninchus, & alii.

Mutatio ſubſtantialis 4.

41. Quartò fieret mutatio ſubſtantialis, ſi omitterentur illa verba: *Signo Crucis*: ut ſi dicas *ſigno te, & confirmo chriſmate ſalutis*: quia videtur eſſentiale exprimere ipſum ſignum militare, quo confirmandus inſignitur, ut magis ipſius menti imprimatur, & explicitè proteſtetur, quod non erubeſcat Crucem. Ita Suarez, Coninchus, Palaus, Diana ubi ſupra.

Mutatio ſubſtantialis 5.

42. Quintò fieret mutatio ſubſtantialis, ſi omitterentur illa verba: *Chriſmate ſalutis*: ut ſi dicas *ſigno te ſigno Crucis, & confirmo in nomine Patris, &c.* quia ſolo verbo *confirmo*, unctio non exprimitur, ſicut per verbum *baptizo*, exprimitur lotio. Ita Suarez, Coninch. Diana, & licet hic poſterior ſolum dicat probabiliter eſſe neceſſarium verbum *confirmo*, addere *chriſmate ſalutis*, ſaltem eſt certum graviter peccaturum, qui verba *chriſmate ſalutis* omitteret, & Sacramentum fore ſub conditione repetendum, ut benè tradit Coninchus.

Mutatio ſubſtantialis 6.

43. Sextò formam ſubſtantialiter mutaret, qui loco verbi *confirmo*, diceret, *ungo*, vel *ſigno*: quia illis verbis non exprimeret præcipuum hujus Sacramenti effectum, qui eſt robur ad fidem palam confitendam, & propugnandam. Ita Palaus.

Mutatio accidentalis.

44. Econtrà verò eſſet mutatio ſolum accidentalis, ut ſi loco verbi *confirmo*, diceretur, *corroboro*, ut docent Sotus *in 4. diſt. 7. q. unica, art.* 4. Granado *de Sacramento Confirmationis, diſp.* 3. *n.* 3. & alii, aut loco *ſalutis* diceretur *ſanctificationis*, ut tradunt Div. Thomas *art.* 4. *ad* 1. Valentia, *puncto* 3. *in ſolutione ad* 2. & alii communiter.

CAPUT TERTIUM.

De effectu, & ſubjecto Confirmationis, ac diſpoſitione ad illam.

CAPUT HOC TRIA CONTINET PUNCTA.

P. 1. *Quinam ſint effectus Sacramenti Confirmationis?*

P. 2. *Quodnam ſit illius ſubjectum?*

P. 3. *Quænam diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente illam?*

PUNCTUM I.

Quinam ſint effectus Sacramenti Confirmationis?

Triplex Confirmationis eff.

1. TRes hujus Sacramenti effectus communiter aſſignantur, 1. character, 2. gratia, 3. cognatio ſpiritualis inter confirmatum & patrinum.

1. Effect.

2. Quoad 1. certum eſt à Confirmatione imprimi characterem, ut conſtat ex Florentino *in decreto* Eugenii, & ex Tridentino, *ſeſſione 7. de Sacramentis in genere, canone* 9. ubi etiam definitur ratione huius characteris Confirmationem iterari non poſſe. Hic autem Confirmationis character à characteribus Baptiſmi, & Ordinis ſpecie diſtinguitur, ut patet ex dictis, *tractatu 1. de Sacramentis in genere, cap. 6. dub.* 6. & in toto illo capite *De pluribus*, quæ ad characteres ſpectant, egimus.

2. Effect.

3. Quoad 2. conſtat etiam Sacramentum Confirmationis, utpotè Sacramentum vivorum per ſe loquendo conferre gratiæ augmentum, dummodo diſpoſitio requiſita non deſit, ut docet D. Thom. *artic.* 7. & omnes Doctores catholici, ſumiturque ex generali doctrina tradita, *tract. 1. de Sacramentis in genere.*

Confirmatio per accidens 1. gratiam confert.

4. Per accidens vero aliquando primam gratiam confert, ut ſi credens, quis ſe eſſe contritum, cum tamen ſolum ſit vere attritus, aut ſaltem invincibiliter credens licere accedere cum ſola attritione ſupernaturali, & verè illam habens, Sacramentum recipiat: hic enim primam gratiam recipit, quoniam attritione ſupernaturali peccatum deteſtans, ad illius remiſſionem ſe diſponit, & ex alia parte Sacramentum ſuſcipit credens, ſe eſſe ritè diſpoſitum, atque adeo obicem non ponit Sacramento, quod tametſi per ſe ſit vivorum, primam tamen gratiam per accidens confert non ponentibus obicem. Ita D. Thomas, *in ſol. ad* 2. Suarez, *diſp. 24. ſect. 2. verſ. Occurrit verò.* Granado *tractatu 3. num.* 7. Petrus de Ledeſma, *cap. 5. concl.* 3. Layman, *lib. 5. cap.* 4. Bonacina cum multis, *diſp. 3 quæſt. unica, puncto 4. num.* 7. Palaus, *punct. 6. num.* 1.

n. 1. & eſt valdè recepta ſententia inter Theologos.

Quid efficiat gratia ut eſt effectus Confirmationis.

5. Prætereà gratia, ut eſt effectus Confirmationis, modo quodam ſpeciali confert robur, ut confirmatus audacter Chriſti nomen confiteatur, & Crucem ejus, ut docet Concilium Florentinum in *decreto* Eugenii: Deus enim per auxilium gratiæ Sacramentalis ſpecialius adjuvat confirmatum, cæteris paribus, quam non confirmatum ad prædictos effectus. Iſta autem habitudo ad divinum auxilium ſpeciale, in ipſa gratia collata per Sacramentum, non eſt ſolum extrinſeca denominatio per ordinem ad cauſam, ſed eſt modus quidam intrinſecus, ratione cujus reſpondet ipſi gratiæ connaturaliter auxilium ſpeciale, ſivo ſpecialis providentia Dei: & ratione hujuſmodi intrinſeci differt gratia Sacramentalis etiam permanenter à gratia communiter dicta, & differunt etiam ipſæmet gratiæ Sacramentales inter ſe, ut ex D. Thoma. *tract.* 1. *de Sacramentis in genere*, *cap.* 5. *à num.* 24. deinceps à nobis dictum eſt.

Gratia Confirmationis excellentia.

6. Ut autem appareat, quanta ſit excellentia gratiæ, quæ per Sacramentum Confirmationis confertur, obſervanda eſt doctrina Canonis, *Noviſſime, de conſecratione, diſt* 5. ubi habetur, quod per unctionem, quæ fit in Baptiſmo in vertice capitis, intelligitur Spiritus Sancti deſcenſio ad habitationem, ſed in Confirmatione declaratur Spiritus Sancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis, & ſcientiæ, & virtutis in hominem venire. Item doctrina D. Thomæ, *quæſt.* 72. *art.* 7. ubi dicitur, quod in Confirmatione datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, ſicut Apoſtolis datus eſt in die Pentecoſtes. Unde virtutem Confirmationis ex his, quæ Apoſtolis evenerunt, declarandam docet Cathecismus Romanus, *parte ſecunda* de Sacramento Confirmationis, *n.* 17. *Si Paſtores*, inquit, *voluerint divinam hujus Sacramenti efficaciam oſtendere, ſatis erit, quod ipſis Apoſtolis evenerit explicare: illi enim antè Paſſionem, vel ſub ipſam paſſionis horam adeo infirmi, & remiſſi fuerunt, ut cum Dominus comprehenſus eſt, ſtatim ſe in fugam conjecerint, Petrus verò unius mulierculæ voce perterritus ſe Ieſu Chriſti Diſcipulum eſſe, non ſemel, aut iterùm ſed tertio negaverit, ac poſt Reſurrectionem omnes propter metum Iudæorum incluſi domi ſe continuerint. At vero in die Pentecoſtes tanta Spiritus Sancti virtute omnes repleti ſunt, ut dum Evangelium, quod eis commiſſum erat, non ſolùm Iudæorum regione, ſed univerſo orbe audacter, & libere diſpergerent, nihil ſibi fœlicius accidere poſſe exiſtimaverint, quam quod digni haberentur, qui pro Chriſti nomine contumeliam, vincula, tormenta, Cruces perferrent.*

7. Hanc ipſam etiam admirabilem Sacramenti Confirmationis virtutem pulcherrimè indumenti tranſlatione ſcriptura ſignificavit, & expreſſit Lucæ 24. *verſ.* 29. Inquit enim Dominus Salvator cum de hoc Sacramento, ut idem Cathecismus docet, loqueretur. *Sedete in civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto.*

3 Effectus Confirmationis.

8. De tertio verò Confirmationis effectu, qui eſt cognatio ſpiritualis, in tractatu de matrimonio, Deo dante agemus, dum de illis impedimentis ſermonem inſtituemus.

PUNCTUM II.

Quodnam ſit ſubjectum Sacramenti Confirmationis?

Subjectum hujus Sacramenti.

9. CONveniunt Doctores validè Confirmari omnes, & ſolos baptizatos nondum confirmatos, conſtatque ex uſu, & traditione Eccleſiæ: & quia omnes indigent ejus effectu, & ſunt capaces.

Quæſtio.

10. Dubitant verò an ſit conveniens illud miniſtrare infantibus, amentibus, & morituris baptizatis, & nondum confirmatis?

Reſponſio.

11. Et quidem de infantibus dicendum eſt, minus expedire per ſe, ac regulariter loquendo in hoc tempore confirmare illos ante uſum rationis, qui ſeptennio præſumitur. Ita Cathecismus Romanus. 2. *de Sacram. Confirmat.* *cap.* 3. *num.* 14. ubi ſic ait: *Illud obſervandum eſt, omnibus quidem poſt Baptiſmum Confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari; ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint, quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, uſque ad ſeptennium certe hoc Sacramentum differre maximè convenit.* Ita etiam docent Sylveſter *verbo, Confirmatio. n.* 4. Paludan. *in* 4. *d.* 7. *q.* 4. *num.* 10. Sotus ibidem, *art.* 8. Suarez. *diſ.* 35. *ſect.* 2. Coninch *q.* 72. *art.* 8. *n.* 79. Laym. *lib.* 5. *ſumma tract.* 3. *c.* 5. *n.* 2. Bonacin. *de Sacramentis, q. unica, puncto* 4. *num.* 5. Henriq. *lib.* 3. *ſumma, c.* 5. §. 2. Tannerus, *tom.* 4. *diſp.* 4. *q.* 4. *dub.* 2. Barboſ. *allegatione* 30. *num.* 17. Granado *tractat.* 2. *diſp.* 2. *n.* 9. Palaus, *p.* 7. *n.* 4.

Suadetur 1.

12. Probatur primò: quia hoc Sacramentum uſque ad ſeptennium differre invaluit conſuetudo, ſaltem majori ex parte, & eam approbant Concilium Colonienſe 1. *par.* 7. *cap.* 9. in tomo 4. Conciliorum, & Concilium Aurelianenſe ibidem relatum *de conſecratione, diſt.* 5.

Fulcitur ſecundo.

13. Secundò: quia ſic decentius ſuſcipitur, & cum majori fructu, & abſquè periculo iterationis.

Probatur tertio.

14. Tertiò: quia Sacramentum Euchariſtiæ eſt majoris utilitatis, & tamen jam non licet illud conferre infantibus: quia illud, ut par eſt, revereri non poſſunt: ergo ſaltem erit convenientius, ut illis non conferatur confirmatio, quæ nullo modo cadit ſub præceptum per ſe loquendo.

Uſus antiquus in Confirmatione conferenda.

15. Dictum eſt autem in concluſione: *Minus expedire in hoc tempore*; quia fuit uſus antiquus in Eccleſia concedendi Confirmationem ſtatim poſt Baptiſmum receptum, ut pluribus relatis tradit Suarez, *diſp.* 35. *ſect.* 1. *in fine*. Et tempore Ang. Doctoris D. Thom. videtur in more puſitum, ut confirmarentur infantes ante uſum rationis, ut obſervant Petrus de Ledeſma, *de Sacram. Confir. c.* 7. & Granado ubi ſupra, atque ita tunc erat expediens.

Cauſa 1. *propter quam Confirmatio ante uſum rationis poteſt conferri.*

16. Additum eſt etiam in concluſione, *Minus expedire per ſe, ac regulariter loquendo*: quia ſi juſta cauſa ſubſit expediens erit confirmari pueros ante uſum rationis, ut primo propter diuturnam futuri Epiſcopi abſentiam, vel ſi ob aliam cauſam probabiliter timeatur, longo tempore poſt uſum rationis Confirmationem eſſe differendam. Ita Filliucius *de Sacramento Confirmationis, cap.* 2. Suarez, *diſp.* 35. *ſect.* 2. *verſ. Utraque.* Coninch. *q.* 72. *art.* 8. *num.* 81. Layman, *lib.* 5. *tract.*

Digitized by Google

tract. 3. t. 5. q. 1. Palaus *punct. 7. n. 5.* præſtat enim tempus prævenire: quam ſupra dicto periculo exponi,

2. Cauſa. 17. Secundò: ſi timeretur infans ſinè Confirmatione moriturus. Ita Nuñus, Suarez, Filliucius, Layman, Coninch. Palaus, & alij: quia melius eſt carenti rationis uſu confirmationem concedi, quam perpetuo ipſum ea privari.

3. Cauſa. 18. Tertiò ſi aliquibut nationibut ad huc viget uſus confirmandi pueros antè uſum rationis, quia *in c. Omnes de conſecrat. diſt. 5.* habetur: *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni chriſtiani inveniantur,* quod intelligitur ſecundum Eccleſiæ ritum pro tempore, & loco: & ideo inquit Sotut *in 4. diſt. 7. art.* 8. ſi aliquibut rationibut uſus eſt confirmare infantes, illic confirmentur: quia prohibitio univerſalis Eccleſiæ nullibi legitur.

19. Et pro hujuſmodi caſibus accipiendum eſt, quod Pontificale Romanum ſupponit, nimirùm interdum pueros antè uſum rationit confirmari: ait enim infantes, qui confirmandi adducuntur, teneri debere à patrinis in brachiis, quod planè non diceret de infantibus jam utentibus ratione.

Dubium incidens. 20. Sed inquiret: an ſine aliqua rationabili cauſa confirmare pueros antè uſum rationis, ſit hoc noſtro tempore peccatum?

1. Sent. Primò: aliqui dixerunt eſſe mortale propter conſuetudinem expectandi uſum rationis: ſed immeritò: quia hæc conſuetudo non videtur eo rigore introducta eſſe, ut benè docent Petrut de Ledeſma, ubi ſupra. Nuñus, *q. 72. art 4. concluſ.* 4. Palaus, *puncto 7. num.* 5. & alii paſſim.

2. Sent. 21. Secundò alii dixerunt eſſe peccatum veniale: ita fatetur idem Nuñus ubi ſupra *in ſolutione ad* 2. & idem amplecti videtur Valentia, *q. 2. de confirmatione, puncto* 2. quatenus abſolutè negat pueros eſſe confirmandos antè uſum rationis, & favet Petrus de Ledeſma *in ſumma de Confirmatione, cap.* 7. quatenus ait, oportere infantes non confirmari, licet non ſit peccatum mortale: indicat ergo eſſe veniale, & ſimiliter Suarez, *diſp.* 35. *ſect.* 2. *§. Utraque*, quatenus ait, non admodum peccaturum Epiſcopum, ſi ex ſola benevolentia confirmet infantem, ex quo videtur inferri aliquantulum ſaltem peccaturum, ac proinde venialiter.

3 Sent. 22. Tertiò: Granado *tract. 2. diſp. 2. n. 4. & n.* 10. alios referens: putat etiamſi ſinè cauſa fieret, non eſſe peccatum: quia nullum, inquit, eſt præceptum non confirmandi puerot antè uſum rationis. Et conſuetudo, ut ante uſum rationis non confirmentur, non eſt inducta, ut obligatoria, ſed ſolum ut maximè expediens, & pro hac ſententia refertur Bonacin. *de confirmat. diſp. 3. q. unica, punct. 4. n.* 5. ubi ait Sacramentum Confirmationis conferri poſſe, non ſolùm adultis, verum etiam pueris nondum uſum rationis habentibus, meliut tamen eſſe conferre pueris poſtquam ad rationis uſum pervenerunt, ut recordentur ſe hoc Sacramentum recepiſſe, ne iterum recipiant, & hoc uſu receptum videri. Hæc ille, & Antoninus Genuenſ. *in praxi, cap. 54. num.* 3. affirmat puerum trium annorum hodie confirmari poſſe: quia malitia multum crevit, & quia diligenter nomina confirmatorum deſcribuntur. Hæc autem tertia ſententia videtur probabilis, ſecluſo tamen iterationis Sacramenti periculo: nam ubi prudenter ea iteratio timeri poſſit, temput prævenire, culpâ minimè carebit.

23. Perpetuò autem amentibus confirmationis Sacramentum conferendum eſt: quia eſt maximè utile, & nulla eſt in eis mala diſpoſitio, vel impedimentum, neque eſt eis denegandum, vel quia ejus voluntatem nunquam habuerunt: nam pro carentibus perpetuo uſu rationis ſufficit voluntas Chriſti & Eccleſiæ: val quia denegatur infantibut, quia carent uſu rationis, nam ideſt, quia creduntur rationis uſum habituri, quæ ſpes ceſſat in perpetuò amentibus, vel quia nunquam ſint ſpiritualiter pugnaturi, quia hoc eſt per accidens, expeditque ut conferatur illis, ut in reſurrectione appareant perfecti ſecundum illud ad Ephel. 4. *Donec occurramus in virum perfectum, &c.* Ita Nuñus, *3. p. q. 72. art. 8. concluſ.* 7. dicens eſſe expreſſam ſententiam Div. Thom. *in ſolut. ad* 4. ubi dicit, quod etiam proximè morituris eſt dandum hoc Sacramentum, ut in Reſurrectione appareant perfecti. Idem etiam tenent Suarez, *diſp. 35. ſect. 2. verſ. Dicendum.* Bonacina, multis relatis, *diſp. 3. q. unic. punct. 4. n* 6. Sylvius, *3. p. q. 72. art.* 8. Coninch. ibidem, *num.* 83. Pitigian *in 4. ſentent. tom. 1. diſt. 7. q. 1 art.* 8. Filliuc. *tom. 1. tract. 3. cap. 2. num.* 38. Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 6. difficult. 6. n.* 2. Barboſa, *2 p. de poteſtate Epiſcop. allegat.* 30. *d.* 21. Layman, *lib. 5. ſum. tract. 3. cap. 5. q.* 2. Zambran. *de caſ. ſemp. mortis, cap. 2. dub. 5. n.* 3. Diana, *tom. 3. tract.* 4. *reſol.* 20. Palaus. *p. 7. n.* 8. contra Valentiam. *tom. 4 diſp. 5. q. 2. p.* 2. Sotum *in 4. diſt. 7. q. unic. art.* 8. Petrum de Ledeſma *de Sacram. Confirmat. c.* 7. & contra alios. *Conferenda eſt confirmatio perpetuè amentibus.*

24. Quod ſi hi aliquando uſum rationis habuerunt, idem dicendum eſt, niſi conſtet alioquin in peccato mortali in amentiam incidiſſe: ſufficit enim interpretativa voluntas, quæ cenſetur adeſſe in quolibet Chriſtiano erga beneficia ſuæ ſalutis, dum de contraria voluntate non conſtat Ita Laym. Nuñus, Diana, Palaus, & aliis ubi ſup. & in bis eſt & alia ſpecialis ratio: quia fortaſſe mediante hoc Sacramento juſtificabuntur. *Quid dicendum cum rationis uſum habuerunt.*

25. Morituris denique Confirmatio per ſe loquendo miniſtranda eſt: quia capaces ſunt recipiendi gratiæ plenitudinem, expeditque ut conferatur illis, ut habeant majorem gloriam, & ſi fortè pugna non ſit, id eſt per accidens. Ita D. Thom, *quæſt. 72. art. 8. ad* 4 Coninch. ibid. *num.* 83. Suar. cum multit, *diſp. 35. ſect. 2. in fin.* Laym. *t. 5 q. 3.* Palaus, *punct. 7. n.* 10. Per accidens tamen ſæpe morientes non confirmantur, non quia expediat; ſed quia non poteſt commodè fieri, eo quod ſingulos morientes adire Epiſcopis non vacet. Ut enim in ſimili dixit Innocent. *in epiſt. 1.* ad Decennium: *Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus, aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt.* Quæ verba dixit Innocentius de Extrema unctione, habent tamen eandem veritatem ad Confirmationem applicata. *Per ſe loquendo conferendis eſt hoc Sacramentum morituris.*

PUNC-

Digitized by Google

PUNCTUM III.

Quænam diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente Sacramentum Confirmationis?

Diſpoſitio in non habentibus uſum rationis. 26. IN his quidem qui nunquam rationis uſum habuerunt, ſivè parvuli, ſivè adulti ſint, nulla alia diſpoſitio requiritur ad hoc Sacramentum cum gratiæ fructu recipiendum, quam quod baptizati, & non confirmati ſint, ut communiter tradunt Doctores.

Diſpoſitio in adultis, ratione utentibus. 27. In adultis verò ratione utentibus, qui baptizati, & non confirmati ſunt ad characterem quidem recipiendum ſufficit voluntas recipiendi confirmationem, eodem planè modo quo de Baptiſmo dictum eſt. Ad recipiendum verò gratiam per ſe loquendo ulterius requiritur gratia in ſuſcipiente: quia cum in Confirmatione augeatur gratia, & augmentum debeat ſupponere id, quod augetur, utique etiam ſupponere debebit gratiam. Ideòque ſi quis poſt Baptiſmum non eſt infectus culpa læthali ſatis erit diſpoſitus, ſi voluntatem tantum habeat recipiendi Sacramentum; quæ quidem voluntas, ſivè conſenſus non tam per modum diſpoſitionis ad effectum Sacramenti, quam per modum intentionis, & voluntatis neceſſariæ ad valorem Sacramenti in prædictis adultis exigitur: ex decentia etiam, & ex congruitate oportet, ut hoc Sacramentum cum debita attentione, & devotione ſuſcipiant. Unde fit in homine grato, ſi mortaliter non peccet, non poſſe impediri hunc effectum, ſi Sacramentum validum eſt; interveniente autem peccato mortali impediri poteſt ex obice recipientis, in quo differt hic effectus ab effectu characteris, qui impediri nullo modo poteſt, ſi validum eſt Sacramentum. Ita Suar. *diſp.* 34. *ſect.*2. Filliuc. *de Sacram. Confirm. c.*3. & paſſim Doctores.

28. Si autem poſt Baptiſmum peccavit quis mortaliter, per ſe loquendo opus illi erit vel contritio, vel attritio cum confeſſione: his enim modis amiſſa gratia reparatur. Præmittere verò confeſſionem Sacramentalem, etſi ſalubre conſilium ſit *ex cap. Ut jejuni de conſecrat. d.* 5. ſpecialiter tamen non tenetur: quia neque ex natura rei, neque ex ullo præcepto divino, aut Eccleſiaſtico hæc obligatio colligi poteſt. Ita Suar. Filliuc. Pala. & alii communiter. *Diſpoſitio in his qui poſt Baptiſmum deliquerunt.*

29. Per accidens verò ſatis erit ſupernaturalis attritio modo ſup. *num.* 4. explicato, ut cum D. Thom. & multis ibidem dictum eſt.

30. Sed inquires an ſi homo poſuit obicem effectui gratiæ hujus Sacramenti per peccatum, & poſteà tollat obicem, reſtituatur hic effectus, ſicut dictum eſt de Baptiſmo ſup. *tract.* 1. *cap.* 5. *punct.* 5. Reſpondetur affirmativè, & ita ſentire videtur D. Thom. *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 3. *art. quæſt.* 3. *ad* 3. ubi in Sacramentis, quæ imprimunt characterem, concedit efficaciam, cauſandi gratiam recedente fictione: & idem docent Palud. Sylveſt. Suarez, Villalob. Lugo Coninch. Cajetan. Joannes Gonzales, Petrus de Soto, Cabrera, & alii, *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 67. à nobis relati contra Dominicum Sotum *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 8. *Quæſitum.* *Enodatur.*

CAPUT QUARTUM.

De miniſtro, ritibus, & Patrino Confirmationis, & an ſit obligatio ſuſcipiendi illam?

PRÆSENS CAPUT QUATUOR AMPLECTITUR PUNCTA.

P. 1. *Quis ſit Confirmationis miniſter, & quid requiratur, ut licitè præſtet ſuum officium?*

P. 2. *Quibus cæremoniis miniſtrandum eſt,*

P. 3. *De Patrino Confirmationis.*

P. 4. *An, & qualis ſit obligatio ſuſcipiendi hoc Sacramentum?*

PUNCTUM I.

Quis ſit Confirmationis miniſter? & quid requiratur, ut licitè præſtet ſuum officium?

1. concluſio. 1. SOlus Epiſcopus hujus Sacramenti conficiendi eſt ordinarius miniſter. Ita definitur in Trident. *ſeſ.* 7. *can.* 3. *de Confirm.* Et habetur in Florent. *in decreto* Eugenii. Idque ex ſacris litteris, ex maximorum Pontificum decretis, & Sanctorum Patrum teſtimoniis oſtendit Catechiſmus Romanus, *part.* 2. *de Sacrament. Confirmat. num.* 1. Nec non pulchra ſimilitudine declarat ibidem. Etenim in extruendis ædificiis, etſi fabri, qui inferiores miniſtri ſunt, cementa, calcem, ligna, & reliquam materiam parant, atque componunt: abſolutio tamen operis ad architectum ſpectat: ita etiam Confirmationis Sacramentum, quo veluti ſpirituale ædificium perficitur, à nullo alio, niſi a ſummo Sacerdote adminiſtrari opus erat.

2. Epiſcopus autem verus quoad conſecrationem, quamvis ex communicatus, vel hæreticus, vel etiam degradatus, validè, tametſi illicitè, Confirmationis Sacramentum adminiſtrat: quia characterem ordinis, à quo hæc provenit poteſtas, non amittit. Ita Suarez, *diſp.* 36. *ſect.* 3. *verſ. Dicendum*, Sa, *verb. Confirmatio.* Reginald. *q.* 72. *art.* 8. *n.* 19. Coninch. *q.* 72. *art.* 11. *n.* 103. Nuñus, ibid. *dub.* 3. Henriq. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Filliucius, *tract.* 3. *c.* 2. *q.* 3. *n.* 29. Bonac. *de Sacrament. diſp.* 3. *part.* 2. *n.* 7. Barboſ. *allegat.* 30. *de poteſt. Epiſcop. num.* 2. Palaus, *punct.* 9. *num.* 2. Unde reſolvitur. *2. concluſio*

3. Primò, Abbas, qui non eſt Epiſcopus, non poteſt confirmare. *Corol.* 1.

4. Secundò, Epiſcopus nondum conſecratus, non poteſt confirmare, quamvis ſit electus ad Epiſcopatum. *Corol.* 2.

Tertium. 5. Tertiò, Epiſcopus conſecratus, ſed non confirmatus, validè confirmat: nam habet characterem ordinis Epiſcopalis.

Quartum. 6. Quartò: licet ex præcepto unuſquiſque Epiſcopus teneatur non confirmare alienas oves, neque uſurpare alienam juriſdictionem; tamen quia illa juriſdictio non eſt de ſubſtantia hujus Sacramenti, quod non per modum judicii, ſed per modum cujuſdam conſecrationis exercetur, ideò licet malefaciat, & contra jus alterius, Sacramentum tamen factum tenet. Et univerſaliter verus Epiſcopus quoad poteſtatem ordinis ſemper validè conficit Sacramentum Confirmationis, ſi adhibeat materiam, & formam, & intentionem debitam: Eccleſia autem tantum poteſt prohibere uſum ejus; non autem efficere, ut actus validus non ſit, ſi à vero miniſtro, modo dicto, fiat. Et hæc eſt, communis ſententia Doctorum, teſte Suarez, *loco citat. ſect.* 3. & Filliucius *de Sacrament. Confirmat. cap.* 2. *num.* 29. & eam eruditè firmat Ledeſma, *cap.* 9

3. Concluſio. 7. Simplex Sacerdos ex commiſſione Summi Pontificis poteſt Sacramentum Confirmationis conferre. Sic D. Thom. in *art.* 11. *ad* 1. Nuñus, *ibidem*, Capreolus *in* 4. *diſt.* 7. Ferra, 4. *contra gen. c.*60. Suar: cum multis, *diſp.* 36 *ſect.* 2. & teſte Coninch. *ibidem*, & eſt jam communis ſententia Theologorum contra Duran. *in* 4. *diſt.* 7. *quaſt.* 4. Eam etiam tradunt Navarr. *c.* 22. §. 8. Covarru. *lib.* 1. *variar. cap.* 10. Qui refert alios juris peritos: & ex recentioribus Filliucius, *cap.* 2. Granado, *tract.* 2. *diſp.* 1. Layman, *lib.* 5. *tract.* 3. *cap* 6. Bonac. *diſp.* 3. *de Sacram. quaſt. unica, punct.* 2. *num.* 3. Palaus, *punct.* 9. *num.* 3. & fusè doctiſſim. P. N. Dominic. & alii.

Suadetur primo. 8. Probatur primo, ex facto D. Gregorii, *lib* 3. *epiſt.* 26. (quòd refertur *in cap. Pervenit* 95. *diſt.*) qui hujuſmodi facultatem conceſſit Preſbyteris Sardiniæ, quando deſunt Epiſcopi: ad quod licet aliqui variè reſpondeant, nulla tamen videtur reſponſio ſufficiens, ut pluribus firmat Suar. *ubi ſup.* Conſentit Concil. Florent. *in decreto* Eugenii dicens, aliquando per diſpenſationem Apoſtolicæ Sedis id conceſſum fuiſſe. Supponitur in Concil. Senonen. *in decretis morum. cap.* 38. & ſatis indicatur à Trident. aſſerente, Epiſcopum eſſe ordinarium hujus Sacramenti miniſtrum: cum enim dicit ordinarium, ſupponit alium eſſe poſſe ex ſpeciali commiſſione, & delegatione. Et Greg. XIII. refertur diſpenſaſſe cum Sacerdote in India.

Probatur 2. 9. Secundò probatur ratione. Quia potuit Chriſtus dare poteſtatem Sacerdoti remotè ex vi ſuæ ordinationis, ut ſcilicet ex commiſſione ſolius Papæ poſſet eſſe miniſter, proximè verò ſoli Epiſcopo: id enim nullam involvit repugnantiam. Quod autem ita egerit, colligimus à poſteriori: quia ex una parte habemus, Epiſcopum jure divino eſſe ordinarium miniſtrum: ex alia, exempla Summorum Pontificum, qui id ſimplici Sacerdoti commiſerunt, & teſtimonia Conciliorum, quæ affirmant, id eos commiſiſſe; & hic inſtitutionis modus convenientior fuit, ne ob defectum Epiſcoporum plures hoc Sacramento privarentur. Unde reſolvitur.

Illatio 1. 10. Primò, Papa hujuſmodi commiſſione non mutat eſſentiale hujus Sacramenti: quia eſſentialis hujus Sacramenti miniſter non eſt ſolus Epiſcopus, ſed vel hic, vel ſimplex Sacerdos habens talem Summi Pontificis commiſſionem. Ita Nuñus, *q.* 72. *art.* 11. *dub.* 2. *in ſolut. ad* 1. Coninch. *ubi ſup. num.* 107. & alii.

11. Secundò, Confirmatio eſt actus ordinis, *Illatio* 2. aut Epiſcopalis, ſi fiat poteſtate ordinaria, aut Sacerdotalis, ſi fiat ex commiſſione Papæ. Ita Doctores citati.

12. Tertiò, ſimplex Sacerdos ſine tali com- *Illatio* 3. miſſione, nulla conſuetudine poteſt præſcribere, ut validè confirmet, ut patet ex *cap. Quanto, de conſuetudine*: quia poteſtas ordinis nulla conſuetudine adquiritur. Ita Coninchus.

13. Quartò, talis Sacerdos nullum poteſt *Illatio* 4. validè confirmare, cujus confirmatio ei à Summo Pontifice commiſſa non eſt. Ita Doctores communiter.

14. Quintò, Papa verè electus, nondùm verò *Illatio* 5. ordinatus, poteſt dare facultatem Sacerdoti adminiſtrandi hoc Sacramentum: quia eſto, confirmare ipſe non poſſit, confirmandi tamen poteſtatem concedere poterit: quia talis conceſſio non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis; ſicuti Epiſcopus nondum ordinatus Sacerdos, poteſt dare jus abſolvendi, quamvis ipſe per ſe abſolvere non poſſit. Ita Suarez, *ubi ſup. verſic. Solet*, Coninch. *n.* 109. Laym. *dict. c.* 6. *canon.* 2. *in fin.* Palaus, *diſp. unic. punct.* 9. *n.* 9.

15. Sexto, ut Summus Pontifex, licitè con- *Illatio* 6. cedat hanc Sacerdoti facultatem, requiritur juſta cauſa, ut innuit Concil. Florent. ſine hac tamen valida eſſet conceſſio, ſuumque effectum haberet, ut docent Suarez, ubi ſupra, *verſ. Tertia pars*. Nuñus, *q.* 72. *art.* 11. Coninch. *num.* 110. Henriquez, *lib.* 3. *c.* 6. *n* 4. Layman, *c.* 6. *aſſert.* 2. Palaus *ubi ſup. n.* 5. Non enim credendum eſt, Chriſtum Dominum ſuo Vicario hanc poteſtatem reliquiſſe pro ſolo caſu urgentis neceſſitatis: quia eſſet grave periculum ſæpè efficiendi irritum Sacramentum, & multi innocentes ſine ulla ſua culpa graviſſimum damnum acciperent, quod non eſt credendum, Chriſtum Dominum voluiſſe. Neque iſta Summi Pontificis conceſſio eſt, propriè loquendo, diſpenſatio in lege divina (quæ ſine juſta cauſa invalidè ſit; ſed eſt quædam commiſſio, & electio, ut talis Sacerdos efficiatur miniſter hujus Sacramenti: largè autem appellatur diſpenſatio, quia eſt conceſſio facultatis extraordinariæ, & præter communem uſum.

16. Septimò: ſi moriatur Papa, non ceſſat *Illatio* 7. talis commiſſio; ſed durat pro omni tempore, quo conceſſa eſt à Summo Pontifice mortuo, niſi à ſuo ſucceſſore tollatur: ſicut privilegia conceſſa à Summo Pontifice durant, donec ab alio revocentur. Ita Nuñus & Coninchus citati. Aliàs enim cum talis facultas ferè conferatur exiſtentibus in remotis quibuſdam regionibus, quò vix ulli Epiſcopi poſſunt accedere, tales Sacerdotes ſemper eſſent anxii, an duraret adhuc ſua poteſtas: cum ſcire non poſſent, an interim Papa mortuus eſſet.

17. Octavò: ſi Sacerdos non confirmatus *Illatio* 8. hanc commiſſionem Summi Pontificis ſuſcipiat, validè Confirmationis Sacramentum miniſtrat: ſicut dictum eſt de Epiſcopo, qui non eſt con-

eſt confirmatus. Ita ex communi ſententia Nuñus, *concluſ.* 2.

Concluſio 4. partita. 18. Neque Papa poteſt hanc poteſtatem concedere alicui non Sacerdoti: neque alius Epiſcopus poteſt eam concedere Sacerdoti. Hæc quoad utramque partem eſt communis Theologorum, ut teſtantur Nuñus, Coninchus, & Palaus. Et conſtat ex uſu, & conſuetudine Eccleſiæ, qua inſtitutio Chriſti declaratur.

Quoad utramque partem probatur. 19. Et quoad primam partem, ratio congruentiæ eſt: quia non expedit, ut ille, qui non habet poteſtatem ſupra corpus Chriſti verùm, habeat poteſtatem ſupra corpus Chriſti myſticum: & idcircò, qui non eſt Sacerdos, nullum Sacramentum poteſt conficere præter Baptiſmum, qui eſt maximæ neceſſitatis. Quoad ſecundam verò partem congruit eadem aſſertio: quoniam ille, qui confirmatur, conſtituitur Dux in Eccleſia, atque adeò confirmans illum, eſt quaſi Dux generalis: ac proindè à generaliſſimo Duce, qui eſt ſolus ſummus Pontifex, debet inſtitui.

Objectio. 20. Sed contrà hanc ſecundam partem objiciunt aliqui quod tantam habet poteſtatem Epiſcopus in ſua Diœceſi, ſicut Papa in toto orbe: ergo ſicut Papa poteſt in toto orbe hanc facultatem ſimplici Sacerdoti concedere: ita & Epiſcopus in ſua Diœceſi.

Solutio 1. 21. Reſpondetur primò, majorem univerſaliter intellectam eſſe falſam: multa enim poteſt ſummus Pontifex in Eccleſia ex plenitudine poteſtatis, quæ non poſſunt Epiſcopi in ſuis Diœceſibus: ille enim ſolus poteſt diffinire res fidei, confirmare religiones, & alia hujuſmodi: ſimiliter ergo ille ſolus poteſt conferre commiſſionem ad confirmandum ſimplici Sacerdoti. *Enodatio 2.* Secundò reſpondetur, majorem illam ad ſummum verificari poſſe, niſi aliundè Epiſcopis prohibitum ſit: prohibitum autem eſt illis à Chriſto Domino conferre commiſſionem ad confirmandum, quatenus juxta modum inſtitutionis Chriſti ſupra *n.*9. à nobis declaratum, limitata eſt ipſo jure divino hæc poteſtas delegandi hoc miniſterium, ut ſit propria Summi Pontificis.

In miniſtro Confirmationis plura ſunt requiſita, primum. 22. Plura autem requiruntur, ut Confirmationis miniſter licitè præſtet ſuum officium. Primò: non debet alios, quam ſibi ſubditos confirmare ſinè facultate ſuperioris: aliàs mitteret falcem in alienam meſſem, idque in re magni momenti, qualis eſt adminiſtratio Sacramentorum. Ita ex communi ſententia tradunt Sylveſt. *verbo Confirmatio divina, n.* 5. Suarez, *diſp.* 38: *sect.*2. Bonac. *n.*10. Palaus *punct.* 9. *n.*7. Granad. *tract.* 4. *diſp.* 2. *n.* 1.

23. Ex præſumpta tamen voluntate proprii Paſtoris, poſſunt alieni ſubditi licitè confirmari: quia præſumuntur à proprio ſuperiore ſubjici. Unde autem hæc præſumptio colligatur, arbitrio prudentum relinquitur. Ita Palaus.

61. Et quidem ſiquis afferat litteras dimiſſorías ſui Epiſcopi, ut ordinetur, poteſt alterius Diœceſis Epiſcopus licitè eum confirmare, ſi non eſt confirmatus: quia non eſt dubium, quin proprius Epiſcopus velit, ut ei Confirmationis Sacramentum conferatur, ſiquidem Confirmatio ordinibus recipiendis præmitti debet ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. ſic Zambran. *de caſibus occurrent. in articulo mortis, c.* 2. *dub.* 2. *num.*3. Laym. *lib.* 5. *ſumm. tract.* 3. *c.* 6. *concl.* 3. Fagun. *præcep.* 5. *lib.* 3. *n.* 8. Dian. *tom.* 3. *tract.* 4. *reſol.*24. Palaus, *num.* 7.

25. An verò poſſit Epiſcopus in ſua Diœceſi ſubditum alterius confirmare? diviſi ſunt Authores. Negant Ledeſm. Bartholomeus ab Angelo, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacin. *num.* 10. Sed ſatis probabiliter affirmant Tanerus, *in* 3. *part. diſp.* 4. *q.* 4. *dub.* 3. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 6. Sa, *verbo, Confirmatio, n.* 2. Laym. *lib.* 5. *tract.* 3. *cap.*6. *aſſert.* 3: Barboſ. *allegat.* 30. *num.*12. Marcus Anton. Genuen. in praxi, *cap.* 54. *num.*7. Diana, *tract.* 4. *de Sacram. tom.*3. *reſol.*24. Palaus, *num.*7. Quia præſumitur tacitus conſenſus alterius Epiſcopi, cui id gratum eſſe cenſetur: nec credendum eſt, velle Paſtorem proprium ſuas oves eſſe privatas hoc Sacramento, præcipuè cum inde nullum ei incommodum proveniat; ſicut provenire poteſt ex ordine, & Matrimonio recepto.

26. Secundò, debet in propria Diœceſi Confirmationem miniſtrare: alias ſi in aliena Diœceſi abſque expreſſa licentia Ordinarii loci miniſtraret hoc Sacramentum, etiam ſibi ſubditis, & peccaret mortaliter, & ſuſpenſionem ab exercitio Pontificalium incurreret. Ita ex Trident. *ſeſſ. cap.* 5. *de Reformat.* & ex declaratione Cardinalium, tradunt Sa, *verbo, Confirmatio, num.* 5. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.*6. Barboſ. aliis relatis, *num.* 15. Palaus, *num.*8. *Requiſitum 2.*

27. Tertiò, ſi læthalis culpæ conſcius ſibi ſit, tenetur confiteri, aut certè elicere actum contritionis, antequam confirmet; aliàs peccabit mortaliter, ſi cum conſcientia peccati mortalis hoc Sacramentum miniſtret, ut conſtat ex dictis *de Sacram. in gen. cap.* 7. *punct.* 10. *Requiſitum 3.*

28. Quartò, tenetur habere intentionem conficiendi Sacramentum, alioquí irritum eſſet: & applicare veram materiam, nempe chriſma, & proferre formam in Eccleſia uſitatam. Ita Granad. *tract.*4. *diſp.* 2. *n.*2. Bonacin. *num.*13. & communiter Doctores. *Quartum.*

29. Quintò, debet uti in Confirmatione chriſmate novo, conſecrato, nimirùm intra illum annum à die Jovis ſancti computatum; & ſi ſecus faciat ſine urgénti neceſſitate, peccabit læthaliter, ut optimè docent Suarez, *diſp.*38. *sect.*2. *in fin.* Granad. ubi proximè Palaus, *n* 9. Et colligitur ex Fabiano Papa, *epiſt.* 2. & ex *cap. ſi quis, de conſecrat. diſt.* 4. & *cap. quoniam, de ſententia excommunicat. in* 6. *Quintum.*

30. Sextò, obſervare debet cæremonias ab Eccleſia præſcriptas (de quibus agemus *puncto ſequenti*) ut omnes fatentur. *Sextum.*

56. Tenetur Epiſcopus Sacramentum Confirmationis per ſe, vel per alium Epiſcopum in ſuæ Diœceſi miniſtrare. Undè ſi longo tempore hujus Sacramenti miniſtrationem omitteret, graviter delioqueret: quia oves, quas paſcere, obligatur, magna utilitate privaret. Ita Suar. *diſp.* 38. *sec.*2. Marc Anton. Genuenſ. *in Manuali Paſtor, cap.* 54. *n.* 2. Barboſa, *n.*9. Toletus, *lib.* 4. *cap* 4. Gran. *tract.* 4. *diſp.* 2. Layman, *tractat* 3. *cap.* 6. Filliucius *cap.* 2. Palaus, *num.* 13. Undè tenetur ad loca præcipua ſuæ Diœceſis gratiâ confirmandi accedere, quo regulariter omnes *Requiſitum 7.*

Digitized by Google

confluere poſſint: nam ſi ſolum in cathedrali hoc Sacramentum conferret, plures ex Diœceſi ſinè Confirmatione remanerent.

Requiſitum 8. 32. Octavò, conferri debet (quoad fieri poſſit) hoc Sacramentum in Eccleſia, ut moris eſt. Poſſe tamen conferri abſque peccato in loco decenti etiam extra Eccleſiam, probabile reputat, Suarez, *diſp.* 38. *sect.* 1. citatque Paludan. *in* 4. *quæſt.* 3. *art.* 3. Et idem docent Henriq. Sa, & Barboſ. quos refert & ſequitur, Palaus, *punct.* 10. *num.* 6. Bonacin. quoque, quem refert, & ſequitur Diana, *tom.* 2. *tract.* 3. *miſcel. reſolut.* 17. exiſtimat, conſuetudinem confirmandi in Eccleſia non eſſe receptam cum tanto onere, ut reum læthalis culpæ conſtituat Epiſcopum alio in loco confirmantem, contra Nuñum, 3. *part. tom.* 1. *quæſt.* 72. *art.* 12. qui rigidè putavit peccare mortaliter miniſtrum, qui extra Eccleſiam confirmat.

Requiſitum 9. 33. Nonò, alii addunt, quòd tam confirmans, quàm confirmandus debet eſſe jejunus, ut cavetur, *cap. Jejuni, cap. Epiſcopi, de conſecrat. diſt.* 5. Verùm hoc non eſt præceptum, ſed conſilium: undè ſæpe hoc Sacramentum poſtprandium confertur, præcipuè cum numeroſus populus confirmandus eſt. Ita Suarez, *diſp.* 37. *sect.* 2. *verſ.* 4. Coninch. *q.* 72. *art.* 12. Laym. *lib.* 5. *tract.* 3. *cap. ult.* Granad. ubi ſup. *num.* 3. Palaus, *num.* 11. & cum multis Bonacin. *punct.* 2. *num.* 13.

Obſervatio. 34. Obſervat autem Granado (quidquid ſit de antiqua conſuetudine) jam nullum tempus eſſe determinatum pro adminiſtratione Sacramenti hujus, ſed poſſe quocumque die tradi: additque Coninchus, id eſſe verùm etiam in locis generali interdicto ſubjectis, ut patet ex *cap. Reſponſo, de ſentent. excommunicat.* matutino etiam, & veſpertino tempore, & in die feſto, & feriali Confirmationem miniſtrari poſſe: quia ſic uſus obtinuit: multis firmat Barboſ. 2. *part. de poteſt. Epiſcop. alleg.* 30. *n.* 12.

PUNCTUM II.

Quibus cæremoniis Confirmationis Sacramentum miniſtrandum eſt?

Cæremoniarum antecedentium Confirmationem. Prima. 35. CÆremoniæ aliæ Confirmationem antecedunt, aliæ concomitantur, aliæ ſubſequuntur. Antecedunt, quidem primo, chriſmatis confectio, in quo conficiendo ſervare debet Epiſcopus ritus Eccleſiæ, teneturque ſub mortali miſcere balſamum, & oleum, ac etiam illud benedicere, in eaque benedictione ſervare quoque debet omnia, quæ Pontificale Romanum præſcribit, & latè expendit, & explicat Suarez, *diſp.* 37. *sect.* 1.

Secunda. 36. Secundò, antecedit Confirmationem, quod adſit Patrinus: quemadmodum in Baptiſmo fieri dictum eſt, & habetur, *cap. Si quis filiaſtrum, cap. De his* 30. *quæſt.* 1. *cap. Si quis ex uno, eadem diſt. quæſt.* 4. nam ut optimè dixit Catechiſmus Romanus, *part.* 2. *de Sacram. Confirmat. num.* 12. Si qui gladiatoriam dimicationem ſubeunt, alicujus indigent, cujus arte, & conſilio doceantur, quibus ictibus ſalvis ipſis, conficere adverſarium poſſint; quanto magis fideles cum Sacramento Confirmationis quaſi firmiſſimis armis tecti, ac muniti in ſpirituale certamen deſcendunt, ducis, ac monitoris indigebunt?

Tertia. 37. Tertiò, antecedens cæremonia, ſunt plures ſanctiſſimæ orationes, quibus confirmandus diſponitur, & Confirmationis inſtitutio, & effectus declaratur.

Cæremoniarum concomitantium 1. 38. Cæremoniæ concomitantes ſunt: prima, veſtes ſacræ, quibus Epiſcopus ornari debet, etenim pluviali, mithrâ, ſtolâ, & baculo Paſtorali hoc Sacramentum, ab eo miniſtrandum eſt, ut reſpondit ſacra Cardinalium congregatio, apud Barboſ. 2. *part. de poteſt. Epiſcop. allegat.* 30. *num.* 11.

Cæremoniarum ſubſequentium 1. 39. Secunda: quod, qui confirmatur, teneatur ab alio. Quem ritum omittere eſſe peccatum mortale docent Nuñus, *quæſt.* 72. *art.* 12. Ledeſma *de Sacrament. Confirmat. cap. ult.* quoniam eſt cæremonia iſta antiquiſſima in jure ſtatuta, & omnes Doctores loquuntur de illa tanquam de re gravi.

Secunda. 40. Cæremoniæ ſubſequentes Confirmationem ſunt. Prima: ligare frontem confirmati vittâ lineâ ob reverentiam ſacri chriſmatis, donec ſiccetur, ſi paulò poſt non fuerit ablutum caput in fonte baptiſmatis, & ſignificat conſervandam gratiam in Confirmatione ſuſceptam. Hæc autem vitta tamdiu ſic retinenda eſt, quamdiù fuerit in ſingulis locis conſuetudo: in pluribus tamen ſtatim poſt peractam Confirmationem in fonte baptiſmatis per miniſtros Eccleſiæ frons confirmati abluitur, & vitta deponitur, ſicuti cum pluribus notat Palaus *de Confirmat. punct.* 10. *num.* 8. Vitta ipſa depoſita, vel comburi debet, vel in ſimilem uſum honeſtè aſſervari: numquam tamen ad profanos uſus adhibenda eſt propter contractum chriſmatis, quo ſacrata quodammodo fuit.

Tertia. 41. Secunda cæremonia eſt, confirmatum manu leviter in maxilla ab Epiſcopo cædi: tum ut meminerit ſe eſſe confirmatum: tum etiam, ut ſciat ſe tanquam fortem athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine ferenda. Omiſſionem autem hujus cæremoniæ ſecluſo ſcandalo non reputant mortale, Suarez, *diſp.* 37. *sect.* 2. *num.* 8. Bonac. *diſp.* 3. *quæſt. unica, punct.* 4. *n.* 9. Barboſ. *allegat.* 30. *num.* 27. Granad. *tract.* 4. *diſp.* 2. *num.* 3. Petrus de Ledeſm. *c.* 10. & alii.

42. Tertia cæremonia eſt pax, quæ ab Epiſcopo confirmato datur, ut intelligat (inquit Catechiſmus Romanus) ſe gratiæ cœleſtis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum conſecutum eſſe; quam cæremoniam omittere Nuñns, & Petrus de Ledeſm. cenſent eſſe peccatum veniale.

Quarta. 43. Quarta cæremonia: enumeratur cereus accenſus in ſignum, quod vivam fidem ſemper debet conſervare confirmatus. Sed hæc cæremonia non invenitur in Pontificali Romano, neque in antiquis authoribus, ut rectè obſervavit Suar. *diſp.* 37. *sect.* 2. *in fin.* eſt tamen conſuetudine introducta, ut docet Palao, ubi ſup. *n.* 10, ſed non ſub gravi præcepto, ut teſtantur Sa, *verbo Confirmatio, num.* 10. & Petrus de Ledeſm. *de Confirmat. cap. ultim.*

Quinta. 44. Quinta: ſunt plures orationes, quæ peracto

Digitized by Google

peracto Sacramento Epiſcopus ſubjungit, quæ piæ ſunt, & juxtà conſuetudinem Eccleſiæ obſervandæ, ut notat. Suar. ubi ſub.

PUNCTUM III.

De patrino Confirmationis.

Patrinus eſt de neceſſitate præcepti.

45. QUemadmodum in Baptiſmo non eſt patrinus de Sacramenti neceſſitate; ſed de præcepto Eccleſiaſtico: ita in Confirmatione, ut benè obſervat Valent. *diſp. 5. quæſt. 2. punct.* 1. & naſcitur hic eodem modo, quo in Baptiſmo cognatio ſpiritualis ex jure Eccleſiaſtico impediens, & dirimens ſubſequens Matrimonium, ut conſtat *ex cap. De cognatione ſpirit. in 6. & in cap. Veniens,* & multis aliis textibus *de cognatione ſpirit.* & ſupponitur in Trident. *ſeſſ. 24. de Matrim. cap.* 2. Hæc autem ſpiritualis cognatio inter patrinum, & confirmatum paternitas dicitur, & inter Patrinum, & patrem, & matrem carnalem confirmati, compaternitas appellatur.

Quid ſpectet ad munus patrini.

Ad rationem patrini confirmationis requiritur, quod confirmatum verè tangat, ac teneat: unde ſi hæc cæremonia non ſervetur à patrino tenendo confirmatum, non obibit patrini munus, nec verus erit ſuſceptor, nec ſpiritualem cognationem ex eo munere conſurgentem contrahet, ut cum multis firmat Sanchez, *lib. 7. de Matrim. diſp.* 56.

Quæſitum.

47. An autem patrini munus validè, quamvis illicitè ſubeat, qui confirmatus non eſt, adhuc omninò exploratum non exiſtit. Affirmant enim probabiliter Palud. Roſella, Tabiena, Sotus, Navarr. Galleg. Sà, Manuel, Ludovicus Lopez, relati à Thoma Sanchez, *lib. 7. de Matrim. diſp. 60. num.* 19. Negant verò non minus probabiliter, gloſſ. *in cap. In Baptiſmate. de conſecrat. diſt.* 4. Angelus, Victoria, Palacios, Suarez, Henriqu. Tolet. Bartholomæus à Ledeſm. Vivald. Vega, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez ubi proximè *n.* 20. Palaus, *punct.* 10. *num.* 2. & alii.

Monachus an poſſit eſſe patrinus.

48. Monachi vero, quamvis peccent, ſi in Confirmatione ſuſceptores ſint, ut conſtat *ex cap Placuit 6. q. 1. cap. Non licet, cap Monachi de conſecrat. diſt.* 4. (excipiunt Palao, & Barb. ubi ſup. niſi confirmandus religioſus eſſet: quia in eo caſu optime poteſt monachus eſſe illius patrinus) veri tamen ſuſceptores erunt, & ſubinde contrahent ſpiritualem cognationem. Ita docent Petrus de Ledeſm. *de Baptiſmo, cap. Fin. concluſ.* 6. Sylveſter, *verb. Baptiſmus 5 quæſt fin.* Vivald. *1. p. ubi de Baptiſm. num.* 69. & cum multis Thomas Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp. 60. num.* 21. & cum aliis Bonacin. *de impedimentis Matrim. punct. 5 §. 2. n.* 22.

Patrinus Baptiſmi ſuſceptoris munus ſubire non debet abſque neceſſitate.

49. Patrinus Confirmationis debet eſſe diſtinctus à patrino Baptiſmi, niſi neceſſitas urgeat, *ex cap. In Catheciſmo de conſecrat. diſt.* 4. Ita Henriq. *lib. 3. cap. 3. n.* 3. Layman, *lib. 5. ſum. tractat. 3. cap.* 7. Bonacin. *diſputat. 3. de Sacrament. quæſt. unica, punct. 4. in fine,* Barboſ. *2. p. de poteſtate Epiſcop. allegat. 30. num.* 51. Palaus, *n.* 2.

Patrinus Confirmationis unus tantum.

50. Præterea in Confirmatione unus tantum patrinus eſſe debet, ſive is vir, ſive mulier ſit, *cap. Fin. de cognation. ſpirituali in* 6. Nam eſto fuerit pro Baptiſmo permiſſum à Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reformat.* ut duo poſſint adhiberi, ſi unus ſit maſculus, & alter fœmina, indè ad Confirmationem extendi non debet: quia in hac parte Tridentinum. Confirmationis mentionem non fecit, & juris antiqui correctio abſque gravi fundamento admittenda non eſt: & ita ſuſtinent Rebel. *2. p. de obligat. juſt. lib. 3. quæſt. 6. num.* 6. Barboſ. *num.* 43. Bonac. *de Matrim. num.* 31. Palaus ubi proxime contra aliquos.

Non graviter tenetur inſtruere confirmatum.

51. Confirmationis patrinum obligatum graviter non eſſe ad inſtruendum confirmatum, tenent Henriquez, *lib. 3. cap. 3. numer.* 3. Bonac. *diſput. 3. quæſt. unic. de Sacramento Confirmat. p 4 in fin* Layman, *lib. 5 summ. tract. 3. cap.* 7. Palaus *de Confirmat. punct.* 10. *n.* 2.

PUNCTUM IV.

An, & qualis ſit obligatio ſuſcipiendi Confirmationis Sacramentum?

Concluſio.

52. PEr ſe loquendo nulla eſt obligatio, neque ex jure divino, neque Eccleſiaſtico ſuſcipiendi Sacramentum Confirmationis. Ita D. Thom. *in 4. diſt 7. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. & 3. p. quæſt. 72. art. 8. ad* 4. dicens ſecluſo contemptu eum, qui non confirmaretur, non forè damnandum, niſi fortè propter contemptum, ſed ſolum paſſurum detrimentum perfectionis, quæ verba planè denotant per ſe loquendo, non cadere ſub obligatione, ſed ſub perfectione, ſeu conſilio. Idem docent Nuñus ibidem, *dub.* 2. Ledeſm. *de confirmation cap.* 8. Suarez, *diſp. 38. ſect. 1 §. Quo circa,* Coninch. *quæſt. 72. artic.* 8. Valentia cum pluribus, *quæſt. 2. punct.* 3. Henricquez *de confirmat. c. 2. §.* 6. Granad. *de confirmat. tract. 4. diſp. 1. num.* 4. Navarrus, *cap. 22. num. 9. verſ.* 3. Layman, *lib. 5 tractat. 3. cap. 5. quæſt.* 4. & cum multis Bonacina, *diſp. 3. quæſt. unic. punct.* 2. Et hoc tempore receptam eſſe hanc aſſertionem communi conſenſu teſtatur Granado *loco citat.*

Suadetur 1

53. Probatur primò ex Melchiade Papa, *in cap. Spiritus Sanctus de conſecration. diſtinction.* 5. ubi dicit hoc Sacramentum non eſſe neceſſarium hominibus jam jam morituris: ſed ſi eſſet præceptum de illo, ſive divinum, ſive humanum maximè obligaret in articulo mortis: ergo, &c.

Probatur 2

54. Secundò: quia fideles non habent divinum præceptum ſuſcipiendi hoc Sacramentum: quia non conſtat ex ſacra Scriptura, quæ hujus præcepti non meminit: neque ex traditione, cum nulla ſufficiens traditio habeatur in Conciliis, Patribus, aut Eccleſia, quæ præceptum hoc divinum perſuadeat: neque colligitur ex ipſa natura Sacramenti: quia Sacramentum Confirmationis ſolum datur ad melius eſſe: homines autem in vita ſpirituali non tenentur ad id, quod melius eſt: ergo, &c.

Non datur Eccleſiaſticum præceptum de confirmatione ſuſcipienda.

55. Neque etiam eſt aliquod præceptum Eccleſiaſticum: tum, quia Eccleſia non imponit præceptum de aliquo Sacramento ſuſcipiendo, niſi præſuppoſito divino præcepto, addendo ſcilicet circumſtantias, & modum: ac proinde cum nullum ſit divinum præceptum

Digitized by Google

de Confirmatione ſuſcipienda, ut probatum eſt, neque Eccleſiaſticum erit. Tum etiam: quia ſi aliquod eſſet præceptum Eccleſiaſticum ſuſcipiendæ Confirmationis, eſſet tempus determinatum ab Eccleſia pro ejus executione; ſicut cernitur in aliis Sacramentis neceſſariis; nempè Baptiſmo, Pœnitentia, & Euchariſtia. Similiter Eccleſia cogeret fideles ad illud ſuſcipiendum: ſicut nos ſuis ſtatutis cogit ad implenda alia præcepta, & etiam ſtatim morituri ad hoc obligarentur, quod tamen eſſe falſum patet: tum ex uſu Eccleſiæ: tum ex Melchiade Papa, *num.* 53. relato.

Per accidens varii ſunt caſus, in quibus poteſt quis ad Confirmationem obligari.

56. Notanter autem dictum eſt, *per ſe loquendo*: nam per accidens, ſeu ratione alicujus circumſtantiæ poteſt quis obligari ad ſuſcipiendam Confirmationem, eritque obligatio gravis, aut levis pro gravitate, aut levitate circumſtantiæ. In hac etiam aſſertione conveniunt communiter Doctores, teſte eodem Granado ubi ſupra, *num.* 6. ſed quia complectitur varios caſus, ſingulos explicare oportet.

1. caſus. 57. In primis tenetur quis ſub peccato mortali non omittere Confirmationem ex contemptu, ut docet Div. Thom. ubi ſup. & communiter omnes Doctores. Sed non eſt contemptus præcisè nolle confirmari, etiam cum adeſt opportunitas, quæ poſteà non facile habenda ſit: nam qui omittit bonum opus, v.g. audire ſacrum in die feriato, vel alia animæ ſalubria, cum poſſet commode illa exequi: quia cogitat abſolute ad ſalutem ſibi neceſſaria non eſſe, non propterea dicitur ex contemptu omittere, & ſic accidit in caſu noſtro, ut docet Suarez, *diſputat.* 38. *ſect.* 1. *verſ. Quo circa.* Coninchus, *quæſt.* 72. *art.* 8. Layman, *quæſt.* 4. Palaus, *punct.* 8. *num.* 6. Granado *loco cit.* & cum multis Diana, *tom.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 25. Requiritur ergo ad contemptum, ut quis bonum opus omittat, quia illud nihili facit, aut quia putat eſſe quid puerile, & parum decens illud exequi: & qui hoc modo omitteret ſuſcipere Confirmationem, ſinè dubio peccaret mortaliter: irrogaret enim gravem injuriam Sacramento à Chriſto Domino inſtituto, & maximè utili omnibus Chriſti fidelibus.

2. caſus. 58. Secundò: per accidens ratione ſcandali omiſſio ſuſceptionis hujus Sacramenti poteſt eſſe peccatum mortale, ut ſi ratione circumſtantiarum, vulgo putaretur aliquis omittere Confirmationem, eo quod eam contemneret, aut non crederet eſſe Sacramentum, ut ſi eſſet non nihil ſuſpectus de fide: tunc enim peccatum eſſet ſatis grave omiſſio Confirmationis ob ſcandalum datum, ut docent Suarez ſupra. Coninchus, *concluſ.* 2. Layman, *quæſt.* 4. Palaus, *num.* 6. Diana *loco cit.*

59. Tertiò: ratione propriæ conſcientiæ, ut ſi quis certo crederet ſibi imminere periculum amittendi fidem, niſi hoc Sacramentum ſuſciperet, tunc enim ſine dubio peccaret mortaliter non recipiens Confirmationem, ut docent Suarez. Coninch. Granad. Palaus, ſup. & Nuñus, *quæſt.* 72 *art.* 8. *dub.* 2. *in ſolut. ad* 3. *3. caſus.*

60. Quarto, ſi Epiſcopus non vellet infirmo morienti aliud Sacramentum conferre, niſi ſolum Confirmationis, & infirmus habens conſcientiam peccati mortalis, & non potens aliud Sacramentum recipere, omitteret Confirmationem, peccaret mortaliter: quia maxima temeritas eſſet remedium ita facile relinquere, cum quo, & ſola attritione, exiſtimata contritione, ſalvari poſſet, & expectare contritionem, quæ eſt multum difficilis. Ita Nuñus, ubi proximè, & Ochogau. *de Confirm. q.* 12. *n.* 4. *4. caſus.*

61. Quintò, Coninch. Nuñus, Granado, ſupra, & alii exiſtimant vix unquam omitti poſſe Sacramentum Confirmationis ſine culpa veniali, cum alioqui adeſt opportunitas illud recipiendi, nullaque cauſa rationabilis ſupperit, propter quam omittatur: qui enim in hujuſmodi circumſtantiis nollet confirmari, cenſeretur plane prodigus cujuſdam magni boni: prodignalitas autem ſaltem eſt peccatum veniale, etiam in divitiis temporalibus, nedum in ſpiritualibus, & divinis. Unde optimè Suar. ſup. dixit: *Ex accidenti poſſe eſſe peccatum veniale, nolle confirmari, ſi cenſeatur irrationabilis quædam prodigalitas ſpiritualis.* *5. caſus.*

62. Sextò: dubitari poteſt, an teneatur ſuſcipere Confirmationem, qui primam tonſuram ſuſcepturus eſt ob decretum Trident. *ſeſ.* 23. *de reform. cap.* 4. ubi ſic habetur. *Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint.* Tannerus, *q.* 4. *dub.* 2. exiſtimat eſſe grave præceptum, ac proindè peccare læthaliter eum, qui antequam confirmetur, initiatur primâ tonſurâ. *1. Sententia.*

63. Melius tamen Suar. *in fine, ſectionis* 1. cum Soto, Victoria, & Navarro, nec non Granad. & Palaus ubi ſup. & alii docent, hoc non eſſe peccatum ſaltem mortale: quia in Tridentino non imponitur cenſura, neque verbum, quod rigoroſum præceptum indicet. Et communiter iidem authores docent Epiſcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipſe confirmatus ſit, Confirmationem, aut ordines conferendo.

TRAC-

TRACTATUS QUARTUS
DE VENERABILI
EUCHARISTIÆ
SACRAMENTO.

CAPUT PRIMUM.
De Sacramento Euchariſtiæ quantum, ad an eſt, & quantum ad, quid eſt.

CAPUT ISTUD CONTINET QUATUOR DUBIA.

D. 1. *Utràm Euchariſtia ſit Sacramentum novæ legis?*

D. 2. *An ſupponat in recto eſſentialiter pro corpore, & ſanguine Chriſti, ſpecies verò conſecratas importet de connotato?*

D. 3. *An ſupponat pro compoſito, ſeu aggregato ex ſpeciebus, & corpore Chriſti: ita ut utrumque importet eſſentialiter in recto?*

D. 4. *An ſupponat pro ſpeciebus conſecratis in recto: ita ut corpus Chriſti pertineat ad illud in obliquo?*

DUBIUM I.

Utrum Euchariſtia ſit Sacramentum novæ legis?

1. ratio in oppoſitum. 1. Videtur Quod non, primò: quia Euchariſtia non ſignificat gratiam, quâ juſtificamur: ergo non eſt Sacramentum. Conſequentia patet: quia Sacramentum eſt ſignum gratiæ ſanctificatis nos, ut viſum eſt *tract. 1. de Sacram. in genere.* Et antecedens probatur: quia forma Euchariſtiæ non ſignificat gratiam; ſed corpus tantum, & ſanguinem Chriſti, ut patet in verbis conſecrationis. *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt calix ſanguinis mei,* in quibus nulla fit mentio gratiæ: ergo neque ipſa Euchariſtia ſignificat gratiam: quia nihil formale, ac ſpecificum poteſt habere effectum, qui non conveniat ei ratione ſuæ formæ.

Secunda. 2. Secundò: quia ad idem non debent ordinari duo Sacramenta: nam unumquodque Sacramentum efficax eſt ad ſuum producendum: cum ergo ad perfectionem ordinetur, & Confirmatio, & Euchariſtia, ut dicit Dionyſ. 4. *cap. Eccleſiaſtica Hierarch.* videtur Euchariſtiam non eſſe Sacramentum, cum Confirmatio ſit Sacramentum. ut in *tract.* 3. dictum eſt.

Tertia. 3. Tertiò, quia omne Sacramentum novæ legis debet eſſe compoſitum ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma, tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus, ut in *tract. 1. de Sacram in genere, cap. 4. dub. 2.* habitum eſt: ſed in Euchariſtia verba conſecrationis non ſunt forma, ſeu pars intrinſeca, ſed forma extrinſeca: quia verba tranſeunt, Euchariſtia vero perſeverat: ergo Euchariſtia non eſt novæ legis Sacramentum.

4. Sed contrà: quia Euchariſtiam eſſe Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum habetur, Matth. 26. Marc. 14. & Lucæ 22. ubi narratur inſtitutio hujus Sacramenti, & eadem veritas declaratur Ioann. 6. & traditur communiter ab omnibus patribus, ac ex communi conſtat Eccleſiæ conſenſu. *Authoritas ſcripturæ.*

5. Reſpondetur dicendum, Euchariſtiam eſſe Sacramentum novæ legis. Ita definitum eſt in *Concilio Trident. ſeſſ. 7. & ſeſſ. 13. & in Florentino, in decreto de unione Armenorum, & in cap. Firmiter de ſum. Trinitat. & fide catholica,* & habetur *in Concilio Carthagin. 3. cap. 28. & 29. & cap. Cum Marthæ de celebrat. Miſſarum, cap. in Sacramento de conſecration. d. 2.* *Concluſ. ex Conciliis ſtabilitur.*

6. Prætereà, probatur ex definitione Sacramenti novæ legis; eſt enim ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis à Chriſto Domino immediate inſtitutum: ſed ejuſmodi eſt Euchariſtia: quia eſt ſignum ſenſibile, nimirum ſpecies panis, & vini conſecratæ ſub certa forma verborum, ſignificatque corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus in ratione cibi ſpiritualis cauſantis in animâ gratiam cibantem. Et quod hujuſmodi ſignum ſit immediate inſtitutum à Chriſto Domino patet ex ipſis verbis formæ hujus Sacramenti: ergo eſt novæ legis Sacramentum. *Suadetur ſecundo.*

7. Ad primum negandum eſt antecedens: quia pro nomina *hic, & hoc* non ſignificant corpus, & ſanguinem Chriſti quomodocumque, ſed ut ſunt cibus, & potus ſpirituales reficientes animam per gratiam, atque ita verba conſecrationis ſunt cauſa, ut Euchariſtia ſignificet gratiam per modum cibi, & potus reficientem animam. *Solvitur prima ratio in oppoſitum.*

8. Quod ſi urgeas, & dicas: Sacramentum non utcumque, ſed principaliter debet ſignificare gratiam, quia eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos, ac proinde ſicut id, quod principaliter ſanctificat nos, eſt gratia: ita Sacramentum principaliter debet ſignificare gratiam: *Replica.*

tiam : atqui Euchariſtia ſaltem principaliter non ſignificat gratiam, ſed corpus & ſanguinem Chriſti : ergo Euchariſtia non eſt Sacramentum.

Enervatur. 9. Reſpondetur negando minorem : quia licet corpus, & ſanguis Chriſti ſint res immediate ſignificatæ per hoc Sacramentum quaſi materialiter; formalis tamen ratio ſub qua ſignificantur, eſt ſpiritualis refectio, quæ fit formaliter per gratiam : ac proinde ipſa gratia prout cauſa talis refectionis, eſt formale & principale ſignificatum. Pro quo notandum eſt diſcrimen inter cibum ſpiritualem animæ, qui eſt corpus Chriſti, & cibum corporeum carnis, quod corporeus carnis ſe ipſo immediatè reficit converſus in ſubſtantiam aliti: cibus vero iſte ſpiritualis non reficit animam ſe ipſo formaliter: quia non convertitur in ſubſtantiam animæ, neque in gratiam, quâ anima formaliter reficitur; cum potius econtra anima convertatur in ipſum, juxta illud Dei ad Auguſt. *Neque tu me in te mutabis; ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Sed cibus iſte dicitur reficere efficienter, hoc eſt producendo in anima gratiam, quæ animam ipſam formaliter reficit.

Enodatur 2. ratio in oppoſitum. 10. Ad 2. dicendum, quod aliter perficitur ſpiritualis vita per Euchariſtiam, quam per Sacramentum Confirmationis : nam in Confirmatione perficitur gratia ad perſiſtendum contra exteriores impugnationes inimicorum fidei Chriſti. Undè ut obſervat Div. Thom. *quæſt. 72. art. 9. ad 2.* Confirmatio fit in fronte : quia ſignum fortitudinis contra alios apparet in fronte juxta illud Ezechiæ: *Ecce poſui frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Per Euchariſtiam vero, quæ pertinet ad cor, ſecundum illud, Pſ. 103. *Panis cor hominis confirmet*, perficitur homo cum ordine ad unionem cum corpore Chriſti myſtico, quia datur per modum cibi, & potus : cibus enim, & potus hoc peculiare habent, quod cauſant perfectionem, & augmentum in homine cum ordine ad univerſas corporis partes, quæ reficiuntur cum illis : ita etiam ſpiritualis cibus, & potus Euchariſtiæ perficiunt, & augent vitam ſpiritualem gratiæ, quæ cor hominis confirmat cum ordine ad cætera membra corporis Chriſti myſtici, quæ eodem cibo, & potu reficiuntur, juxta illud Apoſt. 1. Corinth. 10. v. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus.* Per Euchariſtiam etiam peculiariter perficitur homo tanquam per antidotum, quo liberetur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervetur, ut docet Trident. *ſeſſ. 13. cap. 2.*

Evertitur 3. 11. Ad tertium dicendum, in Euchariſtia verba conſecrationis eſſe formam eſſentialem, & intrinſecam, non phyſicè; ſed moraliter. Et ad impugnationem reſpondetur, quod licet ſit impoſſibile rem, quæ tranſit, eſſe formam phyſicè intrinſecam rei, quæ perſeverat; benè tamen poteſt res, quæ phyſicè tranſit, eſſe forma moralis, moraliter ex voluntaria inſtitutione informans rem, quæ perſeverat. Hæc enim licet phyſicè tranſeat, moraliter tamen manere poteſt, ut cernitur in benedictione veſtium Sacerdotalium & corporalium, in conſecratione Calicis, & patenæ, & in externa Religioſorum profeſſione, ut latius explicatum eſt dicto *tract. 1. de Sacram. in genere, cap. 4. dubio. 2. à num. 29.* & deinceps.

DUBIUM II.

An Euchariſtiæ Sacramentum ſupponat eſſentialiter in recto pro corpore, & ſanguine Chriſti, ſpecies vero conſecratas importet de connotato?

12. PRo tituli expoſitione advertendum eſt 1. idem eſſe quærere pro quo ſupponat in recto Sacramentum Euchariſtiæ, ac quærere, quæ res ſit, de qua vere dicitur, ſeu verificatur, quod ſit Sacramentum, & non ſolum contentum in illo. *Notabile primum.*

13. Secundò, advertendum eſt quinque reperiri in Euchariſtia, de quibus poſſet eſſe difficultas, an pro illis Sacramentum eſſentialiter ſupponat in recto. Primum eſt conſecratio. Secundum ſumptio, & uſus Sacramenti. Tertium corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus : Quartum compoſitum, ſeu aggregatum ex ſpeciebus, & corpore Chriſti, ita ut utrumque ſimul importetur in rectò. Quintum denique ſpecies conſecratæ continentes corpus Chriſti. Supponimus autem quod primum, & ſecundum non ſint Euchariſtiæ Sacramentum : non quidem primum, hoc eſt conſecratio : nam ſi hæc accipiatur pro ipſis verbis, quibus hoc Sacramentum conficitur, tantum eſt forma Sacramenti, non totum Sacramentum, quod eſt compoſitum ex rebus, ut materia, & verbis ut forma. Si vero magis propriè accipiatur pro actione, quâ efficitur Sacramentum, quaſi in genere cauſæ efficientis, ut ſic neque eſt Sacramentum, neque pars eſſentialis Sacramenti, quod efficitur, cum actio, ut actio nunquam ſit eſſentialis pars termini ſui. Non item ſecundum, ſcilicet ſumptio, vel uſus Sacramenti, ſeu applicatio Sacramenti : quia antè ſumptionem, aut uſum Euchariſtiæ Sacramentum exiſtit, ut habetur in *Trident. ſeſſ. 13. cap. 3.* & ibid. *cap. 5.* & 6. Dicitur hoc Sacramentum ſervari in ſacrario, ad infirmos deferri, in proceſſionibus portari, & alia, quæ ſumptioni, & uſui nequeunt convenire. Undè ſolum circa tertium excitatur præſens dubium, & de quartò, & quintò diſſeretur in duobus ſequentibus. *Notabile ſecundum.*

14. His ſic prælibatis, videtur, quod Sacramentum Euchariſtiæ ſupponat eſſentialiter in rectò pro corpore, & ſanguine Chriſti; ſpecies vero conſecratas importet de connotato, ut tenet, aliquos referens Cardinalis Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſp. 1. ſect. 3. num. 36.* & docuit Sayrus, *lib. 1. cap. 1. de Sacramenti definitione, q. 8. art. 6. §. ad 7.* circa finem Franciſc. B. Spei *diſp. 1. n. 26.* Et id eſſe probabile aſſeruit Franciſcus Ovand. *in 4. diſt. propoſit. 4.* Primò: quia Patres abſolutè dicunt Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti, & econtra, quem loquendi modum ab ipſo Chriſto Domino acceperunt: *Panis quem ego dabo*, hoc eſt Sacramentum Euchariſtiæ : *Caro mea eſt.* Item: *Caro mea verè eſt cibus,* *1. Sententia, & ejus primum fundamentum.*

ſtu, id eſt, Euchariſtia; quæ locutiones eſſent falſę, niſi Euchariſtia ſulum importaret in recto corpus, & ſanguinem Chriſti.

Secundum. 15. Secundò: quia corpus Chriſti eſt res, & Sacramentum ſimul: ergo eſt Sacramentum Euchariſtiæ. Conſequentia videtur certa ex regula illa Topica, in qua dicitur bonam eſſe conſequentiam à propoſitione de prædicato copulato ad quamlibet partem: ut benè valet Petrus eſt albus, & muſicus: ergo eſt albus: vel ergo eſt muſicus.

Tertium. 16. Tertiò: nam idem eſt Sacramentum Euchariſtiæ, & Sacrificium, ſeu res quæ incruentè ſacrificatur in Miſſa: ſed hæc eſt ipſum corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus, ut docet Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. ergo idem eſt Sacramentum.

Authoritas Cathecíſmi Romani. 17. Sed contra: quia in Cathecíſmo Pii V. *part. 2. de Sacramento Euchariſt. num.* 8. habetur corpus, & ſanguinem domini minus propriè dici Sacramentum, ipſas autem panis, & vini ſpecies veram, & abſolutam hujus nominis rationem habere.

Concluſio. 18. Reſpondetur dicendum, hoc Sacramentum non ſupponere eſſentialiter, & in rectò pro corpore, & ſanguine Chriſti. Ita Sotus, *in* 4. *d.* 8. *quæſt. unic. art.* 1. Richard. ibid. *art.* 1. N. Petrus Cornejo, Granados, Ioannes Gonzalez, ibidem, Petrus de Ledeſma *de Sacram. Euchar. cap.* 1. Gonet. *diſp.* 2. *n.* 2. & tanquam communem Doctorum defendit Henriq. *lib.* 8. *ſum. c.* 6. & N. Philippus à S. Trinitate, *diſp.* 1. *de Euchariſt. dubio* 5. N. Gabr. *diſp.* 1. *q* 3. & alii.

Suadetur primo. 19. Probatur primò: nam ut docet Div. Thom. 3. *part. quæſt.* 73. *art.* 6. & conſtat *ex cap. Cum Martha de celebrat. Miſſarum, & ex cap. Hoc eſt de conſecr. diſtinct.* 2. ſpecies continentes corpus & ſanguinem Chriſti ſunt Sacramentum tantum, & corpus, & Sanguis in hoc Sacramento ſunt res, & Sacramentum ſimul: ſed, ut inductivè patet in omnibus Sacramentis, id, quod eſt res, & Sacramentum ſimul non eſt id, pro quo ſolum Sacramentum ſupponit eſſentialiter, & in recto connotando aliud: ergo Euchariſtiæ Sacramentum non ſupponit ſolum eſſentialiter, & in recto, pro corpore, & ſanguine Chriſti connotando ſpecies.

Munitur 2. 20. Secundò probatur ex expreſſis verbis Concilii Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. ubi dicitur, commune eſſe Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis eſſe ſymbolum rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ viſibilem formam: cum ergo corpus, & ſanguis Chriſti in Euchariſtia non ſint viſibilis forma, dicendum eſt, non eſſe Sacramentum.

Confirmatur. 21. Confirmatur: quia hoc Sacramentum eſt univocè Sacramentum in ratione Sacramenti cum cæteris: ergo etiam in ratione ſigni ſenſibilis; ergo cum cætera ſint ſigna per ſe ſenſibilia, & non ſolum ratione alicujus connotati, etiam hoc Sacramentum debet eſſe ſignum per ſe ſenſibile, & non ſolum ratione connotati.

Probatur 3. 22. Tertiò: quia in Concilio Trident. *dict. ſeſſ.* 13. per totam, dicitur, corpus, & ſanguinem Chriſti contineri in hoc Sacramento: Cum igitur nihil proprie in ſe ipſo contineri dicatur, aſſerendum eſt, corpus, & ſanguinem Chriſti non eſſe Sacramentum Euchariſtiæ.

Occurritur 1. fundamento contrariæ ſententiæ. 23. Ad primum reſpondetur, ſacram Scripturam, & Patres loqui per figuram Methonimiam, ſecundum quam tribuitur contento nomen continentis. Vel ſecundò loqui, non de Sacramento tantum, ſed de re, & Sacramento ſimul, quod eſt potiſſimum in Euchariſtia.

2. fit ſatis. 24. Ad ſecundum dicendum, id argumentum nihil probare, ut patet in charactere, qui eſt res, & Sacramentum ſimul in Sacramentis, quæ illum imprimunt; non tamen eſt abſolutè Sacramentum. Fallacia autem in eo eſt, quod arguitur à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, unde nulla eſt conſequentia, ſicut nihil valet: Petrus eſt albus ſecundum dentes, & muſicus: ergo eſt albus ſimpliciter.

Ad 3. reſpondetur. 25. Ad tertium dicendum, Euchariſtiam & eſſe Sacramentum, & continere Sacrificium: quia eſt Sacramentum, quatenus eſt ſignum per ſe ſenſibile cauſativum gratiæ, continet vero Sacrificium, ſeu rem ſacrificatam, quatenus continet rem, quæ Deo offertur, & immolatur, & inde eſt, quod corpus in ea contentum habeat rationem Sacrificii, & non Sacramenti.

DUBIUM III.

Utrum hoc Sacramentum ſupponat pro compoſito, ſeu aggregato ex ſpeciebus, & corpore Chriſti, ita ut utrumque importetur eſſentialiter in recto?

Ratio dubitandi 1. 26. ET videtur quod ſic primò: quia D August. in lib. ſententiarum relatus *in cap. Hoc eſt de conſecrat. diſt.* 2. ait, Sacramentum hoc duobus conſtare viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri carne, & ſanguine. Et D. Th *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 1 *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. expreſsè docet, hoc Sacramentum conſtare ex ſpeciebus, & corpore Chriſti.

Secunda. 27. Secundù: quia Sacerdos dicitur verbis conficere hoc Sacramentum: ſed per verba conſecrationis non fiunt ſpecies ſeorſum, quia anteà erant nec fit corpus Chriſti ſeurſum, quia etiam erat anteà: ergu fit compoſitum ex utroque: ac proindè hoc compoſitum eſt ipſum Sacramentum, cujus quælibet pars eſſentialiter concurrit ad illius conſtitutionem. Confirmatur, quia omne illud pertinet in recto, & tanquam pars eſſentialis ad hoc Sacramentum, quod eſt terminus conſecrationis: ſed ut patet in ſolis ſpeciebus conſecratis, hoc non ſaluatur, benè tamen in compoſito ex ſpeciebus, & corpore, ac ſanguine Chriſti: ergo hoc compoſitum eſt eſſentialiter Sacramentum Euchariſtiæ.

Tertia. 28. Tertiò: nam ex corpore Chriſti, & ſpeciebus fit aliquomodo unum: quia habent inter ſe aliquam unionem: ergo fit unum Euchariſtiæ Sacramentum: quia non poteſt deſignari aliud unum, quod fiat.

Quarta. 29. Quartù: quia Sacramentum Euchariſtiæ cum ſit ſignum practicum, eſt inſtrumentum cauſativum gratiæ cibantis: ſed inſtrumentum cauſativum gratię cibantis ſupponit in recto, tam pro corpore Chriſti, quam pro ſpeciebus: ergo Sacramentum Euchariſtię pro utro-

que in recto ſupponit. Ita Suarez *diſp. 42. ſect. 3.* Valentia, 3. *part. diſp. 6. q. 1.* Claudius, *repetit. 1. cap. 4.* Coninchus *q. 73. art. 1.* Monteſinos ibidem. Vaſquez, *diſp. 167. cap. 5.* & alii.

Authoritas. 30. Sed contrà: quia ut dicit D. Thomas, *q. 73. art. 1. ad 2.* corpus Chriſti ſe habet in hoc Sacramento ad ſpecies panis, & vini: ſicut in Baptiſmo ſe habet virtus Spiritus Sancti ad aquam Baptiſmi: ergo cum conſtet virtutem Spiritus Sancti non pertinere in recto ad Sacramentum Baptiſmi, tanquam partem eſſentialem illius, dicendum eſt, corpus Chriſti non pertinere in recto ad Sacramentum Euchariſtiæ tanquam partem eſſentialem illius.

Concluſio. 31. Reſpondetur dicendum, corpus, & ſanguinem Chriſti non pertinere in recto ad eſſentiam Sacramenti Euchariſtiæ tanquam partem eſſentialem illius. Ita Doctores *dubio præc. num.* 18. relati.

Suadetur 1. 32. Probatur primò authoritate Patrum, nam Sanctus Algerus, *tom. 6. Bibliothecæ novæ, lib. 1. de Euchariſtia, cap. 5.* ſic ait: *Panis, & vini immanentes, & viſibiles qualitates Sacramentum tantummodo verè dici, & eſſe: ſubſtantiam autem illam inviſibilem, quæ ipſo Sacramento operta eſt, verè, & propriè dici, & eſſe corpus Chriſti, teſtatur Auguſtinus.* Subditque deinde plura teſtimonia Sancti Doctoris pro hac re, & eam ipſe approbat. Et Catechiſmus Pii V. *2. part. de Sacramento Euchariſt. num* 8. ſolas panis, & vini ſpecies, inquit, veram, & abſolutam hujus Sacramenti rationem habere. Hæ autem locutiones non eſſent veræ, niſi Euchariſtiæ Sacramentum ſolùm importaret in recto ſpecies conſecratas: ſicut non verè diceretur, homo verè eſt, & dicitur materia, vel materia veram, & abſolutam hominis rationem habet: quia homo plus dicit in recto, quam ſolam materiam: ergo, &c.

Firmatur 2. 33. Secundò probatur ratione, quia quidquid pertinet in recto ad eſſentiam Sacramenti, vel eſt materia, vel forma, vel utriuſque conjunctio: quia ad eſſentiam cujuslibet compoſiti accidentalis, cujuſmodi eſt Sacramentum, nihil aliud eſſentialiter in recto pertinere poteſt. Sed corpus Chriſti, nec poteſt eſſe materia: nam in Sacramentis illa dicitur materia, quæ virtute verborum conſecratur, ſeu ſanctificatur: corpus autem Chriſti non conſecratur ſeu ſanctificatur virtute verborum, cum potius ejus præſentia ſanctificet. Deindè nec poteſt eſſe forma Sacramenti: quia ut communiter tradunt Doctores, forma Sacramenti Euchariſtiæ ſunt verba Sacerdotis. Nec denique poteſt eſſe conjunctio materiæ, & formæ, ut de ſe patet: ergo, &c.

Solvitur ratio dubitandi. 34. Ad primum reſpondetur, illa teſtimonia ſatis aptè explicari eo ſolum, quod corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento, & ad ejus eſſentiam pertineat in obliquo: in illis enim nihil eſt, quo determinetur ipſum corpus importari in recto tanquam partem eſſentialem Sacramenti, ſolumque intenditur, quod non ſalvaretur eſſentia hujus Sacramenti ſeclusâ reali, & verâ continentiâ corporis, & ſanguinis Chriſti in illo: quia non verificaretur forma, ut per ſe manifeſtum eſt. Et definitur *in Concilio Tridentino, ſeſſ. 13. cap. 14.* Salvatur tamen, & optimè cum hac continentia, ita ut corpus, & ſanguis Chriſti pertineat eſſentialiter ad hoc Sacramentum in obliquo, ſeu quod idem eſt, ut contenta ſub ſpeciebus panis, & vini.

35. Ad ſecundum dicendum, per verba conſecrationis non fieri ſpecies præciſè, ſed fieri ſpecies, ut continentes corpus Chriſti, atque ipſum Chriſti corpus ſolum pertinere eſſentialiter ad hoc Sacramentum, ut quid contentum, & in obliquo. Ad confirmationem dicendum, quod per formam conſecrationis convertitur panis, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti, ſic fiunt ipſæ ſpecies conſecratæ non præciſè; ſed ut continentes corpus, & ſanguinem Chriſti. Unde falſum eſt, quod illud omne, quod pertinet ad terminum conſecrationis ſit pars eſſentialis Sacramenti; ſed ſufficit, quod pertineat ad ipſum Sacramentum tanquam connotatum eſſentiale. *Evertitur 2. & ejus confirmatio.*

36. Ad tertium reſpondetur, ex corpore Chriſti, & ſpeciebus fieri aliquomodo unum in ratione continentis, & contenti, in quo reperiuntur id, quod eſt Sacramentum tantùm, & id, quod eſt res, & Sacramentum ſimul. Vel poteſt etiam dici, fieri unum per ordinem ad unam operationem. *Diluitur tertia.*

37. Ad quartum dicendum, quod licet inſtrumentum cauſativum gratiæ cibantis, ſi ſumatur præciſè in ratione inſtrumenti, ſupponat in recto, tam pro corpore Chriſti ſecundum ſe, quod eſt inſtrumentum conjunctum, quam pro ſpeciebus, quæ ſunt inſtrumentum ſeparatum; ſi tamen ſumatur in ratione Sacramenti, quod eſt in genere ſigni ſenſibilis formaliter, ſolum ſupponit in recto pro ſpeciebus conſecratis. Neque oppoſitum colligitur ex eo, quod in ratione Sacramenti ſit ſignum practicum: quia ad hoc ſufficit, quod dicat habitudinem ad virtutem activam, illamque connotet; non autem requiritur, quod ipſa virtus activa importetur in recto, ut pars eſſentialis Sacramenti: alias virtus Spiritus Sancti eſſet in aliis Sacramentis pars eſſentialis, quod dici non poteſt. *Evertitur 4.*

DUBIUM IV.

An hoc Sacramentum ſupponat in recto pro ſpeciebus conſecratis, ita ut corpus Chriſti pertineat ad illud in obliquo?

38. Videtur, quod ſit vera pars negativa. Primo: quia ut habetur *in Tridentino, ſeſſ. 13. cap. 2.* hoc Sacramentum eſt cibus ſpiritualis animarum: ſed ſi ſolum ſupponeret in recto pro ſpeciebus conſecratis, hoc non verificaretur, quia tunc ſolum eſſet cibus corporalis: ergo, &c. *1. ratio dubitandi.*

39. Secundò, quia corpus Chriſti eſt, quod cauſat gratiam: ergo corpus Chriſti eſt, quod eſt Sacramentum. *Secunda.*

40. Tertiò: quia huic Sacramento debetur adoratio latriæ, ut habetur *in Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 5.* ſed ſpecies conſecratæ non ſunt hac adoratione adorandæ, niſi ſolum corpus Chriſti in eis contentum: ergo ſpecies non ſunt Sacramentum; ſed corpus Chriſti. *Tertia.*

41. Confirmatur: quia poſtquam Tridentinum loco citato abſolute dixiſſet, Sacramentum Euchariſtiæ adorandum eſſe adoratione *Confirmatio.*

latriæ,

Digitized by Google

latriæ, poſtea *can. 6.* quaſi mentem ſuam explicans, definivit, Chriſtum in Sacramto exiſtentem eſſe adorandum cultu latriæ: ergo Concilium primo loco nomine Sacramenti Euchariſtiæ intellexit ipſum Chriſtum: ac proindè hoc Sacramentum pro Chriſto ſupponit in recto, & non pro ſpeciebus.

Autoritas Cathecʃ. 42. Sed contra: quia in Cathecíſmo Romano habetur ſpecies panis, & vini veram, & abſolutam hujus Sacramenti rationem habere, quod in Concilio Florentino, & Tridentino de corpore Chriſti nunquam affirmatur; ſed aſſeritur eſſe in Sacramento, & contineri in Sacramento: & ita loquuntur omnes Theologi. Si autem corpus Chriſti in recto eſſet Sacramentum, deberet dici, quod corpus Chriſti veram, & abſolutam hujus Sacramenti rationem habet: ſicuti de ſpeciebus dicitur; & non deberet dici, quod eſt in Sacramento, & continetur in Sacramento, ſicuti de ſpeciebus conſecratis non debet dici: quia ſunt ipſummet Sacramentum, & idem non dicitur contineri in ſeipſo.

Concluſio. 43. Reſpondetur dicendum: veram eſſe partem affirmativam, quæ ſequitur ex dictis in duobus præcedentibus dubiis à ſufficienti partium enumeratione: quia jam non ſupereſt aliud ex illis quinque, *dub. 2 numer.* 13 recenſitis, pro quo ſupponat in recto hoc Sacramentum, niſi ſpecies conſecratæ, ita ut corpus Chriſti pertineat ad illud in obliquo. Et rurſus probatur: nam ſpecies conſecratæ dicentes habitudinem ad corpus Chriſti tanquam ad virtutem activam, illamque connotando, ſunt ſigna ſenſibilia, & practica gratiæ cibantis animam: ergo ſunt Sacramentum Euchariſtiæ. Antecedens conſtat ex ſupradictis: & conſequentia patet a definitione ad definitum.

Latius de hoc N. Gabr. & Gonet. loc. cit.

Occurritur 1. rationi dubitandi. 44. Ad primum reſpondetur, ſpecies panis, & vini, ut continent carnem Chriſti, ratione elevationis eſſe etiam cibum animæ, à quo ſpiritualiter nutritur, & propter quem anima vivit, quamvis hujuſmodi vita potius tribuatur carni Chriſti, quam ſpeciebus, ut nobiliori cauſæ illius: & ita neque ſola caro Chriſti, licet nobilior cauſa, cibus animæ eſt, neque ſolæ ſpecies, à quibus etiam cauſatur ipſa gratia nutriens; ſed ſpecies iſtæ, ut continent carnem Chriſti, ſunt cibus, ut Sacramentum; caro vero Chriſti, quæ ſecundum ſe conſiderata concurrit ſimul cum anima, & tota humanitate concurſu quodam univerſali, & ut *quod*, nempe ut inſtrumentum verbi ad productionem gratiæ cujuſcumque Sacramenti, ut exiſtens in hoc Sacramento concurrit alio genere concurſus, ſcilicet, ut *quo*; quia eſt virtus altioris ordinis, quâ hoc Sacramentum cauſat gratiam, & eſt permanens, ſicut ipſum Sacramentum: ac ſubinde nunquam eſt cibus, ut Sacramentum, ſed eſt cibus in Sacramento, ut virtus Sacramenti pertinens ad illud eſſentialiter in obliquo.

45. Ad ſecundum reſpondetur, oppoſitum inde ſequi: nam corpus Chriſti non cauſat gratiam, ut Sacramentum, ſed ut virtus Sacramenti, ut dicit Ang. Doctor, *3. p. queſt. 73. art. 1, ad 2.* *Secunda.*

46. Ad tertium neganda eſt minor: quia non ſolum corpus Chriſti debet adorari latria, ſed etiam ſpecies ratione Chriſti contenti in illis. Nec Concilium dicit, quod hoc Sacramentum debet adorari latria: quia eſt Chriſtus; ſed quia in illo præſens eſt Chriſtus verus Deus. *Tertia.*

47. Ad Confirmationem reſpondetur, negando conſequentiam: mens enim Concilii fuit declarare motivum, & rationem formalem adorationis latriæ, quâ hoc Sacramentum colitur, eſſe dignitatem Filii Dei incarnati ibi exiſtentis, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum Scriptura teſtatur. Unde ſicut, qui adorat Verbum in carne, eodem cultu adorat carnem ipſam, ut docet D. Thom. *3. p. q. 25. art. 2.* ita, qui adorat Chriſtum in Sacramento, eadem adoratione adorat ipſum Sacramentum. *Solvitur Confirmatio.*

CAPUT SECUNDUM.

De unitate hujus Sacramenti.

Caput hoc conſtat Duplici puncto, & duobus dubiis.

P. 1. *Utrum hoc Sacramentum ſit unum ſecundum ſpeciem atomam?*

D. 1. *Utrum tota eſſentia ſpecifica Euchariſtiæ reperiatur in qualibet ſpecie ſeorſim ſumpta?*

D. 2. *Utrum unitas numerica hujus Sacramenti ſummatur ab unitate corp. Chriſti?*

P. 2. *Unde ſumatur unitas numerica hujus Sacramenti?*

PUNCTUM I.

Utrum Sacramentum Euchariſtiæ ſit unum in ſpecie atoma?

1. Concl. 1. Communis, & vera ſententia affirmat. Ita D. Thom. *q. 73. art. 2.* quem cæteri ſequuntur apud Suarez, Vazq. & Coninchum, cum multis ibidem Bonacina, *diſp. 4. de Sacram. quæſt. 1. punct.* 4. Layman *lib. 5. ſumm. tract. 4. cap. 1. aſſert.* 4. Palaus *de Euchariſt. diſp. unic. punct.* 2. Granad. *tract. 1. diſput.* 4 Lugo *diſp. 2. ſect.* 1. N. Philippus à Sanct. Trinitate *diſput. 1. dub.* 7. N. Gabr. *diſput. 2. quæſt.* 1. Gonet. *art.* 2. N. Anton. *diſp. 1. num.* 14. & docet eam Pius V. in Cathecíſmo *de Sacrament. Euchariſt. num.* 10. ubi ſic ait: *Licet autem duo ſint elementa, panis ſcilicet, & vinum, ex quibus integrum Euchariſtiæ Sacramentum conſtituitur, non tamen plura Sacramenta, ſed unum tantum eſſe, Eccleſiæ authoritate docti confitemur.*

2. Probatur autem ratione D. Th. quam *loco cit.* ſic proponit Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur ad ſpiritualem refectionem, quę corporali conformatur: ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, ſcilicet cibus, *Suadetur ratione.*

Digitized by Google

qui eſt alimentum ſiccum, & potus, qui eſt alimentum humidum, & ideò etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, ſcilicèt ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus, ſecundùm illud Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus*: ergò hoc Sacramentum multa quidem eſt materialiter; ſed unum formaliter, & perfectivè.

Confirmatur. 3. Confirmatur: quia Sacramentum Euchariſtiæ eſt inſtitutum à Chriſto Domino per modum convivii ad reficiendum ſpiritualiter: undè hoc nomine convivii appellatur paſſim ab Eccleſia, præſertim cum dicitur: *Hoc ſacrum convivium, &c.* Convivium autem corporale eſt unum in ſpecie infima, quamvis integretur ex cibo, & potu: & ideò etiam hoc Sacramentum, quod eſt convivium ſpirituale eſt unum in ſpecie infima, quamvis integretur ex ſpeciebus panis, & vini conſecratis.

Objectio prima. 4. Sed objicies primò: quod Eccleſia in collecta Miſſæ loquitur de Euchariſtia in plurali dicens: *Purificent nos Domine Sacramenta, quæ ſumpſimus*: ergò non eſt unum Sacramentum in ſpecie infima.

Secunda. 5. Secundò: tam ſpecies panis, quam ſpecies vini conſecratæ ſeorſim ſumptæ ſunt Sacramentum: ergo non ſunt unum Sacramentum in ſpecie infima, ſed duæ ſpecies Sacramenti: pars enim ſpeciei non denominatur denominatione ſpeciei, benè autem ſpecies denominatur à genere: & ideò cum tam ſpecies panis, quam vini conſecratæ dicantur Sacramentum, erunt duæ ſpecies Sacramenti.

Tertia. 6. Tertiò: quia Sacramentum conſtituitur quaſi ſpecie ex materia, & forma: ſed in Euchariſtia ſunt duæ materiæ, & duæ formæ diverſæ rationis ſpecificæ: ergò duo Sacramenta ſpecie diverſa. Minor probatur: quia diſtinctio ſpecifica materiæ, & formæ in Sacramentis ſumitur ex diverſa ſignificatione formæ, & determinatione materiæ: in Euchariſtia autem verba conſecrationis panis habent formaliter diverſam ſignificationem à verbis conſecrationis Calicis: quia illa ſignificant converſionem panis in corpus Chriſti, iſta verò converſionem vini in ſanguinem Chriſti; & eſt diverſa determinatio materiæ, ut de ſe patet: ergo, &c.

1. Objectio diluitur. 7. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur cum D. Thom. *art. 2. cit. ad* 1. quod in eadem collecta, & pluraliter dicitur primò: *Purificent nos Sacramenta, quæ ſumpſimus*, & poſteà ſingulariter ſubditur: *Hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam*: ad oſtendendum, quod hoc Sacramentum quodammodo eſt multa (ſcilicet ſecundum partialem, & materialem diſtinctionem ſignorum) ſimpliciter autem unum. Poteſt etiam dici orationes, quæ poſt communionem dicuntur à Sacerdote, recitari nomine totius populi adſtantis Miſſæ: quia juxta uſum primitivæ Eccleſiæ ſacram Euchariſtiam quotidiè ſumebat, atque ita cum à populo ſumerentur plures formæ conſecratæ, agit Sacerdos nomine ejus gratias pro pluribus Sacramentis numero diſtinctis.

Secunda. 8. Ad ſecundum reſpondetur, unamquamque ſpeciem ſeorſum non eſſe integrum Sacramentum, ſed partiale, & inadæquatum: ſicut ſolus cibus non eſt integrum convivium, nec ſolus potus, ſed inadæquatè, & partialiter. Conſtat autem, quod Euchariſtia fuit inſtituta per modum convivii integri ſpiritualis, quod eſſentialiter perficitur ex utraq; ſpecie. Unde quando quælibet ſeorſum denominatur Sacramentum, debet ſubintelligi inadæquatum, & partiale.

9. Ad tertium diſtinguenda eſt minor: *Sunt duæ materiæ, & duæ formæ, diverſæ rationes ſpecificæ*, in genere rei concedimus, in genere ſigni ſubdiſtinguimus, in completi, & partialis concedimus: completi, & per modum, integri convivii, quod ex cibo, & potu conſtat, negamus. *Tertia.*

DUBIUM I.

Utrum tota eſſentia ſpecifica Sacramenti Euchariſtiæ reperiatur in qualibet ſpecie panis, vel vini ſeorſum ſumpta?

10. ET videtur quod ſic primò: quia quælibet ex his ſpeciebus eſt in genere Sacramenti; quia eſt ſignum practicum cauſativum gratiæ: ergo eſt in aliqua ſpecie Sacramenti eſſentialiter: nam ratio generica non poteſt reperiri in aliquo individuo, niſi contracta per aliquam differentiam ſpecificam, cum non ſit dabile individuum, quod non ſit alicujus ſpeciei: cum igitur ſpecies non poſſit ſalvari ſine tota eſſentia ſpecifica in qualibet ſpecie panis, vel vini, ſalvari debet tota eſſentia ſpecifica Sacramenti. *1 ratio dubitandi.*

11. Secundò: quia ſicut ſi ampla aliqua domus dividatur in duas partes, tota eſſentia domus ſalvatur in qualibet parte ex illis duabus: quia tam omnes ſimul, quam quælibet ſeorſum eſt quid ſufficiens ad habitationem humanam: ita ſi totum hoc Sacramentum dividatur in ſpecies panis, & ſpecies vini conſecratas, tota eſſentia Sacramenti ſalvabitur in qualibet ſeorſum ſumpta: quia tam omnes ſimul, quàm quælibet ſeorſum eſt ſignum cauſativum gratiæ cum ordine ad unionem cum corpore Chriſti myſtico, in quo conſiſtit ratio ſpecifica hujus Sacramenti. *Secunda.*

12. Tertiò: quia ex oppoſito videtur ſequi eum, qui ſumit ſolam ſpeciem corporis, non ſumere verum Sacramentum Euchariſtiæ, quod videtur contra Concil. Trident. *ſeſ. 21. c.* 3. ubi aſſerit ſub una ſpecie non ſolum totum Chriſtum ſupponi, ſed etiam verum Sacramentum. *Tertia.*

13. Quartò: nam quælibet ſpecies habet rationem integri convivii: quia ſub ſpeciebus panis eſt corpus Chriſti ex vi verborum, & per concomitantiam ſanguis, & econtra ſub ſpeciebus vini eſt ſanguis ex vi verborum, & per concomitantiam corpus, ratione autem corporis nutrit, ut cibus, & ratione ſanguinis humectat, & refrigerat ſpiritualiter, ut potus: ergo quælibet ſpecies habet rationem cibi, & potus: & conſequenter integri convivii. *Quarta.*

14. Quintò: quia ſola ſpecies corporis, v.g. cauſat integrum effectum hujus Sacramenti, ut nunc ſupponimus juxta probabilem ſententiã: ergo ſola hæc ſpecies ſignificat integrum convivium, & integram refectionem: quoniam Sacramenta nihil aliud cauſant, niſi quod ſignificant: ergo in ea ſola ſpecie corporis ſalvatur integra ratio hujus Sacramenti. *Quinta.*

15. Sextò: nam ſi in qualibet ex duabus ſpeciebus panis, & vini conſecratis non eſſet tota *Sexta.*

eſſentia

Digitized by Google

eſſentia hujus Sacramentis, opus eſſet una tertia forma verborum totali diſtincta à formis conſecrationis panis, & vini ad conſtituendum Sacramentum Euchariſtiæ: quia ad unitatem ſpecificam infimam cujuſvis compoſiti requiritur unitas formæ.

16. Propter hæc fundamenta hanc partem affirmativam tuentur Bellarmin. *lib. 4. de Euchar. c. 22.* Ioan. Gonzal. *in manu ſcriptis, diſp. 2. de Euchariſt. ſect. 1.* Nuñus 3. *p. q. 73 art. 2. diffic. unica in ſolut. ad 2. argumentum principale*, & alii.

Argumentum ſed contra.

17. Sed contra: quia in ſola una ſpecie non ſalvatur integra, & completa ratio ſacrificii Euchariſtiæ: quia Euchariſtia, ut ſacrificium, ſignificat ſacrificium incruentum Chriſti in cruce, quod effuſione ſui ſanguinis, & morte ſua conſummavit: illud autem ſacrificium, quod unicum fuit, non ſignificatur per unam, vel alteram ſpeciem; ſed per utramque ſimul, quæ dum ſeparatim conſecrantur, & offeruntur, effuſionem ſanguinis, & ſeparationem animæ à corpore repræſentat: ergo nec in ſola una ſpecie panis, vel vini ſalvatur integra, & completa ratio Sacramenti Euchariſtiæ: quia non minus per ſe requiritur corpus, & ſanguis Chriſti ad hoc Sacramentum, cum ſit convivium, quam ad ſacrificium.

Concluſio.

19. Reſpondetur dicendum, totam eſſentiam ſpecificam Sacramenti Euchariſtiæ non reperiri in qualibet ſpecie ſeorſum ſumpta. Ita Petrus de Ledeſm. *de Sacramento Euchariſtia, c. 1. concluſ. 12.* N. Petrus Cornejo, *diſput. 1. dub. 2.* N. Philippus à S. Trinitate, *diſp. 2. dub. 8.* Granad. *controverſ. 6. diſp. 4.* Cardinalis Lugo de Euchar. *diſp. 2. ſect. 1.* N. Gabr. à S. Vinc. *diſp. 2. quæſt. 2.* & alii.

Suadetur.

20. Et probatur; quia quælibet ſpecies ſeorſum ſumpta ſignificat partialiter gratiam convivii ſpiritualis, hoſtia ſcilicet ſola per modum cibi, calix ſolus per modum potus: ſed Sacramentum eſſentialiter, & adæquatè ſumptum inſtitutum fuit à Chriſto Domino, tanquam ſignum pleni convivii ſpiritualis: ergo eſſentialiter, & adæquatè non ſalvatur hoc Sacramentum in qualibet ſpecie ſeorſum ſumpta; ſed partialiter, & inadæquatè.

Evaſio.

21. Nec ſatis erit, ſi dicas, ſub qualibet ſpecie contineri, & ſignificari corpus, & ſanguinem, cibum, & potum, unum quidem per ſe ex vi verborum, aliud vero per accidens ratione concomitantiæ. *Præcluditur.* Nam concomitantia per accidens ſe habet ad conſecrationem ſpecierum: unde ſi in triduo mortis Chriſti conſecrarentur ſpecies panis, non continerent ſanguinem, neque econtra; & tamen eſſent ejuſdem ſpeciei, ac rationis eſſentialis in eſſe Sacramenti, ſicut modo ſunt poſt Chriſti Reſurrectionem: ergo ſi in triduo non haberent ſpecies corporis rationem integram Euchariſtiæ, neque etiam modo habent.

Conſule latius N. Gabr. & Cornejo loc. cit.

Solvitur 1. ratio dubitandi.

22. Ad primum reſpondetur, quamlibet ex his ſpeciebus, v. g. panis eſſe ſignum ſolum partiale, & inadæquatum cauſativum gratiæ, & ita non eſſe in genere Sacramenti, niſi ſolum inadæquatè, & partialiter: quia ex inſtitutione Chriſti, à quo Sacramenta habent totum ſuum eſſe, ſignificatio unius ſpeciei unitur ſignificationi alterius ad componendam unam integram ſignificationem ſacramentalem, ſpecificam, & genericam: ſicut ex eo quod corpus, & anima uniuntur ex natura rei ad compoſitionem hominis tanquam partes ſpeciei, bene ſequitur, quod etiam uniantur ad compoſitionem animalis, imo ad compoſitionem ſubſtantiæ completæ, quæ eſt genus generaliſſimum, atque adeo, quod ratio ſubſtantiæ, quæ in corpore, & anima ſeorſum reperitur, incompleta ſit, & partialis.

Enervatur 2.

23. Ad ſecundum dicendum, eſſe diverſam rationem in partibus domus, & in partibus convivii: quia partes domus, quarum quælibet eſt ſufficiens ad habitationem humanam, poſt diviſionem non manent partes: ſed quælibet eſt totum quoddam habens integram formam, & rationem ſpecificam domus: at vero partes convivii, cibus ſcilicet, & potus, ſemper manent partes: quia in neutra invenitur integra ratio convivii. Et licet quælibet ſeorſum ſit ſignum cauſativum gratię cum ordine ad unionem cum corpore Chriſti myſtico, quia tamen hoc non habet adæquatè, & completè, ſed ſolum inadæquatè, & partialiter, non convenit ei tota ratio ſpecifica hujus Sacramenti, quæ eſt ſignum completum, & totale cauſativum gratiæ cum ordine ad unionem cum corpore Chriſti myſtico, & cum ipſo capite, ſed ſolum incompleta, & partialis.

Diluitur tertia.

24. Ad tertium dicendum, eum, qui ſumit ſolam ſpeciem corporis, ſumere verum Sacramentum, prout ly *verum* opponitur metaphorico, non autem, ut importat completum, & perfectum Sacramentum. Neque oppoſitum docet Trident. *loco citato*: ibi enim agit contra hæreticos, qui ut defenderent communionem dandam eſſe laicis ſub utraque ſpecie, neceſſitate Sacramenti id exigentis, aſſerebant Chriſtum non eſſe in hoc Sacramento, niſi ſit in duabus ſpeciebus. Hos igitur damnat Concilium, definiens ſub qualibet ſpecie eſſe totum Chriſtum ratione concomitantiæ, & communicantes ſub ſola ſpecie panis ſuſcipere verum Sacramentum ratione continentiæ, & ſignificationis: quia ſcilicet quælibet ſpecies ſeorſum non eſt Sacramentum metaphoricè per tropum, & per figuram, ſed ſecundum rei veritatem. Ex hoc tamen non ſequitur, quod Concilium determinet alteram ſpeciem ſeorſum eſſe Sacramentum Euchariſtiæ integrum, & totale; ſed quod ſolum ſit Sacramentum partiale, eo quod quamvis totum Chriſtum contineat quoad carnem, & ſanguinem: non tamen continet totum ex vi ſua, & per ſe, ſed partim per ſe ex vi ſua, & partim per concomitantiam: ut autem eſſet completum, & perfectum Sacramentum opus eſſet, quod ex vi ſua, & per ſe contineret carnem, & ſanguinem Chriſti, quod non contingit, niſi adſit utraque ſpecies. Unde optimè dixit S. Bonaventura, *in 4. diſt. 11. art 2. q. 2.* laicum recipere totum Sacramentum, quoad efficaciam, & rem contentam; ſed non totum, quoad ſignificationem nempè, quæ eſt ex vi Sacramenti explicita, & per ſe.

Evacuatur 4.

25. Ad quartum reſpondetur: quod quælibet ſpecies ſeorſum non habet ex vi ſua, & per ſe rationem integri convivii, quod tamen

requiritur ad integram eſſentiam hujus Sacramenti, quod ſi de facto eſt ſub qualibet ſpecie corpus, & ſanguis, hoc eſt peraccidens, & ratione concomitantiæ.

Evertitur 5. 26. Ad quintum admiſſo pro nunc antecedenti, (de quo infrà ſuo loco) reſpondetur ſolam ſpeciem corporis non conferre per ſe loquendo totam gratiam hujus Sacramenti; ſed peraccidens: nam per ſe ſolum confert gratiam per modum cibi, peraccidens verò per modum etiam potus: eò quod per ſe, & ex vi Sacramenti non continet niſi ſolum corpus Chriſti, & peraccidens, ſeu per concomitantiam ipſum ſanguinem. Unde neganda eſt conſequentia: & ad probationem dicendum, maximam illam: *Sacramenta non cauſant, niſi quod ſignificant*, intelligendam eſſe de effectu per ſe, ita ut non cauſent per ſe, niſi quod ſignificant: nam peraccidens bene poteſt cauſalitas excedere ſignificationem, ut contingit in hoc eodem Sacramento Euchariſtiæ, quod ſignificat tantum gratiam per modum cibi, & potus, ac proinde gratiam ſecundam præſupponentem vitam animæ, & tamen peraccidens aliquando cauſat primam gratiam juſtificantem, ut cum D. Thom. 3. *p. q. 79. art.* 3. *&* *q.* 80. *art.* 4. *ad* 5. diximus ſup. *tract.* 1. *de Sacram. in gener. cap.* 5. *punct.* 2. *num.* 15.

Occurritur 6. 27. Ad ſextum dicendum, quod ſicut Euchariſtia non eſt tertia res diſtincta à ſpeciebus panis, & vini; ſed eſt utraque ſpecies ſimul, ut conſtituunt unum compoſitum artificioſum morale: ita non indiget tertiâ formâ verborum totali diſtinctâ à formis conſecrationis panis, & vini; ſed ſufficiunt duæ partiales moraliter unitæ: ut ſic enim efficiunt unam formam moralem integri convivii.

DUBIUM II.

Utrum unitas numerica hujus Sacramenti ſumatur ab unitate corporis Chriſti, ita ut omnes ſpecies conſecratæ in tota Eccleſia ſint unum numero Sacramentum?

1. Ratio dubitandi. 28. ET videtur, quod ſic primò: quia Apoſtolus 1. *ad Corinthios* 10. vocat hoc Sacramentum unum, & eundem panem dicens: *Omnes unum corpus ſumus, qui de uno pane participamus*, quod non de unitate ſpecifica, ut aliqui volunt, ſed de numerica debet intelligi, alioqui non bene inferret eſſe omnes fideles unum corpus: ſicut neque in naturalibus bene infertur, eſſe omnes idem corpus: quia de eodem alimento in ſpecie participamus.

Secunda. 29. Secundò: quia ad pluralitatem concreti debet plurificari, quod ſignificatur in recto: ſed Sacramentum Euchariſtiæ dicit in recto ſolum corpus Chriſti, & non ſpecies: ergo non erunt plura Sacramenta Euchariſtiæ multiplicatis ſpeciebus, quia idem corpus Chriſti ſub omnibus continetur. Et hac unica ratione motus eſt Cardinalis Lugo ad id aſſerendum, *diſp.* 2. *sect.* 2. omiſſis rationibus, quibus idem probat Suarez, *diſputat.* 1. *de Euchariſt. sect.* 4. quia efficaces non eſſe fatetur.

Tertia. 30. Tertiò: quia ſi Verbum divinum uniretur hypoſtaticè pluribus naturis humanis conſtitueret unum numero hominem propter unitatem hypoſtaſis, ſeu ſuppoſiti, quod uniretur: ergo corpus Chriſti unitum ſacramentaliter pluribus ſpeciebus conſtituit unum numero Sacramentum propter unitatem corporis uniti: quia non videtur major ratio unius, quam alterius.

31. Quartò: quia *in cap. In Chriſto de conſecrat. diſt.* 2. dicitur, quod eſt eadem hoſtia, quam obtulit Chriſtus, & quam quotidiè offerunt Sacerdotes: ergo eſt idem numero Sacramentum; illud enim idem, quod offertur ut hoſtia, ſumitur, ut Sacramentum. *Quarta.*

32. Sed contra: quia cum Chriſtus Dominus in obliquo ſolum pertineat ad eſſentiam hujus Sacramenti, ut habitum eſt ſupra *diſp. præcedenti*, non poteſt aptè ex illo deſumi unitas, vel diſtinctio numeralis Euchariſtiæ. *Argumentum ſed contra.*

33. Reſpondetur dicendum, unitatem numericam hujus Sacramenti non ſumi ab unitate corporis Chriſti, ut omnes ſpecies conſecratæ in tota Eccleſia ſint unum numero Sacramentum. Ita Valentia, *diſp.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 4. Vazquez, *diſp.* 168. *cap.* 2. N. Cornejo, *diſp.* 2. *de Euchariſt. dub.* 1. N. Philippus *diſp.* 1. *dub.* 9. Gonzales, *diſp.* 2. *sect.* 2. Montelinos, *diſp.* 1. *quæſt.* 4. Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 1. *puncto* 4. Granado *tractat.* 1. *diſp.* 4. *num.* 8. Palans, *diſp. unica, punct.* 2. Nuñus, 3. *part. quæſt.* 73. *artic.* 2. N. Gabr. *q.* 3. & alii paſſim. *Concluſio.*

34. Probatur: quia ſpecies panis, & vini, quæ, v. g. conſecrantur, & ſumuntur à diverſis Sacerdotibus, vel ab eodem in diſtinctis Miſſis, ſunt diverſa numero ſigna, non ſolum quia ſignificant diverſas numero gratias, quas cauſant in diverſis ſubjectis, vel in eodem in diverſis refectionibus moraliter completis; ſed etiam, quia eundem numero Chriſtum diverſa numero ſignificatione ſignificant: quemadmodum hæc vox *Chriſtus* ſi proferatur à diverſis, vel ab eodem pro diverſis temporibus, diverſas numero ſignificationes habet reſpectu ejuſdem numero rei ſignificatæ: ita ergò prædictæ ſpecies diverſas numero ſignificationes habent, non ſolùm quia ſignificant gratias numero diverſas; ſed etiam reſpectu ejuſdem numero Chriſti: ac per conſequens ſunt diverſa numero ſigna, & diverſa numero Sacramenta. *Suadetur.*

35. Ad primum reſpondetur, Apoſtolum per unum panem, & unum calicem non intelligere ipſa Sacramenta: quia iſta ſunt multa numero, & quod unus accipit, alter non accipit; ſed methonymicè nomine panis intelligit corpus, & nomine calicis ſanguinem, & quia corpus, & ſanguis Chriſti ſub omnibus Euchariſtiæ Sacramentis ſunt unum, & idem numero, inde eſt, quod dicat, omnes fideles eſſe unum numero corpus Chriſti myſticum: quia aluntur unico, & eodem cibo, qui eſt corpus Chriſti verum. *Solvitur 1. ratio dubitandi.*

36. Ad ſecundum neganda eſt minor: ad fundamenta autem, quibus ſuo loco eam probat eminentiſſimus Cardinalis Lugo, reſponſum eſt ſupra *diſp. præced.* *Enodatur 2.*

37. Ad tertium conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, & ratio diſparitatis eſt: quia homo eſt concretum ſubſtantivum, ad *Diluitur tertia.*

cujus

cujus pluralitatem requiritur pluritas, tam naturæ, quam ſuppoſiti. Et ita ſi Verbum divinum uniretur hypoſtaticè pluribus naturis humanis, non diceretur niſi unus homo habens plures naturas humanas propter unitatem ſuppoſiti. Vt docet D. Thomas, *3. quæſt. 3. art. 7 ad 2.* At vero corpus Chriſti non unitur cum ſpeciebus ſacramentalibus in unitate ſuppoſiti, cum ſpecies ſacramentales non exiſtant, neque ſubſiſtant eadem exiſtentia, aut ſubſiſtentiâ corporis Chriſti; ſed uniuntur per modum continentis, & contenti, & ſolæ ſpecies continentes ſunt in recto Sacramentum: unde illis multiplicatis, etiam corpore Chriſti non multiplicato, multiplicari poſſunt numero Sacramenta.

Enervatur 4. 38. Ad quartum dicendum, quod ſi hoſtia ſumatur pro ipſa re oblata, & ſacrificatâ, eſt eadem: quia in omnibus oblationibus incruentis eſt idem numero Chriſtus: alia tamen eſt ratio hoſtiæ ſic acceptæ, & alia ratio Sacramenti hoſtia enim ſic accepta eſt ipſa res, quæ offertur: Sacramentum verò eſt ipſum ſignum, quo res oblata ſignificatur, & benè ſtat, quod eadem res oblata ſignificetur pluribus ſignis.

PUNCTUM II.

Unde ſumatur unitas numerica hujus Sacramenti?

1. ſententia. 39. Circa hoc punctum, præter modum dicendi Cardinalis Lugo, & aliorum, quem impugnavimus *dubio præc.* ſunt aliæ duæ præcipuæ ſententiæ, Prima eſt P. Vazquez, *diſp. 168. cap. 1. num. 13.* N. Petri Cornejo, *diſp. 2. dub. 3.* N. Gabr. 4. 3. Palao, *diſp. 1. punct. 2.* & aliorum aſſerentium, ſumi à phyſica continuatione partium ipſarum ſpecierum: atque ita, quot fuerint ſpecies panis, & vini phyſice diſcontinuæ, tot fore Sacramenta.

Probatur primo. 40. Et ſuadetur primò: quia Sacramentum hoc conſiſtit intrinſecè in ſpeciebus conſecratis: ergo quotieſcumque ſpecies conſecratæ multiplicantur ſecundum numerum ſunt etiam diverſa numero Sacramenta.

Secundo. 41. Secundò: quia multiplicatis ſpeciebus conſecratis, multiplicantur ſigna rei ſacræ: quia quælibet ſpecies conſecratæ ſeorſum ſunt ſignum refectionis ſpiritualis: ergo multiplicantur ſecundum numerum Sacramenta, cum hoc nihil aliud ſit, quam multiplicari ſigna rei ſacræ.

Tertio. 42. Tertiò: quia unitas ſumptionis, loci, vel temporis, ſtante multiplicatione ſpecierum, non ſufficiunt ad unitatem numericam hujus Sacramenti: quoniam unitas numerica rei ſumitur ab aliquo intrinſeco, ſcilicet à propria entitate rei, quia unum non diſtinguitur ab ente: illa autem omnia extrinſeca ſunt ad hoc Sacramentum: & ideò ab illis non poteſt ſumi unitas numerica ejus, ſtante multiplicatione ſpecierum.

2. ſententia 43. Secunda ſententia eſt Soti. *in 4. diſt. 8. quæſt. unic. artic. 2* Ledeſmæ, *1. p. quæſt. 14. artic. 2.* Bellarmini, *lib. 4. cap. 14.* N. Philippi, *diſp. 1. dub. 9.* N. Anton. *ſect. 4* Gonet. *art. 3.* Labat. *dub. 2.* Bonacinæ ubi ſupra, & aliorum aſſerentium, unitatem numericam hujus Sacramenti ſumi ex morali conjunctione ſpecierum inter ſe, ita ut ſi plures ſpecies per modum unius proponantur, vel ſumantur, unicum ſit numero Sacramentum.

44. Et probatur primò: quia Sacerdos, qui in Miſſa dividit hoſtiam in tres partes, ſi triplici hauſtu ſumit ſpecies vini phyſicè diſtinctè, moraliter tamen continuè, unum tamen numero dicitur Sacramentum ſumere. Et ſimiliter laicus, qui ſimul ſumit duas formas conſecratas per modum unius, unum numero ſuſcipit Sacramentum: ergo cum hoc non ſit propter phyſicam continuationem partium ſpecierum, ut patet, dicendum eſt, eſſe propter continuationem moralem. *1. Ratio pro illa.*

45. Secundò: quia Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum eſt à Chriſto Domino per modum convivii ſpiritualis, quo reficitur anima: unde de illo agendum eſt cum analogia ad convivium materiale: ſed convivium materiale non habet ſuam unitatem numericam à phyſica continuatione ciborum, neque à numero ferculorum: ſed à cibis, & ferculis moraliter conjunctis, ita ut per modum unius una integra morali refectione ſumantur: ergo unitas numerica Sacramenti Euchariſtiæ non ſumitur à phyſica continuatione partium ſpecierum; ſed a morali conjunctione ipſarum, ita ut ſi plures ſpecies per modum unius proponantur, aut ſumantur, unicum ſit numero Sacramentum. *Secundo.*

46. Tertiò: quia ſequeretur ex oppoſito, quod ille, qui recipit plures particulas phyſicè diſcontinuas, reciperet majorem gratiam, quam ſi reciperet unam tantùm; quod non eſt admittendum. Sequela probatur: quia in ſententia oppoſita recipit duo Sacramenta numero diſtincta, quorum cuilibet debet correſpondere proprius, & diſtinctus gradus gratiæ. *Tertio.*

Concluſio.

47. Reſpondetur dicendum: primam ex his ſententiis eſſe veram, ſi intelligatur de unitate, vel pluralitate numerica Sacramenti Euchariſtiæ phyſicè acceptis; ſecundam verò ſi intelligatur de unitate, vel pluralitate numerica acceptis moraliter: ſtat enim optimè aliqua duo diſtingui numero phyſicè, & eſſe unum moraliter, ut patet in duabus voluntatibus Petri reſpectu ejuſdem objecti mali phyſicè diverſis, & moraliter unitis, quæ phyſicè loquendo ſunt duæ voluntates numero, moraliter tamen unum numero peccatum propter ſimultatem moralem: ſimiliter ergo plures ſpecies conſecratæ phyſicè diſcontinuæ, quæ proponuntur, vel ſumuntur per modum unius continuatione morali, plura quidem Sacramenta phyſicè accepta ſunt, unum verò tantum numero acceptum moraliter.

48. Nequè argumenta primæ ſententiæ aliquid amplius probant, quam unitatem numericam hujus Sacramenti phyſicè acceptam debere ſumi à phyſica continuatione partium ipſarum ſpecierum conſecratarum, ita ut quot fuerint ſpecies panis, & vini phyſicè diſcontinuæ, tot ſint numero Sacramenta phyſicè etiam accepta, ut rectè intuenti conſtabit, & ex eorum ſolutione, quatenus amplius intendi poterat, magis patebit.

49. Ad primum igitur, conceſſo antecedenti, *Solvitur 1. argum.*

denti, diſtinguĕndum eſt conſequens: *Ergo quotieſcumque ſpecies conſecratæ multiplicantur ſecundum numerum ſunt diſtincta numero Sacramenta*: ſi multiplicantur tantum phyſicè, ſunt diverſa Sacramenta phyſicè, concedendum eſt: ſi multiplicantur tantum phyſicè, ſunt diſtincta moraliter, negandum eſt.

Enervatur 2. 50. Similiter ad ſecundum reſpondetur, multiplicatis ſpeciebus conſecratis, multiplicari quoque ſigna rei ſacræ, ita ut ſi multiplicentur ſpecies tam phyſicè, quam moraliter, multiplicentur etiam utroque modo ſigna rei ſacræ: ſin vero multiplicentur ſpecies ſolum phyſicè, ſolum quoque phyſicè, & non moraliter ſigna rei ſacræ multiplicari.

Diluitur tertium. 51. Ad tertium reſpondetur, unitatem ſumptionis, loci, vel temporis, ſtante multiplicatione phyſica ſpecierum, non ſufficere ad unitatem numericam phyſicè acceptam, ſufficere tamen modo dicto ad unitatem numericam moralem. Et ad impugnationem ſimiliter dicendum, quod licet unitas numerica phyſicè accepta ſumatur ab aliquo intrinſeco; moraliter tamen ſumpta ab aliquo extrinſeco optimè poteſt accipi.

52. Fundamenta ſimiliter ſecundæ ſententiæ nihil aliud probant. quam unitatem numericam hujus Sacramenti moraliter acceptam debere ſumi ab unitate morali ſpecierum inter ſe, ut ea perpendenti conſtabit, & ex eorum ſolutione, quatenus plus intendi poterat, amplius elucebit.

Enodatur fundamentum secunda sententia. 53. Ad primum ergo reſpondetur, Sacerdotem ſumentem in Miſſa hoſtiam in tres partes diviſam, & ſpecies vini triplici hauſtu phyſicè diſtincto, & moraliter continuo, triplex Sacramentum phyſicè, & unum moraliter ſumere. Et ſimiliter laicum, qui ſimul ſumit duas formas conſecratas per modum unius, duplex Sacramentum phyſicè, & unum moraliter ſuſcipere.

Diluitur 2. 54. Ad ſecundum dicendum, quod ſi hoc nomen convivium ſumatur pro ipſis ferculis, ac cibis in menſa ad comedendum appoſitis, quælibet ſingularia fercula, unum cibi, & alterum potus, habent rationem unius convivii phyſicè accepti, ac proinde ubi adfuerint quatuor fercula appoſita, duo cibi, & duo potus, ibi phyſicè duo convivia, & ubi plura fercula, plura phyſicè convivia: quamvis unum moraliter, vel quia ſimul apponuntur, vel ratione continuationis temporis, quo eadem menſa, & convivatio durat. Et hac ratione plures hoſtiæ ſimul ſumptæ non ſolum ſunt phyſicè plura numero Sacramenta, ſed plura etiam phyſicè convivia, quamvis moraliter dicantur unum, & idem convivium ratione unius ſumptionis, & refectionis.

Evertitur 3. 55. Ad tertium reſpondetur, negando ſequelam. Et ad probationem dicendum, quod in communicatione gratiæ pendet Sacramentum Euchariſtiæ à ſumptione, vel refectione, quæ ſit una moraliter: & ita duplici illi phyſicè Sacramento non correſpondet niſi unicus gradus gratię, qui correſponderet, etiamſi eſſet unum tantum Sacramentum phyſicè: quia ſive ſit unum, ſive duo phyſicè, non datur ibi niſi una ſumptio, ſive refectio moraliter.

CAPUT TERTIUM.

De neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ.

Caput iſtud continet unicum punctum, in quo aliqua ſupponuntur, & duplex dubium.

D. 1. *An Euchariſtia in voto ſit neceſſaria neceſſitate medii, tam parvulis, quam adultis ad primam juſtificationem obtinendam?*

D. 2. *An Euchariſtia in voto ſit medium neceſſarium pro adultis ad conſervandam diu vitam ſpiritualem?*

PUNCTUM UNICUM.

In quo aliqua ſupponuntur.

Duplex neceſſitas medii ſcilicet, & præcepti. 1. COmmunis Theologorum ſententia diſtinguit duo genera rerum, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, & ſinè quibus gloria obtineri non poteſt. Quædam enim ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ſeu finis, & quædam ſolum neceſſitate præcepti. Priora ſunt illa, quæ ſive ex natura rei, ſive ex divina inſtitutione requiruntur ad ſalutem, ita ut ſinè illis, vel efficienter, vel finaliter influentibus, ſalus non poſſit obtineri, ut gratia, fides, paſſio Chriſti, Baptiſmus, vel poſt lapſum Pœnitentia. Poſteriora verò neceſſaria ſolum neceſſitate præcepti ea ſunt, quæ catenus requiruntur ad conſequendam ſalutem, quatenus ſi non obſerventur, committetur gravis culpa, quæ obſtat ſaluti: & hoc modo audire ſacrum diebus feſtis, reſtituere, orare, & alia hujuſmodi ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti.

Differt autem inter id, quod ſolum eſt de neceſſitate præcepti, & inter id, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii: primò, quod propter ignorantiam invincibilem, vel defectu copiæ poteſt quis conſequi ſalutem ſinè illo, quod eſt neceſſarium ſolùm neceſſitate præcepti, non vero ſine eo, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii; & propterea dicitur neceſſarium neceſſitate finis: quia ſine illo in nullo caſu habetur finis.

3. Differt ſecundò, quod id, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, eſt poſitivè cauſa conſecutionis gloriæ; id verò quod ſolum eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, eſt cauſa illius dumtaxat negative: quia tantùm ſe habet reſpectu gloriæ, ut removens prohibens, quatenus ſcilicet implendo præceptum, non committitur peccatum, quod obſtare poterat conſecutioni gloriæ. *2. differentia.*

4. Differt tertiò, quod neceſſarium neceſſitate *3. differentia.*

ſitate præcepti ſemper eſt eorum, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ſaltem medio adjutorio, & gratiâ Dei. Id autem quod eſt neceſſarium neceſſitate medii non ſemper eſt in noſtra poteſtate, ſicut baptiſmus reſpectu parvulorum.

Neceſſarium neceſſitate medii tripliciter contingit. 5. Tripliciter autem aliquid dici neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, primò in re ſuſceptum, ut baptiſmus reſpectu parvulorum excepto caſu martyrii. Secundò in re, vel defectu copiæ quaſi per accidens in voto, ut baptiſmus reſpectu adultorum. Tertiò, per ſe in voto, vel deſiderio, ut eſt neceſſarium votum Euchariſtię, quod reſpicit ipſum ut finem ad obtinendam gratiam aliorum Sacramentorum, ut explicabitur *dub. 1. ſequenti.*

Quæ ſupponantur & quæ examinanda reſtent. 6. Supponimus autem cum D. Thomâ, 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 11. Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, non ſolum Eccleſiaſt. quod habetur *cap. Omnis utriuſque ſexus. De Pœnitent. & remiſsionibus*, ſed etiam divini, quod habetur Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod infra ſuo loco probandum nobis eſt. Undè nunc ſolùm examinandum reſtat, an ſit neceſſaria neceſſitate medii? Et ne diutius, quam res exigit, immoremur, ſupponimus etiam, ut certum, Euchariſtiam ſecundùm realem ſuſceptionem non eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem, cum certò conſtet, quam plures, non ſolùm parvulos; ſed etiam adultos ſalvos fieri ſine reali Euchariſtiæ ſumptione, quos, vel impotentia, vel ignorantia, vel alia juſta cauſa excuſat à reali Euchariſtiæ uſu. Ut contrà Hæreticos efficaciter probant è N. Guido. *de Hæreſ. VValdenſis*, hic *cap.* 9. Cornejo *dub.* 1. *&c.* Gabriel à S. V. *diſp.* 3.

7. His ergo ſuppoſitis, duo ſolum ſuperſunt duobus dubiis ſequentibus examinanda.

DUBIUM I.

Utrùm Euchariſtia in voto ſit neceſſaria neceſſitate medii, tam parvulis, quam adultis ad primam juſtificationem obtinendam?

1. Dubitandi ratio. 8. ET videtur quod non primò: quia in Concilio Trident. *ſeſſ.* 13. *canon.* 5. damnatur, qui dicit, præcipuum fructum hujus Sacramenti eſſe remiſſionem peccatorum. Si autem eſſet hoc Sacramentum in voto medium neceſſarium ad primam gratiam, jam remiſſio peccatorum eſſet unum ex ejus præcipuis effectibus: ergo non eſt medium neceſſarium in voto.

Secunda. 9. Secundò: quia D. Th. 3. *p. q.* 65. *art.* 4. expreſsè docet ex ſeptem Sacramentis novæ legis ſolum tria eſſe neceſſaria ſimpliciter neceſſitate medii: nempe Baptiſmum abſolutè, & ſimpliciter, Pœnitentiam ſuppoſito peccato mortali poſt Baptiſmum, Sacramentum verò Ordinis toti corpori Eccleſiæ. Cætera verò Sacramenta ſolum eſſe utilitia, ſeu neceſſaria ad melius eſſe, ſicut equus neceſſarius eſt ad iter.

Tertia. 10. Tertiò: quia hoc Sacramentum non eſt per ſe inſtitutum ad cauſandam primam gratiam, quia illam ſupponit: ergo votum ejus non eſt medium neceſſarium ad illam conſequendam: propterea enim Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ in re, vel in voto ſunt media neceſſaria ad habendam primam gratiam: quia per ſe inſtituta ſunt ad primam gratiam conferendam.

Quarta. 11. Quartò: ſupponamus, quod infirmus poſtquam ſumpſit viaticum, peccavit mortaliter, iſte tenetur ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ in re, ſi adſit Confeſſor, & in voto, ſi non adſit: & tamen non indiget iterum ſumere Euchariſtiam: ergo tunc neque in re, neque in voto eſt neceſſaria, quia alias dicendum eſſet, quod Pœnitentia cum ordine ad Euchariſtiam dediſſet primam gratiam: ac proindè, quod ille infirmus teneretur iterum recipere viaticum, quod videtur inconveniens.

Quinta. 12. Quintò: quia quoties votum alicujus Sacramenti eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, etiam cadit ſub præcepto illud recipere in re, quando adeſt copia: cum fruſtra eſſet votum, niſi impleretur, quando copia, & opportunitas adeſſet, ut docet D. Thom. 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 11. atqui non tenetur quis Euchariſtiam in re ſumere, etiam habitâ copiâ: ergo votum Euchariſtiæ non eſt neceſſarium neceſſitate medii.

Sexta. 13. Sextò: quia Baptiſmus ſe ſolo habet vim cauſandi primam gratiam regenerativam, & Pœnitentia gratiam remiſſivam peccati: ergo ad hunc effectum præſtandum non indigent Euchariſtiâ, nec voto illius.

Authores pro hac parte. 14. Et ita votum Euchariſtiæ neceſſarium non eſſe neceſſitate medii, ſed ſolum neceſſitate præcepti aſſerunt Alenſis 4. *part. quæſt.* 11. *parte, membro* 2. *art.* 4. §. 1. Durand. *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 2. Paludan. *q.* 1. Gabriel, *q.* 2. *art.* 2. D. Bonavent. *diſp.* 2. *art.* 2. *q.* 1. Decanus Lovanienſ. *artic.* 15. *in Lutherum.* Cajetan. 3. *part. quæſt.* 80. *artic.* 12. Suarez, *diſp.* 40. *ſect.* 1. Vaſquez, *diſp.* 169. *cap.* 3. alios referens Araujo, *quæſt.* 73. *art.* 4. *dub.* 2. Bonacin. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 3. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *q.* 1. Palaus, *diſp. unic. punct.* 5. Franciſ. B. S. *diſp.* 1. *n.* 54. & alii.

Authoritas Scripturæ. 15. Sed contrà, quia Joan. 6. dicitur: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi eodem tenore verborum exponit Chriſtus Dominus neceſſitatem Euchariſtiæ, atque Joan. 3. expoſuerat neceſſitatem Baptiſmi dicens: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ergò ſicut Baptiſmus eſt univerſaliter neceſſarius omnibus: ita ſimiliter Euchariſtia ſaltem in voto. Nec ſatis eſt, ſi dicas, ex hoc teſtimonio colligi neceſſitatem Euchariſtiæ; hanc autem non eſſe medii; ſed præcepti: quia verba hujus teſtimonii de ſe indifferentia ſunt ad ſignificandam neceſſitatem medii, aut neceſſitatem præcepti. Quia contra hoc eſt: tum ratio ipſa, quam reddit Chriſtus Dominus, ob quam neceſſarium ſit manducare ejus carnem, & ſanguinem bibere: non enim dixit neceſſarium eſſe, quia ego ita præcipio; ſed quia: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & quia: *Qui manducat me, ipſe vivit propter me.* Quibus verbis ſignificatur carnem Chriſti eſſe medium, quo vivificamur. Tum etiam, quia unio cum Chriſto per gratiam, quæ datur in Baptiſmo, & Pœnitentia, eſt effectus Euchariſtiæ in genere cauſæ finalis, ex cujus voto, & intentione ſaltem virtuali

aliorum Sacramentorum cauſalitates procedunt: ergo ſicut hujuſmodi unio eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medii: ita & Euchariſtiæ votum ſaltem virtuale, ſine quo haberi non poteſt.

Concluſio. 16. Reſpondetur dicendum, votum ſaltem virtuale, & implicitum Euchariſtiæ eſſe neceſſarium neceſſitate medii tam parvulis, quam adultis ad primam juſtificationem obtinendam. Hæc videtur ſententia D. Thom: 3. *part. q.* 73. *art.* 3. & *quæſt.* 79. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 1. & *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. & tradunt eam Sotus *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 3. Ledeſm. *in ſum. de Euchariſt. cap.* 2. Nuñus, *quæſt.* 73. *art.* 4. Gonzales, *diſp.* 3. *ſect.* 1. N. Cornejo, *diſp.* 2. *dub.* 1. N. Philippus, *diſp.* 1. *dub.* 11. Gabr. à S. V. *diſp.* 3. *q.* 2. Gonet. *diſp.* 2. *n.* 81. Labat. *dub.* 2. §. 2. Granad. *diſp.* 7. & eſſe communem in ſchola D. Thom. teſtatur Gonzales ubi ſuprà.

Votum Euchariſtiæ duplex, & inter illa triplex diſcrimen. 17. Ut autem ſine ambiguitate procedamus, prætermittere oportet cum N. Cornejo votum, ſeu deſiderium hujus Sacramenti poſſe eſſe duplex: unum, quod reſpicit hoc Sacramentum per modum finis vitæ ſpiritualis, & cæterorum Sacramentorum: alterum, quod reſpicit illud, ut eſt cauſa efficiens propriæ gratiæ cibantis, inter quæ duo vota, triplex eſt differentia.

18. Prima; quod votum primo modo includitur implicitè in ſuſceptione Baptiſmi, & in contritione, atque ita habetur non ſolum ab adultis, ſed etiam à parvulis, non quidem propria voluntate parvulorum; ſed voluntate implicita Eccleſiæ, quâ fit veluti proprium ipſorum parvulorum, ad eum ſanè modum, quo ipſa voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum non eſt ipſius pueri, ſed Eccleſiæ, applicatur tamen ipſi puero. Votum verò ſecundo modo ſolum reperitur in adultis, qui per ſe loquendo actu expreſſo, & formali voluntatis appetunt hoc Sacramentum.

1. Diſcrimen. 19. Secunda differentia eſt, quod per votum primo modo non participatur gratia ſpecifica hujus Sacramenti, quæ eſt per modum cibi, & potus; ſed participatur gratia aliorum Sacramentorum, quæ ab ipſis cauſatur in genere cauſæ efficientis, & ab hoc Sacramento ratione illius voti cauſatur in genere cauſæ finalis, & in hoc genere eſt effectus illius. Per votum verò ſecundo modo, quando habetur à fideli exiſtente in gratia, participatur ex opere operantis quodammodo propria gratia, & fructus hujus Sacramenti; licet non ita perfectè, ac ſi illud realiter ſuſciperetur.

Secundum. 20. Tertia differentia eſt, quod votum primo modo non concurrit quaſi peraccidens ex defectu copiæ realis ſumptionis; ſed per ſe eſt medium, quia reſpicit Euchariſtiam non in genere efficientis, ſed in genere finis, cui per ſe competit cauſare, ut in intentione, & deſiderio. Votum verò ſecundo modo concurrit quaſi peraccidens ex defectu copiæ realis ſumptionis, & ità quaſi peraccidens eſt medium: quia reſpicit Euchariſtiam in genere efficientis reſpectu propriæ gratiæ cibantis.

Tertium. 21. Votum igitur, de quo in hac aſſertione loquimur, eſt votum primo modo ſumptum, quo quis ſive parvulus ſit, ſive adultus per Baptiſmum, aut Pœnitentiam manet ordinatus ad Euchariſtiam, ut ad finem, & perfectionem ſpiritualis vitæ. Sic enim hoc Sacramentum D. Thomas ſecutus D. Dionyſium, *cap.* 5. *de Eccleſiaſtic. Hierarch.* vocat *Conſummationem ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finem.*

22. His ſic præmiſſis, probatur noſtra aſſertio primo authoritate D. Thom: 3. *p. q.* 79. *art.* 1. *ad* 1. ubi ſic ait: *Hoc Sacramentum ex ſe ipſo virtutem habet gratiam conferendi, neque aliquis habet gratiam antè ſuſceptionem hujus Sacramenti, vel niſi ex aliquo voto ipſius, vel per ſe ipſum: ſicut adulti, vel voto Eccleſiæ: ſicut parvuli.* *Explicatio concluſio.*

23. Reſpondebis, hic fieri ſermonem de voto adimplendi præcepta, in quo includitur votum recipiendi ſuo tempore hoc Sacramentum, ſicut votum jejunandi, &c. *Suadetur.*

24. Contrà tamen eſt: quod adverſus hanc intelligentiam ſubjungit ibidem Angelicus Doctor: *Unde ex efficacia hujus Sacramenti eſt, quod etiam ex voto ipſius aliquis gratiam conſequatur, per quam efficaciter vivificatur.* Ubi efficaciæ hujus Sacramenti prout in voto tribuit Sanctiſſimus Præceptor ipſammet gratiam, quam Baptiſmo. Unde apertè loquitur de neceſſitate medii. *Evaſio.*

25. Secundò probatur ratione: nam Baptiſmus, vel Pœnitentia, quæ ſunt media neceſſaria ad primam juſtificationem obtinendam, ut à Chriſto Domino inſtituta ſunt, non conferunt primam gratiam, niſi reſpiciendo ad Euchariſtiam, ut ad finem Sacramentorum, & ut ad id, in quo continetur author omnis gratiæ: ergo eo ipſo, quod quis vult baptizari, aut confiteri, cenſetur velle Euchariſtiam, & habere ſaltem virtualiter, & implicitè votum illius, vel voluntate propria, ſi eſt adultus, vel reſpectu Baptiſmi voluntate Eccleſiæ, ſi eſt parvulus: & ex conſequenti hujuſmodi votum virtuale, & implicitum erit medium neceſſarium ad primam gratiam obtinendam, ut incluſum in voluntate ſuſcipiendi Baptiſmum, aut Pœnitentiam. *Præcluditur.*

25. Obſervat autem optimè D. Th. *q.* 73. *art.* 3. non eodem modo Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ſicut Baptiſmum; etenim Baptiſmus neceſſarius eſt per modum inchoationis vitæ ſpiritualis: Euchariſtia verò per modum conſummationis. Ex quo aliæ duæ oriuntur differentiæ: prima eſt, quod votum Euchariſtiæ continetur in alio Sacramento priori; at votum Baptiſmi non poteſt in alio priori Sacramento contineri. Et ideò parvuli, qui non ſunt capaces voti per actum proprium, ſalvari non poſſunt ſine reali ſuſceptione Baptiſmi; ſalvari autem poſſunt ſine reali ſuſceptione Euchariſtiæ: quia ſuſceptio Baptiſmi eſt virtuale votum Euchariſtiæ. Secunda eſt, quod realis ſuſceptio Baptiſmi per ſe loquendo requiritur ad ſalutem: undè votum Baptiſmi ſolum requiritur quaſi peraccidens, nempe ex defectu copiæ realis ſuſceptionis; at votum iſtud Euchariſtiæ per ſe requiritur. Et ratio eſt: quia Euchariſtia eſt finis omnium aliorum Sacramentorum, finis autem per ſe cauſat media intentione, & deſiderio ſui. Undè realis ſumptio Euchariſtiæ non habet rationem medii; ſed ſolùm requiritur neceſſitate præcepti. *Firmatur 2. concluſio.*

26. Ad primum in contrarium adductum reſpondetur, quod Concilium loquitur ibi de *Solvitur 1. ratio in oppoſitum.*

fructibus

fructibus per ſe cauſatis ab Euchariſtia in genere cauſæ efficientis, & ut quoddam particulare Sacramentum eſt, habens ſpecialem effectum ab aliis Sacramentis condiſtinctum, qua ratione non cauſat primam gratiam, ſed eam ſupponit, & peccatum jam remiſſum: non verò loquitur Concilium de effectibus hujus Sacramenti in genere cauſæ finalis, & ut eſt omnium aliorum Sacramentorum finis, & totius gratiæ ſacramentalis cauſa io genete cauſæ finalis.

Diluitur 2. 27. Ad ſecundum dicendum, D. Thom. loqui in illo loco de neceſſitate Euchariſtiæ non ſolum in ordine ad adultos, verum etiam in ordine ad parvulos: qua ratiooe Euchariſtiæ realis ſuſceptio non eſt neceſſaria, ſed ſolum votum ejusmodo ſupra explicato, & ita declarat ſe ipſum Angelic. Doctor infra *q.*80. *art.* 11.

Enodatur 3. 28. Ad tertium reſpondetur diſtinguendo antecedens: *Hoc Sacramentum non eſt per ſe inſtitutum ad primam gratiam cauſandam*, ſi conſideretur in ratione cauſæ efficientis, concedimus; ſi coofideretur in genere cauſæ finalis, ut eſt finis aliorum Sacramentorum, negamus. Ut ſic enim votum ejus concurrit ad cauſandam primam gratiam, & hoc cauſalitatis genus non competit aliis Sacramentis.

Enervatur 4. 29. Ad quartum dicendum, quod licet infirmus ille neque teneretur, neque vellet tunc ſuſcipere Euchariſtiam, nihilominus votum virtuale, & implicitum includeretur in ejus contritione, aut io attritione conjuncta cum reali ſuſceptiooe Pœnirentiæ, eo modo, quo in parvulis includitur iſtud votum in reali ſuſceptione Baptiſmi, licet Eccleſia non velit, quod in illa ætate ſuſcipiant Euchariſtiam; imò velit oppoſitum.

Evelitur 5. 30. Ad quintum reſpondetur, quod quoties votum alicujus Sacramenti eſt neceſſarium neceſſitate medii, & concurrit quaſi peraccidens ex defectu copiæ realis ſuſceptionis, veriſſimum eſt, quod cadit ſob præcepto illud Sacramentum recipere in re, quando adeſt copia, & opportunitas: cum fruſtra eſſet tale votum niſi impleretur, quando copia, & opportuoitas adeſſet, & hoc eſt, quod optimè docet D. Thom. *dicta quæſt.* 80. *art.* 11. ubi loquitur de Euchariſtia in ratione cauſæ efficientis, de qua agemus *dub. ſequenti.* Quia tamen votum Euchariſtiæ, de quo nunc loquimur, & aſſerimus, eſſe neceſſarium neceſſitate medii a‡ primam juſtificationem obtinendam, non concurrit in genere efficientis, ſed in genere finis, neque quaſi peraccidens ex defectu copiæ, & opportunitatis realis ſuſceptionis Euchariſtiæ, ſed per ſe eſt medium incluſum in receptione Baptiſmi, & pœnitentiæ, ideò non cadit ſub præcepto ad primam juſtificationem obtinendam recipere Euchariſtiam in re, etiam quando adeſt opportunitas. Neque fruſtra eſt tunc hojuſmodi votum in ſuſceptione aliorum Sacramentorum incluſum: cum ratione illius Euchariſtia in genere finis cauſet effectus, ad quos alia Sacramenta concurrunt in genere efficientis.

Refellitur 6. 31. Ad ſextum dicendum, Baptiſmum, & Pœnitentiam ſe ſolis cauſare primam gratiam in genere cauſæ efficientis, in quo genere à nullo alio Sacramento pendent; tamen eorum cauſalitas pendet ab Euchariſtia in voto in genere cauſæ finalis.

DUBIUM II.

Utrùm Euchariſtia in re, vel in voto ſit medium neceſſarium pro adultis ad conſervandam diu vitam ſpiritualem?

32. ET videtur quòd non: quia nullum Sacramentum eſt medium neceſſarium ad aliquem finem, niſi per ſe habeat producere aliquem effectum neceſſarium ad obtinendum illum finem, tanquam unica cauſa, ut de ſe eſt manifeſtum: Euchariſtia autem per ſe non habet producere aliquem effectum neceſſarium ad conſervandum diu vitam ſpiritualem tanquam unica cauſa hujuſmodi effectus, cum mediante ſuſceptione aliorum Sacramentorum, & per alia etiam media, qualia ſunt jejunia, eleëmoſynæ, & remiſſio injuriarum, præbeat Deus auxilia gratiæ ad conſervandam diu vitam ſpiritualem: ergo Euchariſtia neque in re, neque in voto eſt medium oeceſſarium ad hujuſmodi effectum. *1. dubitandi ratio.*

33. Secundò: quia in Tridentino, quando agitur de neceſſitate Euchariſtiæ, *ſeſſione* 13. *canon.* 9. ſolum aſſignatur neceſſitas præcepti, non vero neceſſitas medii, eum tamen utramque neceſſitatem explicet idem Concilium in Sacramento Baptiſmi, *ſeſſ.* 7. *can.* 5. & in Sacramento Pœniteotiæ, *ſeſſ.* 14. *can.* 6. ergo Euchariſtia ſolum eſt neceſſaria neceſſitate præcepti: alioqui enim Concilium non loqueretur diverſo modo de neceſſitate illius, ac de neceſſitate Baptiſmi, & Pœnitentiæ. *Secunda.*

14. Tertiò: quia ſi conſervare diù vitam ſpiritualem eſſet effectus proprius Euchariſtiæ, quicumque ſumeret dignè Euchariſtiam, reciperet hunc effectum: nam Sacrameotum dignè ſuſceptum infallibiliter cauſat ſuum effectum in ſuſcipiente: conſequens autem eſſe falſum patet in D. Petro, qui dignè recepit Euchariſtiam, & tamen trina negatione non multò poſt Chriſtum negavit: & ita hanc partem negativam tuentur Durandus, Suarez, Vaſquez, & alii *dubio præt. num.* 15. relati. *Tertia.*

35. Sed contrà: quia D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 80. *artic.* 11. *ad* 2. quantum ad adultos eſſe neceſſariam Euchariſtiam, nimirum ad diu conſervandam vitam ſpiritualem: ſicut Baptiſmus ad illam inchoandam: ergo in re, vel in voto eſt medium neceſſarium pro adultis ad diu conſervandam gratiam. *Authoritas*

36. Reſpondetur dicendum: Euchariſtiam in re, vel in voto eſſe medium neceſſarium pro adultis ad conſervandam diu vitam ſpiritualem. Ita N. Cornejo, Joannes Gonzales, N. Gabr. Labat. & ferè omnes authores *dub. præt. n.* 17. pro nobis relati, & præterea Sotus, *lect.* 9. *de Euchariſtia* dicens, hoc Sacramentum eſſe neceſſarium ad conſervandam ſpiritualem vitam: ſicut cibus materialis eſt neceſſarius ad conſervandam vitam corporalem. Et idem docet Claodius, *repet.* 6. *cap.* 7. Roſenſis, *lib.* 5. contrà Ecolampadium *in proemio.* Naclantes *tractat. de communione theoremate primo*, & alii. *Concluſ.*

37. Et probatur ex Concil. Florentin. *loco* *Suadetur.*

ſuprà

ſuprà *cit.* dicente, Euchariſtiæ cibum præſtare animæ omnes effectus, quos præſtat corpori cibus materialis: ergo ſicut cibus corporalis requiritur neceſſitate medii ad conſervandam diu vitam corporis: ita hoc Sacramentum in re, vel in voto requiritur neceſſitate medii ad conſervandam diu vitam ſpiritualem. Diximus *in re, vel in voto non in re tantum*, propter diſcrimen, quod ut optimè obſervat D. Thom. 3. *part. quæſt.* 73. *artic.* 3. *ad* 2. reperitur inter cibum corporalem, & cibum iſtum ſpiritualem, quod cum cibus corporalis convertatur in ſubſtantiam aliti non poteſt prodeſſe ad nutritionem, niſi realiter ſumatur: cibus verò iſte ſpiritualis, qui in ſubſtantiam animæ non convertitur; ſed potius convertit animam in ſe ipſum, ut proſit, non ſemper eſt neceſſè, ut realiter ſuſcipiatur; ſed eſt interdum ſatis, ſi recipiatur voto, & deſiderio, quo amans convertitur in rem amatam.

Confirmatio. 38. Confirmatur: quia neceſſitas præcepti de ſumenda Euchariſtia oritur ex neceſſitate effectus proprii hujus Sacramenti, qui eſt nutrire, & conſervare diu vitam ſpiritualem. Neceſſitas autem præcepti, quæ oritur ex neceſſitate effectus proprii alicujus Sacramenti ſimul eſt neceſſitas medii in re, vel in voto: ergò Euchariſtia ad conſervandam diu vitam ſpiritualem requiritur neceſſitate medii in re, vel in voto.

Diſſolvitur 1. ratio dubitandi. 39. Ad primum in contrarium adductum reſpondetur negando minorem. Alia enim media ibidem recenſita, licet conducant ad illum effectum conſervandi diu vitam ſpiritualem, non tamen ſunt efficacia, niſi mediante hoc Sacramento in re, vel in voto. Unde in Oratione Dominica, quam pro obtinendo iſto dono fundimus ad Deum votum, & deſiderium Euchariſtiæ, declaramus in illis: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ut interpretantur D. Aug. *Epiſt.* 22. *cap.* 2. D. Clemens, *lib.* 8. *Apoſtolicarum traditionum, cap.* 14. & alii Patres. Quandò igitur per illa media donum diu perſeverandi in vita ſpirituali obtinetur, hoc mediante Euchariſtia, vel in re ſuſcepta vel ſaltem in deſiderio recipiendi illam tempore ſtatuto, illud obtinetur: ac proindè mediante Euchariſtia in re, vel in voto habent efficaciam alia media ad hunc effectum. Et in hoc ſenſu dixit D. Auguſt. quod veraciter incorruptibilitatem diuturnam ſcilicet vitæ ſpiritualis non præſtat, niſi iſte cibus.

Secunda. 40. Ad ſecundum dicendum: Concilium Tridentin. loqui de Sacramentis, quatenus ſunt cauſæ effectivæ gratiæ, & de his, quæ neceſſaria ſunt ſimpliciter: & hoc modo Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt in voto neceſſaria ad ſalutem, ita ut nullus in hac vita, ſivè multo, ſivè parvo tempore vivat, ſine illis, aut eorum votis, poſſit conſequi ſalutem. Neceſſitas verò Euchariſtiæ, quatenus eſt cauſa effectiva gratiæ cibantis, non eſt neceſſitas ſimpliciter; ſed ſolum ex ſuppoſitione, quod aliquis diu duret in hac vita mortali, quemadmodum cibus corporalis non eſt ſimpliciter neceſſarius, ut homo conſervetur in vita per aliquod tempus; ſed duntaxat, ut diu conſervetur in illa. Et hoc eſt, quod D. Thom, docuit *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 3. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. dicens Euchariſtiam non eſſe ſimpliciter neceſſariam: ita ut ſinè illa ſalus eſſe non poſſit, ſed ex ſuppoſitione finis. Suppoſito ſcilicet, quod quis velit perſeverare firmus in vita ſpirituali, quia tunc ad reparandas vires animæ, quæ ex diuturna pugna cum fomite, & calore concupiſcentiæ debilitantur, neceſſarius eſt Euchariſtiæ cibus in re, vel in voto.

41. Ad tertium reſpondet D. Thom. 3. *part.* *Tertia.* *quæſt.* 79. *art.* 6. *ad* 1. *Dicendum, quod effectus hujus Sacramenti recipitur in homine ſecundum hominis conditionem; ſicut contingit de qualibet cauſa activa, quod ejus effectus recipitur in materia ſecundum modum materiæ. Homo autem in ſtatu viæ eſt hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus poteſt flecti in bonum, & malum. Unde licet hoc Sacramentum quantum eſt de ſe habeat virtutem præſervativam à peccato, non tamen aufert homini poſſibilitatem peccandi.* Ex quibus patet, quod ſicut robur ſpeciale ad proteſtandam fidem eſt effectus proprius confirmationis: & tamen hoc non obſtante contingit aliquando, quod confirmatus, qui dignè illud ſuſcepit inſtante occaſione, non proteſtetur fidem ob mutabilitatem ſui arbitrii: ſic licet robur ſpeciale ad conſervandam diu gratiam ſit effectus propius hujus Sacramenti; tamen ex mutabilitate liberi arbitrii contingit illam diu non conſervare eum, qui aliquando dignè ſuſcepit Euchariſtiam. Quo tamen non obſtante, dicendum eſt, quod quicumque adultus diu conſervat vitam ſpiritualem virtute hujus Sacramenti in re, vel in voto illam diu conſervat: quia iſte eſt effectus proprius hujus Sacramenti. Undè ſuppoſita ejus inſtitutione, & neceſſitate, quam Chriſtus Dominus indicavit, Joan. 6. cum dixit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* Nulli adulto præparatur robur ſpeciale ad conſervandam diu gratiam, niſi cum ordine ad hoc Sacramentum ſuſceptum in re, vel in voto, & deſiderio. Et in hoc ſenſu dixit D. Thom. hoc Sacramentum pro adultis eſſe Sacrameotum neceſſitatis, 3. *part.* q. 80. *art.* 11. *ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod hoc Sacramentum dicitur non eſſe neceſſitatis, ſicut Baptiſmus quantum ad pueros, quibus poteſt eſſe ſalus ſine hoc Sacramento, non autem ſine Sacramento Baptiſmi; quantum verò ad adultos utrumque eſt neceſſitatis.*

42. Sed inquires primò: quanto tempore poterit homo conſervari in gratia ſine Euchariſtia in re, vel in voto ſuſceptâ? *Quæſtum primum.*

Reſpondetur non poſſe determinari phyſicè, *Solvitur.* ſicut neque tempus, in quo poteſt homo durare in vita corporali ſine cibo: nam pro diverſa ſubjectorum qualitate in quibuſdam erit longius, in aliis brevius, moraliter tamen non excedet annum: propterea Eccleſia impoſuit præceptum de illa ſemel in anno ſumendâ; ſed quia non pauci ſentiunt ſpiritualem debilitatem ad opera virtutum, & ad reliſtendum peccato mortali: ſicut non ſufficit ſumere cibum corporeum ſemel in anno, ſed quoties naturalis virtus debilitatur: ita hoc Sacramentum toties ſumi debet in re, vel in voto quoties hæc ſpiritualis debilitas ſentitur: quia non minus debilitat vires animæ fomes, & concupiſcentia, quam vires corporis calor naturalis. Unde peccant, qui hanc debilitatem experiuntur, ſi ad

Eucha-

Euchariſtiam non accedant; non tamen contra præceptum Eccleſiæ, ſi ſumpſerunt illam ſemel in anno. Ita N. Cornejo, & Philippus à Sanctiſſima Trinitate.

Quæſitum ſecundum. 43. Petes ſecundò: an hujuſmodi votum debeat eſſe explicitum, vel ſufficiat implicitum, incluſum in aliquo actu formali, & expreſſo ipſius adulti?

Diluitur. Reſpondetur, actualiter conſiderantibus de neceſſitate huius Sacramenti ad diu conſervandam vitam ſpiritualem, neceſſarium eſſe votum explicitum illius: quia, qui explicitè videt, & conſiderat aliquid eſſe ſibi neceſſarium ad ſalutem, & non proponit illud facere, non videtur quomodo non excludat votum, & propoſitum illius. Actualiter verò non conſiderantibus invincibiliter neceſſitatem hujus Sacramenti ad conſervandam diu gratiam, ſufficere votum implicitum illius: ſicut ſtante ignorantia invincibili, ſive habituali, ſive ſolum actuali propter inculpabilem inconſiderationem ſufficit ad juſtificationem impii votum implicitum Sacramenti pœnitentiæ incluſum in contritione. Ita N. Cornejo.

CAPUT QUARTUM.

De materia remota Euchariſtiæ.

CAPUT HOC SEPTEM PUNCTA COMPLECTITUR.

P. 1. *Quæ ſit materia remota Sacramenti corporis?*

P. 2. *Quæ ſit materia remota Sacramenti ſanguinis?*

P. 3. *Utrum neceſſe ſit ſub utraque ſpecie conſecrare?*

P. 4. *Utrum vino, quod eſt materia remota Sacramenti ſanguinis, admiſcenda ſit aqua?*

P. 5. *An quælibet quantitas panis, & vini poſſit conſecrari?*

P. 6. *Utrum materia conſecranda debeat eſſe præſens?*

P. 7. *An ut materia validè conſecretur, debeat conſecrantis intentione determinari?*

PUNCTUM I.

Quæ ſit materia remota Sacramenti corporis Chriſti?

Solus panis eſt materia remota Sacramenti corporis Chriſti. 2. SOlum panem eſſe materiam remotam, ex qua conficitur corpus Chriſti, conſtat ex Concilio Florentino *in decreto* Eugenii: ex Lateranenſi *in cap. Firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica.* & ex Tridentino, *ſeſſione* 13. *cap.* 1. colligiturque ex Ioan. 6. Mathæi 26. Marci 14. & 1. Corinth. 11. Quod unanimi conſenſu docent Sancti Patres, & confitetur Eccleſia.

Ratio & congruentia. 2. Potiſſima ratio hujus inſtitutionis fuit Chriſti Domini voluntas; nec deſunt optimæ congruentiæ: cum enim Euchariſtia ſit cibus ſpiritualis animæ, convenientiſſimum fuit inſtitui in pane, qui eſt præcipuus cibus. Et cum hoc mirabile Sacramentum ſit ſignum, & cauſa unitatis, & pacis confici oportuit ex pane, qui ex multis coaleſcit granis.

Panis ex ſolo tritico debet eſſe. 3. Panis autem, qui eſt materia neceſſaria hujus Sacramenti, debet eſſe triticeus, & nullus alius eſt ſufficiens, vt colligitur ex Concilio. Florentino *loco citat.* & ex praxi, & traditione Eccleſiæ. Et ita Cathecijſmus Romanus, *part. 2. de Euchariſt. numer.* 1. *Nullus panis*, inquit, *niſi triticeus apta ad Sacramentum materia putandus eſt: hoc enim Apoſtolica traditio nos docuit, & Eccleſiæ catholica authoritas firmavit.*

Duplex ratio. 4. Duplici ratione probat id D. Th. *q.* 74. *art.* 3. Primà quidem, quia ad uſum Sacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communis apud homines in talem uſum venit: inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur eſſe introducti in hujus panis defectum. Et ideo Chriſtus creditur in hujus panis ſpecie hoc Sacramentum inſtituiſſe. Secunda vero: quia panis triticeus magis conſortat hominem: & ita convenientius ſignificat effectum hujus Sacramenti. Unde.

Corollarium 1. 5. Primò: non eſt apta materia ad validam conſecrationem panis, qui fit ex grano, quod certum eſt non eſſe triticeum, ut ex hordeo, avenâ, orizâ, millio, pannitio, maizio, cicere, piſis, favis, amygdalis, caſtaneis, aliiſque leguminibus, & arborum fructibus. Ita Filliucius *de materia panis, & vini, c.* 3. Granad. *tractat.* 2. *diſp.* 1. Cardinalis Lugo *diſp* 4. *ſect.* 1. Palaus, *diſp. unic punc.* 4. Bonacin. *diſp.* 4 *punct.* 1. N. Anton. *diſp.* 2. *q.* 1. & alii communiter.

Corollarium 2. 6. Secundò: omnis panis ex grano, quod eſt abſolutè, & ſimpliciter triticeum, ſufficit, ut ex, ſiligine, ſi ſignificet, quod Hiſpanè *candial.* Italicè *grano gentile obianco.* Ita Div. Thom. *artic.* 3. Cajetan. Sotus, Sylveſter, quos refert, & ſequitur Filliucius ubi ſupra. Eſt enim ex Plinio, *lib.* 18. *c.* 8. deliciæ tritici, vel triticum ſelectum. Item ex tritico trimeſtri, quod dicitur alicaſtrum. Ita Henriquez, *cap.* 9. §. 2. *lit.* M. Granado, & Filliucius ubi ſupra.

Corollarium 3. 7. Tertiò: Granum, de quo eſt dubium an ſit triticeum, efficit etiam materiam dubiam, ideoque moraliter ineptam conſecrationi: undè quia de *typha* grecè, latinè, *blata*, Hiſpanè *centeno*, affirmant eſſe ſufficientem materiam, Petrus de Ledeſma *cap.* 4 Victoria, *n.* 55. & alii apud Henriquez, *c.* 9. littera D. Negant verò Angelus, Roſela, & alii apud eundem Henriquez eodem loco, quos ſequitur Vazquez, *diſp.* 170. *c.* 3. *n.* 21. Palaus, *punct.* 4. *num.* 2. Rectè Suarez, *diſp.* 44 *ſect.* 2. §. *Tertium exemplum*, & Granado, *diſp.* 1. *num.* 6. dicunt materiam hanc eſſe dubiam.

Corollar. 4. 8. Quartò: panis confectus ex diverſis granis

nis, ſi ſint triticea, ſatis eſt; ſi alterius generis triticeo permiſceantur, ſi pauciſſima ſint, ita quod ſimpliciter & abſolutè retineatur materia panis triticei, cenſenda eſt materia ſufficiens, ut validè conſecrari poſſit. Secus verò ſi extranea materia triticeam ſuperet, vel æquet. Ita D. Thomas, *art. 3. ad* 2. & cum Vazq. Vivald. Chamerota, Graſio, Bartholomæo ab Angelo, & Filliucio, Bonacina, *diſp.* 4. *puncto* 1. *num.* 6. Palaus, *puncto* 4. *num.* 3. N. Gabr. *diſp.* 5. *q.* 2. & Granado ubi ſupra.

Panis triticeus debet confici ex aqua naturali & igne torreri.

9. Præterea panis triticeus conſecrationi deſerviens, debet eſſe ex aqua naturali confectus, & igne toſtus. Ratio, quia ſic fit panis uſualis, qui eſt materia neceſſaria. Ita D. Thomas. *art.* 7. *ad* Coninehus, Vazquez, Layman, Bonacina, quos refert, & *ſeq.* Palaus, *num.* 3. & cum multis Filliucius, *n.* 78. Cardin Lugo, *n.* 4. N. Gabr. *q.* 2. Undè.

Corollarium 1.

10. Primò: panis confectus ex melle, lacte, oleo, aqua roſacea, vel alio liquore prædominante, non eſt materia ſufficiens conſecrationi: quia non eſt panis uſualis. Ita communiter Doctores citati contra nonnullos alios apud Cardinalem Lugo. Poſſet verò aqua roſacea, aut alius extraneus liquor cum aqua naturali in tam modica quantitate miſceri, ut non obſtaret veritati Sacramenti. Ut benè obſervant Palaus, & Granado, N. Gabr. ut in ſimili dictum eſt de pauciſſimis granis permixtis cum tritico, ſuprà *n.* 8.

Secundum.

11. Secundò: maſſa cruda, ſeu oleo, aut butyro, frixa, vel aqua elixa non eſt ſufficiens materia: ac proinde paſta, laganum, pultes, & ſimilia non ſufficiunt, ut cum multis Bonacina, Filliucius, Granado, & Palaus ubi ſupra.

Tertium.

12. Tertiò: farina, aut panis corruptus non eſt aptus conſecrationi: quia ſicut acetum non eſt vinum: ita panis corruptus nnn eſt panis: D. Thomas, *art.* 3. *ad* 4. Coninch. ibidem, Filliuc. ubi ſupra, & cum multis Bonacina, *punct.* 2. *num.* 5.

Quid ſi panis non ſit omnino corruptus.

13. Si autem ſolum eſt aliqua diſpoſitio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio ſaporis, eſt materia valida, ſed illicita propter irreverentiam Sacramenti: ut inquit Div. Th. Quin. & Coninch. & Palaus dicunt conſecrare in pane, qui jam incepit tranſmutari, & corrumpi, grave eſſe peccatum.

Corollarium 4.

14. Quartò: panis confectus ex amydo non eſt valida materia, quia licet amydon ex tritico conficiatur, ita tamen tranſmutatum eſt, ut panis ex illo confectus non ſit uſualis. Ita cum D. Thom. *art.* 3 *ad* 4. & cum pluribus Palaus ubi ſupra, Granado, *diſp.* 1. *num.* 8. N. Gabr. Cardinalis Lugo dicens eſſe communem Theologorum contra Paludanum, & aliquos doctos recentiores.

Collorarium 5.

15. Quintò: hoſtiæ rubræ, quibus ſigillantur litteræ, non ſunt materia valida: quia per admixtionem cum cinnabrio notabiliter alterantur, & extrahuntur à pane uſuali. Ita Cardinalis Lugo, *diſp.* 4. *ſect.* 1. cui conſentit Diana, *tom.* 7. *tract.* 12. *reſolut.* 8.

16. Ad valorem Sacramenti ſufficit panis triticeus, ſivè ſit azimus, ſive fermentatus. Ita D. Thom. *art.* 4. & omnes Doctores Catholici, & definitur in Concilio Florentino, *in decreto de Armenis.* §. 3. *In Eucharistia.* Uterque enim panis eſt verus, & uſualis.

17. De neceſſitate tamen præcepti in Eccleſia latina, latinus tenetur celebrare in ſolo azimo, & in Græca Græcus in ſolo fermentato, ut expreſsè tradit Conc. Florent. *dict. decreto* §. 2. *Definimus*, inquit, *in azimo ſivè fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipſum Domini corpus conficere; debere unumquemque juxtà Eccleſiæ ſuæ, ſivè occidentalis, ſivè orientalis conſuetudinem.* Et docuit D. Thomas, *artic.* 4. Cajetanus ibidem, Ferrara 4. *contra gentes. cap.* 69. Sotus *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 4. Suarez, *diſp.* 44. *ſect.* 3. & cum multis Henriquez, *c.* 11. §. 6. & Granado, *diſp.* 1. *n.* 12. idem noviſſimè fusè & doctè demonſtrat R. P. N. Dominicus *tom.* 5. *cap.* 19.

Congruentia major uſus Eccleſiæ latinæ.

18. Congruentior tamen eſt uſus Eccleſiæ latinæ, ut docet D. Thomas Primò quidem propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc Sacramentum inſtituit prima die azimorum, ut habetur Matth. 26. Marci 14 & Lucæ 22. quâ die nihil fermentatum in domibus Iudæorum eſſe debebat, ut haberut Exodi 12. Et benè probat. N. Dominicus. Secundò ob ſignificandam puritatem corporis Chriſti, quod ſinè opera viri conceptum eſt. Tertiò ad denotandam puritatem mentium, quam efficit Euchariſtia, & requirit in animis recipientium. Habet tamen conſuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter ſignificationem, quam tangit Div. Gregorius in regiſtro dicens, Eccleſiam Græcam offerre fermentatum, pro eo, quod verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ. Et in deteſtationem hæreſis Nazareorum, qui legalia Evangelio miſcebant.

Non poteſt in Eccleſia ſua à ſuo more recedere Sacerdos.

19. Suum autem morem tenentur tam latini, quam Græci in ſuis Eccleſiis ſervare ſub mortali, neque ab illo recedere poſſunt, etiamſi populus deberet ſacrificio privari, & proximus abſque viatico decedere: ſicut non licet conſecrare ſinè veſtibus ſacris ob ſimiles cauſas. Ita Sotus *diſt.* 9. *art.* 4. Suarez, *concl.* 3 Filliuc. ubi ſupra, *n.* 84. cum multis Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 11. Henriqu. *lib.* 8. *c.* 11. Layman, *lib.* 5. *tract.* 4. 1. 2. *verſ. Altera pars*, Palaus, *punct.* 4. *num.* 5. Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 7. *difficult.* 6. *num* 2. Ioann. de la Cruz. *p.* 2. *de Euchariſt. q.* 1. *dub.* 2. *conclu.* 2. N. Gabr. & Diana contra Nuñum, 3. *p. tract.* 6. *reſolut.* 99.

Quid ſi latinus per Græciam, Græcus per latinam Eccleſiam iter faciant.

20. Dum latinus per Græciam iter facit, aut Græcus per Eccleſiam latinam, poteſt celebrare in azimo, aut in fermentato, Ita Sotus, Henriq. Suar. quos refert, & ſequitur Grana. ubi ſupra, *n.* 12. Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 18. *num.* 20. Bonac. *num.* 10. Sylvius, & Coninch. 3. *p. q.* 74. *art.* 4. Filliuc. *tract.* 4. *c.* 3. *num.* 83. Diana, *tom.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 99: & expreſsè Leo IX. in epiſt. ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, 1. 29. Hoc eſt contra Ledeſma, 1. *p. q.* 15. *art.* 4. *dub.* 2. N. Gabr. & Dominicum. aſſerentes teneri Sacerdotem Græcum tranſeuntem per Eccleſiam latinam in azimo conſecrare.

Quid ſi inter latinos aliquæ

21. Si tamen inveniantur inter latinos aliquæ Græcorum Eccleſiæ, in quibus eorum ritus ſervantur: & inter Græcos aliquæ latino-

rum,

Digitized by Google

Græcorum Eccleſia & inter Græcos aliqua Latinorum inveniantur. tum, in his templis tenetur unuſquiſque ſuæ Eccleſiæ uſum ſervare: quia perindè ſe habet, ac ſi in propria Eccleſia Græca, & latina celebraret, nec poſſet latinus, in ea Eccleſia Græcorum inrer latinos exiſtenti, celebrare in fermentato: quia id eſt quaſi ſpeciale privilegium Græcis in ea Eccleſia conceſſum. Ita Suarez, *diſp.* 44. *ſect.* 4. Thom. Sanch. Dian. Bonac. N. Dominic. N. Anton. *ſect.* 2. ubi ſup. Figura panis conſecrandi ex præcepto Eccleſiæ deber eſſe in Eccleſia latina formæ rotundæ, in Eccleſia græca ordinariè quadratæ. Ita N. Gabr. *loc. cit.* ubi plura.

PUNCTUM II.

Quænam ſit materia remota Sacramenti ſanguinis.

Concluſio. 22. Materia remota Sacramenti ſanguinis eſt ſolum vinum vitis. Ita colligitur ex Matth. 26. & Luc. 22. *Non bibam à modo de hoc genimine vitis*, juncta Eccleſiæ traditione. Et habetur in Concilio Florentin. *decreto fidei*, §. 3. & ſupponitur in Tridentin. *ſeſſ.* 3. *c.* 1. *&* 2. Unde.

1. Illatio. 23. Primò: non eſt ſufficiens materia validæ conſecrationis vinum ex pomis malogranatis, radicibus, &c. expreſſum; ſed requiritur omnino vinum ex uvis, ut tradunt omnes.

2. Illatio. 24. Secundò: non ſufficiunt alii liquores qui ex vuis fieri poſſunt, niſi fiat verè vinum. Quare aggreſta Hiſpane *agraz*, ſapa, Hiſpane *arrope*, lora, Hiſpane *aguapie*, à materia conſecrationis excluduntur: quia licet ex uvis fiant; non tamen ſunt verè vinum. Ita Bonacina *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 2. Card Lugo *diſp.* 4. *ſect.* 1. Palaus *punct.* 4. N. Gabr. *quæſt.* 3. Anton. *ſect.* 3. & alii paſſim.

3. Illatio. 25. Tertiò: non eſt materia ſufficiens acetum propriè acceptum: quia in aliam naturam à vino eſt tranſmutatum. Et ita Pius V. rubricâ defectibus in Miſſa occurrentibus præcipit Sacerdoti reperienti tempore conſumptionis in aceto conſecraſſe, ut vinum apponat, & denuo conſecret.

Quæſitum 1. de vino acido. 26. Vinum vero acidum, quod eſt in via ad acetum; ſed nondum acetum eſt, ſi conſecraretur, valida eſſet conſecratio, ut cum aliis docent Ledeſ. *c.* 4. Granado, *diſp.* 2. Coninch. *q* 47. *art.* 5. Palaus Gabr à S. V. ubi ſupra. Quod nondum deſierit eſſe vinum. Eo tamen uti ad conſecrationem extrà neceſſitatem, peccatum eſt: & qnidem grave, ſi ita aceti naturæ proximum ſit, ut meriro dubitetur an vini qualitates amiſſerit. Ut cum mulris tradit Bonac. *n.* 5. Coninc. *n.* 122. Palaus N. Gabr. à S. V. ubi ſupra, & Ledeſm. ſic ait: *Verdades, que el Sacerdote, que conſagraſe en vino notablemente acedo, pecaria mortalmento, por el peligro, y por la irreverencia.*

Illatio 4. 27. Quartò: vinum acetum Hiſpanè *agua ardiente*, non ſufficit ad validam conſecrationem: quia in aliam naturam à vino creditur eſſe converſum Ita Palaus, *n.* 10. & cum multis Bonac. *punct.* 2. *n.* 3.

Quæſitum 2. de vino mixto. 28. Sed quid de vino mixto, quod Hiſpanè dicitur *hypocras*; Reſpondet Ledeſm. *de Eucharist. c.* 4. *concluſ.* 15. quod ſi mixtio ſi tanta, aut coctio talis, ut vinum corrumpat; validæ conſecrationis materia non eſt. An vero corrumpat, ſtandum eſſe experientiæ ſenſuum, & prudentum judicio. Certum tamen eſt, illicitum eſſe in tali materia conſecrare. Ur docet idem Ledeſ. ibidem. Villalobos, *difficultat.* 5. *n.* 5. Fagundez *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 17. & alli paſſim.

29. Quintò: non eſt ſufficiens materia conſecrationis ſanguinis liquor intra uvas contentus: quia liquor ille exiſtens intra ipſa grana, non habet ſtatum, & modum potus; ſed potius materiam cibi. Ita Suarez, *diſp.* 45. *ſect.* 1. *concl.* 2. Sotus *in* 4 *diſt.* 9 *q.* 1. *art* 1. Petrus de Ledeſma, N. Gabr. Anton & cum multis Bonacina, & Palaus ubi ſuprà. *5. Illatio.*

30. Liquor tamen ex uvis maturis expreſſus, ſed non defæcatus, quippe *muſtum* communiter appellatur, eſt ſufficieus materia Sacramenti ſanguinis: quia verè eſt vinum, & habet ſtatum, & modum potus. Ita Bonacin. Lugo, Palaus, N. Gabr. & eſt communis; ſed non eſt decens: ideoque abſque urgenti cauſa grave peccatum eſſet eâ mareriâ uti ad conſecrationem, ut cum mulris tradir idem Palaus, & colligitur *ex cap. Omne crimen, de conſecr. diſt.* 2. *Quæſitum 3. de liquore ex uvis maturis expreſſo.*

Sextò: non poteſt conſecrari vinum, quo panis madeſit, quamvis retineat ſpeciem, & naturam vini, quia ſolum non eſt in forma potabili. Ur optimè docet N. Cornejo, *q.* 74. *art.* 5. *Illatio 6.*

32. Sed objicies: vinum congelatum poteſt validè conſecrari, ut latè probat N. Gabr. quamvis non ſit proximè potabile, niſi prius liquefiat: ergo etiam liquor contentus intra uvas, vel intra micam panis, quamvis non ſit proximè potabilis, niſi mediante expreſſione. Conſequentia videtur bona à paritate rationis: & antecedens probatur. Quia ſpecies vini conſecrati retinent ſanguinem Chriſti poſt congelationem: unde ſi contigerit calicem conſecratum congelari, debet igne liquefieri, & ſumi, ut præcipitur in Miſſali: ergo etiam poterat à principio validè conſecrari. *Objectio.*

33. Reſpondetur negando conſequentiam: quia vinum congelatum non habet modum, & ſtatum cibi, neque ullo modo manducatur: quia non tranſmittitur in ſtomachnm maſticatione vera, ſed per modum potus liquefactione facta calore oris. Liquor verò intra uvas vel intra micam panis contentus non eſt in forma potabili, ſed potius in forma cibi, & tranſmittitur in ſtomachum vera maſticatione. Ita N. Cornejo ubi ſupra. *Diluitur.*

34. Docent tamen cum mulris Palaus, & N. Gabr grave eſſe peccatum, ſi in vino congelato conſecratio fiat: quia dubia eſt materia. Etenim ſententia docens non eſſe ſufficientem, utcumque probabilis eſt. *Doctrina.*

35. At ſi prius vinum fuerit congelatum, & poſteà liqueſiat, valdè videtur probabile licitè conſecrari quamvis conſultius ſit non conſecrare in illo, ſi fieri poteſt: quia eſt verum vinum & actuali potationi aptum, ſed congelatione aliqualirer immutatum. Sic Suarez, *diſp.* 45. *ſect.* 1. *in fine*. Coninchus, *q.* 74. *art.* 5. *in fine*, Palaus, *puncto* 4. *num.* 8. *Quæſitum quartum.*

PUNC-

PVNCTVM III.

Utrùm neceſſe ſit ſub utraque ſpecie panis, ſcilicet, & vini conſecrare?

Si una ſpecies ſine altera conſecraretur, valida eſſet conſecratio.

36. ET quidem ſi una ſpecies ſinè altera conſecraretur, validè fieret, ut ex communi Doctorum tradunt N. Petrus Cornejo, *diſp.* 1 *dub.* 1. Suarez, *diſp* 43. *ſect.* 2. Coninch. *q.* 78: *art.* 1. Bonacina, *punct.* 3. *propoſitione* 1. Ioan. Gonzales, *diſp.* 4. *ſect.* 1. Granado, *diſp.* 5 Reginaldus, *liber.* 4. *cap.* 2. Et ratio eſt: quia forma conſecrationis unius ſpeciei, neque quantum ad ſignificationem, neque quantum ad efficaciam pendet à forma conſecrationis alterius ſpeciei, & quidem de ſignificatione patet: quia ſignificatio formæ panis totaliter, & adæquatè completur illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, quæ independentem ſignificationem habent a forma vini, & è converſo. De efficacia vero etiam conſtat: quia cauſalitas iſtarum formarum commenſuratur ſignificationi: ac proinde cum ſignificatio ſit mutuo independens: ita & efficacia.

Non tamen licet privata authoritate unam ſine altera conſecrare.

37. Non tamen poteſt quis privata authoritate conſecrare ex intentione unam ſpeciem ſinè altera licitè, etiam in caſu magnæ neceſſitatis. Ita D. Thom. *q.* 80. *art.* 12. *ad* 3. & eſt communis omnium paucis exceptis. Et ratio eſt: quia non licet authoritate privata ſinè veſtibus ſacris celebrare ad communicandum infirmum extremè laborantem, quamvis celebrare cum veſtibus ſacris ſit tantum de jure Eccleſiæ poſitivo: ergo multo minus licebit ob ſimilem cauſam conſecrare unam ſpeciem ſinè altera: cum integritas conſecrationis ſub utraque ſpecie non ſolum ſit de jure Eccleſiaſtico poſitivo, verum etiam de jure divino. Ut contra Adrian. *in* 4. *q.* 6. & contra Majorem, *diſt.* 9. *q.* 3. *docent*. Ledeſ. *c.* 4. Gonzal. *ſect.* 1. Aravio, *q.* 74. *art.* 1. referens, Marſilium, Paludan. Cajetan. Sylveſter. Sotum: & idem tradunt Suar. *diſp.* 43. *ſect.* 3. Vazq. *diſp.* 223. *c.* 3. Granad. *diſp.* 5. N. Corn. *diſp.* 1. *dub.* 3. N. Gabr. *tract.* 5. *diſput.* 1. *quæſt.* 6. Gonet *diſput.* 3. *art.* 6. Valent. *quæſt.* 10 *punct.* 4. dicens eſſe communem Theologorum. Et colligitur ex Tridentino *ſeſ* 22. *cap.* 1. *in medio, & can.* 2. ubi deffinitur, Chriſtum Dominum præcepiſſe Apoſtolis, & omnibus Sacerdotibus, ut offerrent Deo Patri corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpecie panis, & vini, ut rectè ponderant Vazq. *loco cit.* & Suarez *concluſ.* 3.

Caſus in quibus poſt conſecratum panem licet ſanguinis conſecrationem omittere.

1. caſus.

38. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus poſt conſecratum panem, licitum eſt omittere calicis conſecrationem. Primus eſt: quando quis bona fide putans ſe ponere vinum in calice, ponit aquam & ſic conſecrat in ſolo pane, & poſtquam deprehendit eſſe in calice aquam, non poteſt reperiri vinum, aut ſimpliciter, aut ſinè vitæ periculo, aut ſimili magno incommodo: tunc enim ſi vinum ſimpliciter reperiri non poteſt, excuſat importentia phyſica. Si autem quæri non poteſt ſine vitæ periculo, ob tantum incommodum declinandum, poteſt non quærere: cum id non ſit velle facere ſacrificium non integrum, ſed permittere, ut una pars materiæ maneat conſecrata ſine alia, quod excuſabile eſt in talibus caſibus. Ita Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 4. Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 3. *num.* 8. Aravjo, *q.* 74. *art.* 2. Reginald. de materia Sacramenti Euchariſtiæ, *cap.* 2. *num.* 14.

2. caſus.

39. Secundus caſus eſt: ſi poſt conſecratam hoſtiam immineret Sacerdoti evidens periculum mortis, ſi detineretur conſecrando calicem: poſſet enim, ſi aliundè non ſequeretur ſcandalum, vel contemptus noſtræ religionis, ſine culpa omittere calicis conſecrationem, & conſumere hoſtiam, ac fugere, propter rationem factam circa primum caſum. Ita Suarez, Aravjo, & alii.

40. Neque inde ſequitur, quod ſi quis comminetur mortem Sacerdoti niſi conſecret ſpeciem panis ad communicandum infirmum abſque ſpecie vini: quia vel non reperitur, vel neceſſitas inſtat poſſit Sacerdos hoc facere ſine peccato ad evitandam mortem. Eſt enim diſparitatis ratio: quia in hoc poſteriori caſu jam directè committeret contra præceptum divinum, & quamvis metu mortis, tamen formaliter intenderet mutilum ſacrificium facere, quod intrinſecè malum eſt, & contra præceptum negativum. Tamen in aliis caſibus adductis ſolum eſt, vel omiſſio cujuſdam præcepti, quod pro eo articulo cenſetur non obligare, vel etiam permiſſio, quod ſacrificium inchoatum relinquatur, quæ non eſt intrinſecè mala.

Quæſtio 1. ſententia

41. Supereſt modo difficultas, an ſaltem ex ſummi Pontificis diſpenſatione poſſit celebrari conſecrando ex intentione ſolum panem, vel ſolum vinum? Partem affirmantem amplectuntur Gabriel cum Alberto, *lect.* 53. *in canon, dub.* 3. Alanus 2. *de Euchariſtia, cap.* 5. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 13. Azor *tom.* 1. *inſtit. moralium, lib.* 10. *cap.* 19. *q.* 2. Fagundez *de præceptis Eccleſiæ, præcepto* 1. *lib.* 3. *c.* 5. *num.* 5. Et probabilem cenſent Thomas Sanchez, *tom.* 3. *de Matrimonio lib.* 8. *diſp.* 6. *n.* 6. & cum aliis Diana, *part.* 8. *tract.* 1. *de poteſtate Pontificis reſolut.* 23. N. Gabr. *loc. cit.*

1. fundamentum illius.

42. Probatur primò: quia re ipſa ſummus Pontifex diſpenſavit, ut conſtat ex Raphaele Volaterano, qui *lib.* 7. Geographiæ, *cap. de ſaxonibus*: *Norvegiæ*, inquit, Innocentii VIII. *conceſſione permiſſum ſine vino calicem ſacrificare, quod ob immenſa frigora vinum in ea regione importatum aceſcat, cujus rei gratia legatio miſſa.*

2. fundamentum.

43. Secundò: quia ſi ſummus Pontifex non poſſet diſpenſare in aliqua Provincia, ubi deficit vinum, ſequeretur ſpiritualis ruina multorum, qui dum Euchariſtia carerent, carerent utique ſpirituali ſole, carerent ſingulari ſolatio, animarum nutrimento, peregrinationis viatico, altaris ſacrificio, tolleretur frænum, quo à peccatis homines cohibentur, ceſſarent in plurimum fidelium Conventus, & Eccleſiarum cultus: credibile ergo eſt Pontificem à Chriſto poteſtatem accepiſſe ad impedienda tot mala in Chriſtiana Republica.

2. ſententia, cui ſubſcribimus.

44. Nihilominus pars negativa magis nobis placet, quam tenent Cajetanus, N. Cornejo, Valentia, & Aravjo hic, Sotus *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 1. Sylveſter, *verbo Euchariſtia*, Suarez, *ſect.* 4. Vazquez, *diſp.* 223. *cap.* 3. Cardinalis Lugo, *diſp.* 19. *ſect.* 8. Granado, *tractat.* 2. *diſp.* 5. Gonet, *numer.* 88, Herinx *diſp.* 2. *quæſtion.* 7.

N. Phi-

N. Philippus *diſp.* 2. *dub.* 6. & alii quam plurimi.

Notabile. 45. Ut autem probetur, prænotandam eſt cum N. Cornejo, & cum Thoma Sanchez, *lib.* 2. *de Matrimonio*, *diſp.* 14. duplex eſſe ius divinum. Unum abſolutum, ex ſolo Dei arbitrio derivatum, ut de non fornicando, de non mentiendo; & in hoc Pontifex diſpenſare non poteſt, nec mediatè, nec immediatè. Aliud eſt jus divinum ortum, & fundatum in actu, vel contractu humano, ut eſt votum, Matrimonium ratum, & alia hujuſmodi. Et in his diſpenſat Papa, non quidem auferendo immediatè obligationem jure naturæ, & divino ortam, ſed mediatè, tollendo, ſcilicet fundamentum talis obligationis, v. g. promiſſionem, aut contractum ipſum humanum. Quod optimè poteſt fieri à Pontifice, cui omnes actus, & contractus humani in quantum tales, ſubjecti ſunt, ut docuit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 10. *ad* 2. Quod non eſt propriè diſpenſare in jure divino, & naturali, ſed auferre fundamentum obligationis, quam homo ſibi ipſi impoſuit per actum propriæ voluntatis: quo ſublato, evaneſcit obligatio juris divini, & naturalis orta ex tali actu humano: jus enim divinum, & naturale eſt, ut qui habet votum, impleat illud, & hoc indiſpenſabile eſt à Pontifice, manente voto. At verò, quod iſte habeat votum, non eſt juris divini, ſed eſt effectus propriæ voluntatis, quam Pontifex poteſt impedire, & votum auferre.

Probatur hæc ſententia. 46. Quibus ſic prælibatis, probatur aſſertio. Nam integritas conſecrationis Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie eſt de jure divino, ut *num.* 37. prædictum eſt: atqui hoc jus eſt abſolutum, & primi generis, ex aſſignatis *num. præced.* quippè cum non fundetur in actu vel contractu alicujus puræ creaturæ, ut ex ſe conſtat; ſed ex ſolo Chriſti Domini arbitrio derivatum ſit: ergo in eo non poteſt Summus Pontifex, nec mediatè, nec immediatè diſpenſare.

Evaſio. 47. Dices, Summum Pontificem non poſſe, nec mediatè, nec immediatè diſpenſare in his, quæ ſunt ex jure divino abſoluto; poſſe tamen declarare in hoc, vel illo caſu non obligare præceptum, quod hujuſmodi juris eſt. Sic reſidentia Epiſcoporum eſt de jure divino abſoluto præcepta, ut cum Cajetano, Soto, Covarruvia, & Turriano probat latè Valent. *tom.* 3. *diſp.* 10. *q.* 3. *punct.* 5. & tamen Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 13. *cap.* 10. *De Reformatione* interpretatur, iſtud præceptum non procedere in quibuſdam caſibus. Ita ergò licet Papa nequeat diſpenſare in divino præcepto celebrandi in utraque ſpecie, poterit tamen declarare in aliquo eventu illud non obligare.

Refellitur. 48. Sed contra: quia non eſt locus interpretationi, & declarationi, ubi dubium non eſt; non eſt autem dubium, utramque ſpeciem pertinere ad integritatem Euchariſtiæ, & jus divinum præcipere ejus integritatem. Reſidentia verò Epiſcoporum, quæ eſt de jure divino, ut rectè docet N. Cornejo, non eſt reſidentia continua phyſica; ſed reſidentia moralis, & quæ prudenter judicata fuerit expediens ad paſcendas oves, & curam paternam gerendam, hujus autem determinatio ad Eccleſiam ſpectat. Et ita Tridentinum declarat modum reſidentiæ pro diverſitate temporum, locorum, ac perſonarum, ad eum modum, quo præceptum divinum de ſumenda Euchariſtia declaratur ab Eccleſia differendum non eſſe ultrà annum: eo quod Chriſtus Dominus imponens hoc præceptum, non præſcripſit tempus, in quo Euchariſtia ſumi deberet.

49. Ad primum reſpondetur cum Cardinali Lugo, cum Granado, & aliis, illi hiſtoriæ non eſſe adhibendam fidem. Tum quia eadem eſt indigentia vini nunc, quæ tunc fuiſſet, & tamen modo non reperitur in illa Provincia veſtigium illius diſpenſationis. Tum etiam, quia Volateranus non dicit fuiſſe permiſſum, ut in ſolo pane, ſine vino ſacrificarent; ſed ut ſacrificarent calicem ſine vino, quod abſque dubio incredibile eſt, cum apud omnes certum ſit Pontificem non poſſe in Sacramentorum materia diſpenſare, & conſequenter neque concedere, ut calicem ſine vino cum alio liquore ſacrificarent. *Occurritur 1 fundamento.*

50. Ad ſecundum dicendum, nunquam debere admitti, quod detur aliqua Provincia Chriſtianorum, in qua deficiat copia vini, quantum ſufficit ad uſum Euchariſtiæ, cum de facili poſſit vinum ad omnes Provincias deferri, & ad providentiam Dei pertineat, ut ubi Evangelium eſt promulgatum, panis, & vinum ad Euchariſtiam non deficiant, ſicut in tot ſæculis non defecerunt. *Fit ſatis 2.*

PUNCTUM IV.

Utrùm vino, quod eſt materia remota Sacramenti ſanguinis, admiſcenda ſit aqua?

51. Eccleſia Dei ab ipſo exordio, vino, quod in Euchariſtia conſecrandum eſt, aquam ſemper admiſcuit. Ut habetur in Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 7. & de hac mixtione extat præceptum, quod habetur *cap.* 1. *De conſecratione*, *diſt.* 2. & refertur in eodem Tridentino, dicto *cap.* 7. & latè docet Eruditiſſimus N. Dominicus *tom.* 5. *cap.* 20. Unde eam ſine peccato mortali prætermittere non licet, ut tradit Catechiſmus Romanus de Euchariſtia, *n.* 16. *Uſus, & præceptum admixtionis aquæ in vino conſecrando.*

52. Rationes autem hujus admixtionis plures adducuntur. Prima eſt ſignificatio ſanguinis, & aquæ, quæ de Chriſti latere fluxerunt. Secunda: quia id à Chriſto Domino factum eſſe, Conciliorum authoritate, & S. Cypriani teſtimonio comprobatur, ut inquit Idem Catechiſm. *loc. cit.* Tertia: ad denotandum unionem populi Chriſtiani per aquam ſignificati cum Chriſto Domino. Quarta: ad ſignificandam duplicem Chriſti naturam; divinam, & humanam. *Rationes pro hac admixtione*

53. Sunt verò circà hanc mixtionem nonnullæ difficultates expediendæ. Prima eſt: Utrùm mixtio aquæ ſit ita neceſſaria, ut ſine illa non poſſit conſiſtere Sacramentum, ſeu rata eſſe conſecratio: in qua pars negativa tenenda eſt contra Armacanum, *lib.* 9. *cap.* 4. undè valida eſſet conſecratio in ſolo vino facta, quamvis eſſet peccaminoſa. Ita Catechiſmus Pii V. & Theologi cum D. Thom. 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 7. nec non ſcholaſtici cum Magiſtro, *in* 4. *diſt.* 11. Et colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 22. & ex Florentin. *cap.* 4.

54. Ratio à priori eſt: quia licet Chriſtus

denti, diſtinguendum eſt conſequens: *Ergo quotieſcumque ſpecies conſecratæ multiplicantur ſecundum numerum ſunt diſtincta numero Sacramenta*: ſi multiplicantur tantum phyſicè, ſunt diverſa Sacramenta phyſicè, concedendum eſt: ſi multiplicantur tantum phyſicè, ſunt diſtincta moraliter, negandum eſt.

Enervatur 2. 50. Similiter ad ſecundum reſpondetur, multiplicatis ſpeciebus conſecratis, multiplicari quoque ſigna rei ſacræ, ita ut ſi multiplicentur ſpecies tam phyſicè, quam moraliter, multiplicentur etiam utroque modo ſigna rei ſacræ: ſin vero multiplicentur ſpecies ſolum phyſicè, ſolum quoque phyſicè, & non moraliter ſigna rei ſacræ multiplicari.

Diluitur tertium. 51. Ad tertium reſpondetur, unitatem ſumptionis, loci, vel temporis, ſtante multiplicatione phyſica ſpecierum, non ſufficere ad unitatem numericam phyſicè acceptam, ſufficere tamen modo dicto ad unitatem numericam moralem. Et ad impugnationem ſimiliter dicendum, quod licet unitas numerica phyſicè accepta ſumatur ab aliquo intrinſeco; moraliter tamen ſumpta ab aliquo extrinſeco optimè poteſt accipi.

52. Fundamenta ſimiliter ſecundæ ſententiæ nihil aliud probant, quam unitatem numericam hujus Sacramenti moraliter acceptam debere ſumi ab unitate morali ſpecierum inter ſe, ut ea perpendenti conſtabit, & ex eorum ſolutione, quatenus plus intendi poterat, amplius elucebit.

Enodatur fundamentum ſecundæ ſententiæ. 53. Ad primum ergo reſpondetur, Sacerdotem ſumentem in Miſſa hoſtiam in tres partes diviſam, & ſpecies vini triplici hauſtu phyſicè diſtincto, & moraliter continuo, triplex Sacramentum phyſicè, & unum moraliter ſumere. Et ſimiliter laicum, qui ſimul ſumit duas formas conſecratas per modum unius, duplex Sacramentum phyſicè, & unum moraliter ſuſcipere.

Desiitur 2. 54. Ad ſecundum dicendum, quod ſi hoc nomen convivium ſumatur pro ipſis ferculis, ac cibis in menſa ad comedendum appoſitis, quælibet ſingularia fercula, unum cibi, & alterum potus, habent rationem unius convivii phyſicè accepti, ac proinde ubi adfuerint quatuor fercula appoſita, duo cibi, & duo potus, ibi phyſicè duo convivia, & ubi plura fercula, plura phyſicè convivia: quamvis unum moraliter, vel quia ſimul apponuntur, vel ratione continuationis temporis, quo eadem menſa, & convivatio durat. Et hac ratione plures hoſtiæ ſimul ſumptæ non ſolum ſunt phyſicè plura numero Sacramenta, ſed plura etiam phyſicè convivia, quamvis moraliter dicantur unum, & idem convivium ratione unius ſumptionis, & refectionis.

Evertitur 3. 55. Ad tertium reſpondetur, negando ſequelam. Et ad probationem dicendum, quod in communicatione gratiæ pendet Sacramentum Euchariſtiæ à ſumptione, vel refectione, quæ ſit una moraliter: & ita duplici illi phyſicè Sacramento non correſpondet niſi unicus gradus gratię, qui correſponderet, etiamſi eſſet unum tantum Sacramentum phyſicè: quia ſive ſit unum, ſive duo phyſicè, non datur ibi niſi una ſumptio, ſive refectio moraliter.

CAPUT TERTIUM.

De neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ.

Caput iſtud continet unicum punctum, in quo aliqua ſupponuntur, & duplex dubium.

D. 1. *An Euchariſtia in voto ſit neceſſaria neceſſitate medii, tam parvulis, quàm adultis ad primam juſtificationem obtinendam?*

D. 2. *An Euchariſtia in voto ſit medium neceſſarium pro adultis ad conſervandam diu vitam ſpiritualem?*

PUNCTUM UNICUM.

In quo aliqua ſupponuntur.

Duplex neceſſitas medii ſcilicet, & præcepti. 1. Communis Theologorum ſententia diſtinguit duo genera rerum, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, & ſinè quibus gloria obtineri non poteſt. Quædam enim ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ſeu finis, & quædam ſolum neceſſitate præcepti. Priora ſunt illa, quæ ſive ex natura rei, ſive ex divina inſtitutione requiruntur ad ſalutem, ita ut ſinè illis, vel efficienter, vel finaliter influentibus, ſalus non poſſit obtineri, ut gratia, fides, paſſio Chriſti, Baptiſmus, vel poſt lapſum Pœnitentia. Poſteriora verò neceſſaria ſolum neceſſitate præcepti ea ſunt, quæ eatenus requiruntur ad conſequendam ſalutem, quatenus ſi non obſerventur, committetur gravis culpa, quæ obſtat ſaluti: & hoc modo audire ſacrum diebus feſtis, reſtituere, orare, & alia hujuſmodi ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti.

Differt autem inter id, quod ſolum eſt de neceſſitate præcepti, & inter id, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii: primò, quod propter ignorantiam invincibilem, vel defectu copiæ poteſt quis conſequi ſalutem ſinè illo, quod eſt neceſſarium ſolùm neceſſitate præcepti, non vero ſine eo, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii; & propterea dicitur neceſſarium neceſſitate finis: quia ſine illo in nullo caſu habetur finis.

2. differentia. 3. Differt ſecundò, quod id, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, eſt poſitivè cauſa conſecutionis gloriæ; id verò quod ſolum eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, eſt cauſa illius dumtaxat negative: quia tantùm ſe habet reſpectu gloriæ, ut removens prohibens, quatenus ſcilicet implendo præceptum, non committitur peccatum, quod obſtare poterat conſecutioni gloriæ.

3. differentia. 4. Differt tertiò, quod neceſſarium neceſ-

ſitate præcepti ſemper eſt eorum, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ſaltem medio adjutorio, & gratiâ Dei. Id autem quod eſt neceſſarium neceſſitate medii non ſemper eſt in noſtra poteſtate, ſicut baptiſmus reſpectu parvulorum.

Neceſſarium neceſſitate medii tripliciter contingit.

5. Tripliciter autem aliquid dici neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, primò in re ſuſceptum, ut baptiſmus reſpectu parvulorum excepto caſu martyrii. Secundò in re, vel defectu copiæ quaſi per accidens in voto, ut baptiſmus reſpectu adultorum. Tertiò, per ſe in voto, vel deſiderio, ut eſt neceſſarium votum Euchariſtię, quod reſpicit ipſam ut finem ad obtinendam gratiam aliorum Sacramentorum, ut explicabitur *dub. 1. ſequenti.*

Quæ ſupponantur & quæ examinanda reſtent.

6. Supponimus autem cum D. Thomâ, 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 11. Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, non ſolum Eccleſiaſt. quod habetur *cap. Omnis utriuſque ſexus, De Pœnitent. & remiſſionibus*, ſed etiam divini, quod habetur Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod infra ſuo loco probandum nobis eſt. Undè nunc ſolùm examinandum reſtat, an ſit neceſſaria neceſſitate medii? Et ne diutius, quam res exigit, immoremur, ſupponimus etiam, ut certum, Euchariſtiam ſecundùm realem ſuſceptionem non eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem, cum certò conſtet, quam plures, non ſolùm parvulos; ſed etiam adultos ſalvos fieri ſine reali Euchariſtiæ ſumptione, quos, vel impotentia, vel ignorantia, vel alia juſta cauſa excuſat à reali Euchariſtiæ uſu. Ut contrà Hæreticos efficaciter probant è N. Guido. *de Hæreſ. VValdenſis*, hic *cap.* 9. Cornejo *dub.* 1. *&c.* Gabriel à S. V. *diſp.* 3.

7. His ergo ſuppoſitis, duo ſolum ſuperſunt duobus dubiis ſequentibus examinanda.

DUBIUM I.

Utrùm Euchariſtia in voto ſit neceſſaria neceſſitate medii, tam parvulis, quam adultis ad primam juſtificationem obtinendam?

1. Dubitandi ratio.

8. ET videtur quod non primò: quia in Concilio Trident. *ſeſſ.* 13. *canon.* 5. damnatur, qui dicit, præcipuum fructum hujus Sacramenti eſſe remiſſionem peccatorum. Si autem eſſet hoc Sacramentum in voto medium neceſſarium ad primam gratiam, jam remiſſio peccatorum eſſet unum ex ejus præcipuis effectibus: ergo non eſt medium neceſſarium in voto.

Secunda.

9. Secundò: quia D. Th. 3. *p. q.* 65. *art.* 4. expreſsè docet ex ſeptem Sacramentis novæ legis ſolum tria eſſe neceſſaria ſimpliciter neceſſitate medii: nempe Baptiſmum abſolutè, & ſimpliciter, Pœnitentiam ſuppoſito peccato mortali poſt Baptiſmum, Sacramentum verò Ordinis toti corpori Eccleſiæ. Cætera verò Sacramenta ſolum eſſe utilitia, ſeu neceſſaria ad melius eſſe, ſicut equus neceſſarius eſt ad iter.

Tertia.

10. Tertiò: quia hoc Sacramentum non eſt per ſe inſtitutum ad cauſandam primam gratiam, quia illam ſupponit: ergo votum ejus non eſt medium neceſſarium ad illam conſequendam: propterea enim Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ in re, vel in voto ſunt media neceſſaria ad habendam primam gratiam: quia per ſe inſtituta ſunt ad primam gratiam conferendam.

Quarta.

11. Quartò: ſupponamus, quod infirmus poſtquam ſumpſit viaticum, peccavit mortaliter, iſte tenetur ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ in re, ſi adſit Confeſſor, & in voto, ſi non adſit: & tamen non indiget iterum ſumere Euchariſtiam: ergo tunc neque in re, neque in voto eſt neceſſaria, quia alias dicendum eſſet, quod Pœnitentia cum ordine ad Euchariſtiam dediſſet primam gratiam: ac proindè, quod ille infirmus teneretur iterum recipere viaticum, quod videtur inconveniens.

Quinta.

12. Quintò: quia quoties votum alicujus Sacramenti eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, etiam cadit ſub præcepto illud recipere in re, quando adeſt copia: cum fruſtra eſſet votum, niſi impleretur, quando copia, & opportunitas adeſſet, ut docet D. Thom. 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 11. atqui non tenetur quis Euchariſtiam in re ſumere, etiam habitâ copiâ: ergo votum Euchariſtiæ non eſt neceſſarium neceſſitate medii.

Sexta.

13. Sextò: quia Baptiſmus ſe ſolo habet vim cauſandi primam gratiam regenerativam, & Pœnitentia gratiam remiſſivam peccati: ergo ad hunc effectum præſtandum non indigent Euchariſtiâ, nec voto illius.

Authores pro hac parte.

14. Et ita votum Euchariſtiæ neceſſarium non eſſe neceſſitate medii, ſed ſolum neceſſitate præcepti aſſerunt Alenſis 4. *part. quæſt.* 11. *membro* 2. *art.* 4. §. 1. Durand. *in* 4. *dist.* 9. *q.* 2. Paludan. *q.* 1. Gabriel, *q.* 2. *art.* 2. D. Bonavent. *diſp.* 2. *art.* 2. *q.* 1. Decanus Lovanienſ. *artic.* 15. *in Lutherum.* Cajetan. 3. *part. quæſt.* 80. *artic.* 12. Suarez, *diſp.* 40. *sect.* 1. Vaſquez, *diſp.* 169. *cap.* 3. alios referens Araujo, *quæſt* 73. *art.* 4. *dub.* 2. Bonacin. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 3. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *q.* 1. Palaus, *diſp. unic. punct.* 5. Franciſ. B. S. *diſp.* 1. *n.* 54. & alii.

Authoritas Scripturæ.

15. Sed contrà, quia Joan. 6. dicitur: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi eodem tenore verborum exponit Chriſtus Dominus neceſſitatem Euchariſtiæ, atque Joan. 3. expoſuerat neceſſitatem Baptiſmi dicens: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ergò ſicut Baptiſmus eſt univerſaliter neceſſarius omnibus: ita ſimiliter Euchariſtia ſaltem in voto. Nec ſatis eſt, ſi dicas, ex hoc teſtimonio colligi neceſſitatem Euchariſtiæ; hanc autem non eſſe medii; ſed præcepti: quia verba hujus teſtimonii de ſe indifferentia ſunt ad ſignificandam neceſſitatem medii, aut neceſſitatem præcepti. Quia contra hoc eſt: tum ratio ipſa, quam reddit Chriſtus Dominus, ob quam neceſſarium ſit manducare ejus carnem, & ſanguinem bibere: non enim dixit neceſſarium eſſe, quia ego ita præcipio; ſed quia: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & quia: *Qui manducat me, ipſe vivet propter me.* Quibus verbis ſignificatur carnem Chriſti eſſe medium, quo vivificamur. Tum etiam, quia unio cum Chriſto per gratiam, quæ datur in Baptiſmo, & Pœnitentia, eſt effectus Euchariſtiæ in genere cauſæ finalis, ex cujus voto, & intentione ſaltem virtuali

aliorum Sacramentorum cauſalitates procedunt: ergo ſicut hujuſmodi unio eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medii; ita & Euchariſtiæ votum ſaltem virtuale, ſine quo haberi non poteſt.

Concluſio. 16. Reſpondetur dicendum, votum ſaltem virtuale, & implicitum Euchariſtiæ eſſe neceſſarium neceſſitate medii tam parvulis, quam adultis ad primam juſtificationem obtinendam. Hæc videtur ſententia D. Thom. 3. *part.* q. 73. *art.* 3. & *quæſt.* 79. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 1. & *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. & tradunt eam Sotus *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 3. Ledeſm. *in ſum. de Euchariſt. cap.* 2. Nuñus, *quæſt.* 73. *art.* 4. Gonzales, *diſp.* 3. *ſect.* 1. N. Cornejo, *diſp.* 2. *dub.* 1. N. Philippus, *diſp.* 1. *dub.* 11. Gabr. à S. V. *diſp.* 3. *q.* 2. Gonet. *diſp.* 2. *n.* 81. Labat. *dub.* 2. §. 2. Granad. *diſp.* 7. & eſſe communem in ſchola D. Thom. teſtatur Gonzales ubi ſuprà.

Votum Euchariſtiæ duplex, & inter illa triplex diſcrimen. 17. Ut autem ſine ambiguitate procedamus, prætermittere oportet cum N. Cornejo votum, ſeu deſiderium hujus Sacramenti poſſe eſſe duplex: unum, quod reſpicit hoc Sacramentum per modum finis vitæ ſpiritualis, & cæterorum Sacramentorum: alterum, quod reſpicit illud, ut eſt cauſa efficiens propriæ gratiæ cibantis, inter quæ duo vota, triplex eſt differentia.

18. Prima; quod votum primo modo includitur implicitè in ſuſceptione Baptiſmi, & in contritione, atque ita habetur non ſolum ab adultis, ſed etiam à parvulis, non quidem propria voluntate parvulorum; ſed voluntate implicita Eccleſiæ, quâ fit veluti proprium ipſorum parvulorum, ad eum ſanè modum, quo ipſa voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum non eſt ipſius pueri, ſed Eccleſiæ, applicatur tamen ipſi puero. Votum verò ſecundo modo ſolum reperitur in adultis, qui per ſe loquendo actu expreſſo, & formali voluntatis appetunt hoc Sacramentum.

2. Diſcrimen. 19. Secunda differentia eſt, quod per votum primo modo non participatur gratia ſpecifica hujus Sacramenti, quæ eſt per modum cibi, & potus; ſed participatur gratia aliorum Sacramentorum, quæ ab ipſis cauſatur in genere cauſæ efficientis, & ab hoc Sacramento ratione illius voti cauſatur in genere cauſæ finalis, & in hoc genere eſt effectus illius. Per votum verò ſecundo modo, quando habetur à fideli exiſtente in gratia, participatur ex opere operantis quodammodo propria gratia, & fructus hujus Sacramenti; licet non ita perfectè, ac ſi illud realiter ſuſciperetur.

Secundum. 20. Tertia differentia eſt, quod votum primo modo non concurrit quaſi peraccidens ex defectu copiæ realis ſumptionis; ſed per ſe eſt medium, quia reſpicit Euchariſtiam non in genere efficientis, ſed in genere finis, cui per ſe competit cauſare, ut in intentione, & deſiderio. Votum verò ſecundo modo concurrit quaſi peraccidens ex defectu copiæ realis ſumptionis, & ità quaſi peraccidens eſt medium: quia reſpicit Euchariſtiam in genere efficientis reſpectu propriæ gratiæ cibantis.

Tertium. 21. Votum igitur, de quo in hac aſſertione loquimur, eſt votum primo modo ſumptum, quo quis ſive parvulus ſit, ſive adultus per Baptiſmum, aut Pœnitentiam manet ordinatus ad Euchariſtiam, ut ad finem, & perfectionem ſpiritualis vitæ. Sic enim hoc Sacramentum D. Thomas ſecutus D. Dionyſium, *cap.* 5. *de Eccleſiaſtic. Hierarch.* vocat *Conſummationem ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finem.*

22. His ſic præmiſſis, probatur noſtra aſſertio primo authoritate D. Thom. 3. *p.* q. 79. *art.* 1. *ad* 1. ubi ſic ait: *Hoc Sacramentum ex ſe ipſo virtutem habet gratiam conferendi, neque aliquis habet gratiam antè ſuſceptionem hujus Sacramenti, vel niſi ex aliquo voto ipſius, vel per ſe ipſum: ſicut adulti, vel voto Eccleſiæ: ſicut parvuli.* *Explicatio concluſio.*

23. Reſpondebis, hic fieri ſermonem de voto adimplendi præcepta, in quo includitur votum recipiendi ſuo tempore hoc Sacramentum, ſicut votum jejunandi, &c. *Suadetur.*

24. Contrà tamen eſt: quod adverſus hanc intelligentiam ſubjungit ibidem Angelicus Doctor: *Unde ex efficatia hujus Sacramenti eſt, quod etiam ex voto ipſius aliquis gratiam conſequatur, per quam efficaciter vivificatur.* Ubi efficaciæ hujus Sacramenti prout in voto tribuit Sanctiſſimus Præceptor ipſammet gratiam, quam Baptiſmo. Unde apertè loquitur de neceſſitate medii. *Evaſio.*

25. Secundò probatur ratione: nam Baptiſmus, vel Pœnitentia, quæ ſunt media neceſſaria ad primam juſtificationem obtinendam, ut à Chriſto Domino inſtituta ſunt, non conferunt primam gratiam, niſi reſpiciendo ad Euchariſtiam, ut ad finem Sacramentorum, & ut ad id, in quo continetur author omnis gratiæ: ergo eo ipſo, quod quis vult baptizari, aut confiteri, cenſetur velle Euchariſtiam, & habere ſaltem virtualiter, & implicitè votum illius, vel voluntate propria, ſi eſt adultus, vel reſpectu Baptiſmi voluntate Eccleſiæ, ſi eſt parvulus: & ex conſequenti hujuſmodi votum virtuale, & implicitum erit medium neceſſarium ad primam gratiam obtinendam, ut incluſum in voluntate ſuſcipiendi Baptiſmum, aut Pœnitentiam. *Præcluditur.*

25. Obſervat autem optimè D. Th. q. 73. *art.* 3. non eodem modo Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ſicut Baptiſmum; etenim Baptiſmus neceſſarius eſt per modum inchoationis vitæ ſpiritualis: Euchariſtia verò per modum conſummationis. Ex quo aliæ duæ oriuntur differentiæ: prima eſt, quod votum Euchariſtiæ continetur in alio Sacramento priori; at votum Baptiſmi non poteſt in alio priori Sacramento contineri. Et ideò parvuli, qui non ſunt capaces voti per actum proprium, ſalvari non poſſunt ſine reali ſuſceptione Baptiſmi; ſalvari autem poſſunt ſine reali ſuſceptione Euchariſtiæ: quia ſuſceptio Baptiſmi eſt virtuale votum Euchariſtiæ. Secunda eſt, quod realis ſuſceptio Baptiſmi per ſe loquendo requiritur ad ſalutem: undè votum Baptiſmi ſolum requiritur quaſi peraccidens, nempe ex defectu copiæ realis ſuſceptionis; at votum iſtud Euchariſtiæ per ſe requiritur. Et ratio eſt: quia Euchariſtia eſt finis omnium aliorum Sacramentorum, finis autem per ſe cauſat media intentione, & deſiderio ſui. Undè realis ſumptio Euchariſtiæ non habet rationem medii; ſed ſolùm requiritur neceſſitate præcepti. *Firmatur 2. concluſio.*

26. Ad primum in contrarium adductum reſpondetur, quod Concilium loquitur ibi de *Solvitur 1. ratio in oppoſitum.*

fructibus

Digitized by Google

fructibus per ſe cauſatis ab Euchariſtia in genere cauſæ efficientis, & ut quoddam particulare Sacramentum eſt, habens ſpecialem effectum ab aliis Sacramentis condiſtinctum, qua ratione non cauſat primam gratiam, ſed eam ſupponit, & peccatum jam remiſſum: non verò loquitur Concilium de effectibus hujus Sacramenti in genere cauſæ finalis, & ut eſt omnium aliorum Sacramentorum finis, & totius gratiæ ſacramentalis cauſa in genere cauſæ finalis.

Diluitur 2. 27. Ad ſecundum dicendum, D. Thom. loqui in illo loco de neceſſitate Euchariſtiæ non ſolum in ordine ad adultos, verum etiam in ordine ad parvulos: qua ratione Euchariſtiæ realis ſuſceptio non eſt neceſſaria, ſed ſolum votum ejusmodo ſupra explicato, & ita declarat ſe ipſum Angelic. Doctor infra *q.* 80. *art.* 11.

Enodatur 3. 28. Ad tertium reſpondetur diſtinguendo antecedens: *Hoc Sacramentum non eſt per ſe inſtitutum ad primam gratiam cauſandam*, ſi conſideretur in ratione cauſæ efficientis, concedimus; ſi conſideretur in genere cauſæ finalis, ut eſt finis aliorum Sacramentorum, negamus. Ut ſic enim votum ejus concurrit ad cauſandam primam gratiam, & hoc cauſalitatis genus non competit aliis Sacramentis.

Enervatur 4. 29. Ad quartum dicendum, quod licet infirmus ille neque teneretur, neque vellet tunc ſuſcipere Euchariſtiam, nihilominus votum virtuale, & implicitum includeretur in ejus contritione, aut in attritione conjuncta cum reali ſuſceptione Pœnitentiæ, eo modo, quo in parvulis includitur iſtud votum in reali ſuſceptione Baptiſmi, licet Eccleſia non velit, quod in illa ætate ſuſcipiant Euchariſtiam; imò velit oppoſitum.

Evelitur 5. 30. Ad quintum reſpondetur, quod quoties votum alicujus Sacramenti eſt neceſſarium neceſſitate medii, & concurrit quaſi peraccidens ex defectu copiæ realis ſuſceptionis, veriſſimum eſt, quod cadit ſub præcepto illud Sacramentum recipere in re, quando adeſt copia, & opportunitas: cum fruſtra eſſet tale votum niſi impleretur, quando copia, & opportunitas adeſſet, & hoc eſt, quod optimè docet D. Thom. *dicta quæſt.* 80. *art.* 11. ubi loquitur de Euchariſtia in ratione cauſæ efficientis, de qua agemus *dub. ſequenti.* Quia tamen votum Euchariſtiæ, de quo nunc loquimur, & aſſerimus, eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad primam juſtificationem obtinendam, non concurrit in genere efficientis, ſed in genere finis, neque quaſi peraccidens ex defectu copiæ, & opportunitatis realis ſuſceptionis Euchariſtiæ, ſed per ſe eſt medium incluſum in receptione Baptiſmi, & pœnitentiæ, ideò non cadit ſub præcepto ad primam juſtificationem obtinendam recipere Euchariſtiam in re, etiam quando adeſt opportunitas. Neque fruſtra eſt tunc hujuſmodi votum in ſuſceptione aliorum Sacramentorum incluſum: cum ratione illius Euchariſtia in genere finis cauſet effectus, ad quos alia Sacramenta concurrunt in genere efficientis.

Refellitur 6. 31. Ad ſextum dicendum, Baptiſmum, & Pœnitentiam ſe ſolis cauſare primam gratiam in genere cauſæ efficientis, in quo genere à nullo alio Sacramento pendent; tamen eorum cauſalitas pendet ab Euchariſtia in voto in genere cauſæ finalis.

DUBIUM II.

Utrùm Euchariſtia in re, vel in voto ſit medium neceſſarium pro adultis ad conſervandam diu vitam ſpiritualem?

32. ET videtur quod non: quià nullum Sacramentum eſt medium neceſſa- *1. dubitandi ratio.*
rium ad aliquem finem, niſi per ſe habeat producere aliquem effectum neceſſarium ad obtinendum illum finem, tanquam unica cauſa, ut de ſe eſt manifeſtum: Euchariſtia autem per ſe non habet producere aliquem effectum neceſſarium ad conſervandum diu vitam ſpiritualem tanquam unica cauſa hujuſmodi effectus, cum mediante ſuſceptione aliorum Sacramentorum, & per alia etiam media, qualia ſunt jejunia, eleëmoſynæ, & remiſſio injuriarum, præbeat Deus auxilia gratiæ ad conſervandam diu vitam ſpiritualem: ergo Euchariſtia neque in re, neque in voto eſt medium neceſſarium ad hujuſmodi effectum.

33. Secundò: quia in Tridentino, quando *Secunda.*
agitur de neceſſitate Euchariſtiæ, *ſeſſione* 13. *canon.* 9. ſolum aſſignatur neceſſitas præcepti, non vero neceſſitas medii, cum tamen utramque neceſſitatem explicet idem Concilium in Sacramento Baptiſmi, *ſeſſ.* 7. *can.* 5. & in Sacramento Pœnitentiæ, *ſeſſ.* 14. *can.* 6. ergo Euchariſtia ſolum eſt neceſſaria neceſſitate præcepti: alioqui enim Concilium non loqueretur diverſo modo de neceſſitate illius, ac de neceſſitate Baptiſmi, & Pœnitentiæ.

14. Tertiò: quia ſi conſervare diù vitam *Tertia.*
ſpiritualem eſſet effectus proprius Euchariſtiæ, quicumque ſumeret dignè Euchariſtiam, reciperet hunc effectum: nam Sacramentum dignè ſuſceptum infallibiliter cauſat ſuum effectum in ſuſcipiente: conſequens autem eſſe falſum patet in D. Petro, qui dignè recepit Euchariſtiam, & tamen trina negatione non multò poſt Chriſtum negavit: & ita hanc partem negativam tuentur Durandus, Suarez, Vaſquez, & alii *dubio præt. num.* 15. relati.

35. Sed contrà: quia D. Thomas, 3. *part.* *Authoritas*
quæſt. 80. *artic.* 11. *ad* 2. quantum ad adultos eſſe neceſſariam Euchariſtiam, nimirum ad diu conſervandam vitam ſpiritualem: ſicut Baptiſmus ad illam inchoandam: ergo in re, vel in voto eſt medium neceſſarium pro adultis ad diu conſervandam gratiam.

36. Reſpondetur dicendum: Euchariſtiam *Concluſ.*
in re, vel in voto eſſe medium neceſſarium pro adultis ad conſervandam diu vitam ſpiritualem. Ita N. Cornejo, Joannes Gonzales, N. Gabr. Labat. & ferè omnes authores *dub. præt.* *n.* 17. pro nobis relati, & præterea Sotus, *lect.* 9. *de Euchariſtia* dicens, hoc Sacramentum eſſe neceſſarium ad conſervandam ſpiritualem vitam: ſicut cibus materialis eſt neceſſarius ad conſervandam vitam corporalem. Et idem docet Claudius, *repet.* 6. *cap.* 7. Roſenſis, *lib.* 5. contrà Ecolampadium *in proœmio.* Naclantes *tractat. de communione theoremate primo*, & alii.

37. Et probatur ex Concil. Florentin. *loco* *Suadetur.*

Digitized by Google

ſuprà *cit.* dicente, Euchariſtiæ cibum præſtare animæ omnes effectus, quos præſtat corpori cibus materialis: ergo ſicut cibus corporalis requiritur neceſſitate medii ad conſervandam diu vitam corporis: ita hoc Sacramentum in re, vel in voto requiritur neceſſitate medii ad conſervandam diu vitam ſpiritualem. Diximus *in re, vel in voto non in re tantum*, propter diſcrimen, quod ut optimè obſervat D. Thom. *3. part. quæſt.* 73. *artic.* 3. *ad* 2. reperitur inter cibum corporalem, & cibum iſtum ſpiritualem, quod cum cibus corporalis convertatur in ſubſtantiam aliti non poteſt prodeſſe ad nutritionem, niſi realiter ſumatur: cibus verò iſte ſpiritualis, qui in ſubſtantiam animæ non convertitur; ſed potius convertit animam in ſe ipſum, ut proſit, non ſemper eſt neceſſè, ut realiter ſuſcipiatur; ſed eſt interdum ſatis, ſi recipiatur voto, & deſiderio, quo amans convertitur in rem amatam.

Confirmatio. 38. Confirmatur: quia neceſſitas præcepti de ſumenda Euchariſtia oritur ex neceſſitate effectus proprii hujus Sacramenti, qui eſt nutrire, & conſervare diu vitam ſpiritualem. Neceſſitas autem præcepti, quæ oritur ex neceſſitate effectus proprii alicujus Sacramenti ſimul eſt neceſſitas medii in re, vel in voto: ergò Euchariſtia ad conſervandam diu vitam ſpiritualem requiritur neceſſitate medii in re, vel in voto.

Diſſolvitur 1. ratio dubitandi. 39. Ad primum in contrarium adductum reſpondetur negando minorem. Alia enim media ibidem recenſita, licet conducant ad illum effectum conſervandi diu vitam ſpiritualem, non tamen ſunt efficacia, niſi mediante hoc Sacramento in re, vel in voto. Unde in Oratione Dominica, quam pro obtinendo iſto dono fundimus ad Deum votum, & deſiderium Euchariſtiæ, declaramus in illis: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ut interpretantur D. Aug. *Epiſt.* 22. *cap.* 2. D. Clemens, *lib.* 8. *Apoſtolicarum traditionum, cap.* 14. & alii Patres. Quandò igitur per illa media donum diu perſeverandi in vita ſpirituali obtinetur, hoc mediante Euchariſtia, vel in re ſuſcepta vel ſaltem in deſiderio recipiendi illam tempore ſtatuto, illud obtinetur: ac proindè mediante Euchariſtia in re, vel in voto habent efficaciam alia media ad hunc effectum. Et in hoc ſenſu dixit D. Auguſt. quod veraciter incorruptibilitatem diuturnam ſcilicet vitæ ſpiritualis non præſtat, niſi iſte cibus.

Secunda. 40. Ad ſecundum dicendum: Concilium Tridentin. loqui de Sacramentis, quatenus ſunt cauſæ effectivæ gratiæ, & de his, quæ neceſſaria ſunt ſimpliciter: & hoc modo Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt in voto neceſſaria ad ſalutem, ita ut nullus in hac vita, ſivè multo, ſivè parvo tempore vivat, ſine illis, aut eorum votis, poſſit conſequi ſalutem. Neceſſitas verò Euchariſtiæ, quatenus eſt cauſa effectiva gratiæ cibantis, non eſt neceſſitas ſimpliciter; ſed ſolum ex ſuppoſitione, quod aliquis diu duret in hac vita mortali, quemadmodum cibus corporalis non eſt ſimpliciter neceſſarius, ut homo conſervetur in vita per aliquod tempus; ſed duntaxat, ut diu conſervetur in illa. Et hoc eſt, quod D. Thom. docuit *in 4. diſt.* 12. *quæſt.* 3. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. dicens Euchariſtiam non eſſe ſimpliciter neceſſariam: ita ut ſinè illa ſalus eſſe non poſſit, ſed ex ſuppoſitione finis. Suppoſito ſcilicet, quod quis velit perſeverare firmus in vita ſpirituali, quia tunc ad reparandas vires animæ, quæ ex diuturna pugna cum fomite, & calore concupiſcentiæ debilitantur, neceſſarius eſt Euchariſtiæ cibus in re, vel in voto.

41. Ad tertium reſpondet D. Thom. *3. part. quæſt.* 79. *art.* 6. *ad* 1. *Tertia.* *Dicendum, quod effectus hujus Sacramenti recipitur in homine ſecundum hominis conditionem; ſicut contingit de qualibet cauſa activa, quod ejus effectus recipitur in materia ſecundum modum materiæ. Homo autem in ſtatu viæ eſt hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus poteſt flecti in bonum, & malum. Unde licet hoc Sacramentum quantum eſt de ſe habeat virtutem præſervativam à peccato, non tamen aufert homini poſſibilitatem peccandi.* Ex quibus patet, quod ſicut robur ſpeciale ad proteſtandam fidem eſt effectus proprius confirmationis: & tamen hoc non obſtante contingit aliquando, quod confirmatus, qui dignè illud ſuſcepit inſtante occaſione, non proteſtetur fidem ob mutabilitatem ſui arbitrii: ſic licet robur ſpeciale ad conſervandam diu gratiam ſit effectus propius hujus Sacramenti; tamen ex mutabilitate liberi arbitrii contingit illam diu non conſervare eum, qui aliquando dignè ſuſcepit Euchariſtiam. Quo tamen non obſtante, dicendum eſt, quod quicumque adultus diu conſervat vitam ſpiritualem virtute hujus Sacramenti in re, vel in voto illam diu conſervat: quia iſte eſt effectus proprius hujus Sacramenti. Undè ſuppoſita ejus inſtitutione, & neceſſitate, quam Chriſtus Dominus indicavit, Joan. 6. cum dixit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* Nulli adulto præparatur robur ſpeciale ad conſervandam diu gratiam, niſi cum ordine ad hoc Sacramentum ſuſceptum in re, vel in voto, & deſiderio. Et in hoc ſenſu dixit D. Thom. hoc Sacramentum pro adultis eſſe Sacramentum neceſſitatis, *3. part. q.* 80. *art.* 11. *ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod hoc Sacramentum dicitur non eſſe neceſſitatis, ſicut Baptiſmus quantum ad pueros, quibus poteſt eſſe ſalus ſine hoc Sacramento, non autem ſine Sacramento Baptiſmi; quantum verò ad adultos utrumque eſt neceſſitatis.*

42. Sed inquires primò: quanto tempore poterit homo conſervari in gratia ſine Euchariſtia in re, vel in voto ſuſceptâ? *Quæſitum primum.*

Reſpondetur non poſſe determinari phyſicè, *Solvitur.* ſicut neque tempus, in quo poteſt homo durare in vita corporali ſine cibo: nam pro diverſa ſubjectorum qualitate in quibuſdam erit longius, in aliis brevius, moraliter tamen non excedet annum: propterea Eccleſia impoſuit præceptum de illa ſemel in anno ſumenda; ſed quia non pauci ſentiunt ſpiritualem debilitatem ad opera virtutum, & ad reſiſtendum peccato mortali: ſicut non ſufficit ſumere cibum corporeum ſemel in anno, ſed quoties naturalis virtus debilitatur: ita hoc Sacramentum toties ſumi debet in re, vel in voto quoties hæc ſpiritualis debilitas ſentitur: quia non minus debilitat vires animæ fomes, & concupiſcentia, quam vires corporis calor naturalis. Unde peccant, qui hanc debilitatem experiuntur, ſi ad

Eucha-

Euchariſtiam non accedant; non tamen contra præceptum Eccleſiæ, ſi ſumpſerunt illam ſemel in anno. Ita N. Cornejo, & Philippus à Sanctiſſima Trinitate.

Quæſitum ſecundum. 43. Petes ſecundò: an hujuſmodi votum debeat eſſe explicitum, vel ſufficiat implicitum, incluſum in aliquo actu formali, & expreſſo ipſius adulti?

Diluitur. Reſpondetur, actualiter conſiderantibus de neceſſitate huius Sacramenti ad diu conſervandam vitam ſpiritualem, neceſſarium eſſe votum explicitum illius: quia, qui explicitè videt, & conſiderat aliquid eſſe ſibi neceſſarium ad ſalutem, & non proponit illud facere, non videtur quomodo non excludat votum, & propoſitum illius. Actualiter verò non conſiderantibus invincibiliter neceſſitatem hujus Sacramenti ad conſervandam diu gratiam, ſufficere votum implicitum illius: ſicut ſtante ignorantia invincibili, ſive habituali, ſive ſolum actuali propter inculpabilem inconſiderationem ſufficit ad juſtificationem impii votum implicitum Sacramenti pœnitentiæ incluſum in contritione. Ita N. Cornejo.

CAPUT QUARTUM.

De materia remota Euchariſtiæ.

CAPUT HOC SEPTEM PUNCTA COMPLECTITUR.

P. 1. *Quæ ſit materia remota Sacramenti corporis?*

P. 2. *Quæ ſit materia remota Sacramenti ſanguinis?*

P, 3. *Utrum neceſſe ſit ſub utraque ſpecie conſecrare?*

P. 4. *Utrum vino, quod eſt materia remota Sacramenti ſanguinis, admiſcenda ſit aqua?*

P. 5. *An quælibet quantitas panis, & vini poſſit conſecrari?*

P.6. *Utrum materia conſecranda debeat eſſe præſens?*

P. 7. *An ut materia validè conſecretur, debeat conſecrantis intentione determinari?*

PUNCTUM I.

Quæ ſit materia remota Sacramenti corporis Chriſti?

Solus panis eſt materia remota Sacramenti corporis Chriſti. 2. SOlum panem eſſe materiam remotam, ex qua conficitur corpus Chriſti, conſtat ex Concilio Florentino *in decreto* Eugenii: ex Lateranenſi *in cap. Firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica.* & ex Tridentino, *ſeſſione* 13. *cap.* 1. colligiturque ex Ioan. 6. Mathæi 26. Marci 14. & 1. Corinth. 11. Quod unanimi conſenſu docent Sancti Patres, & confitetur Eccleſia.

Ratio & congruentia. 2. Potiſſima ratio hujus inſtitutionis fuit Chriſti Domini voluntas; nec deſunt optimæ congruentiæ: cum enim Euchariſtia ſit cibus ſpiritualis animæ, convenientiſſimum fuit inſtitui in pane, qui eſt præcipuus cibus. Et cum hoc mirabile Sacramentum ſit ſignum, & cauſa unitatis, & pacis confici oportuit ex pane, qui ex multis coaleſcit granis.

Panis ex ſolo tritico debet eſſe. 3. Panis autem, qui eſt materia neceſſaria hujus Sacramenti, debet eſſe triticeus, & nullus alius eſt ſufficiens, vt colligitur ex Concilio Florentino *loco citat.* & ex praxi, & traditione Eccleſiæ. Et ita Catheciſmus Romanus, *part. 2. de Euchariſt. numer.* 1. *Nullus panis*, inquit, *niſi triticeus apta ad Sacramentum materia putandus eſt: hoc enim Apoſtolica traditio nos docuit, & Eccleſiæ catholica authoritas firmavit.*

4. Duplici ratione probat id D. Th. *q.* 74. *art.* 3. Primâ quidem, quia ad uſum Sacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communis apud homines in talem uſum venit: inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur eſſe introducti in hujus panis defectum. Et ideo Chriſtus creditur in hujus panis ſpecie hoc Sacramentum inſtituiſſe. Secunda vero: quia panis triticeus magis confortat hominem: & ita convenientius ſignificat effectum hujus Sacramenti. Unde. *Duplex ratio.*

5. Primò: non eſt apta materia ad validam conſecrationem panis, qui fit ex grano, quod certum eſt non eſſe triticeum, ut ex hordeo, avenâ, orizâ, millio, pannitio, maizio, cicere, piſis, favis, amygdalis, caſtaneis, aliiſque leguminibus, & arborum fructibus. Ita Filliucius *de materia panis, & vini, c.* 3. Granad. *tractat.* 2. *diſp.* 1. Cardinalis Lugo *diſp.* 4. *ſect.* 1. Palaus, *diſp. unic punc.* 4. Bonacin. *diſp.* 4 *punct.* 1. N. Anton. *diſp.* 2. *q.* 1. & alii communiter. *Corollarium 1.*

6. Secundò: omnis panis ex grano, quod eſt abſolutè, & ſimpliciter triticeum, ſufficit, ut ex, ſiligine, ſi ſignificet, quod Hiſpanè *candial.* Italicè *grano gentile obianco.* Ita Div. Thom. *artic.* 3. Cajetan. Sotus, Sylveſter, quos refert, & ſequitur Filliucius ubi ſupra. Eſt enim ex Plinio, *lib.* 18. *c.* 8. deliciæ tritici, vel triticum ſelectum. Item ex tritico trimeſtri, quod dicitur alicaſtrum. Ita Henriquez, *cap.* 9. §. 2. *lit.* M. Granado, & Filliucius ubi ſupra. *Corollarium 2.*

7. Tertiò: Granum, de quo eſt dubium an ſit triticeum, efficit etiam materiam dubiam, ideoque moraliter ineptam conſecrationi: undè quia de *typha* grecè, latinè, *blata*, Hiſpanè *centeno*, affirmant eſſe ſufficientem materiam, Petrus de Ledeſma *cap.* 4 Victoria, *n.* 55. & alii apud Henriquez, *c.* 9. littera D. Negant verò Angelus, Roſela, & alii apud eundem Henriquez eodem loco, quos ſequitur Vazquez, *diſp.* 170. *c.* 3. *n.* 21. Palaus, *punct.* 4. *num.* 2. Rectè Suarez, *diſp.* 44 *ſect.* 2. §. *Tertium exemplum*, & Granado, *diſp.* 1. *num.* 6. dicunt materiam hanc eſſe dubiam. *Corollarium 3.*

8. Quartò: panis confectus ex diverſis granis *Corollar. 4.*

nis,ſi ſint triticea, ſatis eſt ; ſi alterius generis triticeo permiſceantur, ſi pauciſſima ſint, ita quod ſimpliciter & abſolutè retineatur materia panis triticei, cenſenda eſt materia ſufficiens, ut validè conſecrari poſſit. Secus verò ſi extranea materia triticeam ſuperet, vel æquet. Ita D. Thomas, *art.* 3. *ad* 2. & cum Vazq. Vivald. Chamerota, Graſio, Bartholomæo ab Angelo, & Filliucio, Bonacina, *diſp.* 4. *puncto* 1. *num.* 6. Palaus, *puncto* 4. *num.* 3. N. Gabr. *diſp.* 5. *q.* 2. & Granado ubi ſupra.

Panis triticeus debet confici ex aqua naturali & igne torreri.

9. Præterea panis triticeus conſecrationi deſerviens, debet eſſe ex aqua naturali confectus, & igne toſtus. Ratio, quia ſic fit panis uſualis, qui eſt materia neceſſaria. Ita D. Thomas. *art.* 7. *ad* Coninchus, Vazquez, Layman, Bonacina, quos refert, & *ſeq.* Palaus, *num.* 3. & cum multis Filliucius, *n.* 78. Cardin Lugo, *n.* 4. N. Gabr. *q.* 2. Undè.

Corollarium 1.

10. Primò: panis confectus ex melle, lacte, oleo, aqua roſacea, vel alio liquore prædominante, non eſt materia ſufficiens conſecrationi: quia non eſt panis uſualis. Ita communiter Doctores citati contra nonnullos alios apud Cardinalem Lugo. Poſſet verò aqua roſacea, aut alius extraneus liquor cum aqua naturali in tam modica quantitate miſceri, ut non obſtaret veritati Sacramenti. Ut benè obſervant Palaus, & Granado, N. Gabr. ut in ſimili dictum eſt de pauciſſimis granis permixtis cum tritico, ſuprà *n.* 8.

Secundum.

11. Secundò: maſſa cruda, ſeu oleo, aut butyro, frixa, vel aqua elixa non eſt ſufficiens materia: ac proinde paſta, laganum, pultes, & ſimilia non ſufficiunt, ut cum multis Bonacina, Filliucius, Granado, & Palaus ubi ſupra.

Tertium.

12. Tertiò: farina, aut panis corruptus non eſt aptus conſecrationi: quia ſicut acetum non eſt vinum: ita panis corruptus non eſt panis. D. Thomas, *art.* 3. *ad* 4. Coninch. ibidem, Filliuc. ubi ſupra, & cum multis Bonacina, *punct.* 2. *num.* 5.

Quid ſi panis non ſit omnino corruptus.

13. Si autem ſolum eſt aliqua diſpoſitio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio ſaporis, eſt materia valida, ſed illicita propter irreverentiam Sacramenti: ut inquit Div. Th. Quin. & Coninch. & Palaus dicunt conſecrare in pane, qui jam incepit tranſmutari, & corrumpi, grave eſſe peccatum.

Corollarium 4.

14. Quartò: panis confectus ex amydo non eſt valida materia, quia licet amydon ex tritico conficiatur, ita tamen tranſmutatum eſt, ut panis ex illo confectus non ſit uſualis. Ita cum D. Thom. *art.* 3 *ad* 4. & cum pluribus Palaus ubi ſupra, Granado, *diſp.* 1. *num.* 8. N. Gabr. Cardinalis Lugo dicens eſſe communem Theologorum contra Paludanum, & aliquos doctos recentiores.

Collorarium 5.

15. Quintò: hoſtiæ rubræ, quibus ſigillantur litteræ, non ſunt materia valida: quia per admixtionem cum cinnabrio notabiliter alterantur, & extrahuntur à pane uſuali. Ita Cardinalis Lugo, *diſp.* 4. *ſect.* 1. cui conſentit Diana, *tom.* 7. *tract.* 11. *reſolut.* 8.

16. Ad valorem Sacramenti ſufficit panis triticeus, ſivè ſit azimus, ſive fermentatus. Ita D. Thom. *art.* 4. & omnes Doctores Catholici, & definitur in Concilio Florentino, *in decreto de Armenis.* §. 3. *In Euchariſtia.* Uterque enim panis eſt verus, & uſualis.

17. De neceſſitate tamen præcepti in Eccleſia latina, latinus tenetur celebrare in ſolo azimo, & in Græca Græcus in ſolo fermentato, ut expreſsè tradit Conc. Florent. *dict. decreto* §. 2. *Definimus*, inquit, *in azimo ſivè fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipſum Domini corpus conficere; debere unumquemque juxtà Eccleſiæ ſuæ, ſivè occidentalis, ſivè orientalis conſuetudinem.* Et docuit D. Thomas, *artic.* 4. Cajetanus ibidem, Ferrara 4. *contra gentes, cap.* 69. Sotus *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 4. Suarez, *diſp.* 44. *ſect.* 3. & cum multis Henriquez, *c.* 11. §. 6. & Granado, *diſp.* 1. *n.* 12. idem noviſſimè fusè & doctè demonſtrat R. P. N. Dominicus *tom.* 5. *cap.* 19.

Congruentia major uſus Eccleſia latinæ.

18. Congruentior tamen eſt uſus Eccleſiæ latinæ, ut docet D. Thomas Primò quidem propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc Sacramentum inſtituit prima die azimorum, ut habetur Matth. 26. Marci 14 & Lucæ 22. quâ die nihil fermentatum in domibus Iudæorum eſſe debebat, ut habetur Exodi 11. Et benè probat. N. Dominicus. Secundò ob ſignificandam puritatem corporis Chriſti, quod ſinè opera viri conceptum eſt. Tertiò ad denotandam puritatem mentium, quam efficit Euchariſtia, & requirit in animis recipientium. Habet tamen conſuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter ſignificationem, quam tangit Div. Gregorius in regiſtro dicens, Eccleſiam Græcam offerre fermentatum, pro eo, quod verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ. Et in deteſtationem hæreſis Nazareorum, qui legalia Evangelio miſcebant.

Non poteſt in Eccleſia ſua à ſuo more recedere Sacerdos.

19. Suum autem morem tenentur tam latini, quam Græci in ſuis Eccleſiis ſervare ſub mortali, neque ab illo recedere poſſunt, etiamſi populus deberet ſacrificio privari, & proximus abſque viatico decedere: ſicut non licet conſecrare ſinè veſtibus ſacris ob ſimiles cauſas. Ita Sotus *diſt.* 9. *art.* 4. Suarez, *concl.* 3 Filliuc. ubi ſupra, *n.* 84. cum multis Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 11. Henriqu. *lib.* 8. *c.* 11. Layman, *lib.* 5. *tract.* 4. *c.* 2. *verſ. Altera pars*, Palaus, *punct.* 4. *num.* 5. Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 7. *diffi. ult.* 6. *num* 2. Ioann. de la Cruz. *p.* 2. *de Euchariſt.* *q.* 1. *dub.* 2. *conclu.* 2. N. Gabr. & Diana contra Nuñum, 3. *p.* *tract.* 6. *reſolut.* 99.

Quid ſi latinus per Græciam, Græcus per latinam Eccleſiam iter faciant.

20. Dum latinus per Græciam iter facit, aut Græcus per Eccleſiam latinam, poteſt celebrare in azimo, aut in fermentato, Ita Sotus, Henriq. Suar. quos refert, & ſequitur Grana. ubi ſupra, *n.* 12. Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 18. *num.* 20. Bonac. *num.* 10. Sylvius, & Coninch. 3. *p.* *q.* 74. *art.* 4. Filliuc. *tract.* 4. *c.* 3. *num.* 83. Diana, *tom.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 99. & expreſsè Leo IX. in epiſt. ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, *c.* 29. Hoc eſt contra Ledeſma, 1. *p.* *q.* 15. *art.* 4. *dub.* 2. N. Gabr. & Dominicum, aſſerentes teneri Sacerdotem Græcum tranſeuntem per Eccleſiam latinam in azimo conſecrare.

Quid ſi inter latinos aliquæ

21. Si tamen inveniantur inter latinos aliquæ Græcorum Eccleſiæ, in quibus eorum ritus ſervantur; & inter Græcos aliquæ latino-

rum,

Græcorum Eccleſia & inter Græcos aliqua latinorum inveniantur.

rum, in his templis tenetur unuſquiſque ſuæ Eccleſiæ uſum ſervare: quia perindè ſe habet, ac ſi in propria Eccleſia Græca, & latina celebraret, nec poſſet latinus, in ea Eccleſia Græcorum inter latinos exiſtenti, celebrare in fermentato: quia id eſt quaſi ſpeciale privilegium Græcis in ea Eccleſia conceſſum. Ita Suarez, *diſp.* 44. *ſect.* 4. Thom. Sanch. Dian. Bonac. N. Dominic. N. Anton. *ſect.* 2. ubi ſup. Figura panis conſecrandi ex præcepto Eccleſiæ debet eſſe in Eccleſia latina formæ rotundæ, in Eccleſia græca ordinariè quadratæ. Ita N. Gabr. *loc. cit.* ubi plura.

PUNCTUM II.

Quænam ſit materia remota Sacramenti ſanguinis.

Concluſio.

22. MAteria remota Sacramenti ſanguinis eſt ſolum vinum vitis. Ita colligitur ex Matth. 26. & Luc. 22. *Non bibam à modo de hoc genimine vitis*, juncta Eccleſiæ traditione. Et habetur in Concilio Florentin. *decreto fidei*, §. 3. & ſupponitur in Tridentin. *ſeſſ.* 3. c. 1. & 2. Unde.

1. Illatio.

23. Primò: non eſt ſufficiens materia validæ conſecrationis vinum ex pomis malogranatis, radicibus, &c. expreſſum; ſed requiritur omnino vinum ex uvis, ut tradunt omnes.

2. Illatio.

24. Secundò: non ſufficiunt alii liquores qui ex uvis fieri poſſunt, niſi fiat verè vinum. Quare aggreſta Hiſpane *agraz*, ſapa, Hiſpane *arrope*, lora, Hiſpane *aguapie*, à materia conſecrationis excluduntur: quia licet ex uvis fiant; non tamen ſunt verè vinum. Ita Bonacina *diſp.* 4. q. 2. *punct.* 2. Card Lugo *diſp.* 4. *ſect.* 1. Palaus *punct* 4. N. Gabr. *quæſt.* 3. Anton. *ſect.* 3. & alii paſſim.

3. Illatio.

25. Tertiò: non eſt materia ſufficiens acetum propriè acceptum: quia in aliam naturam à vino eſt tranſmutatum. Et ita Pius V. rubricâ defectibus in Miſſa occurrentibus præcipit Sacerdoti reperienti tempore conſumptionis in aceto conſecraſſe, ut vinum apponat, & denuo conſecret.

Quæſitum 1. de vino acido.

26. Vinum vero acidum, quod eſt in via ad acetum; ſed nondum acetum eſt, ſi conſecraretur, valida eſſet conſecratio, ut cum aliis docent Ledeſ. c. 4. Granado, *diſp.* 2. Coninch. q 47. *art.* 5. Palaus Gabr à S. V. ubi ſupra. Quod nondum deſierit eſſe vinum. Eo tamen uti ad conſecrationem extrà neceſſitatem, peccatum eſt: & quidem grave, ſi ita aceti naturæ proximum ſit, ut merito dubitetur an vini qualitates amiſſerit. Ut cum multis tradit Bonac. *n.* 5. Coninc. *n.* 122. Palaus N. Gabr. à S. V. ubi ſupra, & Ledeſm. ſic ait: *Verdades, que el Sacerdote, que conſagraſe en vino notablemente acedo, pecaria mortalmente, por el peligro, y por la irreverencia.*

Illatio 4.

27. Quartò: vinum acetum Hiſpanè *agua ardiente*, non ſufficit ad validam conſecrationem: quia in aliam naturam à vino creditur eſſe converſum Ita Palaus, *n.* 10. & cum multis Bonac. *punct.* 2. *n.* 3.

Quæſitum 2. de vino mixto.

28. Sed quid de vino mixto, quod Hiſpanè dicitur *hypocras*; Reſpondet Ledeſm. *de Euchariſt. c.* 4. *concluſ.* 15. quod ſi mixtio ſi tanta, aut coctio talis, ut vinum corrumpat; validæ conſecrationis materia non eſt. An vero corrumpat, ſtandum eſſe experientiæ ſenſuum, & prudentium judicio. Certum tamen eſt, illicitum eſſe in tali materia conſecrare. Ut docet idem Ledeſ. ibidem. Villalobos, *difficultat.* 5. *n.* 5. Fagundez *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 17. & alii paſſim.

5. Illatio.

29. Quintò: non eſt ſufficiens materia conſecrationis ſanguinis liquor intra uvas contentus: quia liquor ille exiſtens intra ipſa grana, non habet ſtatum, & modum potus; ſed potius materiam cibi. Ita Suarez, *diſp.* 45. *ſect.* 1. *concl.* 2. Sotus *in* 4 *diſt.* 9 *q.* 1. *art* 1. Petrus de Ledeſma, N. Gabr. Anton & cum multis Bonacina, & Palaus ubi ſuprà.

Quæſitum 3. de liquore ex uvis maturis expreſſo.

30. Liquor tamen ex uvis maturis expreſſus, ſed non defæcatus, quippe *muſtum* communiter appellatur, eſt ſufficiens materia Sacramenti ſanguinis: quia verè eſt vinum, & habet ſtatum, & modum potus. Ita Bonacin. Lugo, Palaus, N. Gabr. & eſt communis; ſed non eſt decens: ideoque abſque urgenti cauſa grave peccatum eſſet eâ materiâ uti ad conſecrationem, ut cum multis tradit idem Palaus, & colligitur *ex cap. Omne crimen, de conſecr. diſt.* 2.

Illatio 6.

Sextò: non poteſt conſecrari vinum, quo panis madefit, quamvis retineat ſpeciem, & naturam vini, quia ſolum non eſt in forma potabili. Ut optimè docet N. Cornejo, *q.* 74. *art.* 5.

Objectio.

32. Sed objicies: vinum congelatum poteſt validè conſecrari. ut latè probat N. Gabr. quamvis non ſit proximè potabile, niſi prius liquefiat: ergo etiam liquor contentus intra uvas, vel intra micam panis, quamvis non ſit proximè potabilis, niſi mediante expreſſione. Conſequentia videtur bona à paritate rationis: & antecedens probatur. Quia ſpecies vini conſecrati retinent ſanguinem Chriſti poſt congelationem; unde ſi contigerit calicem conſecratum congelari, debet igne liquefieri, & ſumi, ut præcipitur in Miſſali: ergo etiam poterat à principio validè conſecrari.

Diluitur.

33. Reſpondetur negando conſequentiam: quia vinum congelatum non habet modum, & ſtatum cibi, neque ullo modo manducatur: quia non tranſmittitur in ſtomachum maſticatione vera, ſed per modum potus liquefactione facta calore oris. Liquor verò intra uvas vel intra micam panis contentus non eſt in forma potabili, ſed potius in forma cibi, & tranſmittitur in ſtomachum vera maſticatione. Ita N. Cornejo ubi ſupra.

Doctrina.

34. Docent tamen cum multis Palaus, & N. Gabr grave eſſe peccatum, ſi in vino congelato conſecratio fiat: quia dubia eſt materia. Etenim ſententia docens non eſſe ſufficientem, utcumque probabilis eſt.

Quæſitum quartum.

35. At ſi prius vinum fuerit congelatum, & poſteà liquefiat, valdè videtur probabile licitè conſecrari quamvis conſultius ſit non conſecrare in illo, ſi fieri poteſt: quia eſt verum vinum & actuali potationi aptum, ſed congelatione aliqualiter immutatum. Sic Suarez, *diſp.* 45. *ſect.* 1. *in fine*, Coninchus, *q.* 74. *art.* 5. *in fine*, Palaus, *puncto* 4. *num* 8.

PVNCTVM III.

Utrùm neceſſe ſit ſub utraque ſpecie panis, ſcilicet, & vini conſecrare?

Si una ſpecies ſine altera conſecraretur, valida eſſet conſecratio,

36. ET quidem ſi una ſpecies ſinè altera conſecraretur, validè fieret, ut ex communi Doctorum tradunt N. Petrus Cornejo, *diſp.* 1 *dub.* 1. Suarez, *diſp.* 43. *ſect.* 2. Coninch. q. 78: *art.* 1. Bonacina, *punct.* 3. *propoſitione* 1. Ioan. Gonzales, *diſp.* 4. *ſect.* 1. Granado *diſp.* 5 Reginaldus, *liber.* 4. *cap.* 2. Et ratio eſt: quia forma conſecrationis unius ſpeciei, neque quantum ad ſignificationem, neque quantum ad efficaciam pendet à forma conſecrationis alterius ſpeciei, & quidem de ſignificatione patet: quia ſignificatio formæ panis totaliter, & adæquatè completur illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, quæ independentem ſignificationem habent à forma vini, & è converſo. De efficacia vero etiam conſtat: quia cauſalitas iſtarum formarum commenſuratur ſignificationi: ac proinde cum ſignificatio ſit mutuo independens: ita & efficacia.

Non tamen licet privata authoritate unam ſine altera conſecrare.

37. Non tamen poteſt quis privata authoritate conſecrare ex intentione unam ſpeciem ſinè altera licitè, etiam in caſu magnæ neceſſitatis. Ità D. Thom. q. 80. *art.* 12. *ad* 3. & eſt communis omnium paucis exceptis. Et ratio eſt: quia non licet authoritate privata ſinè veſtibus ſacris celebrare ad commuuicandum infirmum extremè laborantem, quamvis celebrare cum veſtibus ſacris ſit tantum de jure Eccleſiæ poſitivo: ergo multo minus licebit ob ſimilem cauſam conſecrare unam ſpeciem ſinè altera: cum integritas conſecrationis ſub utraque ſpecie uon ſolum ſit de jure Eccleſiaſtico poſitivo, verum etiam de jure divino. Ut contra Adrian. *in* 4. q. 6. & contra Majorem, *diſt.* 9. q. 3. *docent.* Ledeſ. c. 4. Gonzal. *ſect.* 1. Aravio, q. 74. *art.* 1. referens, Marſilium, Paludan. Cajetan. Sylveſter. Sotum: & idem tradunt Suar. *diſp.* 43. *ſect.* 3. Vazq. *diſp.* 223. c. 3. Granad. *diſp.* 5. N. Corn. *diſp.* 1. *dub.* 3. N. Gabr. *tract.* 5. *diſput.* 1. *quaſt.* 6. Gonet *diſput.* 3. *art.* 6. Valent. *quaſt.* 10 *punct.* 4. dicens eſſe communem Theologorum. Et colligitur ex Tridentino *ſeſ* 22. *cap.* 1. *in medio, & can.* 2. ubi deffinitur, Chriſtum Dominum præcepiſſe Apoſtolis, & omnibus Sacerdotibus, ut offerrent Deo Patri corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpecie panis, & vioi, ut rectè ponderant Vazq. *loco cit.* & Suarez *concluſ.* 3.

Caſus in quibus poſt conſecratum panem licet ſanguinis conſecrationem omittere. 1. caſus.

38. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus poſt conſecratum panem, licitum eſt omittere calicis conſecrationem. Primus eſt: quando quis bona fide putans ſe ponere vinum in calice, ponit aquam & ſic conſecrat in ſolo pane, & poſtquam deprehendit eſſe in calice aquam, non poteſt reperiri vinum, aut ſimpliciter, aut ſinè vitæ periculo, aut ſimili magno incommodo: tunc enim ſi vinum ſimpliciter reperiri non poteſt, excuſat impotentia phyſica. Si autem quæri non poteſt ſine vitæ periculo, ob tantum incommodum declinandum, poteſt non quærere: cum id non ſit velle facere ſacrificium non integrum, ſed permittere, ut una pars materiæ maneat conſecrata ſine alia, quod excuſabile eſt in talibus caſibus. Ita Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 4. Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. q. 2. *punct.* 3. *num.* 8. Aravjo, q. 74. *art.* 2. Reginald. de materia Sacramenti Euchariſtiæ, *cap.* 2. *num.* 14.

2. caſus.

39. Secundus caſus eſt: ſi poſt conſecratam hoſtiam immineret Sacerdoti evidens periculum mortis, ſi detineretur conſecrando calicem: poſſet enim, ſi aliundè non ſequeretur ſcandalum, vel contemptus noſtræ religionis, ſine culpa omittere calicis conſecrarionem, & conſumere hoſtiam, ac fugere, propter rationem factam circa primum caſum. Ita Suarez, Aravjo, & alii.

40. Neque inde ſequitur, quod ſi quis comminetur mortem Sacerdoti niſi conſecret ſpeciem panis ad communicandum infirmum abſque ſpecie vini: quia vel non reperitur, vel neceſſitas inſtat poſſit Sacerdos hoc facere ſine peccato ad evitandam mortem. Eſt enim diſparitatis ratio: quia in hoc poſteriori caſu jam directe committeret contra præceptum divinum, & quamvis metu mortis, tamen formaliter intenderet mutilum ſacrificium facere, quod intrinſecè malum eſt, & contra præceptum negativum. Tamen in aliis caſibus adductis ſolum eſt, vel omiſſio cujuſdam præcepti, quod pro eo articulo cenſetur non obligare, vel etiam permiſſio, quod ſacrificium inchoatum relinquatur, quæ non eſt intrinſecè mala.

Quaſtio 1. ſententia

41. Supereſt modo difficultas, an ſaltem ex ſummi Pontificis diſpenſatione poſſit celebrari conſecrando ex intentione ſolum panem, vel ſolum vinum? Partem affirmantem amplectuntur Gabriel cum Alberto, *lect.* 53. *in canon, dub.* 3. Alanus 2. *de Euchariſtia, cap.* 5. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 13. Azor *tom.* 1. *inſtit. moralium, lib.* 10. *cap.* 19. q. 2. Fagundez *de praceptis Eccleſia, pracepto* 1. *lib.* 3. c. 5. *num.* 5. Et probabilem cenſent Thomas Sanchez, *tom.* 3. *de Matrimonio lib.* 8. *diſp.* 6. n. 6. & cum aliis Diana, *part.* 8. *tract.* 1. *de poteſtate Pontificis reſolut.* 23. N. Gabr. *loc. cit.*

1. fundamentum illius.

42. Probatur primò: quia re ipſa ſummus Pontifex diſpenſavit, ut conſtat ex Raphaele Volaterano, qui *lib.* 7. Geographiæ, *cap. de ſaxonibus*: *Norvegia*, inquit, Innocentii VIII. *conceſſione permiſſum ſine vino calicem ſacrificare, quod ob immenſa frigora vinum in ea regione importatum aceſcat, cujus rei gratia legatio miſſa.*

2. fundamentum.

43. Secundò: quia ſi ſummus Pontifex non poſſet diſpenſare in aliqua Provincia, ubi deficit vinum, ſequeretur ſpiritualis ruina multorum, qui dum Euchariſtia carerent, carerent utique ſpirituali ſole, carerent ſingulari ſolatio, animarum nutrimento, peregrinationis viatico, altaris ſacrificio, tolleretur frænum, quo à peccatis homines cohibentur, ceſſarent in plurimum fidelium Conventus, & Eccleſiarum cultus: credibile ergo eſt Pontificem à Chriſto poteſtatem accepiſſe ad impedienda tot mala in Chriſtiana Republica.

2. ſententia, cui ſubſcribimus.

44. Nihilomiotis pars negativa magis nobis placet, quam tenent Cajetanus, N. Cornejo, Valentia, & Aravjo hic, Sotus in 4. *diſt.* 9. *quaſt.* 1. *art.* 1. Sylveſter, *verbo Euchariſtia*, Suarez, *ſect.* 4. Vazquez, *diſp.* 223. *cap.* 3. Cardinalis Lugo, *diſp.* 19. *ſect.* 8. Granado, *tractat.* 2. *diſp.* 5. Gonet, *numer.* 88, Herinx *diſp.* 2. *quaſtion.* 7.

N. Phi-

N. Philippus *diſp. 2. dub. 6.* & alii quam plurimi.

Notabile. 45. Ut autem probetur, prænotandum eſt cum N. Cornejo, & cum Thoma Sanchez, *lib. 2. de Matrimonio, diſp.* 14. duplex eſſe ius divinum. Unum abſolutum, ex ſolo Dei arbitrio derivatum, ut de non fornicando, de non mentiendo; & in hoc Pontifex diſpenſare non poteſt, nec mediatè, nec immediatè. Aliud eſt jus divinum ortum, & fundatum in actu, vel contractu humano, ut eſt votum, Matrimonium ratum, & alia hujuſmodi. Et in his diſpenſat Papa, non quidem auferendo immediatè obligationem jure naturæ, & divino ortam, ſed mediatè, tollendo, ſcilicet fundamentum talis obligationis, v. g. promiſſionem, aut contractum ipſum humanum. Quod optimè poteſt fieri à Pontifice, cui omnes actus, & contractus humani in quantum tales, ſubjecti ſunt, ut docuit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 10. *ad* 2. Quod non eſt propriè diſpenſare in jure divino, & naturali, ſed auferre fundamentum obligationis, quam homo ſibi ipſi impoſuit per actum propriæ voluntatis: quo ſublato, evaneſcit obligatio juris divini, & naturalis orta ex tali actu humano: jus enim divinum, & naturale eſt, ut qui habet votum, impleat illud, & hoc indiſpenſabile eſt à Pontifice, manente voto. At verò, quod iſte habeat votum, non eſt juris divini, ſed eſt effectus propriæ voluntatis, quam Pontifex poteſt impedire, & votum auferre.

Probatur hæc ſententia. 46. Quibus ſic prælibatis, probatur aſſertio. Nam integritas conſecrationis Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie eſt de jure divino, ut *num.* 37. prædictum eſt: atqui hoc jus eſt abſolutum, & primi generis, ex aſſignatis *num præced.* quippè cum non fundetur in actu vel contractu alicujus puræ creaturæ, ut ex ſe conſtat; ſed ex ſolo Chriſti Domini arbitrio derivatum ſit: ergo in eo non poteſt Summus Pontifex, nec mediatè, nec immediatè diſpenſare.

Evaſio. 47. Dices, Summum Pontificem non poſſe, nec mediatè, nec immediatè diſpenſare in his, quæ ſunt ex jure divino abſoluto; poſſe tamen declarare in hoc, vel illo caſu non obligare præceptum, quod hujuſmodi juris eſt. Sic reſidentia Epiſcoporum eſt de jure divino abſoluto præcepta, ut cum Cajetano, Soto, Covarruvia, & Turriano probat latè Valent. *tom.* 3. *diſp.* 10. *q.* 3. *punct.* 5. & tamen Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 13. *cap.* 10. *De Reformatione* interpretatur, iſtud præceptum non procedere in quibuſdam caſibus. Ita ergò licet Papa nequeat diſpenſare in divino præcepto celebrandi in utraque ſpecie, poterit tamen declarare in aliquo eventu illud non obligare.

Refellitur. 48. Sed contra: quia non eſt locus interpretationi, & declarationi, ubi dubium non eſt; non eſt autem dubium, utramque ſpeciem pertinere ad integritatem Euchariſtiæ, & jus divinum præcipere ejus integritatem. Reſidentia verò Epiſcoporum, quæ eſt de jure divino, ùt rectè docet N. Cornejo, non eſt reſidentia continua phyſica; ſed reſidentia moralis, & quæ prudenter judicata fuerit expediens ad paſcendas oves, & curam paternam gerendam, hujus autem determinatio ad Eccleſiam ſpectat. Et ita Tridentinum declarat modum reſidentiæ pro diverſitate temporum, locorum, ac perſonarum, ad eum modum, quo præceptum divinum de ſumenda Euchariſtia declaratur ab Eccleſia differendum non eſſe ultrà annum: eo quod Chriſtus Dominus imponens hoc præceptum, non præſcripſit tempus, in quo Euchariſtia ſumi deberet.

Occurritur 1 fundamento. 49. Ad primum reſpondetur cum Cardinali Lugo, cum Granado, & aliis, illi hiſtoriæ non eſſe adhibendam fidem. Tum quia eadem eſt indigentia vini nunc, quæ tunc fuiſſet, & tamen modo non reperitur in illa Provincia veſtigium illius diſpenſationis. Tum etiam, quia Volateranus non dicit fuiſſe permiſſum, ut in ſolo pane, ſine vino ſacrificarent; ſed ut ſacrificarent calicem ſine vino, quod abſque dubio incredibile eſt, cum apud omnes certum ſit Pontificem non poſſe in Sacramentorum materia diſpenſare, & conſequenter neque concedere, ut calicem ſine vino cum alio liquore ſacrificarent.

Fit ſatis 2. 50. Ad ſecundum dicendum, nunquam debere admitti, quod detur aliqua Provincia Chriſtianorum, in qua deficiat copia vini, quantum ſufficit ad uſum Euchariſtiæ, cum de facili poſſit vinum ad omnes Provincias deferri, & ad providentiam Dei pertineat, ut ubi Evangelium eſt promulgatum, panis, & vinum ad Euchariſtiam non deficiant, ſicut in tot ſæculis non defecerunt.

PUNCTUM IV.

Utrùm vino, quod eſt materia remota Sacramenti ſanguinis, admiſcenda ſit aqua?

Uſus, & præceptum admixtionis aquæ in vino conſecrando. 51. Eccleſia Dei ab ipſo exordio, vino, quod in Euchariſtia conſecrandum eſt, aquam ſemper admiſcuit. Ut habetur in Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 7. & de hac mixtione extat præceptum, quod habetur *cap.* 1. *De conſecratione, diſt.* 2. & refertur in eodem Tridentino, dicto *cap.* 7. & latè docet Eruditiſſimus N. Dominicus *tom.* 5. *cap.* 20. Unde eam ſine peccato mortali prætermittere non licet, ut tradit Cathecismus Romanus de Euchariſtia, *n.* 16.

Rationes pro hac admixtione. 52. Rationes autem hujus admixtionis plures adducuntur. Prima eſt ſignificatio ſanguinis, & aquæ, quæ de Chriſti latere fluxerunt. Secunda: quia id à Chriſto Domino factum eſſe, Conciliorum authoritate, & S. Cypriani teſtimonio comprobatur, ut inquit idem Catechiſm. *loc. cit.* Tertia: ad denotandum unionem populi Chriſtiani per aquam ſignificati cum Chriſto Domino. Quarta: ad ſignificandam duplicem Chriſti naturam; divinam, & humanam.

53. Sunt verò circà hanc mixtionem nonnullæ difficultates expediendæ. Prima eſt: Utrùm mixtio aquæ ſit ita neceſſaria, ut ſine illa non poſſit conſiſtere Sacramentum, ſeu rata eſſe conſecratio: in qua pars negativa tenenda eſt contra Armacanum, *lib.* 9. *cap.* 4. undè valida eſſet conſecratio in ſolo vino facta, quamvis eſſet peccaminoſa. Ita Catechiſmus Pii V. & Theologi cum D. Thom. 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 7. nec non ſcholaſtici cum Magiſtro, *in* 4. *diſt.* 11. Et colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 22. & ex Florentin. *cap.* 4.

54. Ratio à priori eſt: quia licet Chriſtus

Digitized by Google

Dominus ejuſmodi mixtionem adhibuerit ante conſecrationem vini, illam tamen non adhibuit ut eſſentialem, quod patet Eccleſiæ traditione, quæ docet, ſimpliciter vinum vitis eſſe materiam ſufficientem, & aquæ mixtionem eſſe de Eccleſiæ conſuetudine, & præcepto.

Suadetur 2.

55. Deinde probatur: quia ut infra dicetur, aqua non convertitur in ſanguinem Chriſti, niſi prius convertatur in vinum: ergo manifeſtum ſignum eſt illam non eſſe neceſſariam ad veritatem Sacramenti.

Roboratur 3.

56. Præterea congruentia D. Thomæ optima eſt: quia aqua non ſignificat ſanguinem Chriſti, ſed ſolum ſanctificationem populi: hæc autem ad effectum Sacramenti, non ad ejus eſſentiam pertinet.

57. Quod ſi objicias: materia eſſentialis, & forma hujus Sacramenti non aliunde habetur ex inſtitutione Chriſti, niſi ex eo quod Chriſtus ita conſecravit: quod enim ipſe fecit inſtituit faciendum pro aliis in celebratione hujus Sacramenti: ergo cum Chriſtus conſecraverit vinum permixtum aquâ, utrumque erit eſſentiale?

Solutio.

58. Reſpondetur: non omnia, quæ Chriſtus in conſecratione obſervavit, eſſe de Sacramenti eſſentia: quia etiam conſecravit in azimo; & tamen id non eſt de eſſentia: id igitur, quod eſt de eſſentia ex traditione Eccleſiæ colligendum eſt.

Quæſitum ſecundum.

59. Secunda difficultas eſt: an præceptum admiſcendi aquam vino ſit ſolum Eccleſiaſticum, an etiam divinum? In qua hoc poſterius affirmant Valentia, *puncto* 1. Henriquez *cap.* 12. §. 4. Caſtro, *verbo, Euchariſtia hæreſi* 7. Petrus de Ledeſma *in ſumma, cap.* 4. *concluſ.* 16. & cum aliis Granado *de Euchariſt. tract.* 2. *diſp.* 3.

1. Sententia.

Ratio illius 1.

60. Probant primò; quia D. Cyprianus, *epiſt.* 63. quæ eſt 3. *lib.* 2. expreſſis verbis mixtionem aquæ appellat, tum Dominicum præceptum, tum Dominicam traditionem.

Secunda.

61. Secundò: quia ita fecit Chriſtus Dominus: ergo ſaltem indè ſequitur neceſſitas divini præcepti, quia peracta conſecratione dictum eſt ab ipſo Domino: *Hoc facite in meam commemorationem*: ubi præcepiſſe videtur non ſolum, quod ad Sacramenti ſubſtantiam erat abſolutè neceſſarium, ſed quod ad ritus maximi momenti, & myſterio plenos, cujuſmodi eſt aquæ admixtio, ſpectat.

2. Sententia.

62. Secunda ſententia ex oppoſito aſſerit, mixtionem aquæ ſolum eſſe ex Eccleſiæ præcepto. Hanc tenent Durandus *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 5. cum Magiſtro ibidem Sotus, *q.* 1. *art.* 6. Palacios, *diſp.* 3. Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 2. Vaſquez, *diſp.* 177. N. Cornejo, 3. *part. q.* 74. *art.* 6. N. Gabr. *diſp.* 5. *q.* 4. Anton. *ſect.* 4. Gonet *diſp.* 3. *art.* 3. Franciſ. *n.* 33. cum multis Bonacin. *diſp.* 4. Palaus, *diſp. unica, puncto* 5. Lugo *diſp.* 4. *ſect.* 2. cum plurimis Araujo, *q.* 74. *art.* 8. *dub.* 2. & cum aliis multis Leander, *diſp.* 18. *de Euchariſt. q.* 41.

Præcipuum hujus fundamentum.

63. Moventur præcipuè: quia Eugen. IV. in Concilio Florentino non reprehendit Armenos, qui aquam non apponebant; tanquam violatores divini præcepti; ſed quia à communi uſu Eccleſiæ recedebant. Et Alexander Papa, ac Concilium Tiburtinum ſolum dicunt, hoc eſſe traditum à Patribus, & Tridentin. *ſeſſ.* 22. *cap.* 7. hoc eſſe ab Eccleſia præceptum. Nec non Julius Papa, ut refertur *canone, Cum omne crimen de conſecrat. diſt.* 2. *Juxta canonum*, inquit, *præcepta calix Dominicus vino, & aquâ permixtus eſſe debet.* Quem ſanè loquendi modum non uſurpant Concilia, & Pontifices in his, quæ ſunt ex Chriſti præcepto, cum præcipua obligatio ex eo naſcatur.

Utraque ſententia probabilis.

64. Res hæc ſanè eſt incerta, & utrimque probabilis, & neque primæ, neque ſecundæ ſententiæ argumenta convincunt. Ad primum enim primæ reſponderi poteſt, D. Cyprianum ideò hanc mixtionem appellaſſe Dominicum præceptum, ſeu Dominicam traditionem, quia eſt traditio, & præceptum ob factum Chriſti impoſitum, & ad illius imitationem.

1. Ratio. 1. Sententiæ non convincit nec etiam ſecunda.

65. Ad ſecundum dici poteſt non colligi hoc præceptum eſſe divinum ex eo, quod Chriſtus ita fecerit: quia non præcepit omnia, etiam myſterio plena, quæ fecit, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, alias enim præcepiſſet conſecrationem in azimo: quia in azimo conſecravit, & hoc erat myſterio plenum, azimum enim ſignificat animi puritatem, & ſinceritatem.

Solutio quæ adhiberi poſſet fundamento 2. ſententiæ.

66. Ad fundamentum etiam ſecundæ ſententiæ dici poteſt, Concilia, & Pontifices præceptum Eccleſiaſticum, utpotè omnino certum, declaraſſe, à declaratione vero divini, utpote incerti abſtinuiſſe. Maneat ergo utraque cum ſua probabilitate ſententia.

Circumſtantiæ circa admixtionem aquæ.

1. Circumſtantia.

67. In aqua autem vino admiſcenda, aliquæ circumſtantiæ ſervandæ ſunt. Prima eſt, quod ſit ita, modica, quod facile poſſit in vinum tranſmutari, ut docet Catechiſmus Pii V. & Concilium Florentinum *in decreto fidei*, §. 3. expreſsè dicit, quod ſit modiciſſima, & ita habet communis uſus Eccleſia.

Secunda.

68. Secunda circumſtantia eſt, quod aqua admiſcenda ſit naturalis, non artificialis, ut habetur *in cap. In quadam de celebratione Miſſarum.* Tum quia aqua, quæ de Chriſti latere fluxit, fuit naturalis. Tum etiam, quia Chriſtus uſus eſt aqua naturali; quia tamen admixtio aquæ ad vinum non eſt de neceſſitate Sacramenti, ut dictum eſt, ſi aqua artificialis, ut roſacea apponeretur, quamdiu maneret vini ſubſtantia, non obſtaret veritati Sacramenti; peccaret tamen graviter, qui aliam aquam miſceret, niſi naturalem: quia faceret contra præceptum in re gravi. Ita cum multis Bonacina, *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *puncto* 4. & communiter Doctores.

Tertia.

69. Tertia circumſtantia eſt, hanc mixtionem faciendam eſſe tempore ſacrificii antè calicis oblationem, ut univerſalis Eccleſiæ uſus oſtendit. De eo autem, quod aliqui in principio Miſſæ eam faciunt, alii poſt Evangelium facta oblatione hoſtiæ, dicendum, ſecurum quemque forè, ſi in eo ſequatur ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem approbatam. Ita Suarez, *ſect.* 3. Granad. *diſp.* 3. *in fine.* Reginaldus *lib.* 29. *cap.* 2. & cum multis Bonacina ubi ſupra.

70. Quod ſi quis mixtionem omiſſam ex negligentia, vel oblivione adverteret poſt ipſam oblationem, ſed antè conſecrationem, deberet ſtatim eum defectum ſupplere; non item poſt conſecrationem: neque enim ſanguini Chriſti miſcenda eſt aqua, ſed vino conſecrando in Chriſti ſanguinem. Ita Palaus, *diſput. unica,*

puncto

Digitized by Google

puncto 5, Suarez, Granado, Bonacina, Reginaldus citati.

Quarta. 71. Quarta circumſtantia eſt, ut hæc mixtio fiat tempore ſacrificii in ipſo ſacro calice, ut ſacra cæremonia eſſe, & ſacram habere ſignificationem cenſeatur. Unde non debet fieri in dolio, vel in ampulla. Ita D. Thom. *art.* 8. *ad* 3. Palaus, Reginaldus, Banacin. N. Gabr. ubi ſup. & cum pluribus Leand. *de Euchariſt. diſp.* 8. *q.* 49.

72. Denique circa circumſtantiam miniſtri hujus mixtionis, ſervanda eſt regula Miſſalis, quæ eam præſcribit.

Quæſitum tertium. 73. Supereſt adhuc tertia, & ultima difficultas, utrum neceſſe ſit, quod aqua vino admixta prius convertatur in vinum, ut poſteà convertatur in ſanguinem Chriſti? An verò convertatur immediatè in ſanguinem, etiam, ſi prius non fuerit in vinum converſa? Hoc poſterius

1. Sententia. affirmant Alanus, *cap.* 13. Toletus, *lib.* 2. *ſumma, cap.* 25. Coninch. *tom.* 1. *de Sacramentis, q.* 74. *art.* 8. Cardinalis Lugo *diſp.* 4. *ſect.* 3. referens pro ea Peſantium, Scortiam, Præpoſitum, Areſium, Paulum, Layman, & alios, quibus ſubſcribunt Dicaſtillus *de Euchar. dub.* 9. *n.* 133. Bernal. *diſp.* 28. *ſect.* 4. & probabilem docet Franciſ. B. S. *n.* 44.

Argumentum primum pro ea. 74. Probatur primò graviſſimorum Patrum authoritate affirmantium, calicem mixtum aqua, & vino conſecrari, & etiam vinum, & aquam converti in ſanguinem Chriſti: quæ vera non eſſent, ſi aqua neceſſario in vinum eſſet prius convertenda: quia tunc non calix mixtus aquâ, & vino; ſed vinum conſecraretur; & non vinum, & aqua; ſed ſolum vinum converteretur in Chriſti ſanguinem.

Secundum. 75. Secundò probatur: quia Chriſtus Dominus aquam vino conſecrando miſcuit, quam veriſimile eſt, non fuiſſe antè conſecrationem in vinum converſam, cum illius mixtionem ſtatim ſubſecuta fuerit conſecratio: atqui totum id, quod erat in calice, & propinabat diſcipulis Chriſtus, dixit verè eſſe ſanguinem ſuum: ergo veriſimile eſt, non ſolum vinum, ſed etiam aquam converſam eſſe immediatè in ſanguinem. Nulla enim alia ſubſtantia bibenda propinabatur à Chriſto præter ſubſtantiam ſanguinis.

Tertium. 76. Tertiò: quia verba conſecrationis totum illum potum, qui ex Eccleſiæ inſtituto conſecrandus apponitur, determinatè ſignificant: ergò totum illum in ſanguinem Chriſti convertunt; cum ergo ille potus non ſolum ex vino, ſed ex aqua mixta vino coaleſcat, & ſic conſecrandus ex Eccleſiæ inſtituto apponatur, totus ille potus in ſanguinem Chriſti convertitur.

Quartum. 77. Quartò: quia ſi aqua non ſit in vinum converſa antè conſecrationem, & facta conſecratione maneret aqua pura, in tali caſu non poſſet adorari calix; ſiquidem aliquid contentum in illo non eſſet ſanguis Chriſti, nec tota illa materia contenta demonſtraretur per pronomen *Hic eſt*, cum tamen certum ſit, quod illud pronomen demonſtrat totam materiam contentam in hoc calice, nec denique Sacerdos maneret jejunus poſt ſumptionem talis aquæ.

Quintum. 78. Quintò: quia aqua non poteſt converti in vinum: ergo convertitur aqua immediatè in ſanguinem Chriſti, alias nunquam fieret integra converſio totius contenti in calice in ſanguinem Chriſti.

79. Nihilominus reſpondetur, dicendum, aquam appoſitam non converti in ſanguinem Chriſti, niſi quatenus fuerit in vinum converſa. *Sententia N.* Sic docent D. Thom. 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 8. *& in* 4. *diſt.* 11. è N. Philippus *diſp.* 2. *dub.* 2. Gabr. *diſp.* 5. *q.* 5. Anton. *ſect.* 4. Cornejo *q.* 74. *art.* 8. Bacho; *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 4. à Bononia. *q.* 3. *art.* 3. Lezana, Orlandus, Auguſtin. à V. M. Stephan. *diſp.* 4. *n.* 11. ex aliis, D. Bonaventura. Scotus, Ricard. Palud. Gabriel, Argentin. Rubion. Baſolis, Aliaco, Sotus, Abulenſis, Henriq. Valent. Suar. Vaſquez, *quos refert & ſeq.* Granado *d.* 4. *ſect.* 2. Azorius *c.* 28. *q.* 1. Filliuc. *c.* 3. *q.* 10. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. Trullenc. *c.* 1. *dub.* 3. Palao. *diſp. unic. p.* 5. Durandus Major, Sylveſt. Tabiena, Viguerius, Vataret, Sebaſtian. Perez. Tapia, Nuñus, Sylvius, Eſtius, *quos refert. & ſeq.* Araujo *art.* 8 *dub.* 2. Heredia, Homobon, De la Cruz, Villalob. Pitigian. Fagundex, Gratius *apud* Dianam 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 49. Monteſinos, Gonzales, Hurtado, Tannerus, Huertos, Gavantus, Machado, Luyſius, Turrianus, Ochagav. Ledeſma Baſſæus &c. *quos ſeq.* Leander, *diſp.* 8 *q.* 52. Labat. *diſp.* 4. *dub.* 4. Petronius, Choquetius, Gonet *diſp.* 3. *art.* 4. Herinx *diſp.* 2. *q.* 6. Wiggers *q.* 74. *dub. unic.* & aſſentire videtur Innocent. III. *in cap. Cum Marthæ de celebrat. Miſſar.* approbans ſecundam opinionem, ibi relatam, quæ erat aquam cum vino tranſſubſtantiari, cum in vinum tranſeat mixta vino. Supponit ergo non tranſſubſtantiari eo caſu, quo in vinum non tranſiret, & ita docet Gloſſa *in dicto cap.* verbo, *Cum vino.*

Suadetur 1. 80. Probatur primò: quia ſolum vinum eſt materia conſecrationis calicis, & non aqua non converſa in vinum; ſed manens in propria ſpecie: ergo ſolum vinum convertitur in ſanguinem Chriſti, & non aqua, quæ non fuerit in vinum prius converſa. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Tum quia ſolius vini fit mentio in eo, quod canit Eccleſia: *Fitque ſanguis Chriſti merum.* Et ſimiliter in Evangelio: *Non bibam de hoc genimine vitis.* Tum etiam: quia Eugenius IV. *in litteris unionis* apertè inquit materiam conſecrationis calicis eſſe vinum de vite, & *in cap. Firmiter de ſumma Trinitate*, dicitur panem converti in Chriſti corpus, & vinum in ſanguinem: ac eodem modo in Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 2. panem tranſire in corpus, & vinum in ſanguinem.

Secundo. Plura vide apud N. Gabr. d. 5. *q.* 5. *& Gonet. num.* 53. 81. Secundò probatur: quia ſi aqua in vinum non converſa, ſed in propria aquæ ſpecie manens, in ſanguinem Chriſti converteretur, non tantum ſpecies vini; ſed etiam ſpecies aquæ remanerent, ſub quibus ſanguis Chriſti exiſteret. Cujus oppoſitum habetur in Concilio Trident. *ſeſſ.* 13. *can* 2. ubi definitur poſt conſecrationem ſolas ſpecies panis, & vini remanere.

Tertiò. 82. Tertiò: quia ſi dato illo caſu, aqua converteretur immediatè in ſanguinem Chriſti, Chriſtus exiſteret ſub ſolis ſpeciebus aquæ, ſi ſepararentur à ſpeciebus vini. Quod non eſt dicendum, quia videtur contrà Concilia definientia materiam Euchariſtiæ eſſe vinum, & ſanguinem eſſe ſub accidentibus vini: tunc autem non eſſet ſub vini accidentibus. Sequela vero probatur. Quia Tridentinum *ſeſſion.* 13. *canon* 3. definit ſeparatione non amitti præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti;

Digitized by Google

ſed ſub ſingulis ſpecie partibus ſeparatis exiſtere, ſub quibus non ſeparatis Chriſtus exiſtebat; ergo ſi antè ſeparationem ſub ſpeciebus aquæ exiſteret, etiam facta ſeparatione ſub illis exiſtere deberet.

Quarto Cathec.

83. Quartò probatur authoritate Cathecisſmi Romani *de Euchariſ. n.* 16. & Sacerdotalis Romani, 1. *part. tractat.* 10. *cap.* 2. quorum magna procul dubio authoritas eſt in Eccleſia. Cathecisſmus ſic ait reddens rationem, cur modica aqua infundenda ſit: *Nam Eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententia, & judicio aqua illa in vinum convertitur.* Sacerdotale vero Romanum inquit: *Aqua quæ in calice vino admiſcetur, debet eſſe in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet.* Ex qua duplici authoritate non incongruè concluditur aquam in vinum nondum converſam tempore, quo incipit conſecratio, non converti immediatè in ſanguinem Chriſti.

Occurritur 1. argumento contrariæ ſententiæ.

84. Ad primum dicendum, Patres abſolutè dicere calicem mixtum aquâ, & vino conſecrari, vt oſtendant materiam, quâ in ſuo initio conſtat, calix conſecrandus; non quia cenſeant, aqoam immediatè tranſire in ſanguinem. Dicunt etiam aquam, & vinum converti, ſed aquam mediatè, quia apud eos erat communis animi conceptio eam in vinum converti, ut ſcribit Cathecisſmus Romanus ex ſcriptorum Eccleſiaſticorum judicio, atque ſententia: quorum nomine non tantum Doctores ſcholaſtici, ſed etiam Eccleſiæ Patres ſignificantur.

Secundo.

85. Ad ſecundum reſpondetur: aquam à Chriſto Domino appoſitam fuiſſe antè conſecrationem tempore ſufficienti, quo noverat poſſe converti in vinum, ſuppoſito, quod illud eligebat tanquam materiam hujus Sacramenti: atque ita ſolum vinum nominavit dicens: *Non bibam de hoc genimine vitis.* Unde Seraphicus Pater S. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 11. 2. *part. diſtinctionis, art.* 2. *quæſt.* 3. inquit, Chriſtum Dominum non conſecraviſſe calicem, donec aqua fuiſſet converſa in vinum.

Tertio.

86. Ad tertium dicendum, verba conſecrationis ſignificare quidem totum illum potum, qui ab Eccleſia conſecrandus apponitur; non tamen ſignificare aquam vino permixtam in ſubſtantia aquæ perſeverantem: quia aqua ſic ſumpta non apponitur conſecranda; ſed apponitur conſecranda in vinum converſa: & ob hanc in vinum converſionem præcipit Eccleſia modiciſſimam apponi.

Quarto.

87. Ad quartum reſpondetur advertendo, Sacerdoti curandum eſſe, ut taliter aqua apponatur, quod poſſit converti in vinum antè conſecrationem. Si autem ex aliquo accidenti contingeret non fuiſſe converſam, negamus converti immediatè in ſanguinem Chriſti. Neque ex hoc ſequuntur illa inconvenientia: nam imprimis fideles non adorant, quicquid eſt in calice, poſſet enim ibi eſſe palea, vel muſca. Unde non intendunt adorare, niſi ſpecies conſecratas, & contentum ſub illis, & hoc ipſum oſtenditur illo pronomine demonſtrativo *His*. Jejunium vero in illo caſu non ſolueretur ex intentione, ſed ex bona fide: quia Sacerdos reputare probabiliter poteſt, aquam in vinum fuiſſe converſam antè conſecrationem.

Quinto.

88. Ad quintum dicendum, falſum eſſe, quod aqua non convertatur in vinum, ſi modica multo vino infundatur. Extra omnem enim dubitationem eſſe, quod aqua convertatur in vinum, docet Innocentius III. *lib.* 4. de altaris myſterio *cap.* 30. dicens: *Quis enim ambigat aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aqua.* Ecce ubi aquam ſi modica multo vino infundatur, in vinum converti: ita approbat, ut id eſſe dicat, ſinè dubitatione.

Conſule latius citatas.

PUNCTUM V.

An qualibet quantitas panis, & vini poſſit conſecrari?

Quæ quantitas panis, & vini licite conſecretur.

89. SI de licita conſecratione loquamur, certum eſt fieri debere in ea tantum quantitate panis, & vini, quam ritus Eccleſiæ præſcripſit, & quæ cum veneratione tractari, ſervari, & ſumi poſſit. Unde in hoc puncto ſolum quæritur, quæ quantitas magna, vel parva validè conſecrari poſſit, etiamſi conſecratio ratione quantitatis materiæ illicita foret.

1. Concluſ.

90. Dicendum igitur eſt primo, ſi quantitas panis ſit ita minima, ut nullo ſenſu ſit perceptibilis, conſecrari non poteſt; non quidem per ſe ratione parvitatis, ſed per accidens defectu præſentiæ, & defectu ſenſibilitatis. Ita N. Cornejo, *diſp.* 2. *dub.* 2. referens Majorem, Suarium, & Vazquium. Ita etiam Palaus, *diſp. unica, punct.* 6. N. Gabr. Philippus *dub.* 7. Anton. *ſect.* 7. Franciſ. *n.* 60. Gonet *art.* 5. & cum aliis Leander, *diſp.* 8. *q.* 81. & 82. & cum multis Bonacina *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *puncto* 5. contrà Valentiam, Sotum, & Henriquez locis citatis ab ipſo.

1. Ratio pro illa.

91. Probatur primò: quia quod Sacerdoti non eſt præſens, neque ab eo ſentiri poteſt, nequit pronomine *Hoc* vel *His* ab eo demonſtrari: ergo nec conſecrari. Quod autem hujuſmodi panis non ſit præſens Sacerdoti, ex eo conſtat: quia licet ſit ab eo indiſtans ſecundum locum, nihilominus præſentia addit ſupra indiſtantiam, quod ſit perceptibilis aliquo ſenſu.

2. Ratio.

92. Secundò: quia tale Sacramentum non eſſet ſignum ſenſibile, & hoc non per accidens ex aliquo ſuperveniente poſt talem conſecrationem, ſed per ſe.

Objectio.

93. Dices: ſub minimâ quantitate ſeparatâ ab aliquo pane conſecrato corpus Chriſti continetur, quandiu panis ſubſtantiam retineret, ſi non eſſet conſecrata, cum tamen ſenſu percipi non poſſit: ergo eadem minima quantitas panis etiamſi ſenſu percipi non poſſit, quandiu panis ſubſtantiam retinet, poteſt conſecrari.

1. Solutio.

94. Ad hoc argumentum aliqui reſpondent, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: quia plus requiritur ad acquirendum, quam ad retinendum; quemadmodum anima ſeparata à corpore conſervat conſecrationem, & characterem Sacramentalem, non tamen poteſt hæc acquirere. Ita Coninch. *dub.* 2. Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 8. Ioannes Gonzales *ad art.* 2. D. Thomæ, *ſect.* 3. Franciſc. malè citans N. Cornejo & alii.

Sed

2. Et melius. 95. Sed quia quantitas inſenſibilis non poſſet habere rationem Sacramenti, ac proindè neque Euchariſtiæ, & conſequenter neque continere corpus Chriſti, ideò melius reſpondetur cum N. Cornejo, antecedens hujus argumenti ſupponere falſum, ſcilicet, quod ſub illa quantitate inſenſibili conſervaretur ſubſtantia panis, ſi non eſſet conſecrata: ſiquidem forma, & ſubſtantia panis poſtulat accidentia ſenſibilia tanquam diſpoſitiones neceſſarias ad ſui conſervationem, non minus quam quantitatem, & alia accidentia. Ex quo ſequitur etiam eſſe falſum, quod ſub illa conſervaretur corpus Chriſti, & quod maneret conſecrata. Ita etiam Palaus *diſp. unica, punct.* 6.

1. Sententia circa terminum magnitudinis materiæ conſecrandæ. 96. Circa terminum verò magnitudinis Major *in* 4. *diſt.* 11. docuit dari certum terminum, ultrà quem materia ratione magnitudinis non eſſet conſecrabilis. Ratio ejus eſt: quia virtus activa verborum eſt determinata: ſed hæc ratio in inſtrumentis, quæ agunt virtute divina, nullà eſt. Unde alia ratione idem docet D. Bonaventura, *diſtinct.* 10. *art.* 2. *quæſt.* 4. & Alenſis *quæſt.* 34. *membro* 3. nempe: quia conſecratio ordinatur ad uſum, & ita materia debet eſſe proportionata uſui fidelium: ſed hæc ratio eſt etiam nulla: quia ut ait D. Th. *quæſt.* 74. *art.* 2. etiam uſus Sacramenti, & numerus fidelium eſt indeterminatus, quantum ad multitudinem, & ideò ex hac parte non poteſt præfigi determinatus numerus magnitudinis materiæ.

2. Sententia. 97. Secunda ſententia abſolutè negat terminum magnitudinis, etiamſi in infinitum protendatur materia. Ita inſinuat Sylveſter *in verbo, Euchariſtia* 2. *num.* 4. Ledeſma, *q.* 11. *art.* 2.

Diſtinctio notanda pro reſolutione. 98. Pro reſolutione tamen oportet uti diſtinctione. Aliud enim eſt loqui de materia ſufficienti, quantum eſt ex parte virtutis verborum ad illam conſecrandam. Aliud eſt loqui de illa, quatenus in ea requiritur, ut conditio, præſentia ſenſibilis ad Sacerdotem conſecrantem; ita ut ab illo poſſit demonſtrari, ut præſens per pronomen *Hoc*, vel *Hic*.

2. Concluſio. 99. Quo ſuppoſito, dicendum eſt ſecundò, attentis omnibus non quantamcumque materiam eſſe conſecrabilem ſimul ab unico Sacerdote, ſed eam duntaxat, quæ fuerit debitè præſens conſecranti. Ita Ledeſma *cap.* 4. *concluſ.* 4. N. Cornejo, *diſp.* 2. *dub.* 5. Joannes Gonzales, *ſect.* 3. N. Gabr. *quæſt.* 6. Anton. *ſect.* 9. Franciſ. *num.* 68. & cum multis Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 2. *puncto* 5. *num.* 2.

Fundamentum illius. 100. Ratio eſt: quia magnitudo illa materiæ, quæ non eſt debitè præſens conſecranti, non poteſt demonſtrari ab eo per pronomen *Hoc*, vel *Hic*: ergo non poteſt de ea verificari forma conſecrationis. Unde ſi fluvius, v. g. converteretur in vinum, non poſſet ſimul conſecrari; ſed ſolum quantum ad illam diſtantiam, quæ poſſet demonſtrari à miniſtro, ut præſens per pronomen *Hic*.

Objectio. 101. Quod ſi objicias: totus fluvius eſt unum individuum, & juxta communem uſum, & modum loquendi totum demonſtratur per pronomen *Hic*: ergo totus ſimul, etiamſi per multas leucas decurreret, poſſet conſecrari ſimul in caſu, quo fuiſſet converſus in vinum.

Enodatio. 102. Reſpondetur nihilominus, quod ſolum poſſet conſecrari illa pars, quæ eſſet indiſtans à miniſtro, & intrà ſpheram activitatis ſenſuum externorum illius: quia ad ſenſum non demonſtratur, niſi iſta pars, quamvis ad intellectum demonſtretur totum illud individuum. Sed de hoc iterum ſtatim *puncto ſeq.*

PUNCTUM VI.

Utrùm materia conſecranda debeat eſſe præſens conſecranti.

103. Dicendum eſt, materiam conſecrandam debere eſſe præſentem conſecranti moraliter, & ad ſenſum. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 1. & communiter Doctores, & ratio deſumitur ex ipſa Chriſti inſtitutione, quæ nobis innoteſcit per traditionem Eccleſiæ, & fundatur in verbis formæ conſecrationis, quæ eſt forma ſigni ſenſibilis, continens pronomina *Hoc*, vel *Hic*, quæ poſita ſine circumſtantiis ea ad aliud ſignificandum determinantibus, ut hic fit, deſignant rem proferenti moraliter, & ad ſenſum præſentem. *Concluſio.*

104. Undè primò reſolvitur, Sacerdotem ſolum poſſe validè conſecrare tantam panis, & vini quantitatem, quantam poteſt habere præſentem moraliter, & ad ſenſum: itaquè ita, ſi magnitudo panis, & vini tanta ſit, ut non poſſit ſecundum omnem ſuam longitudinem moraliter, & ad ſenſum eſſe præſens conſecranti, non poſſe totam ab eo conſecrari; ſed ſolum eas partes conſecrari poſſe, quæ moraliter, & ad ſenſum præſentes fuerint conſecranti. Ita Ledeſm. N. Cornejo, & Joannes Gonzales, N. Anton. ſupra *n.* 99. citati, & cum aliis Leander *diſp.* 8. *quæſt.* 65. & Franciſ. *num.* 95. *Corollarium 1.*

105. Hoc corollarium apertè ſequitur ex concluſione: quia ſi ad conſecrationem requiritur præſentia moralis, & ad ſenſum materiæ conſecrandæ reſpectu conſecrantis, conſequens eſt, ut partes, quæ non fuerint moraliter, & ad ſenſum præſentes conſecranti, non ſint conſecrabiles. *Secundum.*

106. Oppoſitum hujus corollarii tenent Vaſquez, *diſp.* 171. *cap.* 4. *num.* 25. & Palaus *diſp. unica, puncto* 6. exiſtimantes ſatis eſſe, quod illa quantitas materiæ conſecrandæ ſenſibus objiciatur ſecundum aliquam ſui partem, ut tota ſi continuè exiſtat, poſſit conſecrari, etiam quoad illas partes, quæ remotæ ſunt. *Sententia Vaſquez oppoſita corollario.*

107. Pro qua quidem oppoſitâ ſententiâ arguitur primò: quia totum vinum, quod eſt in dolio, eſt ſufficienter præſens, ut validè conſecretur, quamvis non videantur, nec ſentiantur omnes ejus partes, quæ ſunt in medio, & profundo, ſed tantum, quæ ſunt in ſuperficie, & quæ cum aliis uniuntur: ergo eodem modo tota illa quantitas dicitur præſens ratione illarum partium, quæ ſentiuntur, & cum quibus uniuntur. *1. Argumentum pro ea.*

108. Secundò: quia majorem connexionem habent inter ſe partes remotæ iſtius magnæ quantitatis cum proximis, quam vinum incluſum in calice cum ipſo calice: ſed iſtud poteſt conſecrari: ergo & illæ partes. Conſequentia liquet, & minor admittitur ab omnibus: quia vinum illud ſentitur ratione continentis, & indicatur pronomine *Hic*, vel *Hoc*. *Secundum.*

Nam cum per figuram methonimiam ſumatur continens pro contento, ſignificato continente, ſignificatur etiam contentum ipſum. Major vero etiam conſtat: quia ex partibus illis remotis, & proximis, quæ ſunt continuæ, fit unum ens ſimpliciter; non verò ex vino, & calice continente.

Solvitur 1. argumentum.

109. Ad primum ex his, conceſſo antecedenti neganda eſt conſequentia. Et ratio diverſitatis eſt, quod tota illa quantitas vini, quæ eſt in dolio eſt indiſtans à miniſtro, & intra ſpheram activitatis ſenſitivæ illius: atque ita quamvis aliquæ partes non videantur nec ſentiantur actualiter per ſe, ſatis eſt, quod per ſe ſint ſenſibiles, & quod actu ſentiantur per alias partes proximiores: at verò partes illius magnæ quantitatis ſunt extrà ſpheram activitatis ſenſuum externorum: quare cum per ſe ipſas ſentiri non poſſint, non poſſunt ſimiliter ſentiri per alias proximiores, & conſequenter, neque conſecrari.

Enervatur 2.

110. Ad ſecundum reſpondetur: quod licet partes remotæ illius magnæ, & continuæ quantitatis habeant majorem connexionem phyſicam, & realem cum partibus proximis, quam habet vinum incluſum in calice cum ipſo calice; non tamen habent majorem unionem moralem in ordine ad præſentiam ſenſitum: eo quod illæ partes ſunt extra ſpheram activitatis ſenſitivæ, ut dictum eſt, vinum verò illud ſit intrà limites talis ſpheræ. Nec refert, quod partes illæ remotæ ſint continuæ cum proximis quia in ordine ad humanam præſentiam nihil refert, illa continuitas. Unde illæ partes, quæ extra ſpheram activitatis ſenſitivæ ſunt, ita ſe habent, ac ſi eſſent ſeparatæ; ſicut quamvis pars aëris ſit nobis præſens, & ſimiliter pars maris, quando ſumus juxta littus; tamen non dicitur nobis moraliter præſens totus aër uſque ad cœlum, etiam alterius hemiſpherii, nec totum mare, quamvis omnes ejus partes ſint continuæ.

Corollarium 2.

111. Secundò reſolvitur, materiam non conſecrari, ſi non ſit poſita coram Sacerdote, ſed à tergo: quia propriè deſignari non poteſt per particulam conſecrationis *Hoc*, vel *Hic*. Ità Suarez *diſp.* 43. *sect.* 6. *circa finem*, Coninchus *q.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. Layman *tract.* 4. *cap.* 2. Palaus *n.* 5. & cum multis Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 2. *puncto* 6. Araujo, *art.* 2. *dub.* 2. nec non Dicaſtill. *diſp.* 2. *dub.* 11. limitant tamen Bonacina, Dicaſtillus, Araujo, N. Gabr. Franciſ. Anton. & alii, niſi Sacerdos vertat faciem, vel manu illam teneat; peccaret tamen graviter, qui ita conſecraret, ad minus propter irreverentiam.

Corollarium 3.

112. Tertiò non poſſe conſecrari materiam abſentem, quæ mente concipitur: nam hujuſmodi materia, quamvis dicatur præſens in intellectu, non tamen eſt præſens ad ſenſum. Ita Bonacina, Dicaſtill. & alii.

Quartum.

113. Quartò: non eſſe validam conſecrationem, ſi inchoata forma, materia nondum erat præſens: quia hujuſmodi materia non fuit demonſtrata per pronomen *Hoc*, vel *Hic*. Ita Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 14. *n.* 3. Dicaſtillus *dicto dub.* 11. *nu.* 208. & alii.

Quintum.

114. Quintò: quando Sacerdos intendit duplicem materiam conſecrare, unam præſentem, & alteram abſentem, conſecrationem quidem non eſſe validam reſpectu abſentis, eſſe tamen validam reſpectu præſentis: quia una demonſtratur per pronomen *Hoc*: non altera. Ita Bonacin. *dict. punct.* 6. Dicaſtillus, *nu.* 202. contrà Nuñum.

Sextum.

115. Sextò non ſufficere ad validam materiæ conſecrationem, quòd ſenſu percipiatur, ſi fuerit magno intervallo diſtans à conſecrante: alioqui poſſet panis per unam, vel plures leucas diſtans conſecrari: quia viſu percipitur. Ratio eſt: quia moralis præſentia, & ad ſenſum, non ſolum petit, quod materia ſenſui objiciatur, ſed quod non ſit magno intervallo diſtans. Ita Cardinalis Lugo, *diſ.* 4. *sect.* 7. N. Cornejo, & Layman ubi ſupra, & N. Gabr. *qu.* 6. qui cum Lugo docet diſtantiam 50. paſſuum ad validam conſecrationem eſſe dubiam 40. paſſuum probabilem, 20. certam.

Septimum.

116. Septimo: non conſecrari materiam, ſi ſit corpus medium, quod ſe habeat per modum ſeparantis, ut murus, vel paries: quia tunc ex morali æſtimatione non cenſetur præſens. Ita N. Philippus, *diſp.* 2. *dub.* 8. Layman, Bonacina, & plures citati. De pane verò exiſtente in ſacrario ſub mappa, vel tabernaculo clauſo, non eſſe materiam conſecrationis affirmat cum multis Palaus, *puncto* 6. *n.* 5. N. Franciſc. n. 94. quia non exiſtit ibi tamquam in continenti, quod ſenſu percipi poſſit. Et quamvis aliqui oppoſitum ſentiant, ad minus res eſt dubia; & ita exponeret ſe periculo non conficiendi Sacramentum, qui ita conſecraret.

Octavum.

117. Octavò. è contra hoſtiam, aut vinum validè conſecrari vaſe cooperto: quia poteſt demonſtrari etiam ad ſenſum pronomine *Hoc*, vel *Hic*: & idem eſt de una formula, quæ ſub aliis exiſtit: quia totus ille cumulus conſecratur per modum unius, totus autem cumulus præſens eſt ad ſenſum. Ità communiter Doctores.

Nonum.

118. Nonò: non requiri ad valorem conſecrationis, ut materia actu tangatur, ſeu manibus habeatur: conſecramus enim formulas ſuper altare exiſtentes, quamvis in manibus non habeamus. Ita Suarez, & paſſim Doctores.

Decimum.

119. Decimò: neceſſe non eſſe, ut verba formæ poſſint reverà pervenire uſque ad materiam, & illam contingere. Ita contrà Viguerium, Suarez, *diſp.* 43. *sect.* 5. Layman, Bonacina, Dicaſtillus, & alii citati: alias ſi calix coopertus, vel forma ſub aliis exiſtens conſecrarentur, vel ſi Sacerdos ſubmiſsè loqueretur, & materia aliquantulum, v. g. per duos paſſus diſtaret, nihil fieret, quæ planè abſurda.

Undecimum.

120. Vndecimo: non exigi, ut materia actu videatur: alias cæcus non poſſet conſecrare. Cujus oppoſitum tradunt communiter Doctores, & Sotus *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 2. teſtatur ſe vidiſſe Tridenti quendam Epiſcopum cæcum ex diſpenſatione ſummi Pontificis celebrantem. Imò ſi Sacerdos cæcus materiam, quæ eſt coram illo præſens, & quam poſſet facile tangere, nullo ſenſu de facto percipiat, dummodo ex relatione alterius de illius præſentia certificaretur, validè poſſe eam conſecrare docet Sotus *in* 4. *diſt.* 9. *q. unica, art.* 2. Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 2. Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 74. *artic.* 2. *dub.* 2. *num.* 12. Bernal *diſp.* 19. *sect.* 2. N. Anton. *sect.* 5. Franciſc. N. Gabr. & alii.

PUNC-

Digitized by Google

PUNCTUM VII.

An ut materia Validè conſecretur, debeat conſecrantis intentione determinari?

Concluſio. 121. **R**Eſpondetur dicendum: ut materia validè conſecretur non ſufficit intentio Sacerdotis, quæ fertur in hanc, vel illam materiam vagè, & indeterminatè; ſed neceſſarium eſt in materiam determinatam ex intentione proferentis ferri: quia intentio conſecrantis debet verbis conformari: pronomine autem *Hoc*, vel *Hic* nequit demonſtrari niſi materia ex intentione proferentis determinata: ſufficit tamen, quod hæc intentio, ſeu determinatio ſit virtualis Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 1. Suarez, *diſp.* 43. *ſect* 6. *q.* 4. *n.* 70. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 14. *n.* 5. N. Gabr. *q.* 7. Philippus *dub.* 8. & cum multis Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 2. *puncto* 5. *num.* 3. & eſt certum apud omnes.

122. Unde primò: is, qui ex decem hoſtiis *Corollarium* 1. præſentibus vult ſolum conſecrare octo non deſignando illas, nullam conſecrat, ut omnes fatentur.

123. Secundò: nullam etiam conſecrat Sa- *Secundum.* cerdos, ſi habeat intentionem conſecrandi illas octo ex decem præſentibus, quas Deus, vel Petrus voluerit: quia niſi Dei, vel Petri voluntas manifeſta foret Sacerdori antè conſecrationem, non poſſet deſignare per illud pronomen *Hoc*, de quibus hoſtiis loqueretur. Ita Palaus, Bonacina, Suarez, citati. & N. Franciſc. *n.* 109.

224. Tertiò: formulæ, quæ ſolent pro com- *Tertium.* municandis deſerri, ſi inſcio Sacerdote in altari, vel etiam corporali eſſent depoſitæ, ipſeque Sacerdos illarum ignarus eſſet, nullatenus conſecrarentur: quia nullam intentionem etiam virtualem habuit illas conſecrandi. Ita Coninchus. *q.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. *n.* 39. Bonacina aliis relatis, *num.* 8. Layman, *tract.* 4. *cap.* 2. *aſſert.* 9. Palaus, *diſp. unica, punct.* 6. Franciſ. *n.* 119.

125. Quartò: valida eſt conſecratio quoad *Quartum.* omnes formulas, quando ipſe Sacerdos, vel alius ex illis beneplacito, conſecrandas antè offertorium detulit ad altare, tametſi tempore conſecrationis illarum obliviſcatur: nam eo ipſo voluntatem habet eas conſecrandi, quatenus intentio præcedens virtualiter perſeverat. Ita cum multis Bonacina ubi ſupra, *n.* 6. Coninch. *n.* 40. Layman *n.* 14. Palaus *n.* 3. Quod intelligendum eſſe nonnulli advertunt, dummodo ſint ſuper aram, nam ſi juxta exiſtant, & illarum oblitus fuerit, aſſerunt regulariter non cenſeri conſecratas, & ut minimum eſſe rem valdè dubiam quia non eſt præſumendus Sacerdos indebitè, & illicitè conſecrationem facere voluiſſe. Ita Suarez, *ſect.* 6. Palaus, *p.* 6. *n.* 3. Bartholomæus, Gavanthus *in rubrica Miſſalis, tom.* 1. *p.* 3. *tit.* 7. *num.* 4. Candidus *tom.* 3. *diſput.* 2. *art.* 2. *dub.* 72. *n.* 87. Joannes Wiggers 3. *p. q.* 74. *art.* 2. *n.* 7. Diana. *tom.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 64. contra Hurtado, *diſput.* 2. *difficul.* 16. & contra Leandrum, *diſp.* 8. *quæſt.* 73. & contra Præpoſitum *in* 3. *p. q.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 19. qui aſſerunt moraliter loquendo cenſendas conſecratas.

Quintum. 126. Quintò; guttæ vini adhærentes in ſuperficie calicis, ſi extrà calicem ſint, non conſecrantur, niſi Sacerdos non ſinè ſacrilegio eas conſecrare intendat. Ita Layman, *num.* 15. Palaus *num.* 4. & cum aliis Bonacina, *num.* 7. Quæ verò intra calicem, ſivè in interiore calicis ſuperficie reliquo vino ſeparatæ hærent, etiam inconſecratæ manent: nam hæc videtur communis, & optima Eccleſiæ intentio conſecrandi illud vinum, quod per modum unius continui intrà calicem exiſtit. Ita Suarez, Layman citati, Hurtado, *diſp.* 2. *difficult.* 16. Reginald. *in praxi, tom.* 2. *lib.* 26. *cap.* 2. *num.* 19. Diana. 3. *p tract.* 4. *reſolut.* 32. & N. Stephan. *n.* 9. pluribus relatis, Leandet *diſp.* 8. *quæſt.* 76. contra Bonacinam, *diſp.* 5. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 7. abſolutè aſſerentem omnes vini guttas, quæ ſunt in calice, licet ſeparatas à vino, manere conſecratas.

127. Quod autem tenet Palaus, *puncto* 6. *n.* *Opinio difficultate* 4 & Franciſc. *n* 120. guttas intra vas exiſtentes, *non caret.* ſi levi calicis motione reliquo vino miſceri poſſunt, cenſendas eſſe conſecratas, difficultate non caret. Nam determinari non poteſt quanta omnino eſſe debeat talium guttarum propinquitas, aut motionis calicis levitas.

128. Petes primò: an Sacerdos duas ho- *Quæſitum* ſtias conſecrandas deferens, credens unam tan- *primum.* tum deferre, utramque conſecret, vel neutram? Aliqui affirmant ſolam antè oculos propoſitam conſecrare: quia illius tantum videtur habuiſſe intentionem, ſiquidem aliam non cognovit, & intentio ferri non poteſt in incognitum. Sed dicendum eſt, utramque conſecrare: quia habet intentionem conſecrandi illud, quod habet in manibus, licet ex errore exiſtimet eſſe unam hoſtiam, & utraque deſignata eſt per intellectum ejus virtualiter, & in communi, nimirum mediante intentione conſecrandi omnem materiam, quam habet in manibus. Ita Navarrus, *cap.* 25. *num.* 91. Suarez, *diſp.* 43. *ſect.* 6. Vazquez, *diſp.* 171. *c.* 1. *num.* 2. Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 2 *punct.* 1. *num.* 3. Coninchus, *q.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. Cardinalis Lugo, *diſput.* 4. *ſect.* 7. Palaus *diſp. unica, puncto* 6. Franciſc. *n.* 116. & alii. Secus eſſe, ſi precisè vellet miniſter conſecrare hoſtiam, quam oculis videt; ſed hoc nec fit, nec fieri debet, ut bene obſervat Suarez, ubi proximè.

129. Petes ſecundò: an ſi in Pyxide conti- *Quæſitum* nente plures particulas conſecratas miſceatur *ſecundum.* aliqua non conſecrata, poſſit validè Sacerdos illam conſecrare, ſi non dignoſcitur, quæ ſit? Reſpondetur non poſſe abſolutè illam ſolam particulam conſecrare: quia ſecundum talem ſtatum non poteſt determinatè oſtendi, & deſignari; poteſt tamen validè Sacerdos eo caſu intendere conſecrare totum, quod in Pyxide eſt ſub conditione, ſi non eſt conſecratum. Ita cum Averſa, Paulo, Layman, Leandro, & Dicaſtillo, docet Diana, *tom.* 9. *tract.* 8. *Miſcellaneo. reſol.* 64. N. Franc. *n.* 122. An verò in tali caſu Sacerdos poſſit licitè conſecrare ſub conditione omnes, ut non maneret mixta conſecratis non conſecrata? Negant Cardinalis Lugo *de Euchar. diſp.* 4 *ſect* 7. *num.* 137. & Sylveſter de Aſflicto Epiſcopus Nozetæ apud Dianam ubi proximè. Sed contraria ſententia magis placet, cui adhærent ipſe Diana cum Layman. Leander. & Dicaſtill. quia alias videtur, quod non poſſent omnia inconvenientia vitari.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM
De forma Sacramenti Euchariſtiæ.

CAPUT ISTUD QUATUOR COMPLECTITUR PUNCTA.

P. 1. *Utrum hæc ſit forma conſecrationis panis:* Hoc eſt corpus meum?

P. 2. *Quænam verba ſint de eſſentia formæ conſecrationis calicis?*

P. 3. *An verba conſecrationis dicantur à Sacerdote ſolum recitativè, an ſimul ſignificativè.*

P. 4. *Quid ſignificetur in hac forma per pronomen* Hoc, *&* *per* Hic?

PUNCTUM I.

Utrum hæc ſit forma conſecrationis panis: Hoc eſt corpus meum?

1. concluſio. 1. SOlum hæ quatuor voces *Hoc eſt corpus meum*, ſunt de neceſſitate, & eſſentia formæ conſecrationis panis. Unde ſi Sacerdos eas duntaxat proferat ſuprà debitam materiam cum debita intentione, perficit Sacramentum, licet ex alio capite peccet non ſervando ritum Eccleſiæ, non proferendo alia verba, quæ in Miſſali continentur. Ita communis Doctorum, & ratione id facile perſuaderi poteſt, quam tradit Catheciſmus Romanus agens de Euchariſtiæ conficiendæ formâ. Nam forma ea eſt, quâ illud ſignificatur, quod in hoc Sacramento efficitur: cum autem hæc ſola verba *Hoc eſt corpus meum*, id quod fit, ſignificent, ac declarent, hoc eſt panis converſionem in verum Chriſti Domini noſtri corpus, ſequitur in illis ipſis ſolis verbis formam conſtituendam eſſe.

Declaratur particula. 2. Sed declaremus ſingulas hujus formæ particulas. Prima particula eſt pronomen demonſtrativum *Hoc*, de quo infra *puncto* 4. agendum nobis erit. Modo tamen obſervandum eſt non poſſe fieri conſecrationem, ſi Sacerdos dicat: *Illud eſt corpus meum*: quia pronomen illud referri poteſt ad rem abſentem, ut optimè Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 8. Suarez, *diſp.* 59. *ſect.* 2. Monteſinos, 3. *p. q.* 78. *artic.* 2. *q.* 4. Leander, *diſp.* 9. *q.* 17. Secus eſt, ſi dicatur: *Iſtud eſt corpus meum*: quia pronomen *iſtud*, rem præſentem oſtendit. Unde valide fieret conſecratio pronomine *iſtud*, licet non ſit diſcedendum à pronomine *Hoc*, quo uſus eſt Chriſtus Dominus, & quo in perſona Chriſti utitur Sacerdos. Ita Monteſinos, Leander *locis citatis*, & alii.

Quæſitum primum. 3. Petes primò: quid dicendum, ſi Sacerdos diceret *Hic eſt corpus meum*? Et certè ſi ſumatur adverbialiter *Hic*, non fieret conſecratio, quia ſenſus eſt longè diverſus, ut benè obſervant Monteſinos *loco cit.* & cum aliis Diana, *tom.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 77. Si vero particula *Hic* ſumatur loco pronominis, mutationem eſſe accidentalem, & non obſtare veritati conſecrationis tenent Granados, *tract.* 8. *diſp.* 5. *n.* 2. Suarez, *diſp.* 59. *ſect.* 2. Diana *loco cit.* & cum multis Bonacina *diſp.* 4. *q.* 3. *puncto* 1. *n.* 7. ubi inquit, idem dicendum eſſe, ſi quis diceret: *Hic eſt corpus meus*, vel *Hic eſt corpum meus*: quia ſubſiſtit adbuc eadem ſignificatio, licet error committatur contra regulas grammaticales: ſicut ille, qui baptizavit in nomine *Patriis*, &c.

4. Petes ſecundò: quid dicendum, ſi Sacerdos diceret *Ecce corpus meum* in nomine Chriſti? Certum eſt, ad minus rem eſſe dubiam, & quod graviter peccaret talis Sacerdos, ut bene docet Suarez, imò ſibi certum videri quod ea mutatio ſit ſubſtantialis varians ſubſtantialem ſenſum formæ, ac proinde, quod non conficeret Sacramentum, ait Ioannes Gonzales, *diſp.* 17. *de forma hujus Sacramenti*, *ſect.* 1. quia pronomen *Hoc* multo aliter oſtendit contentum ſub ſpeciebus, quam illa particula *Ecce*, pronomen enim *Hoc* demonſtrat per modum ſubſtantivi, non tamen illa particula *Ecce*, & non valere conſecrationem, docent Fagundez, *præcepto* 3. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 15. Bonacina ubi ſupra, *num.* 16. quod nobis magis placet, ut placuit Patri Suarez contra Leandrum *diſp.* 9. *q.* 9. *Secundum.*

5. Secunda particula ejuſdem formæ eſt copula *Eſt*, & convenienter ponitur: quia converſio fit in inſtanti, & per verba formæ ſignificatur in facto eſſe ipſum Sacramentum. Ex quo colligitur, quod licet hæ propoſitiones ſint veræ *iſte panis convertitur, tranſmutatur, transfertur in corpus meum*; non tamen ſunt forma validæ conſecrationis: & idem eſt, ſi dicatur *hoc convertitur, aut ſit corpus meum.* Unde præter quam, quod eſſet grave peccatum uti his verbis ad conſecrandum, non fieret conſecratio: quia converti, tranſmutari, ferri, aut fieri ſignificant viam ad eſſe corporis Chriſti: forma autem conſecrationis debet ſignificare corpus Chriſti, & non quomodocumque ſed in facto eſſe, & ut permanens ſub ſpeciebus. Ita Joannes Gonzalez, Monteſinos citati, & alii. *Ex ponitur particula.*

6. Similiter non conficeret Sacramentum Sacerdos, ſi diceret: *Conſecro, conficio corpus meum*, vel *Hoc ſit corpus meum*: quia omnia hæc verba non ſignificant effectum permanentem; & de ratione huius Sacramenti eſt, quod ſit permanens, atque adeo non rectè ſignificatur per illa verba; ſed pro copulam *Eſt*. Secus eſt in aliis Sacramentis, quæ conſiſtunt in fieri, quorum forma datur per verba, quæ ſignificant actionem, aut fieri, ut *Ego te baptizo*: *Ego te abſolvo, &c.* Ita Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 16. Suarez, *diſp.* 59. *ſect.* 2. Bonacina *diſp.* 4. *q.* 3. *punct.* 1. Layman, *tract.* 4. *cap.* 3. Palaus *diſp. unica, puncto* 7. & cum aliis Leander, *diſp.* 9. *q.* 12. & 13. *Illatio.*

7. Sed quid dicendum, ſi ablato verbo *Eſt*, dicat Sacerdos: *Accipite, & comedite hoc corpus meum*? Reſpondetur dicendum non fieri conſecrationem: quia dicta verba ſolum ſignificant uſum, & collationem Sacramenti. Euchariſtia autem non conſiſtit in uſu, aut collatio- *Quæſitum.*

-ne,

ne, cum hæc jam ſupponant ipſum Sacramentum eſſe. Ita Suarez, Henriquez, Bonacina, & Monteſinos *loc. cit.* & alii.

Particula corpus declaratur.

8. Tertia particula eſt *Corpus*: ponitur autem in verbis formæ corpus ad ſignificandum, quod ex vi verborum non ſit tota humanitas, ſed ſolum corpus Chriſti, & propter repræſentationem ſeparationis corporis à ſanguine Chriſti in paſſione.

Quæſtio 1. ſententia.

9. Sed dubium eſt, an fieret conſecratio his verbis: *Hæc eſt caro mea.* Negant Merceruſ q 78. *art.*2. Pitigianus *in* 4. *ſent. tom.*1. *diſt.*8. *quæſt.* 2. *art.*5. Palacios ibidem, *diſp.*3. Coninch. *q.*78. *art.*3. *num.*38. Præpoſitus ibidem, *dub.*2. *n.*21. Gabriel, *lect.*38. quia caro non ſignificat idem, quod corpus, cum corpus dicat aliquid conſtans carne, oſſibus, nervis, &c. Et in hanc ſententiam inclinat Suarez, *ſect.* 2. Valde tamen probabile eſt, quod dictis verbis fieret validè conſecratio: quia Joan. 6. dum Chriſtus promitteret inſtitutionem Euchariſtiæ, non ſemel utitur nomine *Carnis*: *Caro mea verè eſt cibus, qui manducat meam carnem, &c.* & in hymno canit Eccleſia, *Verbo carnem efficit*, & hæc vox *Caro* per ſynodochen etiam ſumitur prout comprehendit oſſa, & nervos, ut Pſal. 5. *Caro mea requieſcet in ſpe.* Et ita affirmativam ſententiam docent Eſtius, *in* 4. *diſt.* 8. §. 11. de la Cruz *p.*2. *q.*2. *dub.*1. *concl.*1. Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 16. *n.* 2. *littera* O. Granado *tract.*8. *diſp.* 5. *num.*5. quos refert & ſequitur Diana *tom.* 5. *tract.*14. *reſol.*76. Araujo, *q.*78. *dub.*1. Mutationem tamen in nomen carnis fore grave peccatum docent Monteſinos *loc. cit.* Filliucius, *cap.* 4. Alenſis, *quæſt.* 33. *membro* 3. *art.*3. Gabriel *lect.*8. *canon.* & alii.

2. Sententia.

10. De his autem verbis: *Hæc eſt ſubſtantia mea*, rectè reſolvit Suarez *loc. cit.* quod illis non fieret conſecratio: quia ſubſtantia eſt nomen valde commune, & ita etiam docent Monteſinos, & Leander citati, & Fagundez, *præcept.* 3. *lib.*2. *cap.*6.

Particula meum explicatur.

11. Quarta particula eſt pronomen *Meum*, quod ponitur in forma conſecrationis, eo quod corpus de ſe erat commune ad Corpus Chriſti, & ad alia corpora: per hoc autem, quod dixit Chriſtus, & dicit Sacerdos in nomine ipſius, *Meum*, determinatur, & ſignificatur corpus Chriſti, & non aliud eſſe ſub ſpeciebus.

Dubium 1. Sententia.

12. Sed quid dicendum: ſi aliquis loco pronominis *Meum*, diceret *Chriſti*, eſſetne conſecratio his verbis: *Hoc eſt corpus Chriſti*? Negant Henriquez, *num.*6. Suarez, *ſect.*2. Coninchus, *num.*39. Bonacina, *num.* 11. Fagundez *n.*22. Layman, *cap.*3. Palaus, *num.*2.

Suadetur.

13. Probat id Suarez: quia Sacerdos ſic dicens, falſum affirmaret, referret enim Chriſtum dixiſſe: *Hoc eſt corpus Chriſti*, & tamen Chriſtus non dixit, ſed hoc eſt corpus meum. Et confirmat Palaus: quia non in perſona Chriſti, & Chriſtum repræſentans, Sacramentum conficeret; ſed relativè ſe haberet, quod inſtitutioni obſtat.

2. Sententia.

14. Verum Joannes Gonſalez, *ſect.* 1. aſſerit, quod licet miniſter ille non rectè faceret, tamen factum teneret. Et ad rationem in oppoſitum dicit, quod ille Sacerdos non diceret falſum: quia illæ duæ propoſitiones æquipollent: unde quantum ad rem ſignificatam non eſſet differentia; & hoc ſufficit, ut qui refert, verum dicat. Et ad confirmationem conſequenter reſponderet, quod Sacerdos etiam in perſona Chriſti poteſt dicere: *Hoc eſt corpus Chriſti*, ſicut *Hoc eſt corpus meum.*

Concluſio.

15. Nobis tamen videtur cum Monteſino *loc. cit.* quod res iſta ſit valdè dubia: & ideò ex una parte graviter peccaret Sacerdos utens his verbis: ex alia verò ſi ſemel dixiſſet, poſitis aliis requiſitis, non auderemus dicere, quod hoſtia illa haberetur, ut panis communis, & hoc propter dicta, *n.*14. Primò, quia D.Th. *in* 4. *diſt.*8. *q.* 2. *art.*1. *quæſtiunc.*4. *ad* 4. inquit *Dicitur convenientius Hoc eſt corpus meum, quam Hoc eſt corpus Chriſti.* Non dicit eſſe neceſſarium, ut dicatur *Corpus meum*; ſed convenientius. Secundò: quia potuit Chriſtus de ſe ipſo loqui in tertia perſona: *Hoc eſt corpus Chriſti*, idemque ſignificaret, atque efficeret, ac dicendo: *Hoc eſt corpus meum.*

Quæſtio.

16. Petes: an validè conſecraret Sacerdos dicens: *Hoc eſt corpus meum.* utendo N. pro *M.* Reſpondetur affirmativè cum Soto *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.*8. ubi ſic ait: *Sunt autem pejores, quam ſcrupuloſi, & moroſi, qui putant, ſi pro meum finali M. dicant meun per N. non conſecrare: eſt enim deridendus ſcrupulus. Hiſpani enim egrè proferimus M. in fine. Imò ſi pro eſt velocitate linguæ dicatur, es, nullus exurgere debet ſcrupulus quoniam T. poſt S. in fine difficile etiam Hiſpani proferunt. Ex accommodatione enim uſus ſervatur legitimus ſenſus: ſicuti in balbutientibus.* Ita etiam in ſimili Diana 2. *p. tract.* 17. *reſol.* 14. dicens: *Non obſtare validæ conſecrationi calicis, ſi Sacerdos dicat, hic eſt enim calis, S. pro X. utendo*: quia illa littera *S.* ex communi modo concipiendi non tollit ſignificationem ſubſtantialem: quia quatenus profertur in ipſo actu, & forma conſecrationis vini, ſignificat calicem ex communi modo percipiendi. Ita in ſimili etiam Henriquez, *lib.* 1. *cap.*9. dicens: *Idem eſſe dicendum ſi quis Z. pro S. proferat, ut zanguinis pro ſanguinis: nam quidam Hiſpani ſic proferunt.*

Quæ culpa ſit omittere M. in proferendo Meum.

17. Addit verò Sotus ubi ſupra: *Imò quamvis non adhibeatur diligentia proferendi M. finale in meum, vel ſi fortè non proferatur T. in verbo eſt, nullam profectò reor culpam incurri: Deus enim non eſt tam iſtarum minutiarum obſervator.* Ita Sotus. Et à mortali ſaltem in ſimili excuſant ſecluſo ſcandalo. & contemptu, Diana *loco cit.* Pitigian. *in* 4. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.*4. Leander, *diſp.*9. *q.*20.

Particula enim non eſt de eſſentia.

18. Circà particulam *enim*, quæ ponitur in utraque forma conveniunt omnes cum D. Th. 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 5. quod non ſit de eſſentia: undè ſine illa validè fieret conſecratio: illam autem omittere, non excederet culpam venialem, ſi ex oblivione, aut negligentia omitteretur. Sic Suarez, *diſp.* 59. *ſect.*1. Coninchus, *dub.*2. *n.*37. Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 3. *punct.*1. *num.*10. Palaus, *num.* 1. & alii.

PUNCTUM II.

Quænam verba ſint de eſſentia conſecrationis calicis?

In quo conveniant Doctor. & in quo verſetur difficultas.

19. PUnctum hoc celebre eſt in hac materia, in quo tamen conveniunt omnes. Primò: illa verba: *Hic eſt calix ſanguinis*

Digitized by Google

mei; vel *Hic eſt ſanguis meus* eſſe de eſſentia hujus formæ. Secundò: verba antecedentia *Accipiens hunc præclarum calicem*, *&c.* particulam *enim*, & verba ſubſequentia *Hæc quotieſcumque feceritis*, *&c.* non eſſe de eſſentia. Tertiò: non poſſe à nobis prætermitti ſinè gravi crimine aliquam particulam ex iſtis *Hic eſt calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: prout habetur in Miſſali Romano. Unde ſolum eſt difficultas, & controverſia non parva, utrum cætera omnia dicta verba ultra *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſint de eſſentia formæ?

1. Sententia. 20, Negativam ſententiam tenent Alex. Durandus, D. Bonav. Cajetanus, *art.*3. Suarez *diſp.*60. *ſect.* 1. Bellar. *lib.* 4 *cap.* 14. & alii plures tam ex antiquis, quam modernis, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.*3. *dub.*6. Franciſc. B. Spei *diſp.* 3. *num.* 13. Herinx, *diſp.*2. *num.*71. Idem docuerunt Sotus *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 3. Salmeron, *tom.*4. *tract.* 15. N. Gabriel *diſp.*12. *quæſt.*2. Wiggers 3. *part. quæſt.*78. *art.*3. Auguſtinus à V. Maria *de Sacram. diſp.*9 *quæſt.*1. Joannes à S. Thom. &c. Differunt tamen hi Doctores à præcedentibus, quod iſti dicant cætera verba ita eſſe accidentalia formæ, ut ad eam non pertineant, niſi ad ſummum ad majorem explicationem ejus. Hi verò aſſerunt, quod licet non ſint de neceſſitate, & eſſentia formæ, ſunt tamen de ejus integritate ſubſtantiali; ſicut ſatisfactio eſt de integritate pœnitentiæ, & manus de integritate hominis.

21. Moventur primò: quia ſola iſta verba *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſignificant totum effectum ſacramentalem, hoc eſt, converſionem vini in ſanguinem Chriſti, & realem ipſius præſentiam ſub ſpeciebus vini, & ſola ipſamet cauſant talem effectum: quia verba formæ ſacramentalis, id cauſant, quod ſignificant: ergo ſola illa ſunt de eſſentia formæ: cum ea dumtaxat verba de eſſentia formæ Sacramentalis ſint, quæ neceſſaria ſunt ad

1. Ratio pro illa. ſignificandum, & cauſandum effectum Sacramenti.

22. Secundò, quia proprietates naturaliter conſequuntur eſſentiam rei: ſed illud, quod conſequitur eſſentiam, non poteſt eſſe factivum tranſſubſtantiationis: ergo cum illa verba quæ ſequuntur *Novi*, ſcilicet, *& æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, &c.* deſignent aliquas proprietates ſanguinis, in quem fit tranſſubſtantiatio, videtur, quod non ſint de eſſentia formæ.

23. Tertiò: quia cætera verba ſolum ponuntur ad explicandum effectum Sacramenti

Secunda. ſanguinis: ſed effectus non eſt de eſſentia Sacramenti, ut patet: ergo neque verba, quibus effectus ſignificatur, ſunt de eſſentia formæ Sacramenti.

24. Quartò: quia non omnia verba, quæ ponuntur in canone *Hic eſt calix*, *&c.* ſunt de eſſentia formæ. Ex quo cum non ſit major ratio unius particulæ, quam alterius, loquendo

Tertia. de illis ſequentibus ad illa verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſequitur, quod ſola illa priora verba ſint de eſſentia. Quod autem non omnia illa verba ſequentia ſint de eſſentia formæ multipliciter probatur. Primò ex teſtimoniis Evangeliſtarum: quia nullus illorum, neque omnes ſimul referunt omnia illa verba, cum tamen *Quarta.* difficilè eſſet; quod omnes omiſiſſent aliquod verbum ex his, quæ ſunt de eſſentia. Secundò: quia eodem modo ſe habent illa verba, *quod pro vobis tradetur* ad formam conſecrationis panis, ſicut illa verba, *qui pro vobis effundetur* ad formam conſecrationis vini: quia eodem modo ſicut iſta determinant illud prædicatum *ſanguinis*, illa determinant illud prædicatum *corpus*: ergo non eſt major ratio quare iſta ſint de eſſentia potiùs, quam illa. Tertiò quia illa particula *effundetur* non dicitur à Sacerdote, niſi ſolum recitativè, quia eſt de futuro: ſed verba, quæ ſunt de eſſentia conſecrationis dicuntur à Sacerdote non tantum recitativè, ſed etiam ſignificativè in perſona Chriſti: ergo illa particula non eſt de eſſentia. Quartò: quia in Lyturgiis D. Jacobi, Baſilii, atque Chryſoſtomi non habetur particula *æterni*, neque particula *myſterium fidei*, & Concilium Colonienſe tradens formam conſecrationis calicis, non ponit illam particulam, *myſterium fidei*. Et Clemens Papa VIII. *Conſtitutionum Apoſtolic. cap.* 12. *alias* 17. in Lyturgia non ponit illam particulam *æterni*, neque *myſterium fidei*: ergo iſta verba non ſunt de eſſentia formæ, aliàs non conſecrarent non ſolum moderni Græci, ſed neque antiquiores Patres Baſilius, Chryſoſtomus, imò neque Jacobus Apoſtolus: quia credendum eſt illos juxta formam ſuarum Lyturgiarum ſacra feciſſe. Hoc autem conſequens quis non videat eſſe magnum abſurdum? Quintò potiſſimè, & efficaciter, ut putant contrarii: quia in variis Lyturgiis, quibus Maronitæ utuntur: ſolum habentur hæc verba: *hic eſt ſanguis meus*, ergo reliqua nullo modo ſunt de eſſentia: *Unde ſatius diceretur D. Thomam aliter ſenſurum ſi has Lyturgias legiſſet, quas non vidiſſe perſpicuum eſt: cum nullam illarum fecerit mentionem*: ita P. Herinx *de Euchariſt. diſp.*2. *num.*70.

25. Nihilominus dicendum eſt primò: non ſolas has voces *Hic eſt calix ſanguinis mei*, aut *Hic eſt ſanguis meus* eſſe de neceſſitate, & eſſentia formæ conſecrationis calicis. Ita D. Thomas, 3. *part. quæſt* 78. *art.*3. & *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. *art.*2. Ubi dicit omnia illa verba eſſe de ſubſtantia formæ calicis: idem autem eſt apud illum eſſe de ſubſtantia, ac de eſſentia tum hic, tum aliis in locis *v.g. q.* 60. *art.*8. ut latè probant Labat, Gonet, Araujo. & clarius ſuper primam ad Cor. cap. 11. *lect.* 6. ubi ſic ait: *Circa iſta verba, quibus Eccleſia utitur in conſecratione ſanguinis, qui-* *Concluſio 8.* *dam opinantur, quod non omnia ſint de neceſſitate formæ; ſed ſolum quod dicitur hic eſt calix ſanguinis mei, non autem reſiduum, quod ſequitur; ſed hoc non videtur convenienter dici*: idem autem eſt eſſe aliquid de neceſſitate formæ, & eſſentiale formæ, ut patet: ergo, &c. S. Doct. ſequuntur, Capreolus, ibid. Deza, ibid. Richard. N. Baconius, Paludanus, Herbeus, D. Antoninus, Sylveſter, Pet. de Soto, Henriquez, Armilla, Gonzales, N. Cornejo, *diſp. unic. dub.*1. Viguerius, Spina, Thomas Pius, Deza, Lorca, quos ref. & ſequitur Thomas Hurtado, *Variarum Reſolut. tract. ultim. reſol.*8. §.2. Araujo, 3. *part. q.*78. *artic.* 6. *dub.* 1. Labat. *de Euchariſt. dub.* 11. §.2. Gonet *diſp.*7. *art.* 2. & alii, pro ſecunda aſſertione referendi; non determinando modo an

cæteræ

cæteræ omnes voces ſint de eſſentia formæ explicitè prolatæ, vel ſaltem implicitè, & virtualiter in aliis ex ſequentibus.

Firmatur 1 26. Probatur primò: quia Innocentius III. in cap. *cum Marthæ, de celebratione Miſſarum*, ait; *Credimus igitur, quod formam verborum, ſicut in canone reperitur, & à Chriſto Apoſtoli, & ab ipſis eorum acceperint ſucceſſores.* Et in Catechiſmo edito juſſu, & approbatione Pii V. ubi ut certa, & indubitata traditur iſta aſſertio: nam cum eſſet Sermo de forma calicis dicitur. *Certè tenendum eſt formam conſecrationis vini his verbis contineri, &c. De qua forma nemo dubitare poterit.* Neque reſponderi poteſt mentem Pii V. non eſſe quod omnibus illis verbis eſſentialiter forma comprehendatur: quia expreſsè S. Pontifex, teſt. Araujo, Gonet, Iabat & aliis expungi & corrigi juſſit commentaria Cajetani aſſerentis: non omnia verba eſſe eſſentialia formæ.

Suadetur 2 27. Secundò: quia in ipſiſmet teſtimoniis Evangeliſtarum, Lyturgiarum, Græcorum, Concilii Colonienſis, & Clementis Papæ, quæ in ſui favorem adducuntur ab authoribus oppoſitæ ſententiæ, forma conſecrationis vini non complectitur tantum hæc verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Nam Matthæi 26. dicitur: *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, & Marci 14. *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur*, & Lucæ 22. *Hic eſt calix Novum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur.* In Miſſa Sancti Jacobi Apoſtoli fratris Domini, quæ habetur *tom. 6. Bibliothec. Patrum* dicitur: *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum.* In Lyturgia S. Baſilii, qua utuntur Græci, quæ ibidem habetur: *Iſte eſt ſanguis meus ille Novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & expargitur in expiationem culparum, & remiſſionem peccatorum, atque in vitam æternam.* In Lyturgia S. Joannis Chryſoſtomi, quâ Græci etiam communiter utuntur. *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum.* In Miſſa, quâ Mozarabes in Hiſpania uſi ſunt, compoſita à Sancto Leandro, vel Iſidoro, quæ habetur *in tom. 2. Actuarii Bibliothecæ Patrum* verſus finem, in Miſſa S. Jacobi, forma hæc eſt: *Hic eſt calix Novi Teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In quibus omnibus, ſicut in Concilio Colonienſi, & Clemente Papa ſolum omittuntur ex his, quæ ſunt in Miſſali Romano illæ particulæ *æterni*, & *myſterium fidei*, quæ ut docet D. Thom. *art. 3. in ſolut. ad 9.* habentur ex Domini traditione ad Eccleſiam per Apoſtolos derivata: ſecundum illud Corinth. 11. *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Et in dictis teſtimoniis inveniuntur cætera, quæ ſunt in Miſſali Romano, & in quibus dictæ particulæ *æterni*, & *myſterium fidei* virtualiter, & implicitè continentur, ut dicemus aſſertione ſequenti: ergo non eſt dicendum, quod ſola illa verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei* ſunt de eſſentia hujus formæ. Patet conſequentia: quia de inſtitutione Chriſti non poteſt nobis conſtare, niſi ex his, quæ referunt Evangeliſtæ, vel ex his, quæ tradiderunt nobis Apoſtoli, vel ex uſu Eccleſiæ tam Græcæ, quam Latinæ: cum ergo forma conſecrationis calicis tam ab Evangeliſtis relata, quam ab Apoſtolis tradita, quam etiam ab Eccleſia tam Græca, quam Latina uſu recepta, detur nobis non ſub illis tantum verbis: *Hic eſt ſanguis meus*; ſed ſub aliis etiam dictis ſimul junctis, ſequitur quod non ſolum verba illa priora habentur pro forma ex inſtitutione Chriſti; ſed etiam alia dicta ſuperaddita ſequentia. *Evaſio.*

28. Dices, colligi ex inſtitutione Chriſti ſola illa verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *hic eſt ſanguis meus* ad eſſentiam formæ ſufficere ex regula infallibili ab omnibus recepta in materia de Sacramentis, nimirum verba formæ Sacramentorum novæ legis id efficere, quod ſignificant: cum ergo priora illa verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel *hic eſt calix ſanguinis mei* ſeorſum ſumpta ſignificent converſionem vini in ſanguinem Chriſti, ſequitur quod illa ſola illam efficiant.

29. Sed contra: quia aliud eſt loqui de ſenſu veluti ſpeculativo, ſeu grammaticali verborum; aliud verò de ſenſu practico, quatenus ex inſtitutione Chriſti elevantur ad ſignificandum practicè, & efficiendum talem effectum, ut conſtat in forma Baptiſmi, in qua ſi ſenſum quaſi ſpeculativum, & grammaticalem attendas, ſola priora illa verba *ego te baptizo* videntur ſignificare effectum hujus Sacramenti, nempe ablutionem à ſordibus animæ: ſi verò ſignificationem practicam, & effectivam, quam habent ex Chriſti inſtitutione, attendas, ſola illa verba non ſignificant effectum Baptiſmi, niſi determinentur per illa ſequentia *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quia hæc ſignificatio practica, & effectiva non pendet ex verbis ſecundum ſe, ſed ex Chriſti inſtitutione. Ex qua tamen priora illa verba, niſi per alia ſequentia determinentur, non ſignificant ablutionem animæ. Sic ergo dicendum in noſtro propoſito: & ita debet intelligi, D. Thom. *art.* 3. cum inquit: quod omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ: priora autem ſignificant converſionem, ſequentia vero virtutem ſanguinis effuſi, &c. Loquitur enim de prioribus verbis, ut determinatis per verba ſequentia, quæ ut dicit: *pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis*, non materialem, ſed eſſentialem. Expreſsè enim D. Ang. docet, ut *n.* 37. dicetur: reliqua eſſe eſſentialia ſanguini prout hic conſecratur: ſi ergo ſanguis ſit de integritate eſſentiali, idem de reliquis dicendum eſt. *Præcludit.*

30. Tertiò probatur ratione deſumpta ex D. Thom. quam ſic benè efformat Araujo. Sacramenta novæ legis inter alia habent, quod ſint ſigna, quibus fideles proteſtamur, & exprimimus bona ſpiritualia per Chriſtum nobis à Deo collata: ergo oportuit inſtitui in nova lege aliquod Sacramentum, in cujus forma eſſentiali proteſtemur, & exprimamus noſtram ſalutem abundantiſſimè, & perfectiſſimè, provenire nobis à virtute paſſionis Chriſti, ut de facto provenit; ſicut inſtitutum fuit de facto aliquod Sacramentum, nempe Baptiſmus, mediante cujus forma eſſentiali proteſtamur, & exprimimus Trinitatem divina- *Ratione roboratur concluſio.*

rum perſonarum ad ingreſſum in Eccleſiam: ſed hujuſmodi Sacramentum eſt Euchariſtia inſtitutum ſpecialiter in recordationem paſſionis Chriſti: ergo oportuit, ut ejus eſſentialis forma exprimeret virtutem paſſionis: cumque hæc uirtus non exprimatur in ſolis illis verbis *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei*; niſi aliis adhibitis, per quæ priora determinentur, ſequitur dicta verba; ut ſint de eſſentiali forma hujus Sacramenti; per ſubſequentia non debere determinari & hoc non exigitur in forma Sacramenti corporis: quia per corpus non ſignificatur ita expreſsè, conſummatè, & completè paſſio Chriſti, ſicut per ſanguinem ſeparatum à corpore: effuſio enim ſanguinis eſt paſſionis conſummatio.

Secunda Concluſio.

31. Dicendum eſt 2. ſicut particula *ego* in forma baptiſmi, vel Pœnitentiæ eſt de eſſentia formæ, non tamen eſt de eſſentia, quod explicitè ponatur: quia poteſt ſubintelligi in verbo *baptizo*, ſeu *abſolvo*: ſi tamen ponatur, ſicut reverà ponitur juxta communem uſum, eſt de eſſentia formæ, ut pars ejus eſſentialis, quæ ſimul cum aliis concurrit ad effectum Sacramenti, ut latè docet Vaſq. agens de hujuſmodi formis, & optimè probat N. Corocjo, *diſp. unic. de forma Conſecrationis Calicis*, *dub.* 3. ſic in noſtro propoſito omnia illa verba *Hic eſt calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum* ſunt de eſſentia formæ conſecrationis calicis, tamen non eſt de eſſentia ejus, quod omnes, & ſingulæ ejuſmodi particulæ explicitè ponantur: quia poteſt una ſubintelligi in altera, non ſecus quam ly *ego* ſub intelligitur in illo verbo *baptizo*: v.g. in illa particula *novi teſtamenti* poteſt ſub intelligi particula *æterni*: quia novum teſtamentum, ut ait D. Th. *art.* 3. *ad* 3. ſignificat diſpoſitionem hæreditatis æternæ. Ita Joan. Gonzalez *ſect.* 2. *concl.* 2. dicens ita docuiſſe in Schola Salmantina ſapientiſſimum Magiſt. Joan. Vincentium Aſturicenſem, & illam poſteà ſecutus fuiſſe plures ex modernis Thomiſtis. Quam etiam inſinuat Armacanus, *l.* 3. *de quæſt. Armenor. c* 3. *&* 4. atque ita ibidem intelligit D. Th. aſſerentem omnia prædicta verba eſſe de ſubſtantia, & eſſentia formæ, nimirum, vel formaliter, & expreſsè, vel ſaltem implicitè, & virtualiter, & reſolutionem hanc optimam eſſe aſſerit cum quibuſdam doctiſſimis Magiſt. Labat. *diſp.* 4. *dub.* 11. ex hypotheſi quod Eccl. Græca ſemper tres illas particulas omiſerit. Et pro eadem aſſertione ſunt N. Cornej. *dub.* 2. *n.* 4. Et N. Philippus à SS. Trin. *diſp.* 6. *dub.* 4. & ſequuntur plures moderni.

Præcipuum pro ea fundamentum.

32. Præcipuum hujus ſecundæ aſſertionis fundamentum eſt: quia juxta eam convenienter cohærent ſententia D. Th. & valida conſecratio, quâ uſa eſt Eccleſ. Græca, & quâ etiam uſi ſunt Hiſpani in Miſſa Mozarabe, & quam tradiderunt D. Jacob. & D. Marcus, in ſuis Lyturgiis, quæ habentur *tom.* 6. *Bibliothecæ*, ubi non ſunt illa tria verba formaliter, & expreſsè *æterni*, & *myſterium fidei*, & tamen dubitari non poteſt per prædictam formam fieri conſecrationem, ad quod ſufficit, quod illa tria verba includantur virtualiter in aliis, ut in ſolutione quarti argumenti explicabimus.

33. Contra eam tamen ſentiunt Paludan. *in* 4. *diſt.* 8. *art.* 1. aſſerens Græcos non conſecraſſe reverà, quia non apponebant omnia verba, quæ ſunt de neceſſitate formæ (quod quidem durum eſt aſſerere) & Capreolus, ibid. *q.* 1. *art.* 3. *in ſolutione ad.* 4. ubi ait, quod ſi Græci conſecrabant, id erat ex ſpeciali diſpenſatione à Deo facta, (quod videtur voluntariè dictum, cum de tali diſpenſatione non conſtet) & alii aſſerentes omnia illa verba, quæ ſunt in Miſſali Romano expreſsè prolata, eſſe de eſſentia formæ.

Sententia oppoſita. 2. Concl.

34. Fundantur primò: in uſu, & praxi Eccleſiæ Romanæ, quæ ſcribit omnia illa verba litteris majuſculis, & jubet ea eodem modo proferri, & non proponit calicem adorandum, quouſque omnia ſint prolata: ergo omnia expreſsè ſumpta ſunt de eſſentia formæ.

Probatur.

35. Reſpondetur Eccleſiam Romanam ſcribere omnia illa verba litteris majuſculis, non quia determinet omnia illa formaliter tantum, & expreſsè accepta eſſe de eſſentia formæ; ſed primò; quia certiſſimè illis ſic acceptis fit conſecratio in omni opinione. Secundò: quia Chriſtus Dominus in inſtitutione Sacramenti illis omnibus uſus eſt. Tertiò: quia omnia præter particulas *æterni, & myſterium fidei*, ex diverſis locis S. Scripturæ colliguntur, nec non dictæ particulæ *æterni, & myſterium fidei*, ex traditione Dominica habentur, quæ per Apoſtolos ad Eccleſiam pervenit. Eodem verò modo jubentur proferri etiam illa tria verba *æterni, & myſterium fidei*: quia eorum expreſſa, & formalis prolatio eſt convenientior, & quia dum ſic proferuntur, concurrunt phyſice, ſicut alia ad converſionem vini in ſanguinem Chriſti. Non proponit autem Eccleſia ſanguinem adorandum, quouſque dicantur omnia ea verba. Tum quia ſunt opiniones, quæ verba ſint de eſſentia formæ, & res eſt omninò certa citrà controverſiam, quod omnibus dictis fit vera conſecratio. Tum etiam quia ultima verba. *qui pro vobis effundetur, &c.* ſunt de eſſentia formæ.

Occurritur huius ſententiæ fundamento.

Secundò: tum quia D. Th. abſolutè docet omnia verba eſſe de ſubſtantia formæ: tum quia ſi particulæ iſtæ æterni, myſterium fidei, ab eſſentiali forma calicis excluderentur quia in aliquorum Lyturgiis non habentur, aliæ pariter excludendæ erunt, cum in Lyturgia Æthiopum non habeantur particulæ *Novi Teſtamenti*, nec in Miſsâ Mozarabum iſtæ, *in remiſſionem peccatorum*: Ita Gonet *num.* 48.

Reſpondetur: ad 1. D. Thom. docere quidem omnia verba eſſe de ſubſtantia formæ prout authores pro ſecunda concluſione citati, & nos docemus: ſed nullibi docere omnia explicitè, ſeu expreſsè prolata eſſe de ſubſtantia formæ, imo contrarium potius inſinuare, *art.* 3. *ad* 3. ut diximus *num.* 39. *&* 38 dicemus.

Ad 2. Reſpond. ideo illas particulas excludi ab explicita forma quia non continentur in aliquibus Lyturgiis & implicitè ſignificantur & continentur in aliis, quod de omnibus affirmari non poteſt: quidquid ſit de paucis aliis particulis, quæ omitti dicuntur in aliquibus ſed pauciſſimis Lyturgiis, & facilè in aliis ſignificari & includi poſſunt: à Lugone tamen & aliis hæ particulæ *in remiſſionem peccatorum*, in Miſsâ Mozarabum adducuntur: & meritò dubitant alii an illa Æthiopum Lyturgia authentica ſit & illa verba *Novi Teſtamenti* non contineat: unde

unde patet non benè à P. Goner ut putat confutatam eſſe ſententiam N. Philippi à SS. Trin. & P. Cornejo qui latius legi poterit.

1. Sententiæ argumenta enervantur. Diluitur 1.

36. Supereſt, ut ad argumenta à *n.* 21. & deinceps adducta, quę militant contra primam aſſertionem, reſpondeamus. Ad primum patet ex dictis ſupra *n.* 29. illa verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *Hic eſt ſanguis meus*, loquendo de ſignificatione practica, & effectiva quam habent ex Chriſti inſtitutione, non ſignificare converſionem vini in ſanguinem, niſi ut determinata per verba ſequentia, licet in ſenſu ſpeculativo, & grammaticali ſola illa videantur ſignificare hunc effectum.

2. Solvitur

37. Ad ſecundum reſpondet pro nobis optimè D. Th. *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *in ſolut. ad* 3. his verbis: *Dicendum, quod quamvis illa, quæ ſequuntur, ſint, ut proprietates conſequentes Chriſti ſanguinem in quantum hujuſmodi, ſunt tamen eſſentialia ſanguini Chriſti in quantum eſt per paſſionem effuſus, non autem ſeorſum à corpore conſecratur ſanguis Chriſti, ſicut nec aliæ partes ejus, niſi pro eo, quod eſt in paſſione effuſus: & ideò illa, quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia ſanguini, prout in hoc Sacramento conſecratur: & ideò oportet, quod ſint de ſubſtantia formæ.*

3. Enodat.

38. Ad tertium dicendum, quod licet effectus Sacramenti extrinſecè ſe habeat ad Sacramentum, virtus tamen cauſativa effectus per ſe, intrinſecè pertinet ad illud: & quia hæc in Euchariſtia habet dependentiam à paſſione, & effuſione ſanguinis Chriſti, expediens fuit, ut in forma conſecrationis vini explicaretur.

4. Evertitur, & ejus impugnat. diluuntur

39. Ad quartum reſpondetur, omnia dicta verba eſſe de eſſentia formæ, vel formaliter, & expreſsè; vel ſaltem implicitè, & virtualiter, ut in aſſertione ſecunda dictum eſt. Et ad primam impugnationem dicendum in Evangeliſtis omnia illa verba reperiri, ut *n.* 27. viſum eſt, præter illas particulas *æterni*, & *myſterium fidei*, quas habemus ex traditione Apoſtolica, & quæ in aliis virtualiter, & implicite continentur, & ſubintelliguntur: particula enim *æterni* ſubintelligitur in illis verbis, *novi teſtamenti*, quod ſignificat diſpoſitionem hæreditatis æternæ. & illæ particulæ *myſterium fidei*, ſufficienter ſubintelliguntur in illis, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Etenim, ut inquit N. Cornejo, myſterium fidei poteſt exponi dupliciter. Primò ut denotet Euchariſtiæ myſterium ſola fide percipi, & hoc ſufficienter declaratur illis verbis, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur, &c.* Quibus oſtenſis ad ſenſum accidentibus vini, aſſeritur ſub illis eſſe ſanguis Chriſti effundendus. Alio modo poteſt exponi ab effectu, ut ſignificet juſtificationem hominum eſſe ex fide hujus Sacramenti: quod ſatis ſufficienter exprimitur per ea verba, *qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Convenientius tamen eſt expreſsè, & formaliter prædicta verba proferre, ſicut facit Eccleſia Romana, & Concilium Florentinum tradens formam conſecrationis vini præcepit Armenis.

40. Ad ſecundam impugnationem negandum eſt antecedens: quia non oportet, ut paſſio Chriſti expreſsè ſignificetur per verba utriuſque formæ: ſufficit enim, quod per verba unius formæ fiat, decuit verò, quod per verba conſecrationis ſanguinis propter rationem, quam aſſignat D. Thomas, *art.* 3. *ad.* 2. & 7. nimirum: quia ſanguis ſeorſum conſecratus expreſsè paſſionem Chriſti repræſentat: ideò potius in conſecratione ſanguinis fit mentio de paſſione Chriſti, & fructu ipſius, quàm in conſecratione corporis. Unde illa verba, *quod pro vobis tradetur* non determinant ſignificationem illorum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, ſed integra manet ſignificatio abſque illis verbis: quia non progreditur ulterius, ſicut progreditur ſignificatio illorum verborum, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Hoc autem diſcrimen non ex ſignificatione ſpeculativa, & quaſi grammaticali, ſed ex ſignificatione practica, quæ conſtat ex inſtitutione Chriſti, petendum eſt.

41. Ad tertiam impugnationem reſpondetur, quod licet illa particula *effundetur* ſignificet de futuro; tamen non dicitur ſolùm recitative; ſed etiam ſignificativè à Sacerdote: nam ſanguis Chriſti erat effundendus, quando Chriſtus primo protulit illa verba, & Sacerdos, repræſentat perſonam Chriſti, ac ſi tunc in ultima cœna eſſet cum diſcipulis ſuis, ratione cujus repræſentationis poteſt nunc dicere de futuro: *Qui pro vobis effundetur.*

42. Ad quartam patet ex dictis in ſecunda aſſertione.

Ad quintam reſpondet M. Gonet diſt. conſ. ergo reliqua non ſunt de eſſentia in Eccleſia Græca vel Maronitarum conc. in Eccleſia Latina ſic neg. quia ut inquit ſicut Chriſtus non determinavit in ſpecie aut individuo materiam aut formam Sacramenti ordinis & confirmationis ſed eas determinandas Eccleſiæ reliquit ut paſſim Theol: ſequuntur, & nos diximus de Sacr. in gen: & de ordine dicturi ſumus: ita Chriſtus formam calicis non determinavit ſed ejus determinationem Eccl: reliquit: ex quo factum eſt quod juxta diverſas tradit. diverſæ editæ ſint liturgiæ, in quibus forma calicis diverſimodè traditur. Sed contra: ſicut Eccleſia non mutavit, nec mutare potuit ſubſtantialiter aut formaliter materiam aut formam Sacramenti ordinis, aut confirmationis ſed materialiter duntaxat ut locis cit: dicitur: ita multo minus formaliter aut ſubſtantialiter mutare aut determinare potuit formam præcipui fidei noſtræ Sacramenti, vel ergo Chriſtus inſtituit & determinavit quod conſecratio calicis fieret per verba exprimentia converſionem vini in ſanguinem pro multis effuſum, vel non, ſi primum ergo vel Græci non conſecrarunt nec Eccleſia id mutare aut permittere potuit; cum ipſorum verba id non exprimant, ut fatetur Gonet, ſi ſecundum, ergo reliqua verba non ſunt de eſſentia vel de ſubſtantia formæ; ſi verò dicatur Chriſtum Eccleſiæ determinandum reliquiſſe ut conſecratio fieret per verba exprimentia converſionem vini in ſanguinem abſtrahendo an ſit pro nobis effuſus vel non: ergo ruunt omnes rationes & congruentiæ, quibus Gonet & alii probant mentionem fieri debere effuſionis & efficaciæ ſanguinis Chriſti in forma conſecrationis calicis cum talis expreſſio abſolutè non ſit neceſſaria & talem in forma calicis Græci non habeant.

Unde Petrus Soto, Arauxo, Labat & alii aliter reſpondent neg: ant: dicunt enim Græ-

cos & Maronitas ſemper uſos fuiſſe Verbis Eccleſiæ latinæ aut æquivalentibus, liturgias autem illas præſertim eo tempore quo Græci ſchiſmatici facti ſunt ſicut & plures canones concil: Æcumenici ac general: Græcorum, vitiatas fuiſſe aut corruptas, ſive ex malitia Hæreticorum, ſive ex injuria, aut ignorantia aliorum penes quos contraria opinio invaluerat. Quæ omnia facilè temporum decurſu & injuriis fieri potuerunt tum quia Maronitæ uſque ad 1592. non niſi miſſalibus utebantur manuſcriptis iiſque multum in forma conſecrationis vini diverſis, ſi vera ſunt quæ Card. de Lugo, Herinx & alii referunt: tum quia ut teſtantur Doctiſſimi Maronitæ à nobis Romæ conſulti miſſalia antiqua MSS. Maronitarum nobis exhibita non varias aut multas ſed pauciſſimas continent liturgias ut S. Joan. Euang. quæ hæc verba: *hic eſt ſanguis meus*: D. Marci Euang: *hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, tantum habere videntur: reliquæ ferè omnes ut Div. Petri Apoſt: duodecim Apoſtolorum, D. Joan. Chryſoſt: D. Joannis Patriarchæ Antioch: Julii Pontificis Romani, D. Euſtachii Antioch: Cyrilli Alexand: &c. reliqua omnia ut in canone latinorum explicitè aut implicitè continent ut fatentur Maronitæ. Quare ad hæc & alia attendens ſummus Pontifex miſſalia illa MSS. corrigi aliquo modo & innovari juſſit: unde an. 1592. in typographia Medicæa Romæ impreſſum fuit Miſſale Maronitarum & iis omnibus propoſitum, in quo diverſæ & antiquiſſimæ continentur liturgiæ à variis Sanctis compoſitæ, potiſſimum verò liturgia S. Petri Apoſt. S. Jacobi Apoſt. S. Joannis Evang. S. Marci Evang. Joannis Chryſoſt. S. Cyrilli & aliorum, in quibus omnibus & ſingulis una, eademque forma conſecrationis calicis reperitur ex textu Syriaco in Latinum Fideliter tranſlata ut ſequitur *hic autem eſt calix ſanguinis mei, teſtamenti novi, & æterni, myſterium fidei, qui pro vobis, & multis effunditur in remiſſionem peccatorum*: quæ ſanè formæ non ſic correctæ aut immutatæ fuiſſent, ſi antiquiſſimæ & authenticæ Maronitarum aut Græcorum liturgiæ communiter contrarias habuiſſent, illæque a Concil. Florent. & Eccleſia Romana aliarum Magiſtrâ ſemper ut legitimæ & ſecuræ approbatæ fuiſſent. Ex his & aliis patet quam parum affectuosè ſenſerit P. Herinx de D. Angelico in Græcorum, ac Gentilium moribus ac doctrinis, imo in omnibus maximè verſato, & certè ſi illarum liturg. mentionem non fecit, mirùm non eſt, cum, vel authenticæ non fuerint, vel in paucis latitarint, vel poſtea dumtaxat contraria opinio invaluerit.

Sed reſurgere videtur quæſt. aut difficultas: an ergo Maronitæ pauci vel multi, cum Miſſalibus uterentur M. SS. non conſecrarint? Reſpondent aliqui quod cum pauci & pauco ut creditur tempore ita conſecrarint, concedi poſſe, licitè quidem propter opinionem probabilem, ſed invalidè conſecraſſe: at reſpondent alii & licitè & validè conſecraſſe, quia ſicuti Eccleſia juriſdictionem impendit iis qui cum opinione probabili operantur juxta *L. Barbarius Phil. FF. de officio prætor*: ut actus validus exiſtat: ita piè credendum eſt Deum ſupplere quidquid deficit ad valorem Sacramenti in iis qui operantur cum opinione probabili communiter ab Eccleſiâ recepta: hæc doctrina latiſſimè & doctiſſimè traditur à R.P.N. Joanne à Matre Dei in quodam manuſcripto quod aſſervatur in collegio Noſtro Salmanticenſi & à nonnullis graviſſimis celeberrimæ illius Univerſitatis Magiſtris ſubſcriptum eſt, at nos paucioribus ſuperſedemus plura occaſione alia de his daturi.

PUNCTUM III.

An Sacerdos proferat verba conſecrationis ſolum recitativè An verò ſimul ſignificativè?

Notabile.

43. PRo tituli explicatione adverte, dicere verba conſecrationis ſolum recitativè, eſſe, referre Chriſtum Dominum ita dixiſſe, quandò conſecravit, non autem ſignificare per illa verba præſentem materiam, quam Sacerdos tenet in manibus, quando verba profert referendo ſignificationem verborum illorum ad materiam præſentem: dicere autem verba illa ſignificativè, & non ſolum recitativè, eſſe per illa ſignificare etiam præſentem materiam. Quo ſuppoſito circa hoc punctum triplex eſt ſententia.

1. Sententia.

44. Prima aſſerit, quod Sacerdos ſolùm recitativè verba formæ conſecrationis profert. Ita Innocentius III. *lib.* 4. *de myſteriis Miſſæ c.* 17. & videtur tenere Durand. Major, Ledeſm. *q.* 5. *art.* 5. & probabilem putat, Gabr. *lect.* 48. *in can.*

Probatur 1.

45. Moventur primò: quia ſi proferrentur ſignificativè, eſſent falſa: Sacerdos enim illis verbis ſignificativè prolatis non demonſtrat corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed corpus, & ſanguinem ſuum, quod eſt falſum; imò quamvis admittatur illis demonſtrari corpus, & ſanguinem Chriſti, non eſſent vera verba conſecrationis calicis, *qui pro vobis, effundetur*: ſanguis enim Chriſti non jam amplius effundetur in paſſione

Secundo.

46. Secundò: quia verba conſecrationis ſignificativè prolata non poſſunt in ore Sacerdotis eſſe vera, niſi corpus, & ſanguis Chriſti præſupponerentur ſub ſpeciebus antè illorum prolationem. Verba enim illa ſignificativè ſumpta demonſtrant id, quod jam eſt; non verò id, quod ſit, neque id, quod erit.

Tertio.

47. Tertiò: nam ſi non dicantur ſolum recitativè, non poteſt verificari illa particula *qui pro vobis, & pro multis effundetur*: quia ſi dicantur ſignificativè denotaretur ſanguinem eſſe effundendum pro aliis, non verò pro ipſo Sacerdote.

2. Sententia.

1. Ejus ratio.

48. Secunda ſententia extrema docet verba conſecrationis ſignificativè tantum à Sacerdote proferri. Ita Marſil. *in* 4. *q.* 6. *art.* 1. Vaſq. *diſp.* 200. *c.* 2. Primum hujus ſententiæ fundamentum eſt: quia difficile eſt intelligere, hęc verba recitativè, & ſignificativè proferri: quia referri recitativè eſt referri materialiter, & referri ſignificativè eſt referri formaliter: implicat autem, quod ſimul materialiter, & formaliter accipiantur, ſeu referantur.

Confirmatur.

49. Confirmatur: quia cum profert Sacerdos. *Hoc eſt corpus meum*, ſi dicatur recitativè illud pronomen *Hoc*, demonſtrat ſpecies conſecratas, quas Chriſtus habuit in ſuis manibus: ſi verò dicatur ſignificativè, demonſtrat ſpecies conſecratas, quas ipſe Sacerdos habet in ſuis manibus: ergo non poſſunt ipſa verba utroque modo ſimul proferri.

50. Se-

Concluſio. 50. Secundum fundamentum eſt: quia eodem ſenſu loquitur Sacerdos, atque locutus eſt Chriſtus dum conſecravit: ſed Chriſtus non locutus eſt recitativè, ſed ſolum ſignificative applicando illa verba ad materiam illam, quam tunc habebat pręſentem: ergo ſimiliter Sacerdos ſolùm ſignificativè illa verba profert applicando illa ad materiam, quam habet præſentem.

51. Nihilominos dicendum eſt, verba conſecrationis proferri à Sacerdote utroque modo ſimul; non ſolum ſcilicet recitativè; nec ſolum ſignificative; ſed recitativè, & ſignificativè ſimul. Ita D. Thomas 3 *part. quaſt.* 78. *art.* 5. *Suadetur primo.* Nuñus, N. Cornejo, N Philippos, Gabr. à S. V. q. 3. Anton. *ſect.* 3. Franciſc. B. S. *diſp.* 3. *dub* 3. Lugo, *diſp.* 11. *num.* 110. Chamerota, *cap* 7. *dub.* 3. & alios referens Dicaſtillus, *dub.* 9.

52. Probatur primò: quia ſi verba formæ ſolum recitativè dicerentur à Sacerdote non applicarentur ad materiam corporalem præſentem, & ita non perficeretur Sacramentum: dicit enim D. Auguſtinus, ſuper Joannem, *tract.* 80. *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*: ſi autem ſolum recitativè dicerentur, illud pronomen *Hoc* non deſignaret materiam præſentem; ſed ſolum materiam illam, quam Chriſtus Dominus in ultima cœna conſecravit. Similiter neque ſolùm ſignificativè dicuntur à Sacerdote, cum expreſſe referat illa verba dicta fuiſſe à Chriſto Domino: ergo tenendum eſt, quod ſimul utroque modo dicuntur a Sacerdote ſcilicet recitativè, & ſignificativè: quia ſimul per eadem verba conſecrationis refert verba, quæ dicta ſunt à Chriſto Domino, & demonſtrat etiam materiam præſentem; & ad *Secundo.* illam applicat ſignificationem illorum verborum: neque in hoc eſt aliqua implicatio, aut impoſſibilitas, ut patebit ex reſponſione ad fundamenta Vaſquii, & Marſilii.

53. Secundò: quia negari non poteſt, quod verba illa ſignificativè dicantur à Sacerdote: quia certum eſt, quod pronomen *Hoc* præſentiam materiæ ſignificat: neque etiam negari poteſt, quod etiam recitativè dicantur: quia id conſtat ex verbis Can. Quarè doctrina D. Th. quod utroque modo dicantur, tenenda eſt.

Fit ſatis primo argumento ſententiæ primò adductæ.

54. Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, ad primum quidem, quod etiamſi Sacerdos proferat verba ſignificativè, vera tamen ſunt: quia profert illa in perſona Chriſti: & ita illa particula *meum*, & *mei* deſignant corpus, & ſanguinem Chriſti, & illa verba *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, verificantur ratione re- *Occurritur ſecundo.* præſentationis, qua Sacerdos repræſentat Chriſtum in illa cœna, antequam traderetur, coram diſcipulis celebrantem, ubi veritas reperitur.

55. Ad ſecundum patet. Tum ex dictis ſup. *num.* 5. Tum ex his, quæ tacitè reſpondere videtur D. Thomas, 3. *part. quaſt.* 78. *art.* 5 aureis his verbis: *Dicendum eſt, quod ſicut prædictum eſt, hæc locutio habet virtutem factivam converſionis panis in Corpus Chriſti, & ideò comparatur ad alias locutiones, quæ habent ſolum vim ſignificativam, & non factivam: ſicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ eſt factiva rei conceptæ intellectus noſtri ſpeculativi, quæ eſt accepta à rebus: nam voces ſunt ſigna intellectuum ſecundum Philoſophum & ideò ſicut conceptio intellectus practici non præſupponit rem conceptam; ſed facit eam: ita veritas hujus locutionis non præſupponit rem ſignificatam; ſed facit eam: ſic enim ſe habet verbum Dei ad res factas per verbum. Hæc autem converſio non fit ſucceſſivè; ſed in inſtanti: ſicut dictum eſt: & ideò oportet quidem intelligere prædictam locutionem ſecundum ultimum inſtans prolationis verborum: non tamen ita quod præſupponatur ex parte ſubjecti id, quod eſt terminus converſionis, ſcilicet, quod corpus Chriſti, ſit corpus Chriſti, neque etiam illud, quod fuit ante converſionem,* *Solvitur tertium.* *ſcilicet panis; ſed id quod communiter ſe habet quantum ad utrumque, ſcil. contentum in generali ſub iſtis ſpeciebus.*

56. Ad tertium reſpondetur: quod quando Sacerdos dicit *qui pro vobis effundetur*, non excludit ſeipſum, ut perſona privata eſt, quin potius conſtituit ſe cum illis, qui indigent redemptione Chriſti; ſed excludit perſonam ejus, quam repræſentat; & cujus nomine ea verba *Diluitur primum argumentum ſecundæ ſententiæ.* profert; qui eſt ipſe Redemptor Chriſtus.

57. Ad fundamenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur, ad primum non implicare, quod eadem verba dicantur ſimul ſignificativè, & recitativè: poteſt enim aliquis referendo verba alicujus, ea dicere repræſentando, & induendo perſonam ejus; & ita ſe gerit Sacerdos, ac ſi diceret, accepit panem dicens ſuper eum, quod ego in perſona ejus dico ſuper iſtum panem *Hoc eſt corpus meum*, ita ut ſimul referat quod Chriſtus dixit, & intendat ſimiliter facere in perſona ejus: ſicut ille per ſemetipſum fecit. Et ad probationem in oppoſitum reſpondetur, dupliciter poſſe aliquam vocem ſumi materialiter. Uno modo pro ſeipſa, & non pro aliqua re ſignificata, & ſic implicat aliquam vocem ſumi ſimul materialiter, & formaliter. Alio modo ita ut ejus ſignificatio accipiatur ut concepta: quia nimirum aliquis refert alterum ita dixiſſe: & hoc modo ſumpta voce materialiter, non implicat ſumi ſimul formaliter; præſertim ſi ille, qui loquitur, loquatur in perſona illius, cujus verba refert: tunc enim ejus locutio ſimul recitativè, & ſignificativè accipi poteſt. *Enervatur confirmatio.*

58. Ad confirmationem dicendum ſatis eſſe, quod illa verba ſignificent idem corpus Chriſti, ut contentum ſub ſpeciebus præſentibus reſpectivè ad hoc, ut Sacerdos eiſdem verbis referat, Chriſtum dixiſſe hoc, quod erat ei præſens, eſſe corpus ſuum, & ſimul affirmet hoc, quod eſt ibi præſens, eſſe Corpus Chriſti. *Fit ſatis ſecundo.*

59. Ad ſecundum reſpondetur, ex eo, quod Chriſtus hæc verba non recitativè; ſed ſignificativè dixit, optimè colligi, quod Sacerdos proferens illa in perſona Chriſti, etiam ſignificativè loquatur: non vero colligi, quod non dicat illa verba etiam recitativè: quia poſtquam Chriſtus illa dixit ſignificativè, benè poteſt Sacerdos, & ſignificativè, & recitativè illa dicere.

PUNCTUM IV.

Quid ſignificetur in hac forma per pronomen Hoc, vel Hic?

60. RESpondetur per pronomen *Hoc* ſignificari ſubſtantiam contentam ſub his ſpeciebus panis vagè ſumptam, ita ut non ſit determinatè panis, aut corpus Chriſti, neque aliqua alia ſubſtantia determinatè ſingularis, ſed ſolum ſubſtantiā contenta ſub his numero ſenſibilibus accidentibus, & hæc appellatur ſubſtantia ſingularis vagè, non autem determinatè. *Concluſio.*

minatè. Et idem eſſe cum proportione de pronomine *Hu* in forma conſecrationis vini. Ita D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 5. & *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 4. Paludanus, ibidem, *quæſt.* 3. Capreulus, *q.* 1. *art.* 3 *ad.* 1. Sotus, *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 5. Suarez, *diſp.* 58. *ſect.* 7. Scotus, & Durandus, *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 2. Ricardus, *art.* 3. *q.* 1. *ad.* 5. Ledeſma, *q.* 19. *art.* 5. Viguerius, *de inſtitut. cap.* 19. Marſilius, *in* 4. *q.* 6. *art.* 1. Gabriel, *lect.* 48. *in canon.* N. Cornejo, *art.* 5. *diſp. unica*, *dub.* 2. Noſter Philippus, *dub.* 6. N. Gabr. *q.* 4. & alii plurimi.

Probatio, & explicatio concluſionis.

61. Probatur, & explicatur: quia per illud pronomen *Hoc*, fit demonſtratio cum determinatione quoad accidentia ſenſibilia, & finiè determinatiune ipſius ſubſtantiæ demonſtratæ in recto: ergo demonſtrat hanc ſubſtantiam vagè contentam ſub his numero accidentibus. Patet conſequentia: quia ſubſtantia hæc vagè dicit ſubſtantiam ſingularem in confuſo, & indeterminatè, contentam tamen ſub determinatis accidentibus ad ſenſum demonſtratis. Antecedens autem quoad utramque partem manifeſtum eſt. Quoad primam quidem: quia per illud pronomen *Hoc*, ad ſenſum fit demonſtratio: ergo ſaltem in obliquo neceſſe eſt, quod accidentia individua determinata demonſtrentur. Quoad ſecundam verò: quia illud pronomen *Hoc*, nihil exprimit eorum, quæ ſunt propria hujus determinatæ ſubſtantiæ: ſed omnia ſignificat confuſè ſub ratione contenti ſub hoc numero continenti ſenſibili.

62. Ex quibus ſequitur ſignificari per hæc verba converſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, & præſentiam ipſius corporis Chriſti ſub his ſpeciebus; nam ſenſus formæ eſt, quod contentum ſub his numero ſpeciebus, quod antè conſecrationem non eſt determinatè corpus Chriſti, in fine prolationis verburum eſt corpus Chriſti. *Illatio.*

Vid. lat. à Noſtris citatis.

CAPUT SEXTUM.

De effectibus Euchariſtiæ, & de diſpoſitione ad eorum receptionem requiſita.

CAPUT HOC QUATUOR CONTINET PUNTA.

P.1. *In quo agitur de primò, & præcipuo Euchariſtiæ effectu.*

P.2. *De aliis effectibus ſpiritualibus Sacramenti Euchariſtiæ.*

P.3. *De effectibus, quos Euchariſtia operatur circa corpus.*

P.4. *Quænam diſpoſitio, ut hoc Sacramentum ſuos effectus conferat, requiratur?*

PUNCTUM I.

In quo agitur de primò, & præcipuo hujus Sacramenti effectu.

Cur Euchariſtia fonti comparetur?

1. QUanta in hoc admirabili myſterio bonorum omnium copia, & affluentia incluſa ſit aliqua ex parte, ut inquit Cathecisſmus Romanus, aſſequemur, ſi omnium Sacramentorum vi, atque naturâ cognitâ, Euchariſtiam fonti, cætera rivulis comparaverimus. Verè enim ac neceſſariò fons omnium gratiarum dicenda eſt, cum fontem ipſum cœleſtium chariſmatum, & donorum, omniumque Sacramentorum Auctorem Chriſtum Dominum admirabili modu in ſe contineat, à quo tanquam à fonte ad alia Sacramenta quicquid boni, & perfectionis habent, derivatur.

Hujus Sacramenti primus effectus.

2. Primus igitur, & præcipuus hujus diviniſſimi Sacramenti effectus eſt conferre augmentum gratiæ homini in gratia exiſtenti. Ita colligitur ex bulla Urbani IV, *in inſtitutione hujus Sacramenti*, ubi ſic ait: *Nullum autem Sacramentum eſt iſto ſalubrius, quo virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur.* Idem conſtat ex Concilio Vienenſi, & ex cap. *cum Marthæ, de celebratione Miſſarum*, & ex cap. *firmiter, de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, & apertiſſimè ex Concilio Florentino, ubi habetur in litteris ſanctæ unionis, per hoc Sacramentum dari unionem ad Chriſtum, & gratiam augeri; & turſus, eumdem effectum habere hoc Sacramentum circà vitam ſpiritualem, quam habet cibus circà corporalem, ſuſtentandu, nutriendo, & augendo illam. Quod etiam traditur in Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 13. *cap.* 2.

3. Aliquandò verò per accidens primam gratiam ab Euchariſtia conferri poſſe, conſtat ex dictis *tract.* 1. *cap.* 5. *p.* 2. *Per accidens primam grat.*

4. Petes: quando dictum gratiæ effectum communicet Euchariſtia? Reſpundetur, illum non communicare cum primum ore ſumitur, antequam deglutiatur: quia ſumptiu cibi antè deglutionem non eſt manducatio, & gratia hujus Sacramenti non eſt promiſſa, niſi manducanti, Joan. 6. *Qui manducat me vivet propter me.* Et idem eſt de calice: quia ore ſumere potum, non eſt bibere, niſi potus deglutiatur: producit ergu hoc Sacramentum gratiam in eo inſtanti, in quo verum eſt dicere, nunc deglutitum eſt, aut potatum eſt. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 2. *art.* 1. Suarez, *diſp.* 63. *ſect.* 4. Henriq. *cap.* 43. N. Cornejo 3. *p. q.* 79 *diſp. unic. dub.* 1. Palaus, *punct.* 9 *n.* 5. & alii plures, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 4. *p.* 2. N Gabr. *diſp.* 13. Anton. *diſp.* 9. *ſect.* 3. *Quæſtio incidens.*

5. Quarè primò: ſi infirmus non niſi in ore Euchariſtiam ſuſcipiat, & ante deglutionem moriatur, non recipit hujuſmodi Euchariſtiæ effectum ex opere operato. Ita Doctores citati contra Becanum *de Sacramentis*, *cap.* 22. *quæſt.* 6. *num.* 2. *Illatio 1.*

6. Secundò: qui diù retinet hoſtiam in ore, ita ut ſpecies corrumpantur antequam deglutiantur, non recipit fructum Euchariſtiæ: quia non dicitur applicata ſuſcipienti, antequam deglu- *Illatio 2.*

Digitized by Google

deglutiatur. Ita Bonacina, & cum multis Diana, *tom.3. tract.6. reſol.96.*

Tertia. 7. Tertiò: ſuſcipiens plures partes hoſtiæ conſecratæ diviſivè, & ſucceſſivè unam poſt aliam, recipit totum effectum gratiæ Sacramentalis in inſtanti, in quo verum eſt dicere, primam particulam eſſe ſumptam, & ad ſtomachum trajectam. Per reliquas verò ſumptiones non cauſatur gratia diſtincta, ſi diſpoſitio non augeatur. Ita Sotus, Valentia, Coninchus, Suarez, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus §.1. *n.6.* N. Petrus Cornejo, *ubi ſup.*

Objectio. 8. Et ſi objicias: tam vera manducatio eſt ſecunda ſumptio corporis Chriſti, quàm prima: ergo non minus eſt promiſſa ei gratia: ergo per eam cauſabitur gratia diſtincta ab ea, quæ cauſatur per primam.

Solutio. 9. Reſpondetur, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, negando ſecundam: quia quamvis ſit vera manducatio corporis Chriſti, & phyſicè diſtincta à prima manducatione, non tamen eſt diſtincta moraliter ab ea, quod erat neceſſarium, ut diſthictam gratiam cauſaret: atque ità utraque cenſetur una manducatio, & una ſumptio corporis Chriſti, & conſequenter ſolum debet cauſari, per utramnue unus effectus. Quæ ſolutio deſumitur ex D. Thom. *3. part. quaſt. 79. art.7. ad* 3. ubi ait, Sacerdotem plures hoſtias conſecratas in una Miſſa ſumentem non plus gratiæ recipere, quam ſi unam tantum ſumeret: quia non plus virtutis eſt in multis hoſtiis conſecratis, quam in una tantum: cum ſub omnibus, & ſub una non ſit, niſi totus Chriſtus.

Quæſitum primum. 10. Aliquæ tamen adhuc ſuperſunt difficultates. Prima eſt: An ſi quando quis ſumpſit primam particulam, erat in peccato mortali, ſed ſtatim elicuit actum contritionis, & ſic ſumpſit ſecundam particulam, recipiat effectum gratiæ Sacramentalis? Negant Bonacina, *ubi ſup. n.6.* Henriquez, *cap.43. num.* 3. & alii. Affirmativè tamen reſpondetur: quia adhuc tunc Euchariſtia habet vim conferendi gratiam ex opere operato: ergo cum alias Sacerdos ſit ſufficienter diſpoſitus, verè eam Euchariſtia conferet. Ita Suarez, *diſp.63. ſect.4.* Coninchus, *q.79. dub.2. n.28. & 48.* N. Petrus Cornejo, *dub.3.* Cajetanus ibidem, *art.1.* Nuñus, *verſic. Ad ſecundam regulam*, Reginaldus, *lib.29. num.* 140. Bartholomæus ab Angelo, *dialogo* 4. §. 404. Sotus *in 4. diſt.11. q.2. art.1.* Palaus, *n.6.* & alii.

Quæſitum ſecundum. 11. Secunda difficultas eſt: ſi ad primam particulam erat quis diſpoſitus remiſſè, & quando ſumpſit ſecundam erat diſpoſitus intensè, detur ei major gratia ex opere operato juxta proportionem diſpoſitionis? Reſpondetur etiam affirmativè cum N. Cornejo, & aliis contrà Palaum, & alios: quia Sacramenta cauſant gratiam ex opere operato juxta proportionem diſpoſitionis, ut *in tract. de Sacram. in gen.* dictum eſt, ita ut in minus diſpoſito gratiam minorem cauſent, & in magis diſpoſito majorem: ergo cum adhuc durante ſumptione creſcat diſpoſitio, debet creſcere effectus Sacramenti.

Quæſitum tertium. 1. Sententia. 12. Tertia difficultas eſt: Utrum Euchariſtia continuè influat gratiam toto tempore, quo poſt ſumptionem præſentia Chriſti durat ſub ſpeciebus in ſtomacho? Affirmant Cajetanus *3. part. quaſt. 79. art.1.* Major, *d.9. quaſt. 1. argum.5.* Ruardus Taper, *art.15.* & alii aſſerentes Euchariſtiam cauſare gratiam continuè toto tempore, quo ſpecies incorruptæ perſeverant in ſtomacho, etiamſi non adſit nova diſpoſitio. Alii verò probabiliter reſpondent cauſare quidem Euchariſtiam gratiæ augmentum, quamdiu ſpecies durant in ſtomacho, dummodo homo magis, ac magis denuò ſe diſponat. Ita Suarez, *ſect. 4. 5. & 7.* Coninchus, *num.42. concluſ. 5.* & alios referens Leander, *diſp. 11. quaſt. 15.*

13. Sed adhuc probabilius negant Euchariſtiam cauſare gratiam toto tempore, quo in ſtomacho perſeverat, etiamſi diſpoſitio augeatur, Sotus, *d.12. q.2. art.1.* Vaſquez, *diſp.* 203. *quaſt. 2. num.* 20. Ledeſma, Henriquez, Bonacina, quos citat, & ſequitur Hurtado, *diſp. 8. difficult.2.* Granado, *tract. 9. diſp.7* N. Cornejo, *dub. 4.* de la Cruz, *quaſt.4 dub. 1. concl. 2.* Filliucius, *tract.4. numer* 174. Layſius, *in ſuis ſelectis, centuria 1. dub.28.* & videtur Angelici Præceptoris D. Thomæ, *3. part. quaſt.80. art.8. ad 6.* ubi expreſſè docet, effectum hujus Sacramenti percipi in ipſa ſumptione, ex quo facilè infertur voluiſſe dicere, Euchariſtiam poſt ipſam ſumptionem nihil operari: Et ratio eſt, ut arguit N. Cornejo, quia gratia hujus Sacramenti non eſt promiſſa, niſi manducanti, & bibenti, ut patet Joann.6. ſed toto tempore, quo poſt comeſtionem Euchariſtia durat in ſtomacho, non manducatur, neque ſanguis bibitur: ergo tunc non cauſat gratiam. *Secunda & probabilior.*

14. Quarta difficultas eſt: An detur major gratia communicanti ſub utraque ſpecie panis, & vini, quam communicanti ſub una tantum, cæteris paribus ex parte diſpoſitionis ſumentium? Partem negativam, eamque valde probabilem tuentur Cajetanus, Scotus, Bellarminus, & plures alii, quos refert, & ſequitur Suarez, *diſp.63. §. Nihilominus,* Sylvius, *in 3. p. quaſt. 80. art.12.* Coninchus, *num.119.* Filiucius, *tract 4. num.* 172. Villalobos, *tract. 7. difficult.31. num 2.* Diana, *tom 3. tract. 6. reſol.97.* Gonet *diſp 8. art.4.* Herinx *diſp.7. q.3.* Steph. à S. Paulo, *dub. 9.* & favet D. Thomas, *Opuſc.48. cap. 29.* ubi ſic ait: *Sicut ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti Sacramentaliter de calice: Sic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti, & eſt eis tam utilis, & tam dulcis, ut Sacerdotibus, qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice.* Cant.1. *Botrus cypri dilectus meus mihi, duo ſunno in botro, uvam ſcilicet corpus Domini in cibum, & ex uva ſugo dulcem ſanguinem in potum.* *Quæſitum quartum. 1. Sententia.*

15. Partem vero affirmativam tenent Alenſis, *4. part. quaſt. 32. memb. 1. art.2.* Caſalius, *lib. 2. de cœna, & calice Domini*, Arboreus, Ricardus, quos citat, & ſequitur Vaſquez, *diſp. 122. cap.1.* Hurtado, *diſp.10. diffic 6.* Leander, *quaſt.25.* Bernal. *diſp.41. ſect 2.* Palaus, *punct.9. §.1.* Cardinalis Lugo, *diſp.12. ſect.3.* Et è N. Philip. à Sanctiſſ. Trinitat. *dub. 4.* Antonius, *ſect.4.* Orlandus, *n.63.* Cornejo, *dub. 2.* Franciſc. *diſp. 6. num. 13.* & favet Clemens VI. qui in bulla ad Regem Galliç conceſſit ei communionem ſub utraque ſpecie, addens Pontifex hoc concedere illi ad majoris gratiæ augmentum, ut refert Joannes Gualterus, in Tabu- *Secunda.*

CAPUT QUINTUM
De forma Sacramenti Euchariſtiæ.

CAPUT ISTUD QUATUOR COMPLECTITUR PUNCTA.

P. 1. *Utrum hæc ſit forma conſecrationis panis:* Hoc eſt corpus meum?

P. 2. *Quænam verba ſint de eſſentia formæ conſecrationis calicis?*

P. 3. *An verba conſecrationis dicantur à Sacerdote ſolum recitativè, an ſimul ſignificativè.*

P. 4. *Quid ſignificetur in hac forma per pronomen* Hoc, *&* per Hic?

PUNCTUM I.

Utrum hæc ſit forma conſecrationis panis: Hoc eſt corpus meum?

1. concluſio. 1. SOlum hæ quatuor voces *Hoc eſt corpus meum*, ſunt de neceſſitate, & eſſentia formæ conſecratiunis panis. Unde ſi Sacerdos eas duntaxat pruferat ſuprà debitam materiam cum debita intentione, perficit Sacramentum, licet ex alio capite peccet non ſervando ritum Eccleſiæ, non proferendo alia verba, quæ in Miſſali continentur. Ita communis Doctorum, & ratione id facile perſuaderi poteſt, quam tradit Catheciſmus Romanus agens de Euchariſtiæ conficiendæ formâ. Nam forma ea eſt, quâ illud ſignificatur, quod in hoc Sacramento efficitur: cum autem hæc ſola verba *Hoc eſt corpus meum*, id quod fit, ſignificent, ac declarent, hoc eſt panis converſionem in verum Chriſti Domini noſtri corpus, ſequitur in illis ipſis ſolis verbis formam conſtituendam eſſe.

Declaratur particula. 2. Sed declaremus ſingulas hujus formæ particulas. Prima particula eſt pronomen demonſtrativum *Hoc*, de quo infra *puncto* 4. agendum nobis erit. Modo tamen obſervandum eſt non poſſe fieri conſecrationem, ſi Sacerdos dicat: *Illud eſt corpus meum*: quia pronomen illud referri poteſt ad rem abſentem, ut optimè Sotus *in 4. diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 8. Suarez, *diſp.* 59. *ſect.* 2. Munteſinos, 3. *p. q.* 78. *artic.* 2. *q.* 4. Leander, *diſp.* 9. *q.* 17. Secus eſt, ſi dicatur: *Iſtud eſt corpus meum*: quia pronomen *iſtud*, rem præſentem oſtendit. Unde valide fieret conſecratio pronomine *iſtud*, licet non ſit diſcedendum à pronomine *Hoc*, quo uſus eſt Chriſtus Dominus, & quo in perſona Chriſti utitur Sacerdos. Ita Monteſinos, Leander *locis citatis*, & alii.

Quæſitum primum. 3. Petes primò: quid dicendum, ſi Sacerdos diceret *Hic eſt corpus meum*? Et certè ſi ſumatur adverbialiter *Hic*, non fieret conſecratio, quia ſenſus eſt longè diverſus, ut benè obſervant Monteſinos *loco cit.* & cum aliis Diana, *tom.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 77. Si vero particula *Hic* ſumatur loco pronominis, mutationem eſſe accidentalem, & non obſtare veritati conſecrationis tenent Granados, *tract.* 8. *diſp.* 5. *n.* 2. Suarez, *diſp.* 59. *ſect.* 2. Diana *loco cit*, & cum multis Bonacina *diſp.* 4. *q.* 3. *puncto* 1. *n.* 7. ubi inquit, idem dicendum eſſe, ſi quis diceret: *Hic eſt corpus meus*, vel *Hic eſt corpum meus*: quia ſubſiſtit adhuc eadem ſignificatio, licet error committatur contra regulas grammaticales: ſicut ille, qui baptizavit in nomine *Patrias*, &c.

Secundum. 4. Petes ſecundò: quid dicendum, ſi Sacerdos diceret *Ecce corpus meum* in nomine Chriſti? Certum eſt, ad minus rem eſſe dubiam, & quod graviter peccaret talis Sacerdos, ut bene docet Suarez, imò ſibi certum videri quod ea mutatio ſit ſubſtantialis varians ſubſtantialem ſenſum formæ, ac proinde, quod non conficeret Sacramentum, ait Ioannes Gonzales, *diſp.* 17. *de forma hujus Sacramenti*, *ſect.* 1. quia pronomen *Hoc* multo aliter oſtendit contentum ſub ſpeciebus, quam illa particula *Ecce*, pronomen enim *Hoc* demonſtrat per modum ſubſtantivi, non tamen illa particula *Ecce*, & non valere conſecrationem, docent Fagundez, *præcepto* 3. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 15. Bonacina ubi ſupra, *num.* 16. quod nobis magis placet, ut placuit Patri Suarez contra Leandrum *diſp.* 9. *q.* 9.

Ex poſitione particulæ. 5. Secunda particula ejuſdem formæ eſt copula *Eſt*, & convenienter ponitur: quia converſio fit in inſtanti, & per verba formæ ſignificatur in facto eſſe ipſum Sacramentum. Ex quo colligitur, quod licet hæ propoſitiones ſint veræ *iſte panis convertitur, tranſmutatur, transfertur in corpus meum*; non tamen ſunt forma validæ conſecrationis: & idem eſt, ſi dicatur *hoc convertitur, aut fit corpus meum*. Unde præter quam, quod eſſet grave peccatum uti his verbis ad conſecrandum, non fieret conſecratio: quia converti, tranſmutari, ferri, aut fieri ſignificant viam ad eſſe corporis Chriſti: forma autem conſecrationis debet ſignificare corpus Chriſti, & non quomodocumque ſed in facto eſſe, & ut permanens ſub ſpeciebus. Ita Joannes Gonzalez, Monteſinos citati, & alii.

Illatio. 6. Similiter non conficeret Sacramentum Sacerdos, ſi diceret: *Conſecro, conficio corpus meum*, vel *Hoc fit corpus meum*: quia omnia hæc verba non ſignificant effectum permanentem; & de ratione huius Sacramenti eſt, quod ſit permanens, atque adeo non rectè ſignificatur per illa verba; ſed pro copulam *Eſt*. Secus eſt in aliis Sacramentis, quæ conſiſtunt in fieri, quorum forma datur per verba, quæ ſignificant actionem, aut fieri, ut *Ego te baptizo: Ego te abſolvo, &c.* Ira Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 16. Suarez, *diſp.* 59. *ſect.* 2. Bonacina *diſp.* 4. *q.* 3. *puncto* 1. Layman, *tract.* 4. *cap.* 3. Palaus *diſp. unica, puncto* 7. & cum aliis Leander, *diſp.* 9. *q.* 12. *&* 13.

Quæſitum. 7. Sed quid dicendum, ſi ablato verbo *Eſt*, dicat Sacerdos: *Accipite, & comedite hoc corpus meum*? Reſpondetur dicendum non fieri conſecrationem: quia dicta verba ſolum ſignificant uſum, & collationem Sacramenti. Euchariſtia autem non conſiſtit in uſu, aut collatione.

Digitized by Google

ne, cum hæc jam ſupponant ipſum Sacramentum eſſe. Ita Suarez, Henriquez, Bonacina, & Monteſinos *loc. cit.* & alii.

Particula corpus declaratur. 8. Tertia particula eſt *Corpus*: ponitur autem in verbis formæ corpus ad ſignificandum, quod ex vi verborum non ſit tota humanitas, ſed ſolum corpus Chriſti, & propter repræſentationem ſeparationis corporis à ſanguine Chriſti in paſſione.

Quæſtio 1. ſententia. 9. Sed dubium eſt, an fieret conſecratio his verbis: *Hæc eſt caro mea.* Negant Mercerus *q* 78. *art.*2. Pitigianus *in* 4. *ſent. tom.* 1. *diſt.*8. *quæſt.* 2. *art.*5. Palacios ibidem, *diſp.*3. Coninch. *q.*78. *art.*3. *num.*38. Præpoſitus ibidem, *dub.*2. *n.*21. Gabriel, *lect.*38. quia caro non ſignificat idem, quod corpus, cum corpus dicat aliquid conſtans carne, oſſibus, nervis, &c. Et in hanc ſententiam inclinat Suarez, *ſect.* 2. Valde tamen probabile eſt, quod dictis verbis fieret validè conſecratio: quia Joan. 6. dum Chriſtus promitteret inſtitutionem Euchariſtiæ, non ſemel utitur nomine *Carnis*: *Caro mea verè eſt cibus, qui manducat meam carnem, &c.* & in hymno canit Eccleſia, *Verbo carnem efficit*, & hæc vox *Caro* per ſynodochen etiam ſumitur prout comprehendit oſſa, & nervos, ut Pſal. 5. *Caro mea requieſcet in ſpe.* Et ita affirmativam ſententiam docent Eſtius, *in* 4. *diſt.*8. §. 11. de la Cruz *p.*2. *q.*2. *dub.* 1. *concl.*1. Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 16. *n.* 2. *littera* O. Granado *tract.*8. *diſp.* 5. *num.*5. quos refert & ſequitur Diana *tom.* 5. *tract.*14. *reſol.*76. Araujo, *q.*78. *dub.*1. Mutationem tamen in nomen carnis fore grave peccatum docent Monteſinos *loc. cit.* Filliucius, *cap.* 4. Alenſis, *quæſt.* 33. *membro* 3. *art.*3. Gabriel *lect.*8. *canon.* & alii.

2. Sententia. 10. De his autem verbis: *Hæc eſt ſubſtantia mea*, rectè reſolvit Suarez *loc. cit.* quod illis non fieret conſecratio: quia ſubſtantia eſt nomen valde commune, & ita etiam docent Monteſinos, & Leander citati, & Fagundez, *præcept.* 3. *lib.*2. *cap.*6.

Particula meum enucleatur. 11. Quarta particula eſt pronomen *Meum*, quod ponitur in forma conſecrationis, eo quod corpus de ſe erat commune ad Corpus Chriſti, & ad alia corpora: per hoc autem, quod dixit Chriſtus, & dicit Sacerdos in nomine ipſius, *Meum*, determinatur, & ſignificatur corpus Chriſti, & non aliud eſſe ſub ſpeciebus.

Dubium 1. Sententia. 12. Sed quid dicendum: ſi aliquis loco pronominis *Meum*, diceret *Chriſti*, eſſetne conſecratio his verbis: *Hoc eſt corpus Chriſti?* Negant Henriquez, *num.*6. Suarez, *ſect.*2. Coninchus, *num.*39. Bonacina, *num.* 11. Fagundez *n.*22. Layman, *cap.*3. Palaus, *num.*2.

Suadetur. 13. Probat id Suarez: quia Sacerdos ſic dicens, falſum affirmaret, referret enim Chriſtum dixiſſe: *Hoc eſt corpus Chriſti*, & tamen Chriſtus non dixit, ſed hoc eſt corpus meum. Et confirmat Palaus: quia non in perſona Chriſti, & Chriſtum repræſentans, Sacramentum conficeret; ſed relativè ſe haberet, quod inſtitutioni obſtat.

2. Sententia. 14. Verum Joannes Gonſalez, *ſect.*1. aſſerit, quod licet miniſter ille non rectè faceret, tamen factum teneret. Et ad rationem in oppoſitum dicit, quod ille Sacerdos non diceret falſum: quia illæ duæ propoſitiones æquipollent: unde quantum ad rem ſignificatam nõn eſſet differentia; & hoc ſufficit, ut qui refert, verum dicat. Et ad confirmationem conſequenter reſponderet, quod Sacerdos etiam in perſona Chriſti poteſt dicere: *Hoc eſt corpus Chriſti*, ſicut *Hoc eſt corpus meum.*

15. Nobis tamen videtur cum Monteſino *loc. cit.* quod res iſta ſit valdè dubia: & ideò ex una parte graviter peccaret Sacerdos utens his verbis: ex alia verò ſi ſemel dixiſſet, poſitis aliis requiſitis, non auderemus dicere, quod hoſtia illa haberetur, ut panis communis, & hoc propter dicta, *n.*14. Primò, quia D.Th. *in* 4. *diſt.*8. *q.* 2. *art.*1. *quæſtiunc.*4. *ad* 4. inquit *Dicitur convenientius Hoc eſt corpus meum, quam Hoc eſt corpus Chriſti.* Non dicit eſſe neceſſarium, ut dicatur *Corpus meum*; ſed convenientius. Secundò: quia potuit Chriſtus de ſe ipſo loqui in tertia perſona: *Hoc eſt corpus Chriſti*, idemque ſignificaret, atque efficeret, ac dicendo: *Hoc eſt corpus meum.* *Concluſio.*

16. Petes: an validè conſecraret Sacerdos dicens: *Hoc eſt corpus meum.* utendo N. pro *M.* Reſpondetur affirmativè cum Soto *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.*8. ubi ſic ait: *Sunt autem pejores, quam ſcrupuloſi, & moroſi, qui putant, ſi pro meum finali* M. *dicant meun per* N. *non conſecrare: eſt enim deridendus ſcrupulus. Hiſpanè enim egrè proferimus* M. *in fine. Imò ſi pro* eſt *velocitate linguæ dicatur, es, nullus exurgere debet ſcrupulus quoniam* T. *poſt* S. *in fine difficile etiam Hiſpani proferunt. Ex accommodatione enim uſus ſervatur legitimus ſenſus: ſicuti in balbutientibus.* Ita etiam in ſimili Diana 2. *p. tract.* 17. *reſol.* 14. dicens: *Non obſtare validæ conſecrationi calicis, ſi Sacerdos dicat, hic eſt enim calis,* S. *pro* X. *utendo*: quia illa littera S. ex communi modo concipiendi non tollit ſignificationem ſubſtantialem: quia quatenus profertur in ipſo actu, & forma conſecrationis vini, ſignificat calicem ex communi modo percipiendi. Ita in ſimili etiam Henriquez, *lib.* 1. *cap.*9. dicens: *Idem eſſe dicendum ſi quis* Z. *pro* S. *proferat, ut zanguinis pro ſanguinis: nam quidam Hiſpani ſic proferunt.* *Quæſitum.*

17. Addit verò Sotus ubi ſupra: *Imò quamvis non adhibeatur diligentia proferendi* M. *finale in meum, vel ſi fortè non proferatur* T. *in verbo eſt, nullam profectò vem culpam incurri: Deus enim non eſt ferendo jam iſtarum minutiarum obſervator.* Ita Sotus. Et à mortali ſaltem in ſimili excuſant ſecluſo ſcandalo, & contemptu, Diana *loco cit.* Pitigian. *in* 4. *diſt.* 1. *q.*2. *art.*4. Leander, *diſp.*9. *q.* 20. *Quæ culpa ſit omittere M. in proferendo Meum.*

18. Circà particulam *enim*, quæ ponitur in utraque forma conveniunt omnes cum D. Th. 3. *part. quæſt* 78. *art* 2. *ad* 5. quod non ſit de eſſentia: undè ſinè illa validè fieret conſecratio: illam autem omittere, non excederet culpam venialem, ſi ex oblivione, aut negligentia omitteretur. Sic Suarez, *diſp* 59. *ſect.*1. Coninchus, *dub.*2. *n.*37. Bonacina, *diſp* 4. *q.* 3. *punct.*2. *num.*10. Palaus, *num.* 1. & alii. *Particula enim non eſt de eſſentia.*

PUNCTUM II.

Quænam verba ſint de eſſentia conſecrationis calicis?

19. PUnctum hoc celebre eſt in hac materia, in quo tamen conveniunt omnes. Primò: illa verba: *Hic eſt calix ſanguinis* *In quo conveniant Doctor. & in quo verſetur diſſenſio, cultas.*

mei; vel *Hic eſt ſanguis meus* eſſe de eſſentia hujus formæ. Secundò: verba antecedentia *Accipiens hunc præclarum calicem, &c.* particulam *enim*, & verba ſubſequentia *Hæc quotieſcumque feceritis, &c.* non eſſe de eſſentia. Tertiò: non poſſe à nobis prætermitti ſinè gravi crimine aliquam particulam ex iſtis *Hic eſt calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: prout habetur in Miſſali Romano. Unde ſolum eſt difficultas, & controverſia non parva, utrum cætera omnia dicta verba ultra *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſint de eſſentia formæ?

1. Sententia. 20. Negativam ſententiam tenent Alex. Durandus, D. Bonav. Cajetanus, *art.* 3. Suarez *diſp.* 60. *ſect.* 1. Bellar. *lib.* 4 *cap.* 14. & alii plures tam ex antiquis, quàm modernis, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 3. *dub.* 6. Franciſc. B. Spei *diſp.* 3. *num.* 13. Herinx, *diſp.* 2. *num.* 71. Idem docuerunt Sotus *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 3. Salmeron, *tom.* 4. *tract.* 15. N. Gabriel *diſp.* 12. *quæſt.* 2. Wiggers 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 3. Auguſtinus à V. Maria *de Sacram. diſp.* 9 *quæſt.* 1. Joannes à S. Thom. &c. Differunt tamen hi Doctores à præcedentibus, quod iſti dicant cætera verba ita eſſe accidentalia formæ, ut ad eam non pertineant, niſi ad ſummum ad majorem explicationem ejus. Hi verò aſſerunt, quod licet non ſint de neceſſitate, & eſſentia formæ, ſunt tamen de ejus integritate ſubſtantiali, ſicut ſatisfactio eſt de integritate pœnitentiæ, & manus de integritate hominis.

21. Moventur primò: quia ſola iſta verba *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſignificant totum effectum ſacramentalem, hoc eſt, converſionem vini in ſanguinem Chriſti, & realem ipſius præſentiam ſub ſpeciebus vini, & ſola ipſamet cauſant talem effectum: quia verba formæ ſacramentalis, id cauſant, quod ſignificant: ergo ſola illa ſunt de eſſentia formæ: cum ea dumtaxat verba de eſſentia formæ Sacramentalis ſint, quæ neceſſaria ſunt ad
1. Ratio pro illa. ſignificandum, & cauſandum effectum Sacramenti.

22. Secundò, quia proprietates naturaliter conſequuntur eſſentiam rei: ſed illud, quod conſequitur eſſentiam, non poteſt eſſe factivum tranſſubſtantiationis: ergo cum illa verba quæ ſequuntur *Novi*, ſcilicet, *& æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, &c.* deſignent aliquas proprietates ſanguinis, in quem fit tranſſubſtantiatio, videtur, quod non ſint de eſſentia formæ.

23. Tertiò: quia cætera verba ſolum ponuntur ad explicandum effectum Sacramenti
Secunda. ſanguinis: ſed effectus non eſt de eſſentia Sacramenti, ut patet: ergò neque verba, quibus effectus ſignificatur, ſunt de eſſentia formæ Sacramenti.

24. Quartò: quia non omnia verba, quæ ponuntur in canone *Hic eſt calix, &c.* ſunt de eſſentia formæ. Ex quo cum non ſit major ratio unius particulæ, quam alterius, loquendo
Tertia. de illis ſequentibus ad illa verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſequitur, quod ſola illa priora verba ſint de eſſentia. Quod autem non omnia illa verba ſequentia ſint de eſſentia formæ multipliciter probatur. Primò ex teſtimoniis Evangeliſtarum: quia nullus illorum, neque omnes
ſimul referunt omnia illa verba, cum tamen *Quarta.*
difficilè eſſet, quod omnes omiſiſſent aliquod verbum ex his, quæ ſunt de eſſentia. Secundò: quia eodem modo ſe habent illa verba, *quod pro vobis tradetur* ad formam conſecrationis panis, ſicut illa verba, *qui pro vobis effundetur* ad formam conſecrationis vini: quia eodem modo ſicut iſta determinant illud prædicatum *ſanguinis*, illa determinant illud prædicatum *corpus*: ergo non eſt major ratio quare iſta ſint de eſſentia potiùs, quam illa. Tertiò quia illa particula *effundetur* non dicitur à Sacerdote, niſi ſolum recitativè, quia eſt de futuro: ſed verba, quæ ſunt de eſſentia conſecrationis dicuntur à Sacerdote non tantum recitativè, ſed etiam ſignificativè in perſona Chriſti: ergo illa particula non eſt de eſſentia. Quartò: quia in Lyturgiis D. Jacobi, Baſilii, atque Chryſoſtomi non habetur particula *æterni*, neque particula *myſterium fidei*, & Concilium Colonienſe tradens formam conſecrationis calicis, non ponit illam particulam, *myſterium fidei*. Et Clemens Papa VIII. *Conſtitutionum Apoſtolic. cap.* 12. *alias* 17. in Lyturgia non ponit illam particulam *æterni*, neque *myſterium fidei*: ergo iſta verba non ſunt de eſſentia formæ, aliàs non conſecrarent non ſolum moderni Græci, ſed neque antiquiores Patres Baſilius, Chryſoſtomus, imò neque Jacobus Apoſtolus: quia credendum eſt illos juxta formam ſuarum Lyturgiarum ſacra feciſſe. Hoc autem conſequens quis non videat eſſe magnum abſurdum? Quintò potiſſimè, & efficaciter, ut putant contrarii: quia in variis Lyturgiis, quibus Maronitæ utuntur: ſolum habentur hæc verba: *hic eſt ſanguis meus*, ergo reliqua nullo modo ſunt de eſſentia; *Unde ſatius diceretur D. Thomam aliter ſenſurum ſi has Lyturgias legiſſet, quas non vidiſſe perſpicuum eſt: cum nullam illarum fecerit mentionem*: ita P. Herinx *de Euchariſt. diſp.* 2. *num.* 70.

25. Nihilominus dicendum eſt primò: non ſolas has voces *Hic eſt calix ſanguinis mei*, aut *Hic eſt ſanguis meus* eſſe de neceſſitate, & eſſentia formæ conſecrationis calicis. Ita D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 3. & *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 2. Ubi dicit omnia illa verba eſſe de ſubſtantia formæ calicis: idem autem eſt apud illum eſſe de ſubſtantia, ac de eſſentia tum hic, tum aliis in locis *v.g. q.* 60. *art.* 8. ut latè probant Labat, Gonet, Araujo. & clarius ſuper primam ad Cor. cap. 11. *lect.* 6. ubi ſic ait: *Circa iſta verba, quibus Eccleſia utitur in conſecratione ſanguinis, quidam opinantur, quod non omnia ſint de neceſſitate formæ; ſed ſolum quod dicitur hic eſt calix ſanguinis mei, non autem reſiduum, quod ſequitur; ſed hoc non videtur convenienter dici*: idem autem eſt eſſe aliquid de neceſſitate formæ, & eſſentiale formæ, ut patet: ergo, &c. S. Doct. ſequuntur, Capreolus, ibid. Deza, ibid. Richard. N. Baconius, Paludanus, Herbeus, D. Antoninus, Sylveſter, Pet. de Soto, Henriquez, Armilla, Gonzales, N. Cornejo, *diſp. unic. dub.* 1. Viguerius, Spina, Thomas Pius, Deza, Lorca, quos ref. & ſequitur Thomas Hurtado, *Variarum Reſolut. tract. ultim. reſol.* 8. §. 2. Araujo, 3. *part. q.* 78. *artic.* 6. *dub.* 1. Labat. *de Euchariſt. dub.* 11. §. 2. Gonet *diſp.* 7. *art.* 2. & alii, pro ſecunda aſſertione referendi; non determinando modo an

Concluſio 8.

cæteræ

cæteræ omnes voces ſint de eſſentia formæ explicitè prolatæ, vel ſaltem implicitè, & virtualiter in aliis ex ſequentibus.

Firmatur 1 26. Probatur primò: quia Innocentius III. in cap. *cum Marthæ, de celebratione Miſſarum*, ait: *Credimus igitur, quod formam verborum, ſicut in canone reperitur, & à Christo Apoſtoli, & ab ipſis eorum acceperint ſucceſſores.* Et in Catechiſmo edito juſſu, & approbatione Pii V. ubi ut certa, & indubitata traditur iſta aſſertio: nam cum eſſet Sermo de forma calicis dicitur. *Certè tenendum eſt formam conſecrationis vini his verbis contineri, &c. De qua forma nemo dubitare poteſt.* Neque reſponderi poteſt mentem Pii V. non eſſe quod omnibus illis verbis eſſentialiter forma comprehendatur: quia expreſsè S. Pontifex, teſt. Araujo, Gonet, labat & aliis expungi & corrigi juſſit commentaria Cajetani aſſerentis: non omnia verba eſſe eſſentialia formæ.

Suadetur 2 27. Secundò: quia in ipſiſmet teſtimoniis Evangeliſtarum, Lyturgiarum, Græcorum, Concilii Colonienſis, & Clementis Papæ, quæ in ſui favorem adducuntur ab authoribus oppoſitæ ſententiæ, forma conſecrationis vini non complectitur tantum hæc verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Nam Matthæi 26. dicitur: *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, & Marci 14. *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur*, & Lucæ 22. *Hic eſt calix Novum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur.* In Miſſa Sancti Jacobi Apoſtoli fratris Domini, quæ habetur *tom. 6. Bibliothec. Patrum* dicitur: *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum.* In Lyturgia S. Baſilii, qua utuntur Græci, quæ ibidem habetur: *Iſte eſt ſanguis meus ille Novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & expargitur in expiationem culparum, & remiſſionem peccatorum, atque in vitam æternam.* In Lyturgia S. Joannis Chryſoſtomi, quâ Græci etiam communiter utuntur. *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum.* In Miſſa, quâ Mozarabes in Hiſpania uſi ſunt, compoſita à Sancto Leandro, vel Iſiduro, quæ habetur *in tom. 2. Actuaru Bibliothecæ Patrum* verſus finem, in Miſſa S. Jacobi, forma hæc eſt: *Hic eſt calix Novi Teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In quibus omnibus, ſicut in Concilio Colonienſi, & Clemente Papa ſolum omittuntur ex his, quæ ſunt in Miſſali Romano illæ particulæ *æterni*, & *myſterium fidei*, quæ ut docet D. Thom. *art. 3. in ſolut. ad 9.* habentur ex Domini traditione ad Eccleſiam per Apoſtolos derivata: ſecundum illud Corinth. 11. *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Et in dictis teſtimoniis inveniuntur cætera, quæ ſunt in Miſſali Romano, & in quibus dictæ particulæ *æterni*, & *myſterium fidei* virtualiter, & implicitè continentur, ut dicemus aſſertione ſequenti: ergo non eſt dicendum, quod ſola illa verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei* ſunt de eſſentia hujus formæ. Patet conſequentia: quia de inſtitutione Chriſti non poteſt nobis conſtare, niſi ex his, quæ referunt Evangeliſtæ, vel ex his, quæ tradiderunt nobis Apoſtoli, vel ex uſu Eccleſiæ tam Græciæ, quam Latinæ: cum ergo forma conſecrationis calicis tam ab Evangeliſtis relata, quam ab Apoſtolis tradita, quam etiam ab Eccleſia tam Græca, quam Latina uſu recepta, detur nobis non ſub illis tantum verbis: *Hic eſt ſanguis meus*; ſed ſub aliis etiam dictis ſimul junctis, ſequitur quod non ſolum verba illa priora habentur pro forma ex inſtitutione Chriſti; ſed etiam alia dicta ſuperaddita ſequentia. *Evaſio.*

28. Dices, colligi ex inſtitutione Chriſti ſola illa verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *hic eſt ſanguis meus* ad eſſentiam formæ ſufficere ex regula infallibili ab omnibus recepta in materia de Sacramentis, nimirum verba formæ Sacramentorum novæ legis id efficere, quod ſignificant: cum ergo priora illa verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel *hic eſt calix ſanguinis mei* ſeorſum ſumpta ſignificent converſionem vini in ſanguinem Chriſti, ſequitur quod illa ſola illam efficiant.

Præluditur. 29. Sed contra: quia aliud eſt loqui de ſenſu veluti ſpeculativo, ſeu grammaticali verborum; aliud verò de ſenſu practico, quatenus ex inſtitutione Chriſti elevantur ad ſignificandum practicè, & efficiendum talem effectum, ut conſtat in forma Baptiſmi, in qua ſi ſenſum quaſi ſpeculativum, & grammaticalem attendas, ſola priora illa verba *ego te baptizo* videntur ſignificare effectum hujus Sacramenti, nempe ablutionem à ſordibus animæ: ſi verò ſignificationem practicam, & effectivam, quam habent ex Chriſti inſtitutione, attendas, ſola illa verba non ſignificant effectum Baptiſmi, niſi determinentur per illa ſequentia *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quia hæc ſignificatio practica, & effectiva non pendet ex verbis ſecundum ſe, ſed ex Chriſti inſtitutione. Ex qua tamen priora illa verba, niſi per alia ſequentia determinentur, non ſignificant ablutionem animæ. Sic ergo dicendum in noſtro propoſito: & ita debet intelligi, D. Thom. *art. 3.* cum inquit: quod omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ: priora autem ſignificant converſionem, ſequentia vero virtutem ſanguinis effuſi, &c. Loquitur enim de prioribus verbis, ut determinatis per verba ſequentia, quæ ut dicit: *pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis*, non materialem, ſed eſſentialem. Expreſsè enim D. Ang. docet, ut *n.* 37. dicetur: reliqua eſſe eſſentialia ſanguini prout hic conſecratur: ſi ergo ſanguis ſit de integritate eſſentiali, idem de reliquis dicendum eſt.

Ratione roboratur concluſio. 30. Tertiò probatur ratione deſumpta ex D. Thom. quam ſic benè efformat Araujo. Sacramenta novæ legis inter alia habent, quod ſint ſigna, quibus fideles proteſtamur, & exprimimus bona ſpiritualia per Chriſtum nobis à Deo collata: ergo oportuit inſtitui in nova lege aliquod Sacramentum, in cujus forma eſſentiali proteſtemur, & exprimamus noſtram ſalutem abundantiſſimè, & perfectiſſimè, provenire nobis à virtute paſſionis Chriſti, ut de facto provenit, ſicut inſtitutum fuit de facto aliquod Sacramentum, nempe Baptiſmus, mediante cujus forma eſſentiali proteſtamur, & exprimimus Trinitatem divino-

rum perſonarum ad ingreſſum in Eccleſiam: ſed hujuſmodi Sacramentum eſt Euchariſtia inſtitutum ſpecialiter in recordationem paſſionis Chriſti: ergo oportuit, ut ejus eſſentialis forma exprimeret virtutem paſſionis: cumque hæc uirtus non exprimatur in ſolis illis verbis *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei*, niſi aliis adhibitis, per quæ priora determinentur, ſequitur dicta verba; ut ſint de eſſentiali forma hujus Sacramenti; per ſubſequentia non debere determinari & hoc non exigitur in forma Sacramenti corporis: quia per corpus non ſignificatur ita expreſsè, conſummatè, & completè paſſio Chriſti, ſicut per ſanguinem ſeparatum à corpore: effuſio enim ſanguinis eſt paſſionis conſummatio.

Secunda Concluſio. 31. Dicendum eſt 2. ſicut particula *ego* in forma baptiſmi, vel Pœnitentiæ eſt de eſſentia formæ, non tamen eſt de eſſentia, quod explicitè ponatur: quia poteſt ſubintelligi in verbo *baptizo*, ſeu *abſolvo*: ſi tamen ponatur, ſicut reverà ponitur juxta communem uſum, eſt de eſſentia formæ, ut pars ejus eſſentialis; quæ ſimul cum aliis concurrit ad effectum Sacramenti, ut latè docet Vaſq. agens de hujuſmodi formis, & optimè probat N. Cornejo, *diſp. unic. de forma Conſecrationis Calicis*, *dub.* 3. ſic in noſtro propoſito omnia illa verba *Hic eſt calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum* ſunt de eſſentia formæ conſecrationis calicis, tamen non eſt de eſſentia ejus, quod omnes, & ſingulæ ejuſmodi particulæ explicitè ponantur: quia poteſt una ſubintelligi in altera, non ſecus quam ly *ego* ſub intelligitur in illo verbo *baptizo*: v.g. in illa particula *novi teſtamenti* poteſt ſub intelligi particula *æterni*: quia novum teſtamentum, ut ait D. Th. *art.* 3. *ad* 3. ſignificat diſpoſitionem hæreditatis æternæ. Ita Joan. Gonzàlez *ſect.* 2. *concl.* 2. dicens ita docuiſſe in Schola Salmantina ſapientiſſimum Magiſt. Joan. Vincentium Aſturicenſem, & illam poſteà ſecutos fuiſſe plures ex modernis Thomiſtis. Quam etiam inſinuat Armacanus, *l.* 3. *de quæſt. Armenor. c* 3. *&* 4. atque ita ibidem intelligit D. Th. aſſerentem omnia prædicta verba eſſe de ſubſtantia, & eſſentia formæ, nimirum, vel formaliter, & expreſsè, vel ſaltem implicitè, & virtualiter, & reſolutionem hanc optimam eſſe aſſerit cum quibuſdam doctiſſimis Magiſt. Labat. *diſp.* 4. *dub.* 11. ex hypotheſi quod Eccl. Græca ſemper tres illas particulas omiſerit. Et pro eadem aſſertione ſunt N. Cornej. *dub.* 2. *n.* 4. Et N. Philippus à SS. Trin. *diſp.* 6. *dub.* 4. & ſequunturplures moderni.

Præcipuum pro ea fundamentum. 32. Præcipuum hujus ſecundæ aſſertionis fundamentum eſt: quia juxta eam convenienter cohærent ſententia D. Th. & valida conſecratio, quâ uſa eſt Eccleſ. Græca, & quâ etiam uſi ſunt Hiſpani in Miſſâ Mozarabe, & quam tradiderunt D. Jacob. & D. Marcus, in ſuis Lyturgiis, quæ habentur *tom.* 6. *Bibliothecæ*, ubi non ſunt illa tria verba formàliter, & expreſsè *æterni*, & *myſterium fidei*, & tamen dubitari non poteſt per prædictam formam fieri conſecrationem, ad quod ſufficit, quod illa tria verba includantur virtualiter in aliis, ut in ſolutione quarti argumenti explicabimus.

33. Contra eam tamen ſentiunt Paludan. *in* 4. *diſt.* 8. *art.* 1. aſſerens Græcos non conſecraſſe reverà, quia non apponebant omnia verba, quæ ſunt de neceſſitate formæ (quod quidem durum eſt aſſerere) & Capreolus, ibid. *q.* 1. *art.* 3. *in ſolutione ad.* 4. ubi ait, quod ſi Græci conſecrabant, id erat ex ſpeciali diſpenſatione à Deo facta, (quod videtur voluntariè dictum, cum de tali diſpenſatione non conſtet) & alii aſſerentes omnia illa verba, quæ ſunt in Miſſali Romano expreſsè prolata, eſſe de eſſentia formæ. *Sententia oppoſita. 2. Concl.*

34. Fundantur primò: in uſu, & praxi Eccleſiæ Romanæ, quæ ſcribit omnia illa verba litteris majuſculis, & jubet ea eodem modo proferri, & non proponit calicem adorandum, quouſque omnia ſint prolata: ergo omnia expreſsè ſumpta ſunt de eſſentia formæ. *Probatur.*

35. Reſpondetur Eccleſiam Romanam ſcribere omnia illa verba litteris majuſculis, non quia determinet omnia illa formaliter tantum, & expreſsè accepta eſſe de eſſentia formæ; ſed primò; quia certiſſimè illis ſic acceptis fit conſecratio in omni opinione. Secundò: quia Chriſtus Dominus in inſtitutione Sacramenti illis omnibus uſus eſt. Tertiò: quia omnia præter particulas *æterni*, *& myſterium fidei*, ex diverſis locis S. Scripturæ colliguntur, nec non dictæ particulæ *æterni*, *& myſterium fidei*, ex traditione Dominica habentur, quæ per Apoſtolos ad Eccleſiam pervenit. Eodem verò modo jubentur proferri etiam illa tria verba *æterni*, *& myſterium fidei*: quia eorum expreſſa, & formalis prolatio eſt convenientior, & quia dum ſic proferuntur, concurrunt phyſicè, ſicut alia ad converſionem vini in ſanguinem Chriſti. Non proponit autem Eccleſia ſanguinem adorandum, quouſque dicantur omnia ea verba. Tum quia ſunt opiniones, quæ verba ſint de eſſentia formæ, & res eſt omninò certa citrà controverſiam, quod omnibus dictis fit vera conſecratio. Tum etiam quia ultima verba. *qui pro vobis effundetur*, *&c.* ſunt de eſſentia formæ. *Occurritur huius ſententiæ fundamento.*

Secundò: tum quia D. Th. abſolutè docet omnia verba eſſe de ſubſtantia formæ: tum quia ſi particulæ iſtæ æterni, myſterium fidei, ab eſſentiali forma calicis excluderentur quia in aliquorum Lyturgiis non habentur, aliæ pariter excludendæ erunt, cum in Lyturgia Æthiopum non habeantur particulæ *Novi Teſtamenti*, nec in Miſsâ Mozarabum iſtæ, *in remiſſionem peccatorum*: Ita Gonet *num.* 48.

Reſpondetur: ad 1. D. Thom. docere quidem omnia verba eſſe de ſubſtantia formæ prout authores pro ſecunda concluſione citati, & nos docemus: ſed nullibi docere omnia explicitè, ſeu expreſsè prolata eſſe de ſubſtantia formæ, imo contrarium potius inſinuare, *art.* 3. *ad* 3. ut diximus *num.* 39. *&* 38. dicemus.

Ad 2. Reſpond. ideo illas particulas excludi ab explicita forma quia non continentur in aliquibus Lyturgiis & implicitè ſignificantur & continentur in aliis, quod de omnibus affirmari non poteſt: quidquid ſit de paucis aliis particulis, quæ omitti dicuntur in aliquibus ſed pauciſſimis Lyturgiis, & facilè in aliis ſignificari & includi poſſunt: à Lugone tamen & aliis hæ particulæ *in remiſſionem peccatorum*, in Miſsâ Mozarabum adduntur: & meritò dubitant alii an illa Æthiopum Lyturgia authentica ſit & illa verba *Novi Teſtamenti* non contineat:

unde

unde patet non benè à P. Gonet ut putat confutatam eſſe ſententiam N. Philippi à SS. Trin. & P. Cornejo qui latius legi poterit.

1. Sententiæ argumenta enervantur. Diluitur 1. 36. Supereſt, ut ad argumenta à *n.* 21. & deinceps adducta, quę militant contra primam aſſertionem, reſpondeamus. Ad primum patet ex dictis ſupra *n.* 29. illa verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *Hic eſt ſanguis meus*, loquendo de ſignificatione practica, & effectiva quam habent ex Chriſti inſtitutione, non ſignificare converſionem vini in ſanguinem, niſi ut determinata per verba ſequentia, licet in ſenſu ſpeculativo, & grammaticali ſola illa videantur ſignificare hunc effectum.

2. Solvitur 37. Ad ſecundum reſpondet pro nobis optimè D.Th. *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *in ſolut. ad* 3. his verbis: *Dicendum, quod quamvis illa, quæ ſequuntur, ſint, ut proprietates conſequentes Chriſti ſanguinem in quantum hujuſmodi, ſunt tamen eſſentialia ſanguini Chriſti in quantum eſt per paſſionem effuſus, non autem ſeorſum à corpore conſecratur ſanguis Chriſti, ſicut nec aliæ partes ejus, niſi pro eo, quod eſt in paſſione effuſus: & ideò illa, quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia ſanguini, prout in hoc Sacramento conſecratur: & ideo oportet, quod ſint de ſubſtantia formæ.*

3. Enodat. 38. Ad tertium dicendum, quod licet effectus Sacramenti extrinſecè ſe habeat ad Sacramentum, virtus tamen cauſativa effectus per ſe, intrinſecè pertinet ad illud: & quia hæc in Euchariſtia habet dependentiam à paſſione, & effuſione ſanguinis Chriſti, expediens fuit, ut in forma conſecrationis vini explicaretur.

4. Evertitur, & ejus impugnat. dejiciuntur 39. Ad quartum reſpondetur, omnia dicta verba eſſe de eſſentia formæ, vel formaliter, & expreſsè; vel ſaltem implicitè, & virtualiter, ut in aſſertione ſecunda dictum eſt. Et ad primam impugnationem dicendum in Evangeliſtis omnia illa verba reperiri, ut *n.* 27. viſum eſt, præter illas particulas *æterni*, & *myſterium fidei*, quas habemus ex traditione Apoſtolica, & quæ in aliis virtualiter, & implicite continentur, & ſubintelliguntur: particula enim *æterni* ſubintelligitur in illis verbis, *novi teſtamenti*, quod ſignificat diſpoſitionem hæreditatis æternæ, & illæ particulæ *myſterium fidei*, ſufficienter ſubintelliguntur in illis, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Etenim, ut inquit N. Cornejo, myſterium fidei poteſt exponi dupliciter. Primò ut denotet Euchariſtiæ myſterium ſola fide percipi, & hoc ſufficienter declaratur illis verbis, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur, &c.* Quibus oſtenſis ad ſenſum accidentibus vini, aſſeritur ſub illis eſſe ſanguis Chriſti effundendus. Alio modo poteſt exponi ab effectu, ut ſignificet juſtificationem hominum eſſe ex fide hujus Sacramenti: quod ſatis ſufficienter exprimitur per ea verba, *qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Convenientius tamen eſt expreſsè, & formaliter prædicta verba proferre, ſicut facit Eccleſia Romana, & Concilium Florentinum tradens formam conſecrationis vini præcepit Armenis.

40. Ad ſecundam impugnationem negandum eſt antecedens: quia non oportet, ut paſſio Chriſti expreſsè ſignificetur per verba utriuſque formæ: ſufficit enim, quod per verba unius formæ fiat, decuit verò, quod per verba conſecrationis ſanguinis propter rationem, quam aſſignat D. Thomas, *art.* 3. *ad.* 2. & 7. nimirum: quia ſanguis ſeorſum conſecratus expreſsè paſſionem Chriſti repræſentat: ideò potius in conſecratione ſanguinis fit mentio de paſſione Chriſti, & fructu ipſius, quàm in conſecratione corporis. Unde illa verba, *quod pro vobis traditur* non determinant ſignificationem illorum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, ſed integra manet ſignificatio abſque illis verbis: quia non progreditur ulterius, ſicut progreditur ſignificatio illorum verborum, *Hic eſt calix ſanguinis mei*. Hoc autem diſcrimen non ex ſignificatione ſpeculativa, & quaſi grammaticali, ſed ex ſignificatione practica, quæ conſtat ex inſtitutione Chriſti, petendum eſt.

41. Ad tertiam impugnationem reſpondetur, quod licet illa particula *effundetur* ſignificet de futuro; tamen non dicitur ſolùm recitativè; ſed etiam ſignificativè à Sacerdote: nam ſanguis Chriſti erat effundendus, quando Chriſtus primò protulit illa verba, & Sacerdos repræſentat perſonam Chriſti, ac ſi tunc in ultima cœna eſſet cum diſcipulis ſuis, ratione cujus repræſentationis poteſt nunc dicere de futuro: *Qui pro vobis effundetur.*

42. Ad quartam patet ex dictis in ſecunda aſſertione.

Ad quintam reſpondet M. Gonet diſt. conſ. ergo reliqua non ſunt de eſſentia in Eccleſia Græca vel Maronitarum conc. in Eccleſia Latina ſic neg. quia ut inquit ſicut Chriſtus non determinavit in ſpecie aut individuo materiam aut formam Sacramenti ordinis & confirmationis ſed eas determinandas Eccleſiæ reliquit ut paſſim Theol: loquuntur, & nos diximus de Sacr. in gen: & de ordine dicturi ſumus: ita Chriſtus formam calicis non determinavit ſed ejus determinationem Eccl: reliquit: ex quo factum eſt quod juxta diverſas tradit. diverſæ editæ ſint liturgiæ, in quibus forma calicis diverſimodè traditur. Sed contra: ſicut Eccleſia non mutavit, nec mutare potuit ſubſtantialiter aut formaliter materiam aut formam Sacramenti ordinis, aut confirmationis ſed materialiter duntaxat ut locis cit: dicitur: ita multo minus formaliter aut ſubſtantialiter mutare aut determinare potuit formam præcipui fidei noſtræ Sacramenti, vel ergo Chriſtus inſtituit & determinavit quod conſecratio calicis fieret per verba exprimentia converſionem vini in ſanguinem pro multis effuſum, vel non, ſi primum ergo vel Græci non conſecrarunt nec Eccleſia id mutare aut permittere potuit; cum ipſorum verba id non exprimant, ut fatetur Gonet, ſi ſecundum, ergo reliqua verba non ſunt de eſſentia vel de ſubſtantia formæ; ſi verò dicatur Chriſtum Eccleſiæ determinandum reliquiſſe ut conſecratio fieret per verba exprimentia converſionem vini in ſanguinem abſtrahendo an ſit pro nobis effuſus vel non: ergo ruunt omnes rationes & congruentiæ, quibus Gonet & alii probant mentionem fieri debere effuſionis & efficaciæ ſanguinis Chriſti in forma conſecrationis calicis cum talis expreſſio abſolutè non ſit neceſſaria & talem in forma calicis Græci non habeant.

Unde Petrus Soto, Arauxo, Labat & alii aliter reſpondent neg: ant; dicunt enim Græ-

Concluſio. 50. Secundum fundamentum eſt: quia eodem ſenſu loquitur Sacerdos, atque locutus eſt Chriſtus dum conſecravit: ſed Chriſtus non locutus eſt recitativè, ſed ſolum ſignificative applicando illa verba ad materiam illam, quam tunc habebat præſentem: ergo ſimiliter Sacerdos ſolùm ſignificativè illa verba profert applicando illa ad materiam, quam habet præſentem.

51. Nihilominus dicendum eſt, verba conſecrationis proferri à Sacerdote utroque modo ſimul; non ſolum ſcilicet recitativè; nec ſolum ſignificative; ſed recitativè, & ſignificativè ſimul. Ita D. Thomas 3 *part. quæſt.* 78. *art.* 5. Nuñus, N. Cornejo, N Philippus, Gabr. à S. V. q. 3. Anton. *ſect.* 3. Franciſc. B. S. *diſp.* 3. *dub* 3. Lugo, *diſp.* 11 *num.* 110. Chamerota, *cap* 7. *dub.* 3. & alios referens Dicaſtillus, *dub.* 9.

Suadetur primò. 52. Probatur primò: quia ſi verba formæ ſolum recitativè dicerentur à Sacerdote non applicarentur ad materiam corporalem præſentem, & ita non perficeretur Sacramentum: dicit enim D. Auguſtinus, ſuper Joannem, *tract.* 80. *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*: ſi autem ſolum recitativè dicerentur, illud pronomen *Hoc* non deſignaret materiam præſentem; ſed ſolum materiam illam, quam Chriſtus Dominus in ultima cœna conſecravit. Similiter neque ſolùm ſignificativè dicuntur à Sacerdote, cum expreſſe referat illa verba dicta fuiſſe à Chriſto Domino: ergo tenendum eſt, quod ſimul utroque modo dicuntur a Sacerdote ſcilicet recitativè, & ſignificativè: quia ſimul per eadem verba conſecrationis refert verba, quæ dicta ſunt à Chriſto Domino, & demonſtrat etiam materiam præſentem; & ad

Secundò. illam applicat ſignificationem illorum verborum: neque in hoc eſt aliqua implicatio, aut impoſſibilitas, ut patebit ex reſponſione ad fundamenta Vaſquii, & Marſilii.

53. Secundò: quia negari non poteſt, quod verba illa ſignificativè dicantur à Sacerdote: quia certum eſt, quod pronomen *Hoc* præſentiam materiæ ſignificat: neque etiam negari poteſt, quod etiam recitativè dicantur: quia id conſtat ex verbis Can. Quarè doctrina D. Th. quod utroque modo dicantur, tenenda eſt.

Fit ſatis primo argumento ſententiæ primò adductæ. 54. Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, ad primum quidem, quod etiamſi Sacerdos proferat verba ſignificativè, vera tamen ſunt: quia profert illa in perſona Chriſti: & ita illa particula *meum*, & *mei* deſignant corpus, & ſanguinem Chriſti, & illa verba *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, verificantur ratione

Occurritur ſecundo. repræſentationis, qua Sacerdos repræſentat Chriſtum in illa cœna, antequam traderetur, coram diſcipulis celebrantem, ubi veritas reperitur.

55. Ad ſecundum patet. Tum ex dictis ſup. *num.* 5. Tum ex his, quæ tacitè reſpondere videtur D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 5 aureis his verbis: *Dicendum qi, quod ſicut prædictum eſt, hæc locutio habet virtutem factivam converſionis panis in Corpus Chriſti, & ideò comparatur ad alias locutiones, quæ habent ſolum vim ſignificativam, & non factivam: ſicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ eſt factiva rei conceptioni intellectus noſtri ſpeculativi, quæ eſt accepta à rebus: nam voces ſunt ſigna intellectuum ſecundum Philoſophum & ideò ſicut conceptio intellectus practici non præſupponit rem conceptam; ſed facit eam: ita veritas hujus locutionis non præſupponit rem ſignificatam; ſed facit eam: ſic enim ſe habet verbum Dei ad res factas per verbum. Hæc autem converſio non fit ſucceſſivè; ſed in inſtanti: ſicut dictum eſt: & ideò oportet quidem intelligere prædictam locutionem ſecundum ultimum inſtans prolationis verborum: non tamen ita quod præſupponatur ex parte ſubjecti id, quod eſt terminus converſionis, ſcilicet, quod corpus Chriſti, ſit corpus Chriſti, neque etiam illud, quod fuit ante converſionem, ſcilicet panis; ſed id quod communiter ſe habet quantum ad utrumque, ſcil. contentum in generali ſub iſtis ſpeciebus.* *Solvitur tertium.*

56. Ad tertium reſpondetur: quod quando Sacerdos dicit *qui pro vobis effundetur*, non excludit ſeipſum, ut perſona privata eſt, quin potius conſtituit ſe cum illis, qui indigent redemptione Chriſti; ſed excludit perſonam ejus, quam repræſentat; & cujus nomine ea verba profert; qui eſt ipſe Redemptor Chriſtus. *Diluitur primum argumentum ſecundæ ſententiæ.*

57. Ad fundamenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur, ad primum non implicare, quod eadem verba dicantur ſimul ſignificativè, & recitativè: poteſt enim aliquis referendo verba alicujus, ea dicere repræſentando, & induendo perſonam ejus; & ita ſe gerit Sacerdos, ac ſi diceret, accepit panem dicens ſuper eum, quod ego in perſona ejus dico ſuper iſtum panem *Hoc eſt corpus meum*, ita ut ſimul referat quod Chriſtus dixit, & intendat ſimiliter facere in perſona ejus: ſicut ille per ſemetipſum fecit. Et ad probationem in oppoſitum reſpondetur, dupliciter poſſe aliquam vocem ſumi materialiter. Uno modo pro ſeipſa, & non pro aliqua re ſignificata, & ſic implicat aliquam vocem ſumi ſimul materialiter, & formaliter. Alio modo ita ut ejus ſignificatio accipiatur ut concepta: quia nimirum aliquis refert alterum ita dixiſſe: & hoc modo ſumpta voce materialiter, non implicat ſumi ſimul formaliter; præſenim ſi ille, qui loquitur, loquatur in perſona illius, cujus verba refert: tunc enim ejus locutio ſimul recitativè, & ſignificativè accipi poteſt. *Enervatur confirmatio.*

58. Ad confirmationem dicendum ſatis eſſe, quod illa verba ſignificent idem corpus Chriſti, ut contentum ſub ſpeciebus præſentibus reſpectivè ad hoc, ut Sacerdos eiſdem verbis referat, Chriſtum dixiſſe hoc, quod erat ei præſens, eſſe corpus ſuum, & ſimul affirmet hoc, quod eſt ibi præſens, eſſe Corpus Chriſti. *Fit ſatis ſecundo.*

59. Ad ſecundum reſpondetur, ex eo, quod Chriſtus hæc verba non recitativè; ſed ſignificativè dixit, optimè colligi, quod Sacerdos proferens illa in perſona Chriſti, etiam ſignificativè loquatur: non vero colligi, quod non dicat illa verba etiam recitativè: quia poſtquam Chriſtus illa dixit ſignificativè, benè poteſt Sacerdos, & ſignificativè, & recitativè illa dicere.

PUNCTUM IV.

Quid ſignificetur in hac forma per pronomen Hoc, vel Hic?

60. Reſpondetur per pronomen *Hoc* ſignificari ſubſtantiam contentam ſub his ſpeciebus panis vagè ſumptam, ita ut non ſit determinatè panis, aut corpus Chriſti, neque aliqua alia ſubſtantia determinatè ſingularis, ſed ſolum ſubſtantia contenta ſub his numero ſenſibilibus accidentibus, & hæc appellatur ſubſtantia ſingularis vagè, non autem determinatè. *Concluſio.*

minatè. Et idem eſſe cum proportione de pronomine *Hic* in forma conſecrationis vini. Ita D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 5 & *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 4. Paludanus, ibidem, *quæſt.* 3. Capreolus, *q.* 1. *art.* 3 *ad.* 1. Sotus, *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 5. Suarez, *diſp.* 58. *ſect.* 7. Scotus, & Durandus, *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 2. Ricardus, *art.* 3. *q.* 1. *ad.* 5. Ledeſma, *q.* 19. *art.* 5. Viguerius, *de inſtitut.* *cap.* 19. Marſilius, *in* 4. *q.* 6. *art.* 1. Gabriel, *lect.* 48. *in canon.* N. Cornejo, *art.* 5. *diſp. unica*, *dub.* 2. Noſter Philippus, *dub.* 6. N. Gabr. *q.* 4. & alii plurimi.

Probatio, & explicatio concluſionis.

61. Probatur, & explicatur: quia per illud pronomen *Hoc*, fit demonſtratio cum determinatione quoad accidentia ſenſibilia, & finitè determinatione ipſius ſubſtantiæ demonſtratæ in recto: ergo demonſtrat hanc ſubſtantiam vagè contentam ſub his numero accidentibus. Patet conſequentia: quia ſubſtantia hæc vagè dicit ſubſtantiam ſingularem in confuſo, & indeterminatè, contentam tamen ſub determinatis accidentibus ad ſenſum demonſtratis. Antecedens autem quoad utramque partem manifeſtum eſt. Quoad primam quidem: quia per illud pronomen *Hoc*, ad ſenſum fit demonſtratio: ergo ſaltem in obliquo neceſſe eſt, quod accidentia individua determinata demonſtrentur. Quoad ſecundam verò: quia illud pronomen *Hoc*, nihil exprimit eorum, quæ ſunt propria hujus determinatæ ſubſtantiæ: ſed omnia ſignificat confuſè ſub ratione contenti ſub hoc numero continenti ſenſibili.

Illatio.

62. Ex quibus ſequitur ſignificari per hæc verba converſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, & præſentiam ipſius corporis Chriſti ſub his ſpeciebus; nam ſenſus formæ eſt, quod contentum ſub his numero ſpeciebus, quod antè conſecrationem non eſt determinatè corpus Chriſti, in fine prolationis verborum eſt corpus Chriſti.

Vid. lat. à Noſtris citatis.

CAPUT SEXTUM.

De effectibus Euchariſtiæ, & de diſpoſitione ad eorum receptionem requiſita.

CAPUT HOC QUATUOR CONTINET PUNTA.

- P. 1. *In quo agitur de primò, & præcipuo Euchariſtiæ effectu.*
- P. 2. *De aliis effectibus ſpiritualibus Sacramenti Euchariſtiæ.*
- P. 3. *De effectibus, quos Euchariſtia operatur circa corpus.*
- P. 4. *Quænam diſpoſitio, ut hoc Sacramentum ſuos effectus conferat, requiratur?*

PUNCTUM I.

In quo agitur de primò, & præcipuo hujus Sacramenti effectu.

Cur Euchariſtia fonti comparetur?

1. Quanta in hoc admirabili myſterio bonorum omnium copia, & affluentia incluſa ſit aliqua ex parte, ut inquit Catheciſmus Romanus, aſſequemur, ſi omnium Sacramentorum vi, atque naturâ cognitâ, Euchariſtiam fonti, cætera rivulis comparaverimus. Verè enim ac neceſſariò fons omnium gratiarum dicenda eſt, cum fontem ipſum cœleſtium chariſmatum, & donorum, omniumque Sacramentorum Auctorem Chriſtum Dominum admirabili modo in ſe contineat, à quo tanquam à fonte ad alia Sacramenta quicquid boni, & perfectionis habent, derivatur.

Hujus Sacramenti primus effectus.

2. Primus igitur, & præcipuus hujus diviniſſimi Sacramenti effectus eſt conferre augmentum gratiæ homini in gratia exiſtenti. Ita colligitur ex bulla Urbani IV. *in inſtitutione hujus Sacramenti*, ubi ſic ait: *Nullum autem Sacramentum eſt iſto ſalubrius, quo virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur.* Idem conſtat ex Concilio Vienenſi, & ex cap. *cum Martha, de celebratione Miſſarum*, & ex cap. *firmiter, de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, & apertiſſimè ex Concilio Florentino, ubi habetur in litteris ſanctæ unionis, per hoc Sacramentum dari unionem ad Chriſtum, & gratiam augeri; & rurſus, eumdem effectum habere hoc Sacramentum circâ vitam ſpiritualem, quam habet cibus circà corporalem, ſuſtentando, nutriendo, & augendo illam. Quod etiam traditur in Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 13. *cap.* 2.

Per accidens primam grat.

3. Aliquandò verò per accidens primam gratiam ab Euchariſtia conferri poſſe, conſtat ex dictis *tract.* 1. *cap.* 5. *p.* 2.

Quæſtio incidens.

4. Petes: quando dictum gratiæ effectum communicet Euchariſtia? Reſpondetur, illum non communicare cum primum ore ſumitur, antequam deglutiatur: quia ſumptio cibi antè deglutionem non eſt manducatio, & gratia hujus Sacramenti non eſt promiſſa, niſi manducanti, Joan. 6. *Qui manducat me vivet propter me.* Et idem eſt de calice: quia ore ſumere potum, non eſt bibere, niſi potus deglutiatur: producit ergo hoc Sacramentum gratiam in eo inſtanti, in quo verum eſt dicere, nunc deglutitum eſt, aut potatum eſt. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 2. *art.* 1. Suarez, *diſp.* 63. *ſect.* 4. Henriq. *cap.* 43. N. Cornejo 3. *p. q.* 79. *diſp. unic. dub.* 1. Palaus, *punct.* 9 *n.* 5. & alii plures, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 4. *q* 4. *p.* 2. N Gabr. *diſp.* 13. Anton. *diſp.* 9. *ſect.* 3.

5. Quarè primò: ſi infirmus non niſi in ore Euchariſtiam ſuſcipiat, & ante deglutionem moriatur, non recipit hujuſmodi Euchariſtiæ effectum ex opere operato. Ita Doctores citati contra Becanum *de Sacramentis*, *cap.* 22. *quæſt.* 6. *num.* 2. *Illatio* 1.

6. Secundò: qui diù retinet hoſtiam in ore, ita ut ſpecies corrumpantur antequam deglutiantur, non recipit fructum Euchariſtiæ: quia non dicitur applicata ſuſcipienti, antequam deglu- *Illatio* 2.

Digitized by Google

deglutiatur. Ita Bonacina, & cum multis Diana, *tom.3. tract.6. reſol.*96.

Tertia. 7. Tertiò: ſuſcipiens plures partes hoſtiæ conſecratæ diviſivè, & ſucceſſivè unam poſt aliam, recipit tutum effectum gratiæ Sacramentalis in inſtanti, in quo verum eſt dicere, primam particulam eſſe ſumptam, & ad ſtomachum trajectam. Per reliquas verò ſumptiones noo cauſatur gratia diſtincta, ſi diſpoſirio non augeatur. Ita Sutus, Valentia, Coninchus, Suarez, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus §.1. *n.6.* N. Petrus Cornejo, *ubi ſup.*

Objectio. 8. Et ſi objicias: tam vera manducatiu eſt ſecunda ſumptio corporis Chriſti, quàm prima: ergo nun minus eſt promiſſa ei gratia: ergo per eam cauſabitur gratia diſtincta ab ea, quæ cauſatur per primam.

Solutio. 9. Reſpondetur, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, negando ſecundam: quia quamvis ſit vera manducatio corporis Chriſti, & phyſicè diſtincta à prima manducatione. non tamen eſt diſtincta moraliter ab ea, quod erat neceſſarium, ut diſtinctam gratiam cauſaret: atque ità utraque cenſetur una manducatio, & una ſumptio corporis Chriſti, & conſequenter ſolum debet cauſari, per utramque unus effectus. Quæ ſolutio deſumitur ex D.Thom. *3. part. quæſt. 79. art.7. ad* 3. ubi ait, Sacerdotem plures hoſtias conſecratas in una Miſſa ſumentem non plus gratiæ recipere, quam ſi unam tantum ſumeret: quia non plus virtutis eſt in multis hoſtiis conſecratis, quam in una tantum: cum ſub omnibus, & ſub una non ſit, niſi totus Chriſtus.

Quæſitum primum. 10. Aliquæ tamen adhuc ſuperſunt difficultates. Prima eſt: An ſi quandu quis ſumpſit primam particulam, erat in peccato mortali, ſed ſtatim elicuit actum contritionis, & ſic ſumpſit ſecundam particulam, recipiat effectum gratiæ Sacramentalis? Negant Bonacina, *ubi ſup. n.6.* Henriquez, *cap.43. num.* 3. & alii. Affirmativè tamen reſpondetur: quia adhuc tunc Euchariſtia habet vim conferendi gratiam ex opere operatu: ergo cum alias Sacerdos ſit ſufficienter diſpoſitus, verè eam Euchariſtia conferer. Ita Suarez, *diſp.63. ſect.4.* Coninchus, *q.79. dub.2. n.28. & 48.* N. Petrus Cornejo, *dub.3.* Cajetanus ibidem, *art.1.* Nuñus, *verſic. Ad ſecundam regulam*, Reginaldus, *lib.29. num.* 140. Bartholomæus ab Angelo, *dialogo* 4. §. 404. Sotus *in 4. diſt.11. q.2. art.1.* Palaus, *n.6.* & alii.

Quæſitum ſecundum. 11. Secunda difficultas eſt: ſi ad primam particulam erat quis diſpoſitus remiſsè, & quando ſumpſit ſecundam erat diſpoſitus intensè, detur ei major gratia ex opere operato juxta proportionem diſpoſitionis? Reſpondetur etiam affirmativè cum N. Cornejo, & aliis contrà Palaum, & alios: quia Sacramenta cauſant gratiam ex opere operato juxta proportionem diſpoſitionis, ut *in tract. de Sacram. in gen.* dictum eſt, ita ut in minus diſpoſito gratiam minorem cauſent, & in magis diſpoſito majorem: ergo cum adhuc durante ſumptione creſcat diſpoſitio, debet creſcere effectus Sacramenti.

Quæſitum tertium. 1. Sententia. 12. Tertia difficultas eſt: Utrum Euchariſtia continuè influat gratiam toto rempore, quo poſt ſumptionem præſentia Chriſti durat ſub ſpeciebus in ſtomacho? Affirmant Cajetanus *3. part. quæſt.79. art.1.* Major, *d.9. quæſt. 1. argum.5.* Ruardus Taper, *art.15.* & alii aſſerentes Euchariſtiam cauſare gratiam continuè toto tempore, quo ſpecies incorruptæ perſeverant in ſtomacho, etiamſi non adſit nova diſpoſitio. Alii verò probabiliter reſpondent cauſare quidem Euchariſtiam gratiæ augmentum, quamdiu ſpecies durant in ſtomacho, dummodu homo magis, ac magis denuò ſe diſponat. Ita Suarez, *ſect. 4. 5. & 7.* Coninchus, *num.42. concluſ.* 5. & alios referens Leander, *diſp.* 11. *quæſt.* 15.

Secunda & probabilior. 13. Sed adhuc probabilius negant Euchariſtiam cauſare gratiam toto tempore, quo in ſtumachu perſeverat, etiamſi diſpoſitio augeatur, Sotus, *d.12. q.2. art.1.* Vaſquez, *diſp.* 203. *quæſt. 2. num.* 20. Ledeſma, Henriquez, Bonacina, quos citat, & ſequitur Hurtado, *diſp. 8. difficult.2.* Granado, *tract. 9. diſp.7* N. Cornejo, *dub.* 4. de la Cruz, *quæſt.4 dub. 1. concl.* 2. Filliucius, *tract.4. numer* 174. Layſius, *in ſuis ſelectis, centuria* 9. *dub.*28. & videtur Angelici Præceptoris D. Thomæ, 3. *part. quæſt.*80. *art.*8. *ad* 6. ubi expreſsè docet, effectum hujus Sacramenti percipi in ipſa ſumptione, ex quo facilè infertur vuluiſſe dicere, Euchariſtiam poſt ipſam ſumptionem nihil operari: Et ratio eſt, ut arguit N. Cornejo, quia gratia hujus Sacramenti non eſt promiſſa, niſi manducanti, & bibenti, ut patet Joann.6. ſed toto tempore, quo poſt comeſtionem Euchariſtia durat io ſtomacho, non manducatur, neque ſanguis bibitur: ergo tunc non cauſat gratiam.

Quæſitum quartum. 1. Sententia. 14. Quarta difficultas eſt: An detur major gratia communicanti ſub utraque ſpecie panis, & vini, quam communicanti ſub una tantum, cæteris paribus ex parte diſpoſitionis ſumentium? Partem negativam, eamque valde probabilem tuentur Cajetanus, Scotus, Bellarminus, & plures alii, quos refert, & ſequitur Soarez, *diſp.63. §. Nihilominus*, Sylvius, *in 3. p. quæſt.* 80. *art.*12. Coninchus, *num.*119. Filiucius, *tract 4. num.* 172. Villalobos, *tract. 7. difficult.31. num* 2. Diana, *tom 3. tract. 6. reſol.*97. Gonet *diſp* 8. *art.*4. Herinx *diſp.7. q.3.* Steph. à S. Paulo, *dub.* 9. & favet D. Thomas, *Opuſc.*48. *cap.* 29. ubi ſic ait: *Sicut ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti Sacramentaliter de calice: Sic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti, & eſt eis tam utilis. & tam dulcis, ut Sacerdotibus, qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice.* Cant.1. *Botrus cypri dilectus meus mihi, duo ſumo in botro, uvam ſcilicet corpus Domini in cibum, & ex uva ſugo dulcem ſanguinem in potum.*

Secunda. 15. Partem vero affirmativam tenent Alenſis, 4. *part. quæſt.* 32. *memb* 1. *art.*2. Caſalius, *lib. 2. de cœna, & calice Domini*, Arboreus, Ricardus, quos citat, & ſequitur Vaſquez, *diſp.* 122. *cap.*1. Hurtado, *diſp.*10. *diffic* 6. Leander, *quæſt.*25. Bernal. *diſp.*41. *ſect* 2. Palaus, *punct.*9. §.1. Cardinalis Lugo, *diſp.*12. *ſect.*3. Et è N. Philip. à Sanctiſſ. Trinitat. *dub.* 4. Antonius, *ſect.*4. Otlandus, *n.*63. Cornejo, *dub.* 2. Franciſc. *diſp. 6. num.* 13. & favet Clemens VI. qui in bulla ad Regem Galliæ conceſſit ei communionem ſub utraque ſpecie, addens Pontifex hoc concedere illi ad majoris gratiæ augmentum, ut refert Joannes Gualterus, in Tabu-

la Chronographica anno 1437. unde meritò utramque ſententiam probabilem cenſent Diana, *tom.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 29. Suarez, Becanus, Fagundez, Luyſius, quos refert Leander.

Quæſitum quintum. 1. Sententia.

16. Quinta difficultas eſt: An hoc Sacramentum, tranſacta ſumptione, & præſentia corporis Chriſti, cauſet gratiam recedente fictione? Affirmant Cajetanus, q. 79. *art.* 1. Petrus de Soto, *lect.* 4. *de Baptiſmo*, Araujo, q 62. *dub.* 5. Diana, *tom.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 15. Cabrera *de Sacramentis*, *quæſt* 69 *art.* 10. *diſp.* 4. N. Philippus *de Sacram. in genere*, *diſp.* 5 *dub.* 5.

Secunda.

17. Negativa tamen ſententia nobis eligenda eſt, quam tuentur Durandus, *in* 4. *diſt.* 4. & alii, quos refert, & ſequitur Vaſquez *diſp.* 63. *ſect.* 8. Paludanus, *in* 4. *diſt.* 4. *art.* 2. *quæſt.* 5. Sylveſter, *verb. Baptiſmus*. N. Cornejo, *dub.* 5. D. Bonaventura, Alenſis, Sotus, Corduba, quos refert, & ſequitur Villalobos *diffic.* 32. Cardinalis Lugo, *diſp.* 9. *de Sacram. in genere*, *ſect.* 6. Palaus, *tract.* 21. *diſp. unic. punct.* 9. §. 1. *n.* 14. & alii.

Ratio pro reſolutione. 2. Sententia.

18. Ratio eſt: tum quia magis decet ad reverentiam hujus Sacramenti, ut accedens ad illud fictè non ſolum intelligat ſe fructu ejus eſſe privatum ſed etiam ſpe fructus. Tum etiam quia incredibile videtur, ut benè inquit N. Cornejo, Sacerdotem quotidiè indignè communicantem per unum actum contritionis in fine vitæ conſequi omnem gratiam, quæ ex opere operato correſpondebat omnibus illis communionibus. Undè fieret repentè in gratia ditiſſimus propter plurimas communiones ſacrilegas, eoque ditior, quo plures fuiſſent, & multo ditior; ſi ſingulis diebus contra leges Eccleſiæ decies, vel centies celebraſſet.

Quæſitum ſextum. 1. Sententia cui ſubſcribimus.

19. Sexta difficultas eſt: An poſſit aliquis ita accedere ad Euchariſtiam, ut neque gratiam recipiat, neque peccatum committat? Et reſpondetur affirmativè cum Cajetano, Alenſe, D. Bonaventura, Suarez, Hurtado, & Fagundez, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 98. & idem docent Gabriel, *ſuper canon*, *lect.* 8. Ledeſma, *cap.* 10. & N. Cornejo, *quæſt.* 80. *diſp. unica*, *dub.* 4. Quia poteſt quis, facta omni humana diligentia in examine ſuæ conſcientiæ, bona fide putans ſe eſſe in gratia, accedere cum peccato mortali, de quo eſt naturaliter oblitus, & conſequenter abſque diſplicentia aliqua, aut dolore ejus, & is quidem non peccabit ſic accedendo, eo quod nullam habeat conſcientiam peccati mortalis, & fecerit, quod in ſe erat, ut ſuam conſcientiam probaret: non tamen conſequitur gratiam defectu diſpoſitionis requiſitæ ad primam juſtificationem.

2. Sententia cum ſuo fundamento.

20. Oppoſitam ſententiam docuerunt Durandus, *in* 4. *d.* 9. *quæſt.* 4. Major ibidem, q. 1. Paludanus, *quæſt.* 2. Ricardus, *art.* 1. *quæſt.* 1. Sotus, *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 4. Adrianus *de Euchariſtia. quæſt. unica*. Mouentur autem: quia non datur medium inter hoc, quod eſt accedere ponendo obicem, vel non ponendo obicem: ſed ſi quis non ponat obicem, recipit gratiam, ut conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 7. ſi verò ponat obicem, peccat: ergo non datur acceſſus medius.

Satisfit illi.

21. Reſpondetur, quod in re, & materialiter loquendo iſte ponit obicem, & accedit indignè, atque ita non recipit gratiam: excuſatur tamen à peccato, cum invincibiliter ignoret ſe accedere cum obice, & indignè, ideò non dicitur ponere obicem formaliter, quia in ſua exiſtimatione non ponit illum; ſed putat dignè accedere.

PUNCTUM II.

De aliis effectibus ſpiritualibus Sacramenti Euchariſtiæ.

Effectus ſecundus Euchariſtiæ.

22. Secundus effectus Spiritualis hujus venerabilis Sacramenti eſt remiſſio venialium, quod D. Thom. 3. *part.* q 79. *art.* 4. & omnes Theologi concedunt, & habetur, *cap. Utrum ſub figura*, & cap. *Si quid ſit ſanguis de conſecrat. d.* 2. quo ſenſu dixit Tridentinum, *ſeſ.* 13. *cap.* 2 Sacramentum hoc eſſe antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervamur: & ut indubitatum traditur in Catechiſmo Romano per hæc verba: *Remitti ergo Euchariſtiâ, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici ſolent, non eſt, quod dubitari debeat.*

Quæſitum.

23. Petes: qualiter hunc effectum Euchariſtia operetur? Reſpondetur venialia peccata, quorum, quis non habet complacentiam, ex vi hujus Sacramenti remitti non ſolum mediante actu charitatis ferventiori, quem hoc Sacramentum excitat, verum etiam immediate ex opere operato, ex infuſione gratiæ cibantis, & nutrientis hujus Sacramenti, poſita ſolum voluntate ſuſcipiendi Euchariſtiam, & effectum ejus, priuſquam ſuſcipiens ipſum Sacramentum, prorumpat in actum charitatis. Ita Div. Thomas, *art.* 4. Nuñus, N. Petrus Cornejo, N. Philippus à Sanctiſſima Trinitate ibidem, Coninchus, *num.* 54. & 55. Bonacina *diſp.* 4. *quæſt.* 4. *punct.* 6. §. 3. Palaus, *punct.* 9. §. 2. & ratio eſt: quia gratia Sacramentalis Euchariſtiæ, quæ datur antecedenter ad actum charitatis, eſt per modum cibantis, & nutrientis: nutrimentum autem ſpirituale reſtaurat id, quod in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia: ergo remittit illa antecedenter ad actum charitatis.

Objectio prima.

24. Sed objicies primò: non poſſe remitti venialia ſinè pœnitentia formali, vel virtuali, ut docet D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. ergo ad remiſſionem venialium non ſufficit gratia cibans Sacramentalis, quæ datur per Euchariſtiam, ſi homo non accedat cum aliqua diſplicentia.

Objectio ſecunda.

25. Objicies ſecundò: quod gratia habitualis hujus Sacramenti effectus non pugnant cum peccatis venialibus, ſed cum illis ſtare poteſt: ergo non remittuntur venialia per ſolam gratiæ Sacramentalis infuſionem.

Enodatur 1. objectio.

26. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur, vel D. Thomam ſolum loqui in illo articulo de remiſſione venialium extra Sacramentum, vel eo ipſo quod, quis vult Euchariſtiam, & ejus effectum ſuſcipere, velle charitatem augere, & intimius Deo conjungi, & hanc voluntatem eſſe quandam peccatorum venialium virtualem deteſtationem, quæ licet ex ſe inſufficiens ſit ad venialium remiſſionem medio Sacramento ſuſcepto, ſufficit.

Diluitur 2.

27. Ad ſecundam ut reſpondeatur, recolendum eſt id, quod *in tract.* 1. *cap.* 5. *dub. unico* ſtabili-

Digitized by Google

ſtabilitum eſt, nempe gratiam Sacramentalem ſupra gratiam communiter dictam addere modum quendam intrinſecum, & realem in ordine ad conſequendum finem Sacramenti, ratione cujus debitum eſt illi auxilium ſpeciale in ordine ad hunc finem. In præſenti ergo cum gratia Sacramentalis Euchariſtiæ ſit nutriens, & reparans deperdita per calorem concupiſcentiæ: ratione hujus ſpecialis modi intrinſeci, & realis habet oppoſitionem cum venialibus,& venialia cum illa. Quarè ille, qui habens gratiam cum hoc ſpeciali modo, peccat venialiter quamvis per hujuſmodi peccatum veniale neque expellat gratiam illam ſecundum ſe, neque diminuat ejus augmentum; impedit tamen modum illam ſpecialem; ratione cujus diſtinguitur à gratia communiter dicta ſecundum ſe, ſaltem quantum ad iſtum effectum. Quod manifeſtius patet in gratia regenerante Baptiſmi, quæ ratione hujus ſpecialis modi habet oppoſitionem cum culpa veniali: nam reddit animam ſpecioſam, & pulchram, non habentem maculam, neque rugam, utpotè novam creaturam in Chriſto. Si vero habens gratiam Baptiſmalem venialiter peccet, quamvis neque tollat, neque diminuat gratiam illam quantum ad ejus augmentum intenſivum: impedit tamen modum illum ſpecialem, ſecundum quem omnem maculam, etiam venialem, excludebat ab anima.

Euchariſtiæ effectus 3. fit multipliciter 1. 28. Tertius Euchariſtiæ effectus eſt, præſervare à peccatis mortalibus, ſicut dixit Tridentinum, *ſeſſion.* 13. *cap.* 2. Tribuit autem hunc effectum Euchariſtia multipliciter. Primò per auxilium gratiæ actualis, quæ ab hoc Sacramento confertur ad excitandam devotionem, & fervorem charitatis, & ad ſupportandas tentationes.

Secundus. 29. Secundò mediis aliis fructibus ejuſdem Sacramenti, ut media ſpirituali dulcedine, quà anima inebriatur, ac proindè fit minus ſenſibilis ad tentationes: & mediâ fuga dæmonum, qui concupiſcentias inordinatas ſolent excitare: etenim ut inquit D. Chryſoſtomus *Homil.* 61. *ad Populum*: *Hic ſanguis dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit: dæmones enim cum Dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur: Angeli autem concurrunt.* Et medio ſpirituali lumine, quo quando Chriſtus in nobis Sacramentaliter habitat, mentes noſtras illuminat. Quo lumine mediante, pravi motus, ac tentationes minuuntur, & ſopiuntur. In quo ſenſu adduci poteſt illud Joan. cap. 6. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Et media diminutione fomitis, & impeditione, & debilitatione motus carnis. Etenim, ut inquit S. Parens Noſter Cyrillus, *lib.* 4. *in Joann. cap.* 17. *Euchariſtia non mortem ſolum, ſed & morbos omnes depellit, ſedat ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.*

Tertius. 30. Tertiò: Euchariſtia tribuit hunc præſervationis effectum per auxilium externæ protectionis, quâ Deus non permittit occaſiones, in quas videt aliquem caſurum, quod etiam eſt fructus hujus Sacramenti, ut inquit Monteſinos, *quæſtio.* 5. *de effectu Euchariſtiæ.*

31. Quartus effectus Euchariſtiæ eſt remiſſio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. *Quartus.* At hic effectus, ut optimè D. Thomas, quem omnes ſequuntur, 3. *part. quæſt.* 79. *artic.* 5. non directè, & immediatè ab Euchariſtia provenit; ſed indirectè, & conſequenter ratione actuum ferventiorum charitatis, ad quos excitatur per auxilium, quod datur virtute hujus Sacramenti: licet enim culpa venialis utroque modo per Euchariſtiam remittatur, ſcilicet immediatè ex opere operato, & etiam mediatè, & conſequenter quatenus datur auxilium per dignam ſuſceptionem illius, quo quis ſe diſponit ad remiſſionem culpæ venialis; tamen remiſſio pœnæ temporalis ab Euchariſtia in quantum eſt Sacramentum, ſolùm procedit indirectè, & mediatè. Ratio autem hujus differentiæ, ut ex Angelico Doctore colligitur, ea eſt: quia præcipuus effectus hujus Sacramenti, qui eſt unio cum Chriſto, ſicut & nutrimentum unitur nutrito, benè compatitur cum reatu cujuſcumque pœnæ temporalis; ſed opponitur peccatis venialibus, ut dictum eſt. Quod ſimul probatur, & declaratur: quia gràtia illa ſacramentalis prout nutriens, confortans, & reſtaurans aufert quidem culpam venialem in eo, qui non habet complacentiam illius; ſed non aufert immediatè reatum pœnæ, cum quo benè compatitur.

32. Quintus effectus eſt actualis dulcedo, *Quintus.* & delectatio, juxta illud, quod canit Eccleſia: *Pinguis eſt panis Chriſti. & præbebit delicias Regibus.* Et juxta illud, Pſal. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Eſt autem hic effectus infallibilis ex vi Sacramenti, niſi impediatur ex parte ſubjecti, ut docet Cardinalis Lugo, *diſp.* 12. *ſect.* 4. *n.* 90. Obſervat autem Suarez, *diſp.* 63. *ſect.* 9. non oportere hunc effectum dari tunc; ſed aliquando ſervari in meliorem occaſionem. Et D. Antoninus, 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 15. aſſignat octo rationes, ob quas ſubtrahi ſolet hæc dulcedo, & delectatio, & docet ſubtrahi ſæpè ſinè culpa, & ob occupationes bonas ſtudiorum, vel regiminis, &c. Conſiſtit autem hæc ſuavitas, & ſpiritualis dulcedo præcipuè in quadam animi promptitudine ad quaſlibet res divini obſequii peragendas hilari animo, & celeri voluntate.

23. Sextus effectus eſt unio ſpecialis, quam *Sextus.* ſuſcipiens habet cum Chriſto & cum membris ejus, juxta illud Joan. 6. *In me manet, & ego in eo.* Et Pauli, 1. *ad Corinth.* 10. *Unum ſumus, qui de uno pane, & vino participamus.*

34. Septimus effectus eſt adeptio gloriæ, *Septimus.* juxta illud Chriſti Domini. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sicut enim cibus naturalis ordinatur, ut perducat homines ad ſtatum perfectum: ita cibus ſpiritualis taliter ordinatur ad augmentum gratiæ, ut ex ſe perducat illum ad ſtatum perfectum, & conſummatum per gloriam. Undè 3. *Reg. cap.* 19. panis ſubcinericius datus fuit Proto-parenti Noſtro Eliæ, ut in fortitudine cibi illius ambularet uſque ad montem Dei Oreb. *Latius vid. Gonet. d.* 8. *& Noſt. Gabriel, diſp.* 13.

64. Hos, & alios mirabiles Euchariſtiæ effectus enumerat Angelic. Doctor, *Opuſc.* 58. *de ſectus, & Sacramento Altaris, cap.* 21. 22. *&* 23. *Dominici corporis*, inquit, *Sacramentum dæmonem fugat, defenſa-* *Dicti effectus alii à D.Th. nobis recenſiti.*

defenſaculum eſt contra incentiva vitiorum, & carnalis concupiſcentiæ, maculam cordis mundat, iram Dei placat, intellectum ad Deum cognoſcendum illuminat, voluntatem, ſeu affectum in Dei dilectione inflammat, memoriam ſpirituali dulcedine delectat, totum hominem in bono confirmat, ab æterna morte liberat, merita bonæ vitæ multiplicat, ad patriam vitæ deducit, ad æternam vitam corpus reſuſcitat. Et cap. 24. ſequenti: *Corpus Domini* (ait) *tres habet principales effectus. Primus eſt peccatorum destructio. Secundus bonorum ſpiritualium largitio, vel augmentatio. Tertius animarum confortatio, vel vitæ æternæ collatio.* Et cap. 25. *Panis iſte* (inquit) *ſatiat ſpiritum ad faſtidium mundi faciendum, confortat animum ad malum culpæ devincendum, conſervat vitam ad Deum ſemper laudandum.* Item, *ut eſt ſacrificium altaris in ſtatu viæ mundi peccata relaxat, in ſtatu Purgatorii pœnam allevîat, in ſtatu cœli gloriam Beatorum quodammodo augmentat.* Item *corpus Chriſti nominatur Sacramentum charitatis; & ſecundum hoc tres habet effectus, quia tria maximè bona operatur in nobis ſcilicet Spiritus Sancti veram participationem, ipſius Chriſti certam inhabitationem, in ſimilitudinem imaginis Dei transformationem.*

PVNCTVM III.

De effectibus, quos Euchariſtia operatur circa corpus.

Quid efficienter operetur Euchariſtia in corpore mediate? 36. ET quidem in genere cauſæ efficientis nulla eſt difficultas operari Euchariſtiam in corpore per hoc, quod aliquid operetur in anima, ex cujus redundantia reſultet aliquid in ipſo corpore: nam ex fervore charitatis (ut benè obſervat Cardinalis Lugo, *diſp.* 12. *ſect*, 5.) quem operatur in anima, ſequitur quædam cordis quaſi jubilantis palpitatio, vultus lætitia, coloris vivacitas, oculorum modeſtia, linguæ refrenatio, maturitas incedendi, totius corporis reformatio, & omnis externi geſtus modeſtia, venuſtaque ordinatio.

Quid immediate? 37. Sed eſt difficultas. An immediatè etiam aliquid operetur circa corpus? Negant non pauci. Sed affirmandum profectò nobis eſt cum Cardinali Lugo, ubi proximè, cum Palao, *diſp. unica*, *puncto* 9. & cum aliis, quos ſequitur Suarez, *diſp.* 64. *ſect.* 1. & confirmat adductis Patrum teſtimoniis.

Primus effectus circa ipſum corpus? 38. Fit autem hoc diminuendo fomitem, & ardorem concupiſcentiæ, quod Sacramentum operari poteſt dæmones fugando, ne excitent turpis objecti ſpecies temperando calorem nimium, & fervorem ſanguinis, ſenſum libidinis cohibendo, ſedando, & reprimendo humorum vires, excitando in phantaſia imaginationes, & repreſenrationes ad bonum, & avertendo cogitationes ad malum: & in ordine ad hunc finem ſeparando occaſiones, quæ pravum motum excitare poſſunt, illaſque offerendo, quæ ad bonum inclinare valent.

Secundus. 39. Operatur ſecundò hoc Sacramentum circa corpus illuminatione interna, qua non ſolum oculi mentis; ſed etiam phantaſiæ ad cognitionem boni, & mali illuminaotur.

Tertius. 40. Tertiò interdum cauſat Euchariſtia corporalem effectum, roborando, alendo, & medendo dignè ſuſcipientem. Teſtatur hoc Seraphica Matriarcha Noſtra, & ſpiritualis Eccleſiæ Magiſtra Sancta Tereſia, *lib. Itineris perfectionis*, *cap.* 34. ubi ſic ait: *Penſais que no es mantenimiento aun para eſtos cuerpos eſte ſanctiſſimo manjar, y gran medicina aun para los males corporales? Yo ſe que lo es, y conozco una perſona de grandes enfermedades, que eſtando muchas vezes con grandes dolores, como con la mano ſele quitavan, y quedava buena del todo.*

41. Quartus Euchariſtiæ effectus reſpectu corporis dignè ſuſcipientis eſt unio quædam, id eſt, conjunctio corporum per amorem, & affectum, quæ non datur cum peccatore, & ex hac unione provenit, ut communicans, & Chriſtus cenſeantur unum eſſe, jamque Chriſtus reputet dignè ſuſcipientis carnem tanquam carnem peculiari titulo ſuam, & cui peculiari nomine debeat conſulere. *Quartus.*

42. Quintus effectus eſt, quod corpus Chriſti ſuo contactu ſanctificat corpora noſtra, ſicut olim veſtes, & nunc vaſa, quibus continetur. Quarè meritò, D. Chryſoſtomus, *homil.* 3. *ſuper illa verba* 2. *ad Corinth.* 13. *Salutate invicem in oſculo ſancto?* inquit: *Non vulgatem honorem conſecutum eſt os noſtrum accipiens corpus Dominicum.* Ex qua dignitate *homil.* 83. *in Matth.* optime infert: *Quo non oportet igitur eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? Quo ſolari radio non eſſe ſplendidiorem manum carnem hanc dividentem? Os, quod igne ſpirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris.* *Quintus.*

43. Sextus effectus eſt reſurrectio, & gloria corporis, quam Beati conſecuturi ſunt poſt diem judicii. Juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, ſeu *vivet in æternum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Et cum ſit ſermo de reſurrectione ad vitam æternam, etiam eſt ſermo de immortalitate corporis. Et ideò in Concilio Niceno hoc Sacramentum dicitur Symbolum immortalitatis. *Sextus.*

44. Neque obeſt ſi dicas, quod quilibet juſtus perſeverans in gratia uſque ad finem vitæ, etiam abſque ſumptione hujus Sacramenti, ſicut juſti antè illius inſtitutionem, & etiam aliqui poſt inſtitutionem ejuſdem, conſequentur vitam æternam, ac per conſequens in die judicii reſurgent cum corporum immortalitate, & aliis dotibus: ergo non eſt iſte effectus ſpecialis hujus Sacramenti: neque dici poteſt, quod in his Beatis, qui dignè ſumpſerunt Euchariſtiam, futurum ſit poſt diem judicii aliquid ſpeciale pertinens ad immortalitatem corporis, quod non ſit futurum in aliis. *Objectio.* Reſpondetur enim non eſſe inconveniens, quod idem effectus detur alicui, & ſit debitus illi ex multis titulis, ſicut gloria corporis in Chriſto debita fuit ratione unionis ad Verbum. Secundò, propter animæ beatitudinem. Tertiò, propter ſua merita. Sic ergo corporis immortalitas, atque reſurrectio debita eſt his, qui dignè ſumpſerunt Euchariſtiam, non ſolum ratione gratiæ, & meritorum, ſicut aliis Beatis, qui non ſumpſerunt; ſed ſpecialiter ratione dignæ ſumptionis hujus Sacramenti. *Reſponſ.*

PUNC.

PUNCTUM IV.

Quænam diſpoſitio, ut hoc ſacramentum ſuos effectus conferat, requiratur.

Prima concluſio. 45. PRimò: ad primum Euchariſtiæ effectum, qui eſt augmentum gratiæ, ſolus ſtatus juſtificationis, ſeu pænitentia & peccati confeſſio ſacramentalis ſufficit in ſuſcipiente. Unde iſte effectus, neque diſtractione mentis, neque peccato veniali impeditur. Ita Div. Thomas, 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 8. Gabriel, *lect.* 85. Can. Adrianus, *quæſt*, 1. *de Euchariſtia*, Sotus, & Victoria, Cordova, quos refert, & ſeq. Suarez, *diſp.* 63. *ſect.* 3. Vazquez. *diſp.* 206. *cap.* 2. Filliucius, *tract.* 4. *cap.* 6. N. Cornejo, *art.* 8. *diſp. unica, dub.* 1. Valentia, *quæſt* 7. *punct.* 3. Coninch. *art.* 1. *dub.* 1. Bonacina, *diſſ.* 4. *quæſt.* 4. *punct.* 1. *num.* 3. Reginaldus, *lib.* 29. *cap.* 6. Hurtado, *diſp.* 7. *difficult.* 3. Granado, *tract.* 9. *diſſ.* 2. *num.* 7. Fagundez, *præcep.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. *à numer.* 3. Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 45. *num.* 2. Villalobos, *tract.* 7. *difficult.* 30. *num.* 3. N. Philip. *dub.* 2. Anton. *ſect.* 2. Franciſc. *n.* 58. & alii.

Pro ea ratio. 46. Ratio deſumitur ex Tridentino *ſeſ.* 13. *cap.* 7. ubi agens ex profeſsò de diſpoſitione requiſita ad recipiendum effectum hujus Sacramenti ſolum requirit ſtatum ſanctitatis, & juſtificationis, ſeu pænitentiam, & peccati confeſſionem ſacramentalem: cum ergo peccatum veniale, aut mentis diſtractio non opponatur gratiæ habituali, neque ejus augmento, ſequitur, quod ad recipiendum primum effectum hujus Sacramenti ſufficiat ſtatus gratiæ ſine aliqua alia attentione, aut fervore.

Sententia oppoſita. 47. Oppoſitam ſententiam docuerunt Durandus, *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 4. *num.* 7. Paludanus, *q.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 2. *num.* 11. Marſilius, *q.* 6. *art.* 4. D. Antoninus, 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Cajetanus, 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 1. & 2. *quæſt.* 113. *art.* 3. Sylveſter, verbo *Euchariſtia* in fine.

Primum illius fundamentum 48. Moventur primò, ex variis teſtimoniis Patrum aſſerentium, ſumentibus hoc Sacramentum eſſe neceſſariam magnam animi devotionem.

Secundum. 49. Secundò: quia cibus corporalis non confert ſuum effectum, neque nutrit corpus, niſi ſumens habeat aliquam actionem circa illum, mediante calore naturali, quo illum coquat, & digerat: ergo neque cibus ſpiritualis nutrit animam; niſi ſumens exerceat circà illum aliquam actionem ſpiritualem mediante charitate, atque ita requiritur actus aliquis, qui ſit actualis devotio, vel fervor charitatis.

Tertium. 50. Tertiò: quia aliàs ſequeretur, quod homo ſimul peccaret venialiter, & creſceret in gratia, quod videtur, inconveniens, præſertim ſi ipſa Euchariſtiæ ſumptio ſit peccatum veniale defectu alicujus circumſtantiæ.

Diluitur primum fundamentum. 51. Ad primum: ex his reſpondetur, Sanctos Patres, vel loqui de diſpoſitione non ſolum ad recipiendum augmentum gratiæ, ſed etiam ad recipiendum fervorem ejus: vel ſolum exigere devotionem actualem tanquam diſpoſitionem utilem, & maxime decentem majeſtatem hujus Sacramenti.

Secundum Solvitur. 52. Ad ſecundum: neganda eſt conſequentia. Et ratio diſparitais deſumitur ex diſcrimine, quod reperitur inter cibum corporalem, & ſpiritualem, quod cum corporalis ſit mortuus, & convertatur in ſubſtantiam aliti, ut nutritio fiat, requiritur actio aliqua ipſius ſumentis circà cibum. Spiritualis vero cum ſit vivus, & ipſe convertat animam in ſe ipſum, ad talem converſionem, ſeu ſpiritualem nutritionem ſufficit, quod anima ſe habeat merè paſſivè, & ita non requiritur aliqua ejus actio.

53. Ad tertium dicendum non eſſe inconveniens, quod communicans ſimul peccet venialiter, & in gratia creſcat, neque quod ipſa ſumptio ſit peccatum veniale: quia gratia tunc non datur ex opere operantis, ſed ex opere operato: neque ipſa ſumptio eſt, quæ dat gratiam, ſed Sacramentum ipſum. *Enodatur 3.*

44. Secundò: ut hoc Sacramentum per accidens conferat primam gratiam, ſufficiunt, quæ a nobis dicta ſunt, *tractat.* 1. *cap.* 5 *puncto* 2. *num.* 11. ex quibus conſtat ſemper eſſe neceſſariam veram, & ſupernaturalem attritionem, quæ ex motivo ſupernaturali procedat, & in omnia peccata commiſſa cadat, & ſimul bonam fidem, quæ per ſe loquendo in hoc conſiſtit, ut quis accedat ad Sacramentum, vel nullam habens conſcientiam peccati mortalis; ſed putans invincibiliter ſe eſſe in gratia, eo quod adhibuit omnem ſuam diligentiam humanam, ut examinaret, & probaret ſuam conſcientiam, an peccatum haberet, & nullius peccati recordatur: vel exiſtimat ſe abſolutum, cum non fuerit: vel ſi memor eſt peccati mortalis non confeſſi, accedit in urgente neceſſitate, & abſque copia confeſſoris cum dicta attritione ſupernaturali, reputatâ tamen contritione. *Secunda concluſio.*

55. Tertiò: ad effectum fervoris charitatis cum ſpiritus ſuavitate, & dulcedine exigitur in ſuſcipiente animi attentio, & affectio actualis, ſinè qua ſpiritualis dulcedo eſſe non poteſt. Ita Suares, *diſput.* 63. *ſect.* 9. Filliucius, ubi ſupra, *numer.* 166. & communiter Doctores. *Tertia concluſio.*

56. Quartò: effectus remiſſionis venialium requirit, ut non adſit complacentia, aut affectus ad peccatum veniale, quod remittendum eſt ultra ſtatum gratiæ, in quo debet eſſe ſuſcipiens. Si enim ita ſit diſpoſitus, poſita voluntate ſuſcipiendi Euchariſtiam, & effectum ejus, quæ virtualis quædam venialium deteſtatio eſt, ut diximus ſupra *num.* 27. Sacramentum hoc ipſo quod augmentum gratiæ infundit, ſimul etiam peccata venialia ex opere operato delet omnia ſi nullius adſit complacentia, quod ſi alicujus ſit, illud non remittitur, quatenus autem poſſunt etiam remitti venialia per fervorem excitatum, exigunt quoque devotionem actualem. Ita Filliucius, & Suarez citati, Trullench. *lib.* 3. *cap* 5. *dub.* 5. & alii. *Quarta concluſio.*

57. Quintò, ad effectum remiſſionis pænæ temporalis pro peccatis debitæ, cum non detur per Euchariſtiam, ut eſt Sacramentum, niſi ſolum indirectè, & conſequenter ratione actuum ferventiorum charitatis, ad quos excitamur per auxilium, quod datur virtute illius, ut *punct.* 2. dictum eſt: requiritur etiam actualis devotio. Ita Suarez, Filliucius, & alii. *Quinta concluſio.*

58. Undè benè infert Suarez, Euchariſtiam, *Illatio*

ut Sacramentum eſt, (nam de ſacrificio poſtea *tract.* 5. dicemus) non habere effectum aliquem ex ſolo opere operato, niſi in ſolis ſumentibus. Nam ſi aliquem habere poſſet, maximè effectum remiſſionis pœnæ temporalis: ſed hunc non habet, etiam in ipſis ſumentibus: ergo multo minus poterit eundem habere in aliis: ergo neque ullum alium.

CAPUT SEPTIMUM.

De hujus Sacramenti ſuſceptoribus, & de diſpoſitione ex parte animæ, & corporis ad ſacram communionem.

IN HOC CAPITE SUNT QUATUOR PUNCTA.

P. 1. *Qui ſint hujus Sacramenti ſuſceptores?*
P. 2. *De diſpoſitione ex parte animæ ad Euchariſtiam ritè ſuſcipiendam?*
P. 3. *De confeſſione communioni præmittenda:*
P. 4. *De diſpoſitione ex parte corporis ad ſacram communionem?*

PUNCTUM I.

Qui ſint hujus Sacramenti ſuſceptores?

Sumptio Euchariſtiæ triplex.

1. Communiter dividitur ſumprio Euchariſtiæ in ſpiritualem tantum, ſacramentalem tantum, & ſpiritualem, & ſacramentalem ſimul. ex Tridentino, *ſeſ.* 13. *cap.* 8. & *ſeſ.* 22. *cap.* 6. & ex Catheciſmo, Pii V. ubi de hoc Sacramento, & ex variis decretis, cap. *Qui diſcordat*, cap. *Qui manducat*. cap. *Quid eſt*, cap. *Sanctum*, cap. *Credere*, *de conſecrat*, d. 2. Spiritualis tantum eſt, quæ fit per fructuoſum, affectum, & deſiderium ſumendi, Sacramentalis tantum, quando ſolum Sacramentum re ipſa ſumitur, ſed abſque fructu propter obicem. Sacramentalis ſimul, & ſpiritualis eſt, cum Sacramentum, & illius fructus ſuſcipitur.

Qui ſumant Euchariſtiam ſpiritualiter tantum.

2. Primò: ſpiritualiter tantum ſumunt illi, qui voto illum cæleſtem panem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem ſentiunt, ut docet Tridentinum, *ſeſ.* 13. *cap.* 8. *Neque tamen fruſtra* inquit Div. Thom. 3. *p.* *q.* 80. *art.* 1. *adhibetur Sacramentalis manducatio: quia plenius inducit Sacramenti effectum ipſa Sacramenti ſuſceptio, quam ſolum deſiderium.* Quia autem ſumptione merè ſpirituali non propriè Sacramentum ſuſcipitur; ſed optatur ſuſcipi, ea cathecumeno valet competere, ut benè docet Palaus, *tractatu* 21. *diſp. unica. punct.* 10. & ratio eſt: quia antequam Baptiſmum reipſa ſuſcipiat, gratus Deo eſſe poteſt, & viva fide, quæ per dilectionem operatur, votum, ſeu deſiderium habere, ſuſcepto Baptiſmo, Euchariſtiam recipiendi: ergo cum per hujuſmodi deſiderium, ſeu votum, fructum augmenti gratiæ conſequeretur, ſpiritualiter tantum Euchariſtiam ſumere poſſet, cum merè ſpiritualis ſumptio in deſiderio hujus Sacramenti fructuoſo ſita ſit.

Homo non baptizatus non eſt capax ſumendi Euchariſtiam Sacramentaliter.

3. Secundò non eſt capax homo non baptizatus Euchariſtiam Sacramentaliter ſumendi: quia nemo capax eſt ullius ſacramenti recipiendi, niſi in Eccleſiam Chriſti fuerit ingreſſus, & illius membrum exterius factus, hoc autem fit per Baptiſmum omnium Sacramentorum januam, & generationis ſpiritualis externum, & ſenſibile principium. Ita contra Marſilium docent Suarez, *diſp* 62. *sect.* 3. Cardinalis Lugo, *diſp.* 13. *sect.* 1 Palaus, *num.* 3. & communiter Theologi, & Eccleſiæ uſus perpetuus id ſatis convincit, Cathecumeno enim, quantumcumque eximiæ ſanctitatis, aut dignitatis, Euchariſtiam nunquam datam legimus, aut audivimus.

Eſt tamen capax baptizatus quantumvis peccator.

4. Tertiò: homo baptizatus quamtumvis peccator, capax eſt Euchariſtiam Sacramentaliter ſumendi: quia capax eſt verum Sacramentum recipiendi, & dum indignè recipit, Sacramentaliter tantum communicat in ſui judicium, & condemnationem. Ut dixit Apoſtolus 1. *corinth.* 11. & tradit D. Thomas, *q.* 80. *art.* 3.

Qui ſumant Euchariſtiam ſpiritualiter & Sacramentaliter.

5. Quartò: homo juſtus, & baptizatus Sacramentaliter, & ſpiritualiter ſimul Euchariſtiam ſumere poteſt: quia ut dictum eſt, *cap. præt.* & amplius ex dicendis in hoc præſenti conſtabit, ad augmentum gratiæ proprium effectum Euchariſtiæ, ſufficit hoc Sacramentum cum gratia ſuſcipere.

Illatio.

6. Ex quo fit infantes baptizatos, & perpetuo amentes, ſi Euchariſtia illis concedatur, gratiæ augmentum percepturos eſſe, ſicut multis relatis docuit Suarez, *sect.* 4. & Palaus, *num.* 5. Etenim olim in Eccleſiis conſuetudo fuit concedendi Euchariſtiam infantibus, ſicuti conſtat ex Concilio Toletano 11. *can.* 11. & teſtatur Tridentinum, *ſeſ.* 21. *can.* 4. quod non concederetur, niſi illis prodeſſet. Neque obſtat poſteà hanc conſuetudinem ſublatam eſſe: quia ob majorem hujus diviniſſimi Sacramenti reverentiam illud non immeritò paruulis denegatur: & ita tenent pluribus relatis Suarez, Vazquez, *diſp.* 212. Coninchus, *q.* 80. *art.* 9. *num.* 77. Layman, *tract.* 4. *c.* 4. *q.* 2. Palaus, N. Gabr. *diſp.* 14. *quæſt.* 9.

Quæſitum primum.

7. Superſunt aliquæ expediendæ difficultates. Prima: An infantes ante uſum rationis, & adulti, qui ab infantia perpetuò amentes fuerunt prudenter à participatione hujus Sacramenti, in mortis articulo excludantur? Ratio dubitandi eſt: quia non videtur congruum Sacramenti fructu in perpetuum privare eos, qui illius capaces ſunt, Nihilominus reſpondetur dicendum, eis prudenter etiam in mortis

Enodatur.

arti-

articulo Euchariſtiam denegari: nam cum hoc Sacramentum illis neceſſarium eſſe non poſſit, ut docet Tridentinum, *ſeſ. 21. cap. 4.* & ex alia parte frequenter adſit irreverentiæ periculum, merito Eccleſia eos à tanti Sacramenti participatione excludit. Accedit uſus Romanæ Eccleſiæ, quæ denegar his Euchariſtiam, etiam moribundis. Ita D. Thomas, Cajetanus, Sylveſter, Suarez, Vazquez, Hurtado, quos refert, & ſequitur Leander, *de Euchariſtia, diſp. 6. quæſt. 10.* & pluribus relatis, Palaus, *punct. 10. num. 6.* Layman, *lib. 5. tract. 4. cap 4. quæſt. 2. & 3.* Filliucius, *tract. 4. cap 7. num. 187.* & cum multis Bonacina *diſp. 4. quæſt. 6. punct. 1.* Card. Lugo, *diſp. 13. num. 32.* Villalobos, *tract. 7. difficult. 40. num. 2.*

Additio Petri de Ledeſma. 8. Addit etiam ſic bene Petrus de Ledeſma, *in ſumma de Euchariſtia, capit. 14. concluſ. 8. La coſtumbre univerſal de la Igleſia Romana, equivale à prohibicion; y aſſi pecaria graviſſimamente el que comulgaſe un niño ſin tener uſo de razon.*

Quæſitum ſecundum. Enodat. 9. Secunda difficultas: An poſſit, & debeat Euchariſtia concedi in mortis articulo his, qui poſt rationis uſum in amentiam inciderunt? Reſpondetur affirmative cum Suarez, Vazquez, Henriquez, Conincho, Layman, & Bonacina, quos refert, & ſeq. Palaus, *punct. 10. num. 7,* cum Soto, *diſt. 12. quæſt. 1. art. 9.* Ledeſma, *cap. 13. concluſ. 8.* cum Diana, *2. part. tract. 14. reſolut. 78.* cum Filliucio, Joanne de la Cruz, Hurtado, Villalobos, & aliis, quos citat, & ſequitur Leander, *diſp. 6. quæſt. 11.* & ſumitur ex Concilio Arauſicano, *1. can. 3.* Carthaginenſi, *4. can. 74.* & refertur in capite *Is qui, 26. quæſt. 60.* Et Et ex Concilio Toletano, *2. can. 11.* & habetur in Catheciſmo Romano, *numer. 49.* & in Rituali Romano, Pauli V. titulo de *Euchariſtia.*

Ratio enodationis. 10. Ratio eſt: quia his amentibus Euchariſtia neceſſaria ad ſalutem eſſe poteſt, videlicet ſi in peccato mortali, de quo ſolum attriti erant cum propoſito confitendi in amentiam incidiſſent, quo caſu per ſuſceptionem ſacræ Euchariſtiæ juſtificari, atque ſalvari poſſent. Accedit, quod, qui aliquando rationis uſum habuit, & piè vixit, eo ipſo cenſetur velle ſibi applicari remedia ad ſalutem neceſſaria, vel maximè utilia, atque adeo virtualiter, & interpretativè Euchariſtiam petere: quæ rationes nullatenus militant in infantibus, & perpetuo amentibus, quibus proinde Euchariſtia in mortis articulo denegatur; conceditur tamen his, qui poſt rationis uſum in amentiam inciderunt.

Nonnulli exceptionis caſus. 11. Excipe tamen primò, niſi conſtet, vel præſumi debeat aliquem in ſtatu peccati mortalis, atque impænitentem in amentiam incidiſſe. Secundò: ſi amens ſinè periculo vomitus, vel alterius irreverentiæ communicari non poſſit, eaque de cauſa conſultum erit priùs unam, vel alteram hoſtiam non conſecratam amenti porrigere, ut ex illius ſumptione colligi poſſit, quid facturus ſit cum hoſtia conſecrata dum illi fuerit conceſſa. Tertiò: niſi ſpes moralis ſit amentem ante mortem uſum rationis recuperaturum: quia tunc tale tempus expectandum eſt, ut majori cum reverentia, ac fructu Sacramentum ſuſcipiatur. Ita Suarez, *diſp. 69. ſect. 2. verſic. Tertium dubium*, Zambranus, *de Euchariſtia, dub. 4. num. 5.* Diana ſupra, Layman, *quæſt. 3.* Coninch. *num. 74.* Palaus, *num. 7.* N. Anton. *de Euchariſt. diſp. 10. n. 263.* & alii. Prædictis autem amentibus extra mortis articulum nec poſſe nec concedi debere hoc Sacramentum docent Suarez, Vazquez Henriquez, Layman, Bonacina, & Palaus, allegati. Et cum aliis Leander, *quæſt. 13.* & Diana, *reſolut. 79.* quia in articulo neceſſitatis toleratur aliqua minor diſpoſitio, & reverentia, quæ tamen non debet tolerari extra talem neceſſitatem.

Quæſitum tertium. 12. Tertia difficultas: qualiter concedi poſſit Euchariſtia ſemifatuis, & plenum rationis uſum non habentibus? Reſpondetur, ſi facta diligentia non valent diſtinguere hunc cœleſtem cibum à profano inter abſolutè amentes computandos eſſe, ut docent Layman, *quæſt. 3. concluſ 3.* Palaus, *ſup. num. 8.* At ſi illum ſatis diſtinguunt, non quoties poſtulaverint, ut affirmat Sanctius, *in ſelectis, diſp. 26. n 5.* & ſatis probabile putat Leander, *q. 14.* ſed ſolum in mortis articulo, & tempore Paſchatis, quando adeſt præceptum Euchariſtiæ ſuſcipiendæ, concedi illis debet ob tanti Sacramenti reverentiam. Ut docent Poſſevinus, *de communione, c. 8. n. 32* Henriquez, *lib. 8. cap. 42.* Palaus, *ſup n. 8.* Diana, *reſolut 79* Hurtado, *diſp. 9. difficultate 20.* de la Cruz, *q. 5. de Euchariſt. dub. 5. concl. 1.* & alii.

Quæſitum quartum. 13. Quarta difficultas: Qualiter mutis, & ſurdis a nativitate Euchariſtia, miniſtrari poſſit, & debeat? Reſpondetur, eam ipſis concedendam eſſe non ſolum in mortis articulo, ſed etiam tempore Paſchatis, ſi ex ſignis, & nutibus conſtet diſcretionem habere, qua ſufficienter hunc cibum cœleſtem à profano diſtinguant. Ita relato Abbate, in cap. *Cum apud, num. 6. de ſponſalibus tradunt* Layman, *cap. 4.* Palaus, *num. 9.* N. Anton. *n. 206.*

Quæſitum quintum. 14. Quinta difficultas: Utrum energumenis, ſeu à dæmone obſeſſis ſancta Euchariſtia danda ſit? Reſpondetur, ſi uſu rationis priventur, judicium ferendum eſſe æque de illis, ac de amentibus dictum eſt. Si vero ſui compotes ſint, concedendam eſſe illis Euchariſtiam ſecluſo irreverentiæ periculo, non ſolum in mortis articulo, de quo non eſt dubium, ut definit Concilium Elibert, *can. 37.* ſed etiam in Paſchate, imo aliis temporibus prudentis Confeſſoris arbitrio. Ita D. Thomas, *3. part. quæſt. 80. art. 9 ad 2.* Suarez, *diſp. 69 ſect. 2.* Reginaldus, *lib. 29. num 80.* Poſſevinus, loco citato, Petrus Tyræus, *de dæmonibus, punct. 2. cap. 28.* Severinus Binius, *tom. 1. Concil. in canon. 29.* Bonacina, *diſp. 6. quæſt. 4. punct. 1.* Sotus, *in 4. diſt. 12. quæſt. 1.* Layman, *cap. 4. quæſt. 5.* Palaus, *num. 10.* N. Gabr. *diſp. 14. q. 2.* N. Franciſc. *diſp. 7. n. 8.* Caſſianus, *coll. 7. cap. 30.* Cujus rei bonam rationem affert. *Magis namque ac magis inimicus inſultabit obſeſſo, cum eum à cœleſti medicina viderit ſegregatum tantoque dirius, & frequentius attentabit, quantò eum à ſpirituali remedio longius ſenſerit abductum.*

Quæſitum ſextum. Deciditur quoad mortis articulum. 15. Sexta difficultas: Utrum pueris rationis uſum habentibus ſtatim poſſit, & debeat communio concedi? Et quidem in mortis articulo Euchariſtia ſub obligatione eſt eis concedenda, eo ipſo quod uſum rationis habeant, diſtinguereque poſſint cœleſtem hunc à profano cibo: quia communio ſacra non modo

utilis,

Digitized by Google

utilis; ſed fortè ad ſalutem neceſſaria illis eſſe poteſt. Ita Suarez, *diſp. 70. ſect.* 1. Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 42. Layman, *tract.* 4. *cap.* 4. *q.* 2. Palaus, *num.* 11. N. Anton. *n.* 255.

Extra mortis etiam articulum reſolvitur.

16. Extra mortis vero articulum communiter Doctores cenſent, puerilem ætatem prius ad confeſſionem, quam ad communionem admittendam eſſe. Et merito; quia communio exigit gravius, & maturius judicium, & magis convenientem diſpoſitionem. Ita Suarez, *diſp.* 70. *ſect.* 1. Navarrus, *cap.* 21. Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 42. Layman, *quæſt.* 2. *art.* 5. Vazquez, *diſput.* 214. *cap.* 4. Sotus, *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 11. Filliucius, *tract.* 4. *de Euchariſtia, cap.* 7. Summiſtæ, verbo *Euchariſtia*, & verbo *Communio*, & plurimis relatis Dicaſtillus, *diſp.* 10. *dub.* 5. N. Anton. *n.* 256. Unde pueri non obligantur Euchariſtiam recipere ſtatim ac perveniunt ad uſum rationis; ſed aliquod tempos expectare poſſunt, & prius obligantur ad confeſſionem, quam ad communionem. Ita communis, & ferè omnium ſententia, contra aliquos, quos refert, & ſequitur Ioannes Sanctius *in ſelectis tota, diſp.* 26. & contra Leandrum, *diſp.* 3. *quæſt.* 5. & contra Palaum, *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 24. §. 2. qui ſolum id verum eſſe fatetur, ſtante prorogatione Confeſſoris: at ſi Confeſſor ſic differendam communionem non conſulit expreſsè, ſummopere inclinari affirmat quemlibet puerum, qui cum ad annos diſcretionis venit, obligatus eſt lege confeſſionis, obligatum etiam eſſe recipere Euchariſtiam. Verum poſtea idem Palaus, *tom.* 4. *tract.* 21. *diſp. unica, punct.* 10. *num.* 11. conſentiens communi ſententiæ: *Non credo* (inquit) *ipſos pueros ſtatim obligari nec humano, nec divino præcepto, neque Parochos obligatos eſſe illis Sacramentum concedere; ſed unum, vel alterum annum expectari poſſe, ut eorum judicium, & diſcretio exactius cognoſcatur, & majori cum fructu, & reverentia Euchariſtiam diu optatam, & petitam ſuſcipiant.*

Ratio pro reſolutione.

17. Probat autem ſic optimè, & noſtram, & communem ſententiam defendit Dicaſtillus *ſup. n.* 105. Nam ſi expectemus communem, & ab omnibus receptam praxim, & exiſtimationem in Eccleſia Dei, non eo ipſo quod quis cenſetur eſſe obligatus ad confeſſionem, & capax illius, & ad debitam diſcretionem pro confeſſione perveniſſe; cenſetur etiam perveniſſe ad diſcretionem pro communione: quin potius recepto Eccleſiæ uſu, aliquibus annis confitetur puer, antequam illi detur facultas communicandi. Non eſt autem credibile, quod non intelligendo, & practicando, circà tam grave præceptum, tota ferè fidelium, & etiam ſapientum, & ſuperiorum multitudo fallatur, & ſoli pauci aliqui veritatem attingant. Id enim multum de divina providentia in illuminanda, & dirigenda Eccleſia ſua derogaret: ergo non niſi ea ratione intelligendum eſt præceptum, qua ſic recepta conſuetudo declarat. Quando ergo in cap. *Omnis utriuſque ſexus* dicitur, omnes teneri tum ad confitendum, tum ad communicandum temporibus ibi ſtatutis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, intelligendi ſunt anni diſcretionis juxta uniuſcujuſque actionis naturam per accommodam (ut ajunt) diſtributionem, id eſt, ut quando quis pervenerit ad annos diſcretionis pro confeſſione, confiteatur; & quando pervenerit ad annos diſcretionis pro communione, communicet.

Dubium incidens.

18. Quod ſi petas: quando cenſebuntur pueri diſcretionem ſufficientem habere, ut ad Euchariſtiam ſuſcipiendam ſint obligati? Reſpondetur in particulari definiri vix poſſe propter hominum diverſitatem. Videtur tamen regulariter neminem antè decimum annum obligari cenſendum eſſe, neque ultra 12. communionem eſſe differendam, ideoque in hac latitudine conſulendum eſſe parentum, & Confeſſorum judicium, illique ſtandum. Ita Suarez, *diſp.* 70. *ſect.* 1. ex D. Thoma, Paludano, & aliis Filliucius, ſupra: Et ex Vazquez, Lugone, Amico, & communi ſententia, Dicaſtillus, ſupra *numer.* 108.

PUNCTUM II.

De diſpoſitione ex parte animæ ad Euchariſtiam ritè ſuſcipiendam.

Communiter quid Doctores ſupponant.

DE diſpoſitione neceſſaria ad recipiendum fructum bujus Sacramenti egimus capite præcedenti, & ſic ſolum agendum eſt in præſenti, quænam diſpoſitio ex parte animæ requiratur, ut ſumptio bujus Sacramenti non ſit peccaminoſa? Circà quod ſupponunt communiter Doctores obligari quemquam, antequam ad Euchariſtiam accedat, ſe reputare juſtum. Quod ſi petas, quam certus quis eſſe debeat nullo ſe peccato mortali gravari, cum ad Euchariſtiam accedit? Reſpondetur, ſi certus moraliter ſit nullo gravari peccato non confeſſo, eo quod nullum ſibi occurrat, poſt factam ſuæ conſcientiæ exactam examinationem, ſecurum accedere poſſe: quia certitudo moralis quamlibet humanam actionem à temeritate excuſat, & prudentem reddit. Ut bene docent Palaus, *punct.* 11. *n.* 2. & Coninchus, *q.* 80. *art.* 4.

Prima difficultas. 1 circa illam ſententia.

20. Quibus ſuppoſitis duæ ſuperſunt difficultates circa hoc punctum expediendæ. Prima eſt, An accedere ad hoc Sacramentum cum peccato veniali habituali ſit ſaltem veniale? Et quidem cum quis habet, plura peccata venialia, præſertim gravia intra venialis gravitatem, & ſinè ulla pænitentia, vel emendationis propoſito accedit ad Euchariſtiam, committere etiam peccatum veniale irreverentiæ tenent non improbabiliter Suarez, *diſp.* 66. *ſect.* 1. Coninchus, *quæſt.* 79. *art.* 8. Layman, *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. qoos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 9. *dub.* 3. Moveotur præcipuè: quia hujuſmodi peccata impediunt eorumdem peccatorum remiſſionem, quæ fieret, ſi quis accederet cum illorum attritione.

Secunda ſententia.

21. Econtra Ricardus, *in* 4. *diſt.* 9. *art.* 2. *quæſt.* 1. Major, *quæſt.* 1. Adrianus, *quæſt.* 1. *de Euchariſtia*, Sotus, *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 4. Sà verbo *Euchariſtia, num.* 22. Vazquez, *diſp.* 207. *cap.* 2. & alii, apud Dianam *tom.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 31. & apud Leandrum *tract.* 7 *diſp.* 7. *quæſt.* 8. negant ullum eſſe peccatum ſic accedere. Et quidem in eo, qui accedit cum ſola voluntate, & deſiderio ſuſcipiendi Euchariſtiam, & effectum ejus, cum hæc voluntas, ut diximus, ſit virtualis

quæ

quædam venialium deteſtatio, quæ licet ex ſe inſufficiens ſit ad venialium remiſſionem, medio Sacramento ſuſcepto ſufficit. Magis nobis probatur nullum eſſe peccatum ſic accedere. Tum quia non importat poſitivam irreverentiam; ſed negationem tantum perfectæ reverentiæ, in qua nullum eſt peccatum, Tum etiam quia tunc hujuſmodi ſumptio non impedit peccatorum venialium remiſſionem: quod enim removetur per aliquam actionem, non poteſt impedire effectum ipſius actionis: atque adeo cum per ſumptionem hujus Sacramenti, cum voluntate ſuſcipiendi Euchariſtiam, & ejus effectum, quæ eſt virtualis quædam venialium deteſtatio, removeantur peccata venialia habitualia, non poterunt impedire iſtum hujus Sacramenti effectum. Ex quo patet ad oppoſitum fundamentum.

Difficultas 2. 22. Secunda difficultas eſt: An qui cum affectu, vel actuali peccato veniali Sacramentum Euchariſtiæ ſumit, peccet venialiter? Et non eſt quæſtio, quando quis communicat ub inanem gloriam aut alium venialem finem: quia certum eſt ipſam communicationem eſſe peccatum veniale: ſed quæſtio eſt, quando accedit quis bono fine, habet autem alium actum peccaminoſum comitantem, ut ſi communicet proferendo ſimul verba otioſa, vel cum actuali, vel virtuali affectu peccandi venialiter tranſacta communione.

1. Sententia. 23. In qua quæſtione non peccare venialiter docet Vaſquez, *loco cit.* & alii apud Dianam, *reſolut.* 31. Oppoſitum tamen dicendum videtur cum Filliucio, *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 206. *Secunda.* Reginaldo, *tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 6. *q.* 2. *num.* 100. N. Cornejo. *q.* 8. *diſp. unica, dub.* 1. *num.* 4. & cum aliis, quos refert, & ſequitur Leander, ſup. *q.* 9. Et ratio eſt: quia iſte accedit cum irreverentia poſitiva, & præcipuè: quia impedit aliquo modo effectum Sacramenti; nam hoc peccatum remittitur per Sacramentum, ſicut peccatum habituale, ut dictum eſt.

PUNCTUM III.

De Confeſſione Communioni præmittenda.

Obligatio præmittendi confeſſionem in peccati mortalis conſcio. 24. SAncta Tridentina Synodus, *ſeſſ.* 13. *can.* 7. ſtatuit, & declarat nullum ſibi peccati mortalis conſcium, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debere, juxta præceptum Apoſtoli, 1. Cor. cap. 11. *Probet ſeipſum homo*, Eccleſiæ conſuetudine declaratum.

Ex jure divino. 25. Hæc autem obligatio præmittendi confeſſionem divina quidem eſt à Chriſto Domino inſtituta, & ab Apoſtolo tradita, & promulgata. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 12. *art.* 4. Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 3. Covarruvias, in cap. *Alma mater*, 1. *part.* §. 1. *n.* 7. Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 46. Vaſq. *diſp.* 207. *cap.* 4. Valentia, *tom.* 4. *diſp.* 6, *quæſt.* 8. *part.* 3. Corduba, *l.* 1. *q.* 16. *in* 3. *opinione.* Palaus, *diſp. unic. punct.* 12. *num.* 3. Gonet, *diſp.* 9. *art.* 4. Wiggers, *q.* 80. *art.* 5. *dub.* 1. è NN. Cornejo, *q.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. Gabr. à S.V. *q.* 5. Philippus, *diſp.* 7. Franciſ. *n.* 76. & alii plures contra Medinam, *Codice de confeſſione*, *q.* 17. contra Palacios, *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 10. *ad* 1. & contra Navarrum *in ſumma, cap.* 21. *num.* 49. & contra alios, qui affirmant ſolum Eccleſiaſticam eſſe.

26. Ratio autem cur hæc obligatio juris divini ſit, ea eſt: quia continetur ſub verbis 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo*, ut teſtatur Tridentinum *loco* proximè *cit.* Apoſtolus autem non tradidit hoc præceptum ut à ſe latum; ſed à Chriſto Domino acceptum, ut non leviter colligitur ex verbis illis antecedentibus: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Quibus ſignificatur, Paulum accepiſſe à Domino quicquid ibi tradit de Euchariſtia, & conſequenter illud præceptum. *Probatur.*

27. Sed petes primò: An ſi dubitet quis ſine aſſenſu probabili ad alterutram partem, habeat ne peccatum mortale, vel id confeſſus fuerit, poſſit accedere ad Euchariſtiam ſine prævia confeſſione? Aliqui dubitant, aut in affirmativam partem videntur inclinare, qui pauci ſunt, nec ferè audent omnino affirmare, ut teſtatur Dicaſtillus loco infra referendo. Sed pars negativa omnino tenenda eſt cum communi ſententia, quam tenent innumeri Auctores. Quadraginta affert & ſequitur Thomas Sanchez, *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 66. & præter eos idem docent Bonacina, *diſp.* 4. *q.* 5. *punct.* 1. Merola, *tom.* 1. *diſp.* 3. *c.* 3. *dub.* 2. *corollario* 29. *n.* 353. Sylvius, *in addit. ad* 3. *part. quæſt.* 6. *art.* 4. *in reſponſ. ad* 3. Homobonus, *in conſult. Caſuum Conſcientiæ, vol.* 2. *part.* 5. *reſponſ.* 131. Mercerus, *in* 3. *part. q.* 9. *art.* 4. *num.* 7. Filliucius, *tom.* 2. *tract.* 21. *c.* 4. *n.* 171. & alii quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *reſolut.* 5. Dicaſtillus, *diſp.* 9. *dub.* 8. *Quæſitum primum.* *Reſolvitur.*

28. Hanc autem aſſertionem in praxi omnino tenendam quatuor rationibus eruditè probat Thomas Sanchez, *loco cit.* & prætereà unanimis comprobat conſenſus Doctorum, & praxis, ac conſuetudo recepta in Eccleſia Dei, quę vel ſola firmare nos poſſet in hac ſententia. Certum namque eſt, & citrà controverſiam Chriſtum, & Eccleſiam authoritate ab eo acceptâ potuiſſe præcipere confeſſionem peccati dubii communioni præmittendam. Quod autem id mandaverit, videtur ſufficienter conſtare ex communi ſenſu fidelium, non ſolum de vulgo; ſed de numero ſapientum, ut vix inveniatur, qui non affirmet. *Rationes pro reſolutione.*

29. Si verò quis probabiliter credat ſe jam confeſſum fuiſſe de illo mortali, vel ſe non conſenſiſſe, & commiſiſſe tale peccatum, non tenetur præmittere confeſſionem: quia poteſt quiſpiam licitè operari ſequendo opinionem probabilem: nec contrarius Eccleſiæ uſus teſtimonio aliquo oſtenditur. Ita Roſella, verbo *Confeſſio Sacramentalis* 1. *num.* 12. Sylveſter, verbo *Confeſſio Sacramentalis* 2. *quæſt.* 1. §. 3. Gerſon, 2. *part. Serm. in Cœna Domini de Pœnitentia Alphabeto* 41. *littera F.* Henriquez, *lib.* 1. *de Pœnitentia, cap.* 4. *in fine.* Suarez, *tom* 4. *in* 3. *part. diſp.* 22. *ſect.* 9. *num.* 5. & 6. Quos omnes refert, & ſequitur Thomas Sanchez, *ſup. num.* 76. & idem docet Dicaſtillus, *ſup. dub.* 8. *num.* 134. Bonacina, *diſp.* 4. *quæſt.* 4. *punct.* 1. Filliucius, *tract.* 7. *cap.* 4. *quæſt.* 8. *num.* 109. contra Salas, 122. *quæſt.* 22. *tract.* 8. *diſp. unica. ſect.* 5. *num.* 60. *in ſolut. ad* 4. *Quid ſi habeat aſſenſum probabilem?*

30. Petes ſecundò: An ſi contingat, te poſt *Quæſitum ſecundum.*

confeſſionem legitimè factam recordari antè communionem alicujus peccati mortalis non confeſſi, tenearis illius confeſſionem præmittere antè communionem ? Reſpondetur affirmativam partem omnino tenendam eſſe cum Suarez, *diſp.66. ſect.3.* verſiculo *§ ſed hujus occaſione.* Henriquez, *lib.8.cap.46. num.3. in fine,* Coninchо, *quæſt. 80. art.4. dub.2. in principio,* Palao, *diſp. unic. punct.12.* Hetinx *diſp.6. num 75.* Cardinal. Lugo, *diſp.14. ſect.6. num.126.* ubi dicit eſſe praxim, & conſenſum omnium fidelium, qui etiam poſt legirimam confeſſionem non audent communicare, niſi prius confiteantur illa peccata; quorum denuò recordantur. Et ratio eſt: quia præceptum non eſt confitendi utcumque: ſed confitendi omnia peccata antè communionem: hoc autem non impletur, niſi illud aliud peccatum deferatur ad judicem antè communionem.

Ad excuſationem præmittendæ confeſſionis requiruntur duo. 31. Ab executione præcepti hucuſque dicti præmittendi confeſſionem, excuſatur quis, ſi non adſit copia confeſſoris, & neceſſitas communicandi urget. Utrumque enim concurrere debet quantumcumque quis ſe contritum exiſtimet, ut advertit. Tridentinum, *ſeſſ.13.cap.7.* & obſervat Nuñus, *in 3.part.q.80. art 4.* Cardin. Lugo, & Palaus, citati. Difficultas autem eſt, quandonam cenſeatur copia confeſſoris non eſſe, & neceſſitas communicandi urgere ?

Quibus caſibus Confeſſoris copia abeſſe cenſeatur. Primus. 32. Quantum ad primum Confeſſoris copia abeſſe cenſetur pluribus caſibus. Primò: ſi ita à te diſtet, ut nequeas illum abſque gravi incommodo adire, quod prudentis judicio judicandum eſt, ſpectatis, tum debilitate tua, & ætate, tum etiam aliis circumſtantiis, ut brevitatis temporis, in quo celebrare debes. Ita Vaſquez, *diſp.207. cap.2. num.9.* Coninchus, *quæſt.80. art.4.* Bonacina, *quæſt.6. punct.1. n.30.* Palaus, *num.6.* & alii paſſim.

Secundus. 33. Secundò: ſi nullus adſit, qui juriſdictionem habeat, aut cui juriſdictionem ex privilegio concedere poſſis: quia deficiente juriſdictione, Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrari non poreſt. Ita Suar. *diſp.66. ſect.4.* Vaſquez, Coninch. Bonac. Palaus, *loc. cit.* & alii.

Tertius. 34. Tertiò: quando ſolus adeſt Confeſſor, de quo probabiliter timetur, quod revelabit crimen, vel provocabit ad malum, vel aliud grave nocumentum ex tali confeſſione ſequetur. Ita Ledeſm. *in ſumma, cap. 11.* Nuñus *loc. cit.* Bonacina, *diſp.4. q.6. punct.1. n.28.* & plures, quos refert, & ſequitur Palaus, *ubi ſup.* Nam talis timor cauſa eſt ad excuſandum à confeſſione ſufficiens ex communi Doctorum ſententia, prout notat Suar. *dict. diſp. 66. ſect. 4. §. Tertius caſus.* N.Franciſ. *diſp.7. n.79.* Advertunt tamen dicti Doctores, quod ſi ſolum damnum probabilirer timeatur de quibuſdam peccatis mortalibus, & habeas alia peccata mortalia, teneris confiteri de iſtis: quia ſic præſtas confeſſionem formaliter integram, & præcepto de præmittenda confeſſione ſatisfacis.

Quartus. 35. Quartò: quando nullus adeſt, cui poſſis ſine interprete confiteri, ut docet Coninch. *loc. cit. n.19.* N.Gabr. *diſp.14. q.5.* Vel ſolus adeſt Sacerdos mutus. Ita Card. Lugo, *ubi ſup.*

Quintus. 36. Quintò: ſi habeas peccatum reſervatum, & nullum aliud mortale, nec pateat aditus ad ſuperiorem, etiamſi ſit præſens Confeſſarius, qui te non poſſit abſolvere. Ita Ledeſm. *ubi ſup.* Coninchus, *n.21.* Palaus, *n.6.* Suarez *ubi ſupra, §. Quartus caſus.* Reginald. *l.29. q.4. ſect.2.* Verum ſi aliis peccatis mortalibus non reſervatis gravatus exiſtas, debes in eo caſu confiteri et inferiori. Ita Doctores citati, & alii communiter. Utrum autem tenearis inferiori tunc dicere non ſolum peccata non reſervata, verum etiam reſervata, diviſio eſt inter Doctores, Illa enim ſola te poſſe in tali caſu confiteri, tacitis reſervatis, tenent aliqui Juniores, quos ſuppreſſo nomine, refert Nuñus, *3.p. quæſt.9. additionum, art.2. in 2. part. art. dub.3.* & docet abſolutè Palaus, *punct.1. Operis moralis, tract 4. diſp.4. punct 3. §.6.* Franciſ. *n.82.* Verum oppoſitam aſſerentem debere omnia peccata reſervata cum non reſervaris dici Confeſſario inferiori, traduot Sotus, *in 4. diſt. 18. art. 5.* Ledeſma, *in ſumma de Sacram. Euchariſtia, cap. 11.* Nuñus, *ubi ſupra.* Et eſſe ſaris commune fatetur Card. Lugo, *diſp 14. ſect.5. n.87.* & eſt ſecurior, & conſulenda, ut bene docet Filliuc. *tract.4. de Euchar. c.8. n.213.*

Quæſitum primum. 37. Sed petes primò: An pœnitens, qui in caſu urgentis neceſſitatis non haberet alia mortalia non reſervata, teneretur ex præcepto ad confitenda venialia Sacerdoti inferiori, ut ab his directè abſolveretur, & indirectè à reſervatis ? Reſpondetur negativè cum Nuño, Petro de Ledeſma, Suarez, Coninchо; Cardinali Lugo, & Reginaldo *locis citatis*: quia confeſſio venialium non videtur obligare ſub præcepto: ac proindè præceptum præmittendæ confeſſionis antè communionem non obligat ad venialia confitenda, ſi ſis conrritus, quamvis ſuadendum ſit, ut confitearis; ſi tamen exiſtimas te non eſſe contritum; ſed ſolummodo attritum, obligaris ad confitendum venialia ex lege præſcribente Sanctè ſuſcipiendum Sanctum Sanctorum, ut ſcilicet virtute Sacramenti Pœnitenriæ, quod vim habet conferendi gratiam juſtificantem, fias ex attrito contritus, non ponens obicem eidem grariæ.

Quæſitum ſecundum. 38. Petes ſecundò: quid dicendum ſit, ſi habeas excommunicationem reſervatam. An urgente etiam gravi neceſſitate communicandi, & non data copia ſuperioris legitimi, poſſis, aut debeas confiteri inferiori, qui tè à prædicta excommunicatione ſolvere non poteſt ? Vaſquez, *tom.4. quæſt.9. art.3. dub.9. num.8.* Sylvius *in addit. ad 3. part. quæſt 20. art.2. quæſt.3.* & alii probabiliter aſſerunt, in tali caſu te cum contritione poſſe communicare, non tamen poſſe confiteri, ut abſolvaris directè à non reſervatis. Probabilius tamen nobis videtur tunc poſſe te confiteri non reſervata confeſſori inferiori, à quo abſolveris directè ab illis, & indirectè à peccato reſervato, licet ab excommunicatione nullo modo abſolvaris: quia excommunicatio ſicut non privat te tunc receptione Euchariſtiæ proprer urgentem neceſſitatem: ſic nec privat te receptione Sacramenti pœnitentiæ propter eamdem neceſſitatem. Ita Suarez, *tom 4. diſp.31. ſect.3.* Coninch. *diſp.8. n.107.* Cardin. Lugo, *diſp.14. ſect.5.* Sed objicies, tum univerſalem illam regulam, excommunicatum, nimirum non præmiſſa abſolutione à cenſura, non poſſe validè abſolvi à peccato. Tum etiam

excom-

excommunicationem per ſe prohibere receptionem cujuſlibet Sacramenti, per accidens autem te tunc excuſari propter gravem neceſſitatem; cumque neceſſitas ſolum ſit recipiendi Euchariſtiam, quâ acceptâ ceſſat periculum ſcandali, vel infamiæ, non debere extendi eam licentiam ad recipiendum aliud Sacramentum. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur illam regulam non eſſe ita univerſalem, ut in aliquo caſu per accidens non poſſit excommunicatus non præmiſſa abſolutione à cenſura validè abſolvi à peccato, ut præter Suarez, Coninchum, & Lugonem, docet Thomas Sanchez, *lib. 2. in Decalogum*, *c.* 8. *n.* 5. Ad ſecundam dicendum, eo ipſo quod in dicto caſu licita tibi ſit ſuſceptio Euchariſtiæ, fieri quoque licitam confeſſionem ſacramentalem, quæ ex divino præcepto debet præmitti Euchariſtiæ. Unde conſequenter dicendum videtur cum Cardin. Lugò, tunc te non ſolum poſſe, ſed debere omnino per ſe loquendo premittere confeſſionem, ut obſerves quantum fieri poteſt divinum præceptum confitendi omnia mortalia antè communionem; licet per accidens poſſit excuſari, conſormando te practicè cum ſententia contraria.

Quæſitum tertium.

39. Petes tertio, An quando abeſt tuus proprius Sacerdos, ſed adſunt alii quibus potes ex privilegio confiteri, tenearis ad utendum privilegio? Reſpondetur affirmativè: quia tunc abſolutè, & ſine incommodo poteſt ſervari divinum præceptum. Ita Filliucius *tract. 4. de Euchariſtia*, *cap.* 8. *n.* 213. *in fine*. Suarez, *diſp.* 66. *ſect.* 4. Nuñus, 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 4. & alii.

Objectio.

40. Sed objicies: nullus tenetur uti privilegio: ergo cum confiteri tali Sacerdoti ſit privilegium, non teneberis illi confiteri. Reſpondetur, antecedens eſſe falſum, quando uti privilegio eſt neceſſarium ad ſervandum præceptum præcipuè divinum: alias tranſeat antecedens. Cumque præceptum confitendi in noſtro caſu ſit divinum, teneberis uti privilegio, quod eſt neceſſarium ad ſervandum hujuſmodi præceptum.

Solutio.

Quæ neceſſitas ſufficiat cum abſentia confeſſoris ad non præmittendam confeſſionem?

41. Reſtat autem agere de ſecundo puncto, ſcilicet de neceſſitate, quæ, ut dictum eſt, ſimul cum abſentia confeſſoris concurrere debet, ut à confeſſione communioni præmittenda, exiſtimans te eſſe contritum, excuſeris. Hæc autem neceſſitas, non quæcumque ſed gravis eſſe debet: quia res ſatis gravis eſt prætermittere executionem cujuſdam præcepti divini, & in materia tam gravi. Ita Suarez, *dict. ſect.* 4. Nuñus *loc. cit.* Ledeſm. *c.* 11. & communiter Theologi.

Corollarium primum.

42. Hinc infertur primò, ut peccator ſinè confeſſione communicet, nulla ratione ſufficere, quod abſit Sacerdos, cui devotius, & ordinariè ſolet confiteri, ſi modo alius adſit, cui legitimè poſſit confiteri: quia hæc ſolum eſt major commoditas, non urgens neceſſitas. Ac ſi velit, poterit poſteà eadem peccata alteri confiteri, atque ita fructum illius devotionis acquirere. Ita Ledeſina, & Nuñus citati, Coninch. *q.* 80. *art.* 4. N. Gabr. *loc. cit.* & communiter DD. contra Ricardum, *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 14. & contra Armil. verbo *Communio, in fine*.

Corollarium 2.

43. Infertur ſecundò contra Roſellam in ſumma, non poſſe Religioſum qui confiteri valet Sacerdoti Laico, differre confeſſionem, & facere ſacrum, ut more ſuo intra religionem confiteatur, & ut aliquam ſuæ religionis infamiam excuſet: ~~quia ſine morali incommodo~~, vel religioſi, vel religionis ~~poterit~~ per ſe loquendo Sacerdoti Laico confiteri. Tùm, quia perſonalis lapſus religioſi per ſe non eſt infamia religionis: quod autem ſit aliqua infamia ipſius religioſi, non refert: quia eſt intrinſecè annexa confeſſioni. Tum etiam: ubi eſt ſervandum confeſſionis ſigillum, moraliter non exiſtimatur infamia gravis, quando excuſari non poteſt. Sola autem verecundia vel difficultas, quæ ſentiri tunc poteſt, non excuſat. Ita cum multis Suarez, *diſp.* 66. Nuñus & N. Gabr. ubi ſupra, & eſt communis.

Corollarium 3.

44. Infertur tertiò non poſſe peccati mortalis conſcium ſine confeſſione communicare propter alios caſus, qui non ſunt tam neceſſitatis, quam commoditatis, ut ſi quis habeat conſuetudinem frequenter communicandi, & neceſſe ſit illam interrumpere, ſi ſperet majorem devotionem ex communione, vel ſi occurrat dies valde ſolemnis, ut dies natalis Domini; vel ſi neceſſe ſit ſacrum facere pro anima purgatorii. Nam in his caſibus, & aliis ſimilibus non apparet vera neceſſitas; quam tamen requirit Tridentinum *loco citato*. Ita Suarez, *dict. ſect.* 4. *in fine*, Ledeſma, *ubi ſupra*, Filliucius, *num.* 218. Nuñus, *quæſt.* 80. *art.* 4. & alios referens Bonacina *de Euchariſtia, diſp.* 4. *quæſt.* 4. *puncto* 1. *n.* 26. contra nonnullos alios.

Primus caſus in quo adeſt gravis neceſſitas.

45. Sunt tamen plures caſus, in quibus gravis cenſetur neceſſitas contineri. Primus in periculo mortis, tam Sacerdotis, quam alterius: quando ſcilicet aliquis alias eſſet deceſſurus ſine viatico. Ita Suarez, Coninchus, Lugo, Filliucius, N. Gabr. *loc. cit.* & alios referens Bonac. *num.* 21. & 22. & cum pluribus aliis Leander, *tract.* 7. *diſp.* 7. *quæſt.* 22. & 23.

Objectio.

46. Neque obeſt in hoc caſu non poſſe Sacerdotem celebrare abſque altari, aut ſine veſtibus ſacris, cum tamen hæc requirantur ſolo præcepto humano: ergo minus poterit peccator abſque confeſſione, quæ exigitur præcepto divino. Reſpondetur enim præceptum Eccleſiaſticum non celebrandi abſque altari, aut ſine veſtibus ſacris obligare cum majori univerſalitate, ut conſtat ex uſu fidelium, qui hoc præceptum ita ſemper intellexerunt, ut non poſſit neceſſitas viatici ſumendi, vel dandi excuſare. Et reddi ratio poteſt: quia ad reverentiam tanti Sacramenti ſpectat, ut ſolemni, & uniformi ritu, apparatuque celebretur, qui ſanè haberi non poſſet aliâ viâ ſi propter dictam communicandi privatam neceſſitatem alterari valeret, ut rectè docet Lugo, *diſp.* 14. *ſect.* 5. *n.* 110. At vero ſtatus gratiæ haberi poteſt per contritionem abſque confeſſione. Unde poſitâ tantâ, & tam univerſali obligatione illius præcepti Eccleſiaſtici, non poteſt argui ab illo ad præceptum premittendæ confeſſionis, quod non obligat cum tanta univerſalitate.

Diluitur.

2. Caſus.

47. Secundus caſus neceſſitatis eſt, quando quis ſine gravi nota, vel ſcandalo non poteſt communionem omittere, ut ſi aliquis acceſſiſſet ad locum communionis, nec poſſet, ſine nota infamiæ recedere. Ita communiter DD.

Dubium incidens. 1. Sententia circa illud.

48. Sed quid, ſi recordaretur tunc peccati mortalis non confeſſi, & abſque nota poſſet recedere, (ut non ſemel poteſt, cum privatim communicatur) teneretur ne id facere? Negant aliqui, quibus favet Leander, *quæſt.* 18. Quia cum quodam modo inchoata ſit actio ſacra communicandi, non decet ob reverentiam Euchariſtiæ recedere à divina illa menſa, donec perficiatur: ſicut non decet recedere à menſa Principis ante convivium peractum, poſtquam aliquis ad illam ſedet. Nihilominus reſpondetur dicendum, eo caſu teneri recedere. Ita Medina, Ledeſm. Canus, Sylveſter, apud Dianam, *part.* 3. *tract.*4. *de Sacramentis*, *reſolut.*77. & cum multis Suarez, *dict. diſp.*66. *ſect.*4. *§. ſexta cauſa*, Filliuc. Et Bonac. Lug. Palaus, *ubi ſup.* & alii plures: quia receſſus ille tunc in ſacræ communionis irreverentiam minimè cederet, cum fieret propter graviorem cauſam, ne ſcilicet homo ille adeſſet convivio ſinè debita præparatione. Et ideo alii multi Authores ſemper adjungunt licere ſinè præmiſſa confeſſione, elicita contritione, tunc communicare, quando non poteſt quis retrocedere ſinè aliquo ſcandalo, vel notâ, ut videre eſt in Corduba, Armilla, Roſella, quos refert Suarez, *loco citato*, in Coninch, & aliis.

Tertius caſus.

49. Tertiùs caſus eſt ex reverentia ſacrificii: ut ſi Sacerdoti poſt conſecrationem memoria peccati mortalis non confeſſi, vel lapſus in hujuſmodi peccatum ſuperveniat: tunc enim cum ſola contritione progrediendum eſt propter ſacrificii perfectionem, quæ eſt res graviſſima, & maximè neceſſaria. Qua propter neque tunc celebrans tenetur, nec debet etiamſi poſſet ſinè nota, vel ſcandalo, ad ſe vocare confeſſarium: quia non decet ſacrificium jam ſubſtantialiter inchoatum interrumpere. Ita Suarez, *dict. ſect.*4. Coninch. *q.* 80. *art.*4. *dub.*2. *n.*16. Reginald. *lib.* 29. *q.*4. *ſect.*1. *n.* 106. & alii.

Obſervatio 1.

50. Si vero ea memoria, vel peccati læthalis perpetratio ſuperveniat Sacerdoti antè conſecrationem, & præſertim ante Canonem, debet confiteri, ſi abſque nota infamiæ poteſt, ut docent Suarez, Coninchus, Cardin. Lugo, Palaus, *loc. cit.* & alii multi: quia talis miſſæ pars cum ſit extrinſeca ſacrificio, poteſt ſinè indecentia interrumpi rationabili de cauſa, ut ſolet fieri propter concionem, aut propter oblationes, quas facit populus. Contra Leandrum, *de Euchar. diſp.*7. *q.*16. & contra alios apud Dianam, *tom.*3. *tract.*4. *de Sacram. reſol.*77. aſſerentes etiamſi Sacerdos ſtatim poſt introitum recordetur ſe in mortali eſſe, non teneri accerſere confeſſarium, quamvis id fieri ſinè nota poſſit, ſed ſatis eſſe elicita contritione, ob honorem ſacrificii pergere, & cœptum perficere. Utrum autem teneatur inchoatum ſacrum deſerere, ſi ſinè nota poſſit, non ita certum eſt. Negant Victoria, *de Euchariſtia, num.*79. D. Bonavent. *in* 4. *diſt.* 13. Sotus, ibidem, *q.*2. *art.*6. Navarrus, *cap.*25. *num.*76. Palaus, *loc. cit.* & ferè omnes ex his citans Suarez rationem addit: quia quamvis prima illa miſſæ pars non ſit de ſubſtantia ſacrificii, tamen ex inſtitutione Eccleſiæ ſimul fit cum ſacrificio per modum unius actionis ſacræ: ideoque poſtquam ſemel eſt inchoata, debet abſolvi, non deſeri.

Obſervatio 2.

51. Denique ſi antequam Miſſa ſit inchoata, Sacerdos etiam jam poſitus in altari veſtibus Sacerdotalibus indutus recordetur peccati mortalis non confeſſi, debet, ſi poſſit ſinè nota, vel ſcandalo, exutis etiam ſacris veſtibus quærere confeſſarium, potius quam non præmiſſa confeſſione communicare: quia ex parte ſacrificii excuſari non poteſt, cum ſacra actio nondum ſit inchoata. Ita cum Soto, Suarez, dicta *ſect.*4. Reginald. *n.*106. & alii, contra Leand. *quæſt.* 17.

Caſus quartus neceſſitatis.

52. Quartus neceſſitatis caſus eſt, quando Sacerdos tenetur ex officio celebrare, nec poteſt id facere per alium, quale officium habet Parochus, cui incumbit, vel per ſe, vel per alium ſacrum facere diebus dominicis, & feſtivis, ut populus ſatisfaciat præcepto audiendi ſacrum: hic enim, ſi alius non adſit Sacerdos ejus vices gerens, & ob longiorem diſtantiam ab aliis Sacerdotibus nequeat copiam confeſſoris habere, poterit propter hujuſmodi neceſſitatem cum interiore contritione non præmiſſa confeſſione celebrare. Et de hac neceſſitate communicandi videtur præcipuè loqui Tridentinum, *ſeſſ.*13. *cap.*7. ubi ſimul injungit, ut talis poſtea quamprimùm confiteatur. Ita ex communi ſententia Suarez dicta, *ſect.*4. Bonacina, *diſp.*4. *quæſt.*6. *punct.* 1. *num.* 23. Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 46. Palaus, *punct.*12. Reginald. & Filliucius *loc. cit.*

Illatio Dianæ aliis non admiſſa.

53. Ob hanc etiam cauſam alteri, qui non eſt Parochus, idem licere putat cum aliis Diana, *part.*9. *tractat.*3. *reſolut.*9. Sed rectius Suarez, *diſp.* 66. *ſect.*4. Filliucius, *num.* 216. Palaus *loco citato*, & alii oppoſitum docent per ſe loquendo, ſeu quantum eſt ex vi hujus cauſæ: quia reverà id non eſt tunc neceſſarium ad peccatum aliorum vitandum. Nam etiamſi hujuſmodi Sacerdos tunc non celebret ſacrum, alii non peccabunt non audiendo: quia nullus eſt, à quo poſſint audire: ergo cum aliàs Sacerdos non habeat obligationem celebrandi, ſitque peccati conſcius, non licebit illi per ſe loquendo, ſeu ex vi hujus cauſæ facere ſacrum ſinè confeſſione præmiſſa.

Quæſitum primum.

54. Sed rogabis primò: An quando obligatio audiendi ſacrum cadit in ipſum Sacerdotem, & non poteſt audire Miſſam, niſi celebret, poſſit propter implendam illam obligationem, deficiente copia confeſſoris, ſacrum facere? Hanc neceſſitatem ſufficere affirmant Paludanus, *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.*4. *concl.* 10. Sylveſter ſupra, Diana *reſolut.* 63. *&* 64. & alii. Verum rectius negant D. Antonin. Sotus, & alii, quos referunt, & ſequuntur Suarez *loc. cit.* Filliucius, *c.*8. *n.* 217. N. Franciſc. *n.*92. Tunc enim non obligatur præcepto, quia debito modo non poteſt impleri. Addunt tamen Suarez, & Filliucius, quod ſi Sacerdos tunc velit, poteſt ſecurè ſequi opinionem Sylveſtri, & Paludani, præſertim ſi multo tempore ceſſandum illi eſſet à ſacrificio.

Quæſitum ſecundum.

55. Rogabis ſecundò: An cenſendus ſit ſufficiens neceſſitatis caſus, quando urget præceptum communicandi in Paſchate? Affirmant Henriquez, & alii, quos refert, & ſequitur Palaus, *n.*7. *§. Quarta excuſatio.* Sed melius cum aliis Suarez, & Franciſc. Reginaldus ſupra aſſerunt

præſtare

Digitized by Google

præſtare tunc communionem Paſchalem omittere, eo quod hoc præceptum non obliget, quando non poteſt impleri convenienter jure divino.

PUNCTUM IV.

De diſpoſitione ex parte corporis ad ſacram communionem.

Quis corporis habitus, & diſpoſitio ad communionem.

ACcedendum quidem eſt ad ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum illo corporis habitu, & diſpoſitione, quæ interiorem animi reverentiam, & devotionem oſtendat. Sacerdos autem quando extra ſacrificium communicat more Laicorum, ſtolam ſuper utrumque humerum impoſitam debet habere. Ut præcipitur in Concilio Bracharenſi, 3. *cap.*2. & habetur in cap. *Eccleſiaſtic.*23. *diſt.* ubi licet pœna excommunicationis ferendæ imponatur ei, qui hoc non obſervat, non tamen videtur obligare ſub mortali ſecluſu contemptu: quia res non eſt admodum gravis, nec communi uſu videtur eo ſenſu recepta, ut docent Suarez, *diſp.*68. *ſect.*1. Reginaldus, *lib.*29. *quæſt.* 5. Quod ſi non lotis manibus celebret, ſi advertenter fiat, viri docti dicunt eſſe peccatum veniale, ut reſtatur Granado, *controverſ.*6. *diſp.*9. *num.* 13. Præterea in cap. *Tua nos de clerico ægrotante*, Sacerdos leprâ infectus propter horrorem populi ab altaris miniſterio removetur. inde tamen non ſequitur ſecretò celebrare non poſſe, ut obſervant Palaus, & alii.

Quando fluxus ſanguinis eam impediat.

57. Si fluxus ſanguinis nimium ſit diuturnus, non ideo privandus eſt homo Euchariſtia, ut rectè, Sotus, Suarez, & alii, quos refert, & ſequitur Granado *loco citat.* Si autem brevi ceſſabit, & poteſt commodè differri communio, aliquando ſemel, aut iterum differatur, ut docet Card. Lugo, *diſp.* 15. *ſect.* 1. Mulier verò tempore menſtrui non ex præcepto, ſed ex conſilio à communione abſtinere debet, niſi cauſa urgeat, ut Sanctus Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Baſilidem affirmat, ſequunturque Suarez & alii. Idque ſi ſperatur communio brevi tempore abſque illa macula ſuſcipienda, ut inquit Palaus.

Quid de pollutione.

58. De pollutione autem ſpecialiter agunt Doctores, qualiter communionem impediat. Qua in re ex communi ſententia aliqua ſupponenda ſunt. Primum: ſi pollutio ſit peccatum mortale, aliud quoque mortale eſſe accedere ad Euchariſtiam, niſi prædicta culpa expietur. Et idem eſt de fornicatione, & quolibet alio peccato læthali. Secundum: ſi pollutio eveniat abſque mortali culpa non peccare mortaliter eum, qui poſt eam illuſionem, ſeu maculam eodem die ſuſciperet Euchariſtiam. Et idem dicendum, ſi quamvis pollutio fuerit mortalis Sacramento pænitentiæ expiata eſt. Tunc enim homo abſolutè, & ſimpliciter loquendo indignè non manducat, ac proinde nec graviter peccat. Tertium: pollutionem tripliciter poſſe contingere. Primò cum peccato mortali, ut ſi plenè voluntaria fuit Secundò cum ſolo veniali, ut ſi ſemiplenè voluntaria extitit. Tertiò ſine peccato, ut quando omninò invito accidit.

Quæſitum primum.

59. Quibus ſuppoſitis ſupereſt explicandum. Primò, quandonam ſit peccatum veniale accedere ad Euchariſtiam poſt pollutiunem, quæ eo die naturaliter contingit. Et quidem ſi pollutio læthalis culpa fuit, deleta tamen in Sacramento pænitentiæ, quandiu effectum malignum reliquerit: v.g. turpem recordationem, vel commotionem carnis, evagationem mentis, & animi perturbationem, non ſolum præſtat, ſed ſub veniali debet communio differri; niſi vel ſcandalum, vel alia juſta cauſa exigat communionem. Ita Nuñus, *quæſt.* 80. *art.*7. Ledeſma *de Euchariſtia*, *cap.*13. Henriquez, *cap.* 51. §. 2. Granado, *diſp.* 9. Regin. *quæſt.*7. *num.*115. Bonacina, *diſp.*4. *quæſt.* 6. & alii: quia eſt aliqua irreverentia, ac indecentia eâ indiſpoſitione, ac impuritate Chriſti puriſſimum corpus recipere.

60. Si verò cauſa pollutionis fuerit aliqua levis culpa, & poſtea mens vel non patiatur magnam divagationem; vel ſi patiatur, in ea repellenda homo negligens non ſit, non erit peccatum ſumere eodem die hoc Sacramentum. Ut docent Suarez, Coninchus, Palaus, Henriquez, *locis cit.* Filliucius *cap.* 8. *num.* 229. & alii plures: Oportebit tamen pænitentiâ deleri culpam illam pollutionis venialem, ut ita macula illa prorſus extergatur, quamvis id non ſit præceptum,

61. Si denique pollutionis nulla fuit culpabilis cauſa, multo minus erit veniale ratione ipſius ſolius; ratione verò aliorum effectuum dicendum, ut in præcedenti. Ita Doctores citati.

Quæſitum ſecundum.

62. Explicandum eſt ſecundò: An ſit conſilium, & melius abſtinere à communione eodem die, quo quis patitur pollutionem abſque culpa mortali. In qua difficultate dicendum eſt cum Suar. *diſp.*68. *ſect.*2. & N. Anton. *in direct. confeſſariorum. tract.* 7. *diſp.* 4. *n.*28. ſi ea de cauſa homo ſe ſentit tepidum, & ineptum ad res divinas pertractandas, vel ſi magnam mentis diſtractionem, vel varias cogitationes patitur, conſultius eſſe abſtinere, donec præteritæ paſſionis omninò obliviſcatur: & quia hoc frequentius accidit in vulgaribus hominibus, hoc illis eſſe regulariter conſulendum; niſi ſpecialis aliqua cauſa communionis faciendæ eo die occurrat. At verò ſi pollutio nullum hujuſmodi effectum reliquit, & homo poteſt reverenter, & devotè accedere, non aliter ac ſi nihil paſſus fuiſſet, non eſſe cur communionis gratiâ privetur: ſicut nec privari debet, quando pollutio à dæmone excitata putatur ad communionis frequentiam impediendam, ut de quodam Monacho, ex collationibus Patrum, refert D. Thomas, *art.*7. *citato*: aut ſi fortè immunditia fluxus ſeminis omnino abſque peccato perpetua ſit, vel diuturna, ſicut eſt lepra, vel fluxus ſanguinis.

Quæſitum tertium.

63. Sed petes: quid de conjugibus dicendum ſit? Et quidem in primis poſt conjugalem copulam (maiori ratione quam poſt pollutionem nocturnam, quia hic actus magis eſt voluntarius & in poteſtate hominis, quam nocturna pollutio) convenientiſſimum eſt abſtinere ea die à communione, idque conſulendum: niſi juſta aliqua cauſa oppoſitum ſuadeat. Ut mul-

tis probat Thomas Sanchez, *lib.9. de debito conjugali, diſp.* 13. Deinde conjugale debitum exigens ex nimia carnis concupiſcentia, & voluptatis capiendæ gratiâ, regulariter culpam venialem admittit accedens poſt eam copulam ad Euchariſtiam: quia oritur magna diſtractio, mentiſque hebetudo deficiente bono præponderante, aut compenſante. Ita cum multis Suarez, *diſt. ſect.* 2. & cum aliis pluribus Thomas Sanchez, *loco cit.* Poſſunt tamen aliquæ juſtæ cauſæ adeſſe, quæ indecentiam illam reſarciant: atque ita nulla ſit culpa accedere tunc ad Euchariſtiam: ut ſi magna feſtivitas occurrat, in qua eſt decentiſſimum ad hoc Sacramentum accedere. Ut ajunt idem Thomas Sanchez, & Tabiena, verbo *Communio, quæſt.* 37. §. 43. Vel ſi dies ſit jubilæi, exigatque communionem, quo comparetur. Ut docet Henriquez, *lib.8. cap.*61. *num.*3. aut ſi ſit ſpecialis devotio, præparatioque ad Euchariſtiam. Ut aſſerunt Roſella, Sylveſter, & alii, quos refert, & ſequitur idem Thomas Sanchez. Vel ſi nota aliqua, ex eo quod communio omittatur, prudenter timetur. Ut docent alii. Præterea ſi debitum petitum ſit ex legitimo fine, ut cauſa prolis, nulla eſt culpa ad communionem ea die accedere; ſed ſolum eſt conſilium abſtinere. Suo judicio is conjux eſt reliquendus, ut pro ratione impedimenti, aut ſpiritualis affectus, quem in ſe ſenſerit, aut communicet aut abſtineat. Ita D. Greg. *reſp.* 10. *ad interrogationes* D. Auguſtini: & refertur in cap. *Vir cum propria* 33. *quæſt.*4. Et cum multis docet Thomas Sanchez citatus. Et idem dicendum eſt de conjuge reddente debitum, ac de petente cauſa prolis: immo à fortiori de conjuge reddente id fatendum eſt: ille enim actum ſpontaneum; hic verò neceſſarium exercet. Quare is ſuo judicio relinquendus eſt, ut de petente cauſa prolis dictum eſt.

Obſervatio

64. Monent tamen Doctores minimè eximi conjugem à debiti reddendi obligatione, eo quod illa die Euchariſtiam recepturus ſit: quia obligatio hæc ex ipſa juſtitiæ lege oritur, nec invenitur jus aliquod hunc caſum excipiens.

Obligatio jejunii ad Euchariſtiã recipiendam

65. Verùm accedamus jam ad obligationem, qua jejuni ad ſacram communionem accedere debemus. Tenetur quidem ſub mortali communicaturus regulariter eſſe jejunus jejunio naturali, ideſt ut à medio noctis nihil omnino per modum cibi, aut potus ſumpſerit, etiam per modum medicinæ. Hæc aſſertio eſt communis, & certa *ex can. liquado de cons, diſt.* 2. *&* 6. Synodo, *cap.*29. Toletan.7. *cap.*2. Conſtantienſe, *ſeſſ.*13. Matiſconenſ. 2. *can.*6. Patet etiam Eccleſiaſtica conſuetudine ab Apoſtolorum tempore, ut docet ex Sanctis Patribus Suarez, *diſp.* 68. *ſect.* 3. Rationem hujus conſuetudinis optimè aſſignavit Concilium Matiſconenſe citatum, ne ſcilicet cœleſti, & ſpirituali cibo terrenus præponeretur.

In jejunio naturali ad Euchariſtiã requiſito nõ datur parvitas materiæ,

66. Porrò jejunium hoc ex obligatione ſervandum excludit cujuslibet etiam minimi cibi, potuſvè vitalem ſumptionem. Ut habetur in Concilio Toletanò 7. *can.* 2. ubi ſic dicitur: *Nullus poſt cibum, potumque quamlibet minimum ſumptum Miſſas facere præſumat.* Undè parvitas materiæ non excuſat à peccato gravi: Ut rectè obſervant N. Gabr. *diſp.*14. *quæſt.*6. N. Ant. *n.*153 Cardin. Lugo, *diſp.*15. *ſect.*2. *n.*22. & cum multis Palaus, *diſ. unica p.*13. *n.*7. legatur N. Franſ, *n.* 32. *&* 34.

Aliqui caſus examinantur.

67. Non tamen violatur hoc naturale jejunium ex trajectione ſalivæ, vel ſanguinis, vel humoris ex capite ad os defluentis: quia non eſt trajectio alicujus rei á comedente extrinſeca. Ut docent Suarez, *ſect.*4. Bonacina, *quæſt.*6. *punct.*2. *num.* 6. Layman, *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 18. N. Gabr. & communiter Doctores. Quinimò qui abluendo os deglutivit caſu guttam aquæ per modum ſalivæ, cui admixta eſt; & qui guſtando cibum, aut jus, aliquid per modum ſalivæ trajecit a communione non impeditur, ut communiter cenſent Theologi. Secus eſſet dicendum, ſi ex propoſito hæc faceret. Ut cum multis docet Palaus, adverſus Tabienam, verbo *Communicare num.*49. *&* 50. fruſtula verò cœnæ præcedentis caſu inter dentes adhærentia, ſi deglutiantur etiam ex propoſito, non impedire communionem: quia illorum ſumptio non cenſetur nova comeſtio, probabile ajunt Suarez, *ſect.* 4. Henriquez *lib*, 8. *cap.* 49. Coninchus *quæſt.* 80. *art.* 8. Palaus, *loco cit.* & indicant Joannes de la Cruz, *quæſt.* 5. *dub.* 4. *concl.* 2. & aliis citatis Diana 3. *part. tract.* 4. *reſolut.* 37. & Granado *tract.* 10. *diſp.* 8. Nihilominus oppoſita ſententia, ſi ſcienter, & ex propoſito ſumantur, ut ſecurior eligenda videtur, quæ ſignificatur ab Angel. Doct. D. Thom. 3. *p. q.* 80. art. 8. ad 4. dum dicit illas reliquias non impedire, *ſi caſualiter tranſglutiantur.* Unde eas quantum commodè fieri poteſt expuere conſulendum eſt.

68. Saccarum autem ori impoſitum præcedenti nocte, ut paulatim liquefactum raucedinem faucium, vel pectoris liniat, impedit ſequentis diei communionem; niſi moraliter quis certus ſit poſt medium noctis ſe nihil tranſmiſiſſe, quia cum illa materia ori imponatur, ut paulatim deglutiatur, ex intentione ſumentis tamdiu durat ejuſdem comeſtio, donec ipſe totam deglutiverit, ut bene notarunt Coninchus, *n.* 49. Palaus *num.* 8. N. Gabr. *qu. cit.* & alii. Quod ſi quid per modum reſpirationis caſu, & præter intentionem attrahatur, ut muſca, vel quid ſimile non manet impeditus ad ſumptionem Euchariſtiæ: quia non fuit per modum cibi, aut potus tranſmiſſum. Ita Fagundez, *præcepto* 3. *cap.* 5. *n.* 14. Diana reſolut. 36. Reginaldus, *lib.* 29. *q. ultima* Franciſ. *n.*29.

Prima difficultas.

69. Sed rogabis primò: an ſi dubites utrum mediam noctem cœnando exceſſeris, vel maſticando aliquid deglutiveris, liceat tibi celebrare, vel Euchariſtiam ſumere? affirmant Sanctius in ſelectis *diſp* 42. *per totam*, & tanquam probabile admittunt Layman, *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5 §. 4. *nu.* 36. Diana *reſolut.* 29. N. Gabr. *loco cit.* Sed rectius negativam ſententiam docent Thomas Sanchez de Matrimonio, *tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 41. *n.* 40. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *difficultate* 21. *n.* 6. Fagundez, *n.* 18. quia lex jejunè ſumendi eſt in poſſeſſione. An verò ſi quis comedat uſque ad ultimum horologii ictum poſſit manè communicare? negat Lugo *diſp.* 15. *n.* 37. quia ad primum horologii ictum hora 12. elapſa eſt. Sed verius cum Breſſero, Trullenc. & aliis affirmat N. Gabr. à S. Vinc. *diſp.* 14. *qu.* 6. quia ejuſdem horæ ictus uſque ad ultimum eandem

mo-

moraliter horam complent & pro unico ſaltem moraliter tempore computantur. Nimirum tamen laxa videtur opinio Caramuelis *in regul. D. Benedicti diſp.* 101. *nu.* 1328. aſſerentis ipſo mane celebrare poſſe qui uno quadrante & amplius poſt 12. aliquid ſumpſerit poterit nihilominus ſi duo ſint horologia inter quæ dimidiæ circiter horæ eſt varietas, quis ſequi quod maluerit, dummodò de errore non conſtet nec opinionum fiat mutatio; ita cum Lugone, Bonacina, Paſqualio, docent N. Au. & Gab. *loc cit.*

Secunda difficultas

70 Rogabis ſecundò, an impediat communionem ſi fruſtillum ligni, carthæ, unguium, vel lapillum, aut nummum aureum, vel quid ſimile deglutias? Negant Joannes Sanctius, *nu.* 23. Franciſc. *n.* 30. Diana, ubi ſupra, *reſolut.* 8. referens Coronam, Joannem de la Cruz, Ludovicum de S. Joan. & hanc ſententiam putat probabilem Ledeſma *in ſumma, tom.* 1. *de Euchar. cap.* 23. *concluſ.* 4. ubi ſic ait: *Ay una duda, ſi uno in advertidamente traga un poco de papel, ò de otra coſa que no tiene razon de comer, ni debeber ſi el tal podrà comulgar? En eſta dificultad, algunos dizen que ſi: por no ſermanjar: y otros dizen que no; porque parece que en eſte caſo tienen lugar derechos tratados: à eſta dificultad ſe reſponde, que ambas ſententias ſon prob bles, y ſe pueden ſeguir.* Sed tutiùs, & rectius alii impedire communionem affirmant: quia eo caſu ſumptio cæleſtis cibi non eſſet prima comeſtio, cum alia præceſſiſſet; tametſi rei non nutritivæ, quod ad comeſtionem non videtur requiri, utpote quæ in trajectione vitali ex ore ad ſtomachum conſiſtat. Ita Palaus, *diſp. unica punct.* 13. *nu* 7. referens Henriquez, Reginaldum, Naldum, Nuñus, Bonacina, & Layman. Idem etiam affirmant Villalobos, *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 7. *difficult.* 39. *n.* 1. Scottia *de Sacrificio Miſſæ, lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 1. & Granado *loco citato.*

Tertia difficultas.

71. Rogabis Tertiò: an violetur jejunium naturale ad communionem requiſitum quando aliquis fumum, vel pulverem tabaci naribus ſumit? Partem affirmativam tenent Antonius de Leone *in quæſtionibus moralibus de chocolate p.* 2. §. 4. *n.* 10. & ſeq. & eruditus admodum N. Lezana, *tom.* 3. verbo *Eucharistia, nu.* 16. Negativa tamen pars ſuſtinetur à Diana, *p.* 5. *tract.* 13 *reſolut.* 1. & cum aliis *p.* 8. *tract.* 7. *reſolut.* 3. & à Cardin. Lugo, *lib.* 1. *reſponſionum moralium, dub.* 9. & aliis. Quia illa attractio per nares non eſt vera comeſtio, aut potatio, quibus actionibus jejunium ſolvitur. Verum in hac re diſtinguendum eſſe cenſemus, ſi enim vel nihil fumi tabaci ad ſtomachum tranſmittitur, vel ſi aliquid trajicitur eſt ſolum reſpiratione involuntaria, & præter intentionem, non impedit ſacram communionem: quia quod ſic ſumitur, non frangit jejunium naturale, ſicut illud non frangit, cum quis reſpirando, pulverem, aut fumum, culicem aut muſcam caſu, & præter intentionem attrahit, ut præter ſupra citatos, tenent Suarez, *diſp.* 86. *ſect.* 4. §. *Quæ res rurſus.* Granado, *num.* 4. Villalobos, *tom.* 1. *tract.* 7. *difficult.* 39. *num.* 5. & alii. Si verò quis inſtrumento ad id deſtinato voluntaria trajectione fumum tabaci ad ſtomachum tranſmittit per fauces, & à fortiori per os, frangit jejunium Euchariſticum: quia eſt verè comeſtio, & de trajectione voluntaria per os, præter Anton. de Leone, & N. Lezanam, ita expreſſè docent Joann. Præpoſit. Ludovic. Ramirez, & alii plurimi, quos refert, & ſequitur Thom. Hurtado, *tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 4. *reſolut.* 2.

Quarta difficultas.

72. Rogabis quarto. An folium tabaci ore ſumere, & dentibus conterere ad ſputa, & phlegmata ex ore projicienda ſolvat jejunium naturale? Affirmat Antonius de Leone *loc. cit.* quia ſemper aliquid ex ſucco in ſtomachum trajicitur. Alii verò probabiliter dicunt, ſi nihil in ſtomachum trajiciatur, non violari jejunium naturale. Ita Diana, *part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 3. Joannes Præpoſitus, *in* 3. *part. quæſt* 80. *art.* 8. Cardinalis Lugo, *dict. lib.* 1. *dub.* 9. Franciſc. à S. Sp. *num.* 28. Quia non eſt neceſſe, quod aliqua ſubſtantiæ pars trajiciatur in ſtomachum, ut dicti effectus fiant; ſed poteſt ſufficere applicatio dicti folii ad linguam, & os, ut virtutem tranſmittat in ſtomachum. Si enim ſufficit aliquando, quod applicetur ad nares, ut ſimiles ferè effectus cauſet, licet tunc nihil per fauces trajiciatur, quantò ergò magis ſufficiet, quod in ore, & lingua habeatur. Monendum tamen eſt, ne ulla tabaci ſumptio ſive in ore, ſive in naribus in Eccleſia, vel ejus ambitu fiat, ſive antè, ſive poſt Miſſam, vel communionem propter reverentiam illorum locorum, & tanto Sacramento debitam, maximè per os propter periculum trajiciendi illud in ſtomachum. ita bene & latius N. Sthephan. hic *n.* 28.

Quinta difficultas.

73 Rogabis quintò: an poſt ſumptam Euchariſtiam ſervare aliquo tempore jejunium præceptum ſit? Reſpondetur, quod licet ſecundum antiquos canones in cap. *Tribus gradibus de conſecrat. d.* 2. ſtatutum ſit ſumptâ manè Euchariſtiâ ſervari jejunium uſque ad ſextam: & ſumptâ hora tertiâ, vel quartâ ſervari uſque ad veſperum; Canones tamen illos conſuetudine abrogatos eſſe, docent Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1 *artic.* 8. & cum aliis Palaus, *diſp. unica punct.* 13. Ob reverentiam tamen Sacramenti eſſe maximè decens abſtinere à cibo, & potu, donec ſpecies conſumptæ ſint, quod in Sacerdote intra quadrantem fieri cenſet Cardinalis Lugo, *diſp.* 10. *ſect.* 3. *num.* 54. Alii vero notant citius à valido, quam à debili ſtomacho, regulariter tamen ab omnibus intrà horam conſumi, referuntque infirmum quemdam poſt mediam horam ſpecies integras rejeciſſe. Decet autem ſimiliter non ſpuere ſtatim poſt Euchariſtiam ſumptam, maximè ſi ſputum ex pectore profluit, ut cum multis tradit Palaus *loco cit.*

Quibus in caſibus non jejunus communicare poſſit primus.

74. Dictum eſt in reſponſione *n.* 65. *regulariter*: quia non jejunus licitè communicat in aliquibus caſibus, quos placet breviter examinare. Primus caſus eſt in periculo mortis, ſive illud ſit ex morbo, vulnere, veneno, ſive ex ſententia judicis: quia ſic habet Eccleſiæ ſenſus, & uſus. Quod intelligendum eſt, niſi facile quis & ſinè periculo ſequenti die jejunus Euchariſtiam non poſſit ſumere; in morbo tamen periculoſo non eſt ſcrupuloſè differenda communio propter jejunium: nam ſimpliciter ex Eccleſiæ conſuetudine excipiuntur infirmi in Concilio Conſtantienſi, *can.* 13 ut docent Sotus, *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. Victoria, §. 82. Navarrus, *cap.* 25. *num.* 83. Filliucius, *tract.* 4. *de Euchar. c.* 8. *n.* 238.

Sed

Primum dubium incidens circa illum.

75. Sed petes primò: An durante eodem periculo mortis poſſit quis ſæpiùs non jejunus communicare? Et quidem ſi ceſſavit periculum ratione cujus Euchariſtiam ſuſcepiſti, & novum ſucceſſit, conveniunt Doctores poſſe te viaticum non jejunum accipere. Unde ſolum difficultas eſt an durante eodem, vel majori periculo poſſit iterum viaticum non jejunus accipere, ſi commode jejùnus non poſſit? Negat Vazquez, *diſp.* 211. *cap.* 4. *à num.* 37. Affirmant verò Suarez. *diſp.* 68. *ſect.* 5. Coninchus, *quæſt.* 80. Bonacina, *diſp.* 4. *quæſt.* 6. *puncto ultimo num.* 23. & alii plures, quos refert, & ſequitur Palaus, *punct.* 13. *num.* 13. quia textus ex Eccleſiæ uſu concedentes conſtitutis in mortis periculo, ut ſuſcipiant Euchariſtiam poſt cibum, vel potum, cum aliter ſuſcipere commodè non poſſint, non limitant conceſſionem pro una tantum vice: & pietati Eccleſiæ maximè decet favere hoc tam ſalutari ſubſidio his, qui in tam gravi, & extrema ſunt neceſſitate conſtituti.

Secundum.

76. Petes ſecundò: quot dies in eo caſu inter communionem, & communionem interponi debent? Hebdomadam ſaltem debere intermitti aſſerunt Armilla verb. *Communio*, § 18. Tabiena *communicare*, *num.* 48. Gloſa, & alii apud Henriquez, *cap. littera* D. Alii ſex dies exigunt, ut cum aliis tradit Diana, 1. *part. tract. de celebratione Miſſarum*, *reſolut.* 77. Alii tertia die dari pòſſe cenſent. Ita ſe facere ſolitum probantibus multis ex Magiſtris Complutenſibus teſtatur Ludovicus de Sanct. Ioan. *in ſumma tom.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 10. *difficult.* 4. *de Euchariſt.* Alii denique addunt poſſe ſequenti proxima die dari ob juſtam cauſam, ut ſi quis ſolitus frequenter cummunicare propter deſiderium, aut devotionem difficilè abſtineat, & mortis periculum inſtare videatur. Ita Layman, *lib.* 5. *tract.* 4 *cap.* 6. *num.* 20, & favet Palaus, *num.* 14. & N. Gabr. *diſp.* 14. *q.* 7 In qua Doctorum varietate optima nobis videtur Cardinalis de Lugo reſolutio, ſervandam nempe eſſe loci conſuetudinem: quia ſicut hæc ſola licitas reddit plures communiones in eodem periculo, & caſu, de quo loquimur: ita ſola hæc determinare debet certum inter communionem, & communionem interſtitium. Hæc autem conſuetudo ſaltem videtur permittere, ut quando morbus, & periculum diu protrahitur, poſt ſeptem, vel octo dies iterum detur communio non jejuno. Idem cum NN. Lezana & Urbano ſentit Stephanus *de Euchariſt.* *n.* 30, úbi plura.

Tertium.

77. Petes tertiò: an poſſit non jejunus celebrare ad dandum alteri viaticum in articulo mortis? Affirmat Major, *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 3. *ad* 5. Et probabile aſſerit Filliucius, *tract.* 4 *c.* 9. *num.* 142. Layman, verò *num.* 21. limitat ad caſum neceſſitatis, quod moriturus aliud Sacramentum ſuſcipere non poſſet, & ſcandalum ceſſaret. Suadetur autem hæc affirmativa pars primò: quia à pari Sacerdos poteſt conſecrare, ſinè confeſſione præmiſſa. Secundò quia communio eſt de jure divino, jejunium de Eccleſiaſtico: ergo illa prævalebit. Negativa tamen pars eſt omnino tenenda, quam docent Ledeſma, *in ſumma tom.* 1 *cap.* 13. *concl.* 5. Navarrus, *cap.* 25. *n.* 88. Henriquez, *lib.* 3. *cap.* 46. *n.* 1. *&* *cap.* 50. *num.* 1. Victoria, *in ſumma*, *num.* 83. Sotus, *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. N. Franciſc. *diſp.* 7. *n.* 48. & plures, quos referunt, & ſequuntur Diana, *reſolut.* 66. N. Anton. *num.* 162. & Palaus, *num.* 16. Et ratio eſt: quia major eſt habenda ratio reverentiæ, & dignitatis tanti Sacramenti, quam neceſſitatis proximi aliqualis: tunc enim ipſe excuſatur a præcepto, cum non ſit, qui poſſit rite dare. Idque probat Eccleſiaſtica conſuetudo bona interpres diverſitatis. Neque obſtat primum, quod pro parte affirmativa adductum eſt; confeſſio enim ſuppleri poteſt per contritionem, non ſic jejunium. Neque etiam obſtat ſecundum: quia divinum præceptum tunc non obligat, quando non poteſt debite impleri. Ut omittamus poſſe aliquod Eccleſiæ præceptum obligare univerſalius, quam aliud de divino, ut patet de præcepto celebrandi cum veſtibus ſacris, ut ſup. *numer.* 46. dictum eſt. Sacerdos vero morti ſive naturali, ſive violentæ vicinus celebrare poteſt non jejunus ad dandum ſibi viaticum, ſi illud aliter haberi non poteſt: quia non plus eſt celebrare, quam communicare ſumpto cibo, Ita Cardinalis Lugo, *diſp.* 15. *ſect.* 4. Diana, *part.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 36. & relato Zambrano, docent, Layman, *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *q* 6. *n*, 20. & Palaus, *punct.* 13. *n.* 15.

Secundus caſus in quo poteſt communicare non jejunus.

78. Secundus caſus exceptus à lege ſervandi jejunium pro communione ſuſcipienda, eſt, ſi probabiliter timetur, niſi ſtatim ſumatur Euchariſtia, vel incendio abſumendam, vel in ſacrilegas manus infidelium perventuram: tunc enim à Sacerdote, vel ſi is non adſit a Clerico, vel Laico quamvis non jejuno, cum timore, & reverentia ſumi debet. Ut ex communi ſententia docent Vaſquez, *diſp.* 211. *cap.* 5. *num.* 57. Suarez, *diſp.* 68. *ſect.* 5. Coninch. *quæſt.* 80. *art.* 8. Layman, *cap.* 6. Palaus, *num.* 17. N. Gabr. Anton. *n.* 161. N. Franciſ. *n.* 54.

Caſus 3.

79. Tertius caſus: ſi grave ſcandalum oriturum ſit, niſi aliquis communicet, aut ſacrificet, qui jejunus non eſt, ut ſi inceptâ Miſsâ recordetur jejunum ſe non eſſe, velitque à celebratione deſiſtere, populus tamen etiam cauſâ manifeſtatâ non acquieſcit, quin imò grave aliquod malum ſuſpicatur, & ſcandalum ſumit, poterit enim tunc Sacerdos Miſſam proſequi, & non jejunus celebrare: quia leges poſitivæ tam ſeverè non obligant. Ità Suarez, *dict. ſect.* 5. *in fine.* Layman, N. Gabr. Anton. Franciſc. *n.* 50. & Palaus, *loc. cit.*

Caſus 4.

80. Quartus caſus eſt, ſi Sacerdoti non jejuno neceſſitas incumbat ſacrificii perficiendi, quod multipliciter accidit. Primò quando Sacerdos prò ſpeciebus vini ſumpſit aquam: tunc enim tenetur denuo conſecrare vinum, & illud ſumere: quod ſi id poſt Miſſam concluſam advertat in ſacriſtia, omittat. Secundò ſi poſt conſecrationem Sacerdos obeat, tunc enim debet alius etiam non jejunus, ſi jejunus haberi nequeat, perficere. Tertiò ſi poſt conſecrationem, etiam unius ſpeciei recordetur ſe non eſſe jejunum, tenetur enim pergere. Quartò cum poſt ablutionem ſumptam reperit Sacerdos in patena, vel in corporali aliquas reliquias eo ſacrificio conſecratas, poteſt enim illas abſumere, etiam ſi grandiuſculæ ſint, dum Sacerdos

Plures circa hanc materiam notabiles caſus hic reſolvunt à N. Gabr. Anton. Franc. & alii.

ab

ab altari non receſſerit: quia hujuſmodi reliquiarum abſumptio refertur ad unum, idemque ſacrificium, quod plenè abſolutum non cenſetur, dum Sacerdos in altari perſiſtit. Ita Coninchus, *art.*8. *num.*67. Vaſquez, *num.* 57. Suarez, *ſect.*6. *poſt medium.* Bonacina, *diſp* 4. *q.*6. *punct.*2. *n.*14. Layman, *cap.*6. *q.*6. *n.*22. Palaus, *n.*20. N. Gabr. *loc. cit.* Franciſc. B. Spei, *n* 55. Laico verò, ſeu Sacerdoti more Laicorum communicanti, certum eſt non debere reliquias concedi poſt ablutionem: quia communione accepta finivit convivium, neque ad illius miniſterium pertinet reliquias abſumere. Ita Suar. Vaſq. Coninch. Bonac. N. Ant. *n.* 159. Pala. *loc. cit.*

Caſus 5. 81. Quintus caſus, & communiter receptus, eſt, cum jejunium ſimul cum communione acceptâ violatur, ut contingit, cum feria ſextâ paraſceve prius vinum ebibitur, quam particula hoſtiæ abſumatur: & cum calix totus conſecratus à Sacerdote omninò jejuno non hauritur, cum in prima ablutione ſemper aliquid remaneat vini conſecrati, quod unà cum non conſecrato ſumitur, & ſæpe prius non conſecratum ebibitur. Item cum poſt ſumptionem calicis particula cohæret, poteſt vino iterum, atque iterum impoſito ſumi: ſic enim decentius, quam digito propellitur; quamvis Miſſale etiam permittat, ut digito attrahatur ad labium calicis, & ſumatur ante ablutionem. Ita Suarez, Filliucius, Bonacina *locis allegatis.* Item cum hoſtia palato hæret, poteris ſemel, & iterum ablutionem ſumere: quia in his caſibus non cenſetur violatio jejunii moraliter communionem præceſſiſſe. Ita Suarez, Vaſquez, Coninchus, Bonacina, Layman, Palaus citati. Quod etiam in caſu, quo ægrotus ob nimiam ſiccitatem non poſſet particulam ſolam deglutire, fieri poſſe ſentiunt Sylveſter, verbo *Euchariſtia* 2. *q.*9. Angelus, verb. *Miſſa*, §. 20. Suarez, *loc. cit.* Filliuc. *tract.*4. *cap.*9. *num.*239.

82. Sextus caſus eſt in metu mortis, ad quam evadendam non jejunum poſſe celebrare, dummodo celebratio non exigatur in contemptum Eccleſiæ, & præceptorum ejus: quia tunc eſſet intrinſecè mala; ſed ad alios fines, ut ad audiendam Miſſam, docet cum Sylveſtro, & Ochogavia, Diana, 5. *part. tract.*3. *reſol.* 39. An verò damnatus ad mortem non jejunus communicare poſſit ſi judex nolit concedere tempus ut jejunus communicet affirmat N. Anton. & cum pluribus N. Gabr. *diſp.* 14. *quæſt.* 7. ubi plura. Caſus 6.

CAPUT OCTAVUM.

De obligatione ſumendi Euchariſtiam, & de uſu, & frequentia illius.

CAPUT HOC TRIBUS CONSTAT PUNCTIS.

P. 1. *De obligatione ſumendi Euchariſtiam ex divino præcepto.*

P. 2. *De obligatione ſuſcipiendi illam ex præcepto Eccleſiaſtico.*

P. 3. *De uſu, & frequentia, quâ ſuſcipienda eſt.*

PUNCTUM I.

De obligatione ſumendi Euchariſtiam ex divino præcepto.

Concluſio. 1. Obligationem eſſe ſumendi Euchariſtiam ex divino præcepto firmiter ſtatuendum eſt cum D. Thom. 3. *part. quæſt.*80. *art.*11. quem ſequuntur omnes ejus diſcipuli, ut teſtatur Ledeſma, *de Euchariſtia, cap.*15. N. Gabr. *diſp.* 14. *q.*8. Anton. à Spir. S. Sotus & idem docent Durand. Gabr. Ricard. Claudius, Suar. quos refert, & ſequitur Villalobos, *tract.*7. *diffic.* 42. & alii paſſim contra nonnullos alios.

Firmatur 1. 2. Probatur primò ex verbis Chriſti Domini Joan.6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hoc eſt, ſine hoc cibo, & potu non habebitis vitam in vobis. Quæ verba ſecundum doctrinam SS. Patrum continent neceſſitatem: ergo præceptum ſaltem: ac proindè cum à Chriſto Domino dicantur, præceptum erit divinum.

Secundò. 3. Secundò: quia ſuppoſita Euchariſtiæ inſtitutione, efficaciâ, & neceſſitate (de qua ſupra, *cap.*3. *dub.*2.) neceſſariò conſequitur, hominem teneri ad ejus uſum, & quia talis inſtitutio fuit à Chriſto Domino, ab eodem etiam cenſetur orta præcepti neceſſitas, atque adeò illud erit divinum.

4. Sed rogabis primò: An hoc præceptum divinum ſumendi Euchariſtiam obliget adultos in articulo mortis. Negant Cajetan. *in Summa*, verb. *Communio Sacrament.* Armilla eodem, *n.*4. Sylveſter, verb. *Euchariſt.* 3. Ledeſma, 1. *part.*4. *q.*21. *art.*11. *dub.*2. & alii dicentes, non peccare mortaliter eum, qui in articulo mortis omittit Euchariſtiam, ſecluſo contemptu, ſi ad minus tempore Paſchæ communicavit. Nihilominus reſpondetur dicendum, præcepto divino omnes adultos adſtringi ad communionem percipiendam in articulo mortis; etiam illos, qui tempore Paſchatis communicarunt. Ita D. Thom. *q.*80. *art.* 11. quem ferè omnes Expoſitores ſequuntur. Suar. *diſp.*69. *ſect.*3. Vaſquez, *diſp.*214. *cap.*2. & 3. Sotus, *in* 4. *diſt.*12. *q.*1. *art.*11. Valentia, *diſp.* 6. *q.*8. *punct.*4. Coninchus, *quæſt.*80. *art.*11. *n.*94. Bonacina, pluribus relatis, *diſp.*4. *q.*6. *punct.*1. *n.*1. Lugo, *diſp.*16. *num.*27. & 33. Palaus, *diſp. unic. punct.*14. Layman. *tract.* 4. *c.*5. *num.*2. & cum aliis pluribus Leander, *tract.*7. *diſp.*2. *q.*4. Wiggers hic *art.*11. *n.* 47. è NN. Gabr. *qu. cit.* Anton. *Direct. Confeſſ. tract.*6. *diſp.*10. Franciſc. hic *n.*101. Urban. quem refert & ſeq. Steph. à S. Paulo hic *diſp.*4. *n* 45. Et ratio eſt: quia ex inſtitutione hujus Sacramenti, ut nutrimenti, colligitur obligatio ſumendi illud, quando neceſſarium putabitur: nullo autem tempore fideles magis indigent auxilio hujus Quæſitum primum.

Sacramenti, quam in mortis articulo, ex quo pendet æternitas, & in quo diabolus ſciens, quia modicum tempus habet, graviores inſidias parat, & pro viribus dejicere ſatagit etiam illos, qui tempore Paſchatis communicarunt: decebat ergo eo tempore præcipi hujus antidoti ſumptionem etiam illis, qui tempore Paſchatis Euchariſtiam ſumpſerunt.

Quæſitum 2. 6. Rogabis ſecundò: quid ſi communio Paſchalis, vel alia communio non longè ante periculum mortis: v. g. tribus, ſex, vel octo diebus facta fuerit? Erit ne ſufficiens, ut præ-*1. Sententia.* cepto divino in mortis articulo communicandi cenſearis ſatisfacere? Affirmant quidem conſulendum tibi eſſe, ut iterum Euchariſtiam per modum viatici accipias, ad id tamen te non obligari; ſed præcepto de Euchariſtia antè mortem inſtantem ſumendâ ſecundùm ſubſtantiam ſatisfactum eſſe, Suarez, *ſect.* 2. *§. Tertium dubium*, Henriquez, *lib.* 8. *de Euchariſt. c.* 4. *littera* P. Coninch. *n.* 98. Layman, *n.* 4. Diana, *tom.* 2. *tract.* 4. *de Sacrament. reſolut.* 40. Lugo *n.* 37. Gabr. à S.V. Anton. *n.* 247. *loc. cit.* & alii plures.

Probatur 1. 6. Moventur autem primò: quia in ſubſtantia ſatisfeciſti præcepto divino communicandi in articulo mortis per modum viatici: eſt enim ſenſus hujus præcepti, teneri te paulò antè mortem communicare: nam finis præcepti videtur eſſe, ut per communionem præpares te ad tranſitum ex hac vita, quod ſatis aſſequeris paulò antè mortem communicando: ſicut ſi audiviſſes ſacrum in die feſto, ignorans tunc eſſe feſtum, non teneris eodem die iterum aliud ſacrum audire, poſtquam cognoviſti eſſe diem feſtum. *Secundò.* Secundò: quia alias aſtrictus eſſes bis eodem die communicare contrà receptam conſuetudinem. Nam ponamus te ſanum manè communicaſſe, vel Miſſam dixiſſe, & poſteà eodem die in manifeſtum mortis periculum incidiſſe, ſi præcepto divino communicandi in mortis articulo non ſatisfeciſti communione extrà periculum factà, teneris veſpere communicare, atque adeò bis eodem die: neque Eccleſiaſtica lex eam communionem poſſet prohibere. *Tertiò.* Tertiò: quia re ipſa opus præceptum executus es, quia eo ipſo, quod proximè antè periculum mortis communicaſti, cenſeris in ipſo periculo communicaſſe; quod enim parum diſtat, nihil diſtare videtur.

2. Sententia. 7. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis; exiſtimamus tamen oppoſitam, quæ negat eà communione non longè ante periculum mortis, v.g. tribus, ſex, vel octo diebus factâ, præcepto divino communicandi in mortis articulo te ſatisfeciſſe, ſatis quoque probabilem eſſe. Quam tenent Vaſquez, *cap.* 2. *num.* 14. Palaus *num.* 7. & alios referens Leander, *tract.* 7. *de Euchariſtia, diſp.* 2. *quæſt.* 5. Et à fortiori tuentur omnes hi, qui aſſerunt, quando Sacerdos, qui manè celebravit, aut Laicus, qui manè communicavit ſanus ob ſuam devotionem tempore veſpertino in morbum incideret ita periculoſum, ut judicio probabili medicorum ſupra vivere non poſſit uſque ad ſequentem diem, tunc quia unuſquiſque in articulo mortis conſtitutus tenetur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipere, teneri, & tunc illud recipere, non obſtante, quod eadem die Miſſam celebraverit, aut communionem receperit: nam per talem communionem non ſatisfecit præcepto, quod imminet de communicando in mortis articulo. Hi Doctores ſunt Diana, *tom.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 33. *& tom.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 18. Marcellus Megatius, *in Promptuario tom.* 2. verbo *Euchariſtiæ Sacramenti præceptum*, *n.* 6. & verbo *Euchariſtiæ Sacramenti miniſter*, *n.* 20. Martinus Breſſerus, *lib.* 3. *de Conſcientia probabili, cap.* 8. *n.* 106. Gaſpar Hurtadus, *diſp.* 10. *de Euchariſtia, diffic.* 2. Tutnanus *in Summa*, *part.* 2. *cap.* 58. *dub.* 2. *n.* 3. Ochagavia, *tractat. de Euchariſtia*, *quæſt.* 14. *num.* 7. Kelliſonius, *in* 3. *part. tom.* 2 *quæſt.* 80. *artic.* 11. *notabili* 2. & alios referens Leander, *tract.* 7. *diſp.* 2. *quæſt.* 6. Suadetur autem ſaltem probabiliter, quod ille, qui paulò antè periculum mortis, v. g. tribus, ſex, vel octo diebus antè illud communicavit, teneatur rurſus communicare in ipſo mortis periculo: quia hæc obligatio eſt propria temporis, quo adeſt præceptum, nec orta fuerat, quando periculum mortis non imminebat: ergo illi ſatisfacere non potuiſti per communionem tribus, ſex, vel octo diebus prius factam. Sicut è contrà, ſi exiſtente periculo mortis peccaſti communionem omittendo, & poſteà periculum evaſiſti, non teneris priorem obligationem implere: quia jam ceſſavit.

8. Oppoſitum autem non convincunt contrariæ ſententiæ fundamenta. Ad primum enim *Solvitur 1. argumentum primæ ſententiæ.* dici poteſt: quod licet finis hujus præcepti ſit, ut per ſumptionem Euchariſtiæ ad tranſitum ex hac vita quis præparetur: tamen huic præcepto non fit ſatis, ſi extrà periculum mortis Euchariſtia accipiatur: nam ille ſatisfacit præcepto, qui non ſolum efficit id, quod præcipitur; ſed in tempore, quo præcipitur. Nec valet argumentum de audiente ſacrum in die feſto, & ignorante eſſe diem feſtum, qui non tenetur audire aliud ſacrum: nam in tali caſu, quis adimplet ſubſtantiam præcepti tempore ſtabili, & ſtatuto ad audiendum ſacrum; quod non accidit in caſu noſtro. in quo quis non communicat tempore à præcepto ſtatuto, ſed tribus, ſex, vel octo diebus antè illud tempus. Ad ſecundum Diana, & cæteri Doctores *n.* 7. *Diluitur 2.* relati ſequelam non renuunt concedere: & re maturè conſiderata, ut refert idem Diana, *tom.* 6. *tract.* 6. *reſolut.* 18. deduxerunt in praxim Patres Societatis Jeſu domus profeſſæ Panormitanæ anno 1638. in perſona Patris Jaſcone, qui cum manè Miſſam celebraſſet, & poſt prandium lethali morbo correptus fuiſſet, iterum in eodemmet die ſacram communionem per modum viatici ei præbuerunt: idem factum fuiſſe in morte R. P. Claudii Aquavive Societ. Jeſu General. refert Amicus hic *diſp.* 27. nec non multos viros doctos ita ſentire, & facere teſtatur Dicaſtillus, *tract.* 4. *de Sacrament. Euchariſtia*, *diſp.* 10. *dub.* 3. *num.* 56. Sed admiſſo, & non conceſſo, incidentem eo die, quo communicavit, in periculum mortis, non poſſe eo die communicare, uti docent Layman, *cap.* 5. *n.* 5. & Coninchus *num.* 100. Wiggers *loco citato.* Gonet. *diſput.* 9. *num.* 35. reſponderi poteſt, cum Palao, *numer.* 8. non inde inferri, præcepto divino communicandi in eo periculo non adſtringi: quia adſtringitur per ſe, licet

per

Digitized by Google

per accidens ab hac obligatione excuſetur ob prohibitionem Eccleſiæ, quæ merito id prohibere poteſt ob reverentiam tanto Sacramento debitam: neque hæc prohibitio eſt abrogatio divini præcepti, ſed illius uſus debita limitatio.

Enodatur 3. Ad tertium dici queit, communionem illam extrà periculum mortis factam, parum quidem diſtare quoad phyſicam ſubſtantiam à communione, quæ fieret in ipſo periculo: maximè tamen diſtare quoad obligationem, cum ea ſub obligatione non ceciderit; ſed tantum fuerit ex devotione, & voluntaria.

Quæſitum 3. 12. Rogabis tertiò: An in articulo mortis toties ex præcepto Euchariſtia ſumenda ſit, quoties poſt ſumptionem amiſſa eſt gratia per peccatum: Affirmant Sotus, *in 4. diſt. 12. q. 1. art. 11.* Tabiena, verbo *Communicare, num. 16.* Armilla, verbo *Communio, num. 12.* Sed hoc meritò negant Suarez, *concluſ. 4. §. Secundum modum.* Henriquez, *lib. 8. cap. 5. num. 3.* Reginaldus, *lib. 29. num. 65.* Coninchus *loc. cit.* Bonacina *de Sacrament. Euchariſtiæ, diſp. 4. ſect. 7. punct. 1. n. 3.* Filliucius, *tract. 4. c. 2. n. 52.* Card. de Lugo, *diſp. 16. ſect. 3. n. 46.* Diana, *tom. 6. tract. 6. reſol. 18 in fine,* N. Anton. *n. 250.* Gabr. à S. V. & alii. Tum quia nullo jure probatur talis obligatio. Tum: quia tunc ſatis eſſet confeſſio.

Quæſitum 4. 10. Rogabis quartò: Utrum qui non communicavit in periculo mortis, teneatur tranſacto mortis periculo communicare, ut adimpleat divinum præceptum? Reſpondetur non teneri: quia jam obligatio illa ceſſavit. Ita Bonacina, *num. 4.* Henriquez, & N. Gabr. *loc. cit.* Reginaldus, *lib. 29. num 76.* & alii.

Quæſitum 5. 11. Rogabis quintò: An judex per ſe loquendo teneatur reo concedere tempus, quo valeat divinum præceptum communicandi in articulo mortis adimplere? Reſpondetur affirmativè cum Suarez, *q. 69. ſect. 3.* Rodriguez, *in ſumma, cap. 68. num. 1.* Sylveſtro, verbo *Euchariſtia 3. quæſito 5. dict. 8.* & aliis pluribus, quos refert, & ſequitur Bonacina, *dicta quæſt. 7. n. 5.* N. Anton. *n. 272.* Quia ſic decernitur, cap. *Tanta, diſt. 86.* cap. *Quæſitum 13. diſt. 2.* & Motu proprio Pii V. edito anno 1569. Quod ſi reus noluerit, poteſt judex procedere. Ut docent Sotus, *lib. 5. de Juſtitia, quæſt. 1. art. 2.* Regin. *loco cit. num. 71.* Bonacina, *num. 7.* & alii: quia alias daretur occaſio reis non ſumendi Euchariſtiam, ut ſe eriperent à morte: ſicque publica poteſtas eluderetur, & magna ſequerentur incommoda in Republica.

Quæſitum 6. 12. Rogabis ſextò: An pueri doli capaces, & apti confiteri, qui aliunde Euchariſtiam nunquam ſuſceperunt, poſſint, & teneantur in mortis periculo ex præcepto divino illam

Duplex ſententia circa illud. pro viatico ſumere? Navarrus, *in Manuali, c. 21. n. 57.* dicit, non eſſe obligationem; ſed ex ſuo conſilio ab illis ſumendam eſſe. Suarez verò *ſect. 1.* in fine aſſerit eſſe omnino accipiendam ex præcepto; & idem docent cum aliis pluribus à ſe relatis Palaus, *tom. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 24. num. 7.* Cardinal. Lugo, *diſp. 13. ſect. 5. num. 37.* & Diana, *tom. 5. tract. 3. reſolut. 44.* contra Ochagaviam, Kelliſonium, Cordubam, Præpoſitum, Vazquium, & Hurtadum, Meratium, & Granadum, apud eundem Dianam, qui aſſerunt pueris prius advenire tempus obligationis præcepti confeſſionis, quàm Euchariſtiæ adhuc pro articulo mortis ſumendæ.

13. Verior nobis videtur ſententia Suarez, & aliorum, quòd non ſolum poſſint, verùm etiam debeant hujuſmodi pueri Euchariſtiam accipere in articulo mortis. *Præfertur ſecunda ſententia.* Rationem optimè aſſignat Cardin. Lugo: quia Eccleſia ſuo præcepto ſolùm determinavit tempus illud ſumendi Euchariſtiam, quod ex divino præcepto indeterminatum erat: cum ergo articulus mortis non eſſet ex divino præcepto indeterminatus, non erat, cur Eccleſia aliquid quoad illum determinaret; ſed debuit illum omninò relinquere, prout ex divino præcepto habebatur. Unde licet quoad communionem annuam Eccleſia non cenſeatur incluſiſſe pueros omnes, ſed cum latitudine arbitrio Confeſſarii; quoad articulum tamen mortis non habemus fundamentum ad eam latitudinem concedendam.

Additio Card. Lugonis; & aliorum. Addunt etiam idem Cardinalis, & Diana *loc. cit.* pueris poſſe dari Euchariſtiam in articulo mortis, etiam quando dubitatur, an ſint doli capaces, & diſcernant ſufficienter hoc Sacramentum. Pro quo etiam refertur Poſſevinus de officio curati, *cap. 8. num. 10.*

Quæſitum 7. 14. Rogabis ſeptimò: An ægro in articulo mortis conſtituto ſit danda Euchariſtia cum periculo vomitus? Reſpondet Joannes Sanctius, apud Dianam, *part. 5. tract. 3. reſolut. 55.* & apud Medullam Theologiæ Moralis, *tract. 3. de Euchariſtia, cap. 2. dub. 2. art. 3.* poſſe ei parvam particulam dari, quæ ſtomachum alteratura non putetur, aut ſi de hoc ipſo dubium ſit, ſecuritatis cauſa prius dari particulam non conſecratam, quam ſi rejiciat, nullo modo dandam conſecratam; ſecus ſi retineat. Et idem in ſimili aſſerit Zambranus, *in Deciſione Caſuum Conſcientiæ tempore mortis, cap. 3. dub. 4. num. 5.* circa quæſtionem, an poſſit præberi viaticum infirmo deliranti, qui propter febrim in amentiam incidit? Dicens in tali caſu poſſe fieri experientiam, ita quod detur primò hujuſmodi infirmo aliqua forma non conſecrata, ut appareat quomodo ſe habeat in tali ſumptione: & ſi ſe habuerit decenter, detur illi alia forma conſecrata; ſin autem, minimè: & hæc eſt optima praxis.

Quæſitum 8. 15. Rogabis octavò: An is, qui in anno ſemel communicat, ſatisfaciat præcepto divino, quo præcipitur ſumptio Euchariſtiæ extra mortis articulum? Affirmativè reſpondent Suarez, *diſp. 70. ſect. 7.* Reginaldus, *lib. 29. num. 67. & 73.* Bonacina, *n. 9. & 10.* Hurtado, *diſp. 10. diffic. 3.* Granado, *tract. 10. diſp. 3. num. 8.* & alii. Iacaſtillus, *tract. 4. de Euchariſt. diſp. 10. dub. 4.* & alii. Hic enim non dicitur nimium differre communionem.

Additio Valentiæ & aliorum. 16. Addunt tamen Valentia, *diſp. 6. quæſt. 8. punct. 4.* Petrus Soto, *lect. 9. de Euchariſtia.* Filliucius, *tract. 4. num. 51.* Lugo, *diſp. 10. num. 25.* & alii, per accidens obligari poſſe hominem ex natura rei ad communionem quando judicat illud medium neceſſarium ad reſiſtendum alicui tentationi gravi, vel ad non peccandum mortaliter: de quo non eſt ſpecialis difficultas, cum ſit eadem ratio de hac, & de aliis materiis. Verùm omninò recolenda ſunt ea, quæ ſupra, *cap. 3. dub. 2. n. 41.* cum N. Corncin, & N. Philippo à nobis dicta ſunt, nimirum Sacramentum

hoc toties ſumi debere in re, vel in voto, quoties debilitas ſpiritualis ſentitur ad opera virtutum, & ad reſiſtendum peccato. Unde aſſeruimus peccare eos, qui hanc debilitatem experiuntur, ſi ad Euchariſtiam non accedant; non tamen contrá præceptum Eccleſiæ, ſi ſumpſerunt illam ſemel in anno.

PUNCTUM II.

De obligatione ſuſcipiendi Euchariſtiam ex præcepto Eccleſiaſtico.

Concluſio. 17. PRæceptum Fabiani Papæ, quod olim obligabat ad ſuſcipiendum Euchariſtiam ter in anno, nempè in Natali Domini, in Paſchare, & Pentecoſte, jam nunc obligat ad ſemel ſaltem in Paſchate, juxta decretum Innocentii III. relatum in cap. *Omnis utriuſque ſexus, de Pœnitentiis, & remiſſionibus*, cujus hæc ſunt verba: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin, & moriens Eccleſiaſticâ careat ſepulturâ.* Ubi nomine Paſchatis non intelligitur ſolus dies Reſurrectionis, ſed quindecim dies a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, juxta praxim, communem uſum Eccleſiæ ex declaratione Eugenii IV. Imò in aliquibus locis extenditur hoc tempus ad totam quadrageſimam, ita ut qualibet ejus die ſatisfieri poſſit præcepto.

1. Difficultas. 18. Sunt autem circa hoc punctum aliquæ difficultates breviter expediendæ. Prima eſt: An ſi quis tempore Paſchatis non communicavit, teneatur poſtea quamprimum communicare? Ea quidem ſi eo tempore ob aliquam rationabilem cauſam communionem omiſiſti ex conſilio Confeſſarii, non videtur dubium te obligatum eſſe eò tempore communicare, quo fuerit à Confeſſario ſignatum: quia in dicto cap. *Omnis utriuſque ſexus*, conceditur Confeſſario facultas temporis Paſchalis prorogandi; ut rectè obſervant Palaus, *diſp. unic. punct.* 15. & cum aliis Dicaſtillus, *tract.* 4. *diſp.* 10. *dub.* 6. *num.* 137. Quarè ſolum eſt difficultas, quando ex tua malitia, vel impotentia communionem eo tempore omiſiſti, vel omiſiſti communionem intra tempus à confeſſario deſignatum, an eo caſu debeas cum primùm poſſis, communicare; vel poſſis in ſequens Paſcha communionem differre?

Prima ſententia. 19. Triplex eſt ſententia de hac re. Prima diſtinguit inter eum, qui omiſit communionem Paſchalem ex impotentia, & eum, qui culpabiliter omiſit: illum dicit obligari ad communicandum; hunc non obligari. Ratio autem eſt: nam ille, qui ex impotentia non implevit, tenetur cum primùm poteſt: lex enim dat facultatem confeſſario ad differendum illud tempus, & conſequenter non tollit obligationem. Qui verò culpabiliter non implevit, manet liber: quia in hoc non fuit cauſa illud differendi. Ita Armilla, verbo *Communio, num.*6. Tabiena. *quæſt.*7.

Secunda ſententia. 20. Secunda ſententia docet non obligari amplius pro illo anno eum, qui tunc non communicavit; ſivè ex legitimo impedimento, ſive ex malitia communio Paſchalis omittatur: ſicut qui hodie non recitavit, vel non audivit miſſam in feſto, non tenetur ad recitandum, quod omiſit, vel audiendam Miſſam die ſequenti: quia ſunt obligationes annexæ tali diei. Quod colligitur tum ex illius determinatione: tum præcipuè, quia illo tempore ſpecialis honor Dei, & Sanctorum procuratur. Ita igitur pari modo præceptum communicandi in Paſchate videtur Paſchali tempori annecti: tum quia tempus determinatur executioni præcepti: Tum quia illo tempore ſpecialiter intendit Eccleſia hac ſacra communione recolere memoriam Dominicæ cœnæ, nec non ſuæ paſſionis, & mortis, quæ eo tempore celebrantur: ac proindè tranſacto eo tempore Paſchali, præceptum de communione non obligabit amplius pro illo anno. Ita D. Antoninus, Sylveſter, Tabiena, Medina, Sotus, Victoria, quos refert Suarez, *diſp.* 70. *ſect.* 2. Item Ledeſma, Joannes de la Cruz, Toletus, Sà, quos refert Diana, *tom.* 3. *tract.* 4. *de Sacramentis, reſolut.* 41. Valentia, & Henriquez, quos affert Palaus, *diſp. unica, punct.* 15. *num.* 5. Rodriguez, Granado, Joannes Præpoſitus, quos affert Dicaſtillus, *diſp.* 10. *dub.* 6. Herinx, *diſp.* 6. *num.* 45. Et probabilem aſſerit Filliucius, *tract.* 4. *de Euchariſtia, cap.* 3. *num.* 57. tum propter auctoritatem Doctorum, tum etiam: quia communiter Chriſtianus populus ita exiſtimat ſe tantum peccare ſemel, ſi non communicet, cui communi exiſtimationi videtur favendum, ne tot peccata multiplicentur.

Tertia ſententia. 21. Tertia tamen ſententia ſequenda, & in praxi conſulenda aſſerit omittentem communionem tempore Paſchatis, ſive ex legitimo impedimento, ſive ex malitia, teneri cum primùm poſſit, communicare. Ita Navarrus, Azor, Suarez, Layman, Bonacina, Fagundez, quos affert, & ſequitur Palaus, *punct.* 15. *num.* 7. Vaſquez, Coninchus, Nuñus, Pitigianus, Sylvius, Graffius, quos refert Diana, dicta *reſolut.* 41. Bartholomæus ab Angelo, Chamerota, Ochogavia, Hurtadus, quos affert Dicaſtillus, *dicta dub.* 6. & plures alii. Ut Wiggers hic *num.* 53. Gonet, *num.* 12. è N. Gabr. à S. V. *quæſt.* 9. Urbanus, Steph. Franciſc. *num.* 111. Anton. *num.* 264. Ratio eſt: nam in hac lege ſunt duo præcepta, alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, alterum communicandi in Paſchate. Quare terminus ille Paſchatis non aſſignatur, ut in illo ſolo debeat fieri; ſed ut ultra illum non debeat communio differri: quando autem terminus non aſſignatur ad finiendam obligationem, ſed ne ultra illum debeat differri opus præſcriptum, qui tunc omittit, obligatus manet, cum primum poteſt: argumento textus in lege *Celſus*, §. *Sed ipſe, ff. de receptis arbitris*, ubi obligatus certo die pecuniam ſolvere, ſi tunc omittit, obligatus manet, cum primùm poſſit: quia terminus ille non ad finiendam obligationem, ſed ne ultra differretur, ſignatus eſt. Sic ergò dicendum eſt in hac lege annuæ communio-

nis.

nis. Ex quo oppoſitæ ſententiæ fundamentum corruit..

Secunda difficult.

22. Secunda difficultas eſt: An qui prævidet ſibi futurum impedimentum communicandi intra quindecim dies communioni deſignatos, teneatur prævenire communem? Videtur teneri; ut aſſerunt Vazquez, *tom.* 4. *de pœnit. quæſt.* 99. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 13. Nunus, Sylvius, Fagundez, Hurtado, Diana, Cruz, & Cardin. Lugo, quos affert Leander, *tract.* 7. *diſp.* 3. *quæſt.* 30. ne contingat ultra annum communionem differri. Econtra vero videtur non teneri, ut docent Suarez, *diſp.* 70. *ſect.* 2. Filliucius, *num.* 59. Azor, Reginaldus, Coninchus, Molfeſius, Bonacina, Victorellus, Pitigianus, Coriolanus, quos refert, & ſequitur idem Leander *loco cit.* Nam ille, qui tenetur jejunare, aut audire ſacrum, aut officium recitare, non tenetur anticipare jejunium, neque ante diem feſtum Miſſam audire, nec hodie recitare officium, quod die craſtina recitare non poterit, ut omnes concedunt: ergo nec præfatus anticipare communionem. Verum quia in ea lege duo præcepta, ut dictum eſt, continentur, alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, alterum communicandi in Paſchate, & præveniendo communionem, adimpletur illud præceptum communicandi ſemel in anno: dicendum eſt ex hac parte teneri cum communionem prævenire; non autem ex vi ſolum alterius præcepti communicandi in Paſchate: quia per illam anticipatam communionem non videtur ſatisfacere poſſe huic præcepto: aliàs ſi impedimentum quod timebat, non eveniret, non eſſet obligatus tempore Paſchali communicare; quod videtur falſum: obligatur namque non ex vi præcepti communicandi ſemel in anno, ſed ex vi præcepti communicandi in Paſchate. Ita Palaus, *tract.* 21. *diſp. unica punct.* 15. *num.* 8. & favet Layman, *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 9. Bernal. *diſp.* 34. *ſect.* 3. §. 2.

Additio Palai.

23. Addit autem benè idem Palaus, illud eſſe omninò certum, ſi poſt Dominicam Reſurrectionis credit quis ſe impediendum eſſe à communione, teneri hebdomada ſancto communicare: quia eo tempore opus præceptum plenè exequitur: ſicuti ſi hora decima cognoſcit quis impediendum eſſe ab auditione Miſſæ, tenetur antè eam horam Miſſam audire: quia præcepto audiendi Miſſam eo tempore tenetur. Sic Sà, Bonacin. Suarez, quos idem affert.

Tertia difficultas.
1. Sententia cum triplici fundamento.

24. Tertia difficultas eſt: An impleatur hoc Eccleſiæ præceptum per voluntariam ſuſceptionem Sacramenti, etiam ſi indignè ſuſcipiatur? Negant Durandus, Capreolus, Adrianus, 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 11. *difficult.* 3. *dub.* 4. Bartholomæus ab Angelo, Dialogo 46 §. 176. Sylvius, *quæſt.* 80. *art.* 11. *quæſito* 2. Gonet *n.* 13. & favet N. Franciſc. *num.* 113. Moventur primò: quod in verbis præcepti de recipienda Euchariſtia ponitur vox *reverenter* indicans reverentiam ſpiritualem dignæ ſumptionis. Secundò: quia hoc præceptum Eccleſiaſticum eſt determinativum præcepti divini: ſed divinum præceptum non ſolum obligat ad ſumptionem Euchariſtiæ, ſed ad dignam ſumptionem, & in ſtatu gratiæ: ergo ſimiliter Eccleſiaſticum: cum neceſſe ſit, ut id quod determinat aliud debeat participare eadem prædicata cum eo, quod determinatur. Tertiò: quia Eccleſia non præcipit communionem, qua quis à Chriſto ſe ſeparet, & judicium ſibi manducet; ſed qua Chriſto maneat, & uniatur, atque in æternum vivat: ergo communione indigna, & ſacrilega præcepto Eccleſiæ ſatis fieri minimè poteſt, cum in executione non ponatur communio præcepta.

Oppoſita, & tenenda.

25. Verùm his non obſtantibus, dicendum eſt impleri hoc Eccleſiæ præceptum per voluntarium Euchariſtiæ ſuſceptionem, etiam indignam, & ſacrilegam. Ita Azor, Sotus, Suarez, Coninchus, Sà, Fagundez, quos affert, & ſequitur Palaus, *dict. punct.* 15. *num.* 12. Herinx *n.* 42. Wiggers, *n.* 54. Stephan. Covarruvias, Corduba, Henriquez. Lugo, Diana, Reginaldus, Rodriguez. Chamerota, quos refert Dicaſtilius, *diſp.* 10. *dubitat.* 8. addens cum Azor, N. Ant. *n.* 271. implere hoc præceptum Eccleſiaſticum eum, qui excommunicatus, vel alia cenſura innodatus communicat; quamvis alias peccet, tum contra jus divinum accedendo indignè, tum contra jus Eccleſiaſticum arcens excommunicatos à communione Sacramentorum.

Firmatur ratione, ex qua patet ad tertium fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

26. Ratio eſt: quia Eccleſia eam communionem præcipit, quæ in ſe ſpectata poſſit communicantem Chriſto unire; tametſi de facto ob communicantis indiſpoſitionem non uniat. Et licet hujus Sacramenti ſuſceptione hanc unionem de facto eadem Eccleſia intenderit, id præceptum non eſt, ſed eſt quis finis ipſius præcepti: quemadmodum in præcepto audiendi Miſſam, non præcipitur auditio, quæ de facto, & ſecundum omnes circumſtantias grata ſit Deo, & in illius cultum cedat; ſed quæ ex ſe Deo placeat, illumque colat, & veneretur: & ita præcepto audiendi Miſſam fit ſatis, tametſi ex fine pravo, & mortaliter peccaminoſo Miſſa audiatur, atque auditione Miſſæ Eccleſia Dei cultum, & venerationem intendat. Ex quo patet ad tertium fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

Aliud duplex fundamentum illius diluitur.

27. Ad primum autem reſpondetur vocem illam *reverenter* ſi ſub præceptum cadit, de reverentia, qua hoc divinum Sacramentum recognoſcitur; non reverentia proveniente à gratia ſanctificante, intelligendam eſſe. Ad ſecundum dicendum, duplex eſſe præceptum divinum, aliud poſitivum, quod obligat ad communionem: & hoc non præcipit, quod ſumatur in gratia, ſed ei ſatisfit per communionem indignam: aliud naturale, & negativum quo prohibetur accedere indignè: præceptum autem Eccleſiæ determinat ſolum illum prius præceptum divinum poſitivum, non hoc poſterius naturale, & negativum: hoc enim non indiget determinatione, cum ſit univerſale, & obliget pro ſemper.

Quarta difficultas.

28. Quarta difficultas eſt: An teneatur quis communionem Paſchalem ſumere in propria Parochia, & de manu Paſtoris proprii? Nomine autem proprii Paſtoris. Summus Pontifex in toto Orbe, Epiſcopus in ſua Diœceſi, & Parochus in Parochia ſua intelliguntur. Reſpondetur affirmative, niſi proprii Paſtoris licentia,

centia, conſuetudine, aut privilegio quis eximatur: quia ſic cavetur in dicto cap. *Omnis.* Ita Suarez, *diſp.* 72. *sect.* 2. Navarrus, Henriquez, Azor, Reginaldus, quos affert, & ſequitur Bonacin. *diſp.* 4. *q.* 7. *punct.* 2. *n.* 7.

Obſervatio. 1. 29. Obſerva tamen primò, Sacerdotem ubivis celebrando, præcepto communionis Paſchalis ſatisfacere: quia ex recepta conſuetudine ſolus Laicali more communicans obligatur de manu proprii Sacerdotis, & in propria Parochia Euchariſtiam recipere. Ita Henriquez, *lib.* 8. *de Euchariſtia cap.* 55. Sà, verbo *Euchariſtia. num.* 12. Bonacina, Palaus *loco cit.* N. Stephan. *num.* 46. & alii.

Obſervatio. 2. 30. Obſerva ſecundò, Laicos Religioſorum familiares in Monaſteriis, aliiſque locis à cura Parochorum exemptis, habitantes, licitè poſſe communionem ſumere in his locis, in quibus degunt, tum quia videntur exempti à Parochia: tum quia ſicut ibi poſſunt ſepeliri inconſultis Parochis, ita etiam videntur ibi poſſe Sacramenta ſumere. Ita Thomas Sanchez, & Rodriguez, quos affert, & ſequitur Bonacina *loco cit. num.* 10. Palaus ubi ſupra, Dicaſtillus, *diſp.* 10. *dub.* 7.

Obſervatio. 3. 31. Obſerva tertiò, peregrinos forenſes, & quoſlibet alios à domicilio proprio abſentes, ita ut commodè ad proprios Parochos accedere non poſſint, ex tacita eorum licentia juxtà declarationem Eugenii IV. poſſe à Religioſis, aliiſve Sacerdotibus facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam habentibus, communionem Paſchalem ſuſcipere, & præcepto ſatisfacere. Ita Cajetanus, Navarrus, Sotus, Azor, quos affert, & ſequitur Palaus, *dict. num.* 10. Item Thomas Sanchez, *lib.* 3. *de matrimonio, diſp.* 23. *à num.* 17. ubi benè probat non eſſe obligatos ad Eccleſiam matricem illius oppidi accedere, vel ad eam Parochiam, in qua tranſeunter commorantur: quia non ſunt propriæ Parochiæ ex obligatione, eſto poſſent eſſe ex voluntate.

Obſervatio. 4. 32. Obſerva quartò, eos, qui tempore Paſchatis in aliena Parochia degunt, præceptum communicandi implere, ſi in ea Parochia, ubi reperiuntur, communicent. Ita declaravit Eugenius IV. ut teſtatur Cajetanus, Sotus, Navarrus, Azor, Suarez, Reginaldus, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus, *dict. dubitat.* 7.

Obſervatio. 5. 33. Obſerva quintò, incolam peculiaris Parochiæ, qui in Paſchate communicavit in Eccleſia Cathedrali ſinè licentia proprii Parochi, vel Epiſcopi, non ſatisfeciſſe præcepto communionis Paſchalis à proprio Sacerdote ſumendæ, juxta dictum cap. *Omnes utriuſque ſexus.* Ita de Cardinalis Lugo, *lib.* 1. *reſolut. mor. dub.* 15. Dicaſtillus, *dub.* 7. & alios referens Leander, *tract.* 7. *diſp.* 3. *quæſt.* 15. Nam uſu receptum videtur, ut hoc præceptum adimpleatur in propria Parochia. Quidquid in contrarium dicat N. Stephanus reſolutum fuiſſe à quibuſdam prælatis & doctoribus.

Obſervatio. 6. 34. Obſerva ſextò, eum, qui cum licentia Parochi certò præſumpta, & moraliter certa communicat in Eccleſia Regularium in die Paſchatis, ſciens certò moraliter quod Parochus id velit, ſatisfacere præcepto: quia habens talem certitudinem moralem, de Parochi voluntate, & de ejus licentia id facere cenſetur. Ita Suarez, *diſp.* 72. *sect.* 2. Purtel. *in dubiis Regular. verb. Sacram. adminiſtratio, num.* 7. Diana, *tract.* 2. *de dubiis Regular. reſolut.* 12. Tamborinus *de exped. com. cap.* 4. §. 4. Granado, *tract.* 12. *diſp.* 2. Fagundez, *præcepto* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 11. & *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 12. Cardinalis Lugo, *diſp.* 18. *sect.* 2. *n.* 51. & alii.

PUNCTUM III.

De uſu, & frequentia, qua ſuſcipienda eſt Euchariſtia.

36. PRohibitum eſt jure Eccleſiaſtico bis communicare in die, ut conſtat ex cap. *Sufficit, de conſecrat. diſt.* 1. & ex cap. *Conſuluiſti, de celebrat.* Miſſarum: qui textus tametſi de ſolis Sacerdotibus celebrantibus loquantur; omnes Doctores ad Laicalem communionem meritò extendunt. Qui uſus ſemper fuit univerſaliſſimus à principio Eccleſiæ, ut cum D. Thoma, Durando, Paludano, obſervat Nuñus, 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 10. *Concluſio.*

37. Nota tamen primò: ab hac regula excipi caſum, quo neceſſarium eſſet aliquem ſecundò eodem die venerabile Sacramentum ſumere, ne veniret in manus hæreticorum, aut ob aliquem ſimilem indignum caſum vitandum: ut docent Vazquez, *diſp.* 214. *cap.* 3. *in fine*, Coninchus, *quæſt.* 80. *art.* 10. *num.* 83. Palaus, *punct.* 16. *num.* 1. Summa Angelica, verbo *Euchariſtia*, 3. *num* 39. Nuñus, 3. *p. q.* 80. *art.* 10. *Obſervatio.* 1.

38. Nota ſecundò: etſi in feſto Nativitatis Domini liceat Sacerdotibus ter celebrare, nulli tamen non celebranti licet pluſquam ſemel communicare: ut conſtat ex Eccleſiæ conſuetudine, quæ hoc privilegium ſolis celebrantibus concedit. *Obſervatio.* 2.

39. Qualibet hora diei abſolutè loquendo, ſi ſcandalum abſit, licet jejuno communicare: quia nulla eſt à jure pro ſuſceptione Euchariſtiæ hora determinata: ut tradit Angelus, verbo *Euchariſtia*, 3. *num.* 36. Sylveſter ibidem, Coninchus ubi ſupra, Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 35. *num.* 5. Fagundez, *lib.* 1. *cap.* 7. *in fine.* Reverentia tamen tanti Sacramenti exigit, ut niſi aliqua ſpecialis cauſa occurrat, ſervetur illud tempus, quo communiter ſolet communio diſtribui; neque extrà neceſſitatem permitti debet ſub veſperam, aut intempeſta nocte Euchariſtiam recipi. Ita Coninchus, *dict. art.* 10. *in fine*, & Palaus, *num.* 3. *Obſervatio.* 3.

40. Certum eſt apud omnes in nulla die, (præterquam feria 6. Paraſceves, de qua eſt controverſia decidenda infra; *tract.* 5. *de Miſſæ ſacrificio, cap* 4. *punct.* 1.) Euchariſtiam ſuſcipi prohiberi. *Obſervatio.* 4.

41. Licet autem plures Eccleſiæ Patres, quos refert Salmeron, *tom.* 5. *tract.* 10. & *tom.* 9. *tract.* 41. in Ioannem, frequentiam Euchariſtiæ ſæpiſſimè ſuadent: nunquam tamen voluerunt ita intelligi, ut cum ſola gratia habituali expediret omnibus quotidiè ad hoc Sacramentum accedere, ſed cum ulterius maximam quandam reverentiam, & præparationem ad quotidianam communionem haberent. Unde D. Auguſtinus (ut refert D. Thomas, 3. *p. q.* 80. *art.* 10. in corpore) cum dixiſſet: *Accipe quotidiè,* *Frequentia Euchariſtiæ quam plures Sancti ſuadent, qualiter intelligenda.*

tidiè, ut quotidie tibi proſit: ſubjungit: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Et S. Thomas ibidem: quia multoties, inquit, in pluribus hominum multa impedimenta magnæ devotionis, & reverentiæ, quæ requiritur in ſumente Euchariſtiam, occurrunt: *Non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Nec non D. Chriſoſtomus *homil.* 17. *ſuper epiſtolam ad* Hebræos: *Si quis non eſt ſanctus* (ait) *non accedat* (puta quotidiè) *non ſimpliciter dicit à peccatis mundus, ſed ſanctus: Sanctum enim non mundatio peccati tantum facit; ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum opulentia.* Quarè Cathecifmus Romanus, cum antiquæ quotidianæ communionis frequentiæ meminiſſet, rationem addidit, fervorem ſcilicet eximium felicis illius ſæculi, *part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 61. *Omnes enim.* (inquit) *qui tunc fidem Chriſtianam profitebantur, vera, & ſincera charitate ita ardebant, ut cum ſine intermiſſione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad ſacra Dominici corporis myſteria ſumenda parati invenirentur.* Ecce præparatio hæc non in ſola læthalis culpæ conſiſtebat carentia; ſed in charitatis fervore, in orationis aſſiduitate, & aliorum pietatis officiorum frequentia. Quæ cum in pauciſſimis inveniantur, & adhuc in bonis quotidiè communicare generet non ſemel faſtidium, & minorem reverentiam, & devotionem, fit indè, ut neque reverentiæ tantn Sacramento debitæ, neque ſumentis expediat utilitati, ut tam frequenter juſtus communicet remiſſus, & tepidus, curiſque ſæcularibus implicatus. Quapropter ſpectata hominum conditione, pauciſſimi ſunt (exceptis Sacerdotibus) quibus conſulendus ſit uſus Euchariſtiæ quotidianus: rari, & pauci, qui ad pluſquam hæbdomadariam communionem ſint hortandi. Qui autem hi ſint, non cujuſque arbitrio, ſed prudentis Confeſſarii, vel patris ſpiritualis judicio relinquendum eſt. Ita Alexander Alenſis, Ricardus, Paludanus, Dyoniſius Carthuſianus, Albertus Magnus, Victoria, Petrus Sotus, Durandus, Dominicus Sotus, Ovandus, Cajetanus, Sanctus Antoninus, Argentina, Tapia, Nuñus, Themeſn. Sylveſter Tiburgius, Tabiena, Petrus de Ledeſma, Bartholomæus Ledeſma, Medina, Angelus, Magiſter Joannes de Avila, Süarez, Henriquez, Coninchus, Valentia, quos affert, & ſequitur Cardin. Lugo, *diſp.* 17. *ſect.* 2. Item Vazquez, Layman, Bonacina, Fagundez, relati à Palao ubi ſupra *num.* 2. Idem etiam docet Div. Bonaventura, *lib.* 2. de profectu Religioſorum, *cap.* 77. ubi ſic ait: *Vix aliquis ita Religioſus eſſe videtur, Sanctus* (*exceptis Sacerdotibus*) *quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei ex conſuetudine communicare; niſi ſpecialis cauſa quandoque, vel ratio plus ſuadeat, infirmitas ſuperveniens, vel ſingulariter feſtivitas ſolemnis &c.* Idem ſentiunt N. Urbanus. *tract.* 2. *cap.* 2. *regul.* 6. Franciſc. B. Spei. *quos ref. & ſeq.* Stephan. à S. Paulo hic *diſp.* 4. *num.* 50. Quæruot hic plures utrum Eccleſia juſtè prohibuerit laicis communionem ſub utraque ſpecie. Reſp. iuſte & prudenter prohibuiſſe & prohibere potuiſſe. Patet ex Trident. *ſeſſ* 21. *can.* 2. ubi ait: *Si quis dixerit. S. Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicare, aut in eo erraſſe, anathema ſit.* At de his latius videri poterunt ex recentioribus, Wiggers 3. *p.* q. 80. *art.* 11. Gonet. hic *diſp* 9 *art.* 3. Herinx. *diſp.* 6. *q.* 3. & N. Philipp. à SS. Trinit. *diſp.* 7. *dub.* Cornejo. *diſp. unic. dub.* 1. & 3. Franc. *diſp.* 7. *n.* 116. *&c.*

CAPUT IX.

De miniſtro Euchariſtiæ.

TRIA PVNCTA IN HOC CAPITE ELVCIDANDA SVNT.

P. 1. *De miniſtro hujus Sacramenti quoad illius conſecrationem, & diſpenſationem.*

P. 2. *De his, quæ requiruntur in Sacerdote, ut licitè Euchariſtiam diſtribuat.*

P. 3. *De obligatione, quam Sacerdotes habent miniſtrandi Euchariſtiam.*

PUNCTUM I.

De miniſtro Euchariſtiæ quoad illius conſecrationem, & diſpenſationem.

Prima concluſio.

1. ET quidem quoad miniſtrum conſecrationis, fide certum eſt ſolos Sacerdotes poſſe validè conſecrare Euchariſtiam. Conſtat id ex perpetua traditione derivata ab ipſa Chriſti inſtitutione: definitumque eſt io Concilio Florentino, *in decreto Sacramentis pro inſtructione Rheuorum*, & in Tridentino, *ſeſſ.* 22. *capit.* 1. & *ſeſſ.* 23. *c.* 1. & 4. & *can.* 1. Quod etiam priùs traditum erat in Concilio Nicæno, I. *cap.* 14. & in Lateranſi, ſub Innocentio III. *c.* 1. Deduxitque Trident. ex Matth. 26. & Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis poteſtatem conſecrandi Chriſtus dedit Apoſtolis tantùm, & eorum ſucceſſoribus in munere Sacerdotali, uti ſemper Eccleſia ab Apoſtolis edocta intellexit, & docuit, & congruè: quia ad tale miniſterium oportebat miniſtros eſſe ſingulari ratione conſecratos.

2. Omnes autem Sacerdotes ritè ordinati, validè conficiunt hoc Sacramentum, ſi verba conſecrationis ſupra legitimam materiam proferant cum intentione conſecrandi, aut faciendi, quod facit Eccleſia, etiamſi ſint hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, irregulares, degradati: quamvis graviſſimè peccent, ſi faciant obſtricti aliquâ tali cenſurâ, vel peccato mortali. Unde redeuntes ab hæreſi non ordinantur iterùm, ut habetur cap. *Convenientibus*, 1. *quæſt.* 7. *capit. Ordinationes*, 9. *quæſt.* 1. Et ratio eſt: quia per characterem Sacerdotalem habent hujuſmodi poteſtatem, qui ſemper manet, & eſt indelebilis. Ita Filliucius, *cap.* 9. *num.* 247. &

cum

cùm plurimis Doctoribus, tanquam omnino certum tradit Dicaſtillus, *tract.* 4. *de Euchariſtia diſp.* 11. *dub.* 1. *num.* 9. *&* 10. & de fide eſſe aſſerit N. Franciſc. B. Sp. *diſp.* 8. *n.* 3.

Quæſitum. 1. 3. Petes primò: An ſi plures Sacerdotes totaliter concurrant, & integrè, eodemque tempore abſolvant formam cum abſoluta intentione conſecrandi, omnes conficiant Sacramentum? Reſpondetur affirmativè: & eſt communis ſententia, ex Suarez, *diſp.* 61. *ſect.* 4. Filliucio, *num.* 249. Et ratio eſt: quia non eſt major de uno, quàm de alio, ac proindè vel nullus conficit, vel omnes conficiunt: non conficit nullus, quia omnia neceſſaria concurrunt: ergo omnes conficiunt.

Quæſitum. 2. 4. Petes ſecundò: ſi ex pluribus unus abſolvat formam priuſquam alii cum abſoluta, & inde pendente intentione ab aliis: an ille ſolus conficiat Sacramentum? Reſpondetur etiam affirmativè cum Durando, Cajetano, Ricardo, Soto, & aliis, quos referunt Suarez, & Filliucius, Franciſc. *locis cit.* Ratio eſt: quia integra forma cadens ſupra debitam materiam, cum primum perficitur, conficit Sacramentum: ergo aliæ nihil, cum inveniant jam factum, & cadant ſuper materiam indebitam.

Corollarium. 5. Ex his colligitur, quid dicendum ſit ad conſuetudinem Eccleſiæ, quâ novi Sacerdotes ſimul cum Epiſcopo videntur conſecrare eandem materiam: & ſimiliter cum Epiſcopus conſecratur, qui ſimul cum conſecrante verba conſecrationis profert? Etenim ſi ſimul proferunt, & finiunt conſecrationis formam cum debita intentione conſecrandi, omnes idem Sacramentum conficiunt, ut dictum eſt. Si vero unus abſolvit formam priuſquam alij cum abſoluta, & independenti intentione ab aliis, ille ſolus conficit Sacramentum. Sed quia vix eſt moraliter poſſibile plures concurrentes ad ejuſdem materiæ conſecrationem, ſimul verba, finire, ea de cauſa dubitatum eſt, qualiter hoc licitum eſſe poſſit? Videntur enim ſequi aliqua inconvenientia. Primum: quod Sacerdotes proferant verba, poſtquam jam hoſtia eſt conſecrata, atque adeo ubi non eſt materia. Secundum: quod etiam ipſe Epiſcopus, qui principalius debet celebrare, non conſecret: ſiquidem poteſt accidere (& accidit multoties) ut aliquis novus Sacerdos proferat verba priuſquam ipſe Epiſcopus. Tertium: quando propter defectum in abſolvenda forma ſimul cum Epiſcopo in conſecratione panis, aliqui non conſecraverunt, ſi ſimul cum Epiſcopo proferant formam in conſecratione calicis, jam conſecrarent calicem hi, qui panem non conſecraverunt. Reſpondetur tamen eos Sacerdotes debere habere intentionem conſecrandi panem tunc tantum, quando ſimul cum Epiſcopo, id eſt, in eodem inſtanti cum illo abſolvunt verba neceſſaria ad conſecrationem; non vero, ſi vel prius, vel poſt ipſum abſolvant. Curare autem debent, quoad fieri poſſit, ſimul cum illo abſolvere, & ſic ceſſant duo priora inconvenientia. Primum quidem, nam ſi Sacerdotes abſolvunt verba prius, vel poſt Epiſcopum, cum dicta intentione conditionali, ſolum proferunt verba materialiter tantum, ſeu inſtructionis, & ceremoniæ cauſa. Unde nullum ſequitur ſacrilegium, nullum inconveniens, etiamſi ſic proferant, poſtquam jam eſt hoſtia conſecrata. Niſi dicas inconveniens eſſe, quod proferant verba conditionaliter; quod certè nullum eſt pro minus principaliter celebrantibus, & conſecrantibus. Ceſſat etiam ſecundum inconveniens: nam hac ratione Epiſcopus, qui eſt præcipuus conſecrans, & celebrans, ſemper, & in omni eventu conſecravit, ut patet. Ita Nuñus, 3. *part. quæſt.* 82. *art.* 2. Suarez, *ſect.* 4. Coninchus *ad quæſt.* 82. *art.* 2. Filliucius, *cap.* 9. *num.* 254. Victoria, *in ſumma num.* 88. Villalobos, *tract.* 7. *difficult.* 45. Palaus, *punct.* 17 *num.* 2. Dicaſtillus, *diſp.* 3. *dub.* 13. *num.* 242. Wiggers, Franciſc. *num.* 6. & alii plures. Quod vero attinet ad conſecrationem calicis, ii, qui propter defectum in abſolvenda forma ſimul cum Epiſcopo in conſecratione panis non conſecraverunt, non debent intendere conſecrare calicem. Unde omnes in forma calicis debent habere intentionem conſecrandi calicem cum Epiſcopo abſolutè conſecrante, ſub duplici tamen conditione: prima, ſi conſecraverunt in priori conſecratione panem: ſecunda, ſi in eodem inſtanti abſolvant cum Epiſcopo, curando tamen ſemper cum illo abſolvere: Eaque ratione ceſſat tertium inconveniens conſecrandi calicis ab his, qui panem non conſecraverunt. Ita Dicaſtillus *loco cit. num* 243.

6. Sed objicies: quod ad minus in plurimum, neque Sacerdos, qui ordinatur, habet unquam tales intentiones conditionales, neque Epiſcopus docet aliquando ordinandos de talibus intentionibus habendis. *Objectio.* Reſpondetur non eſſe neceſſarium, quod hæ conditionales apponantur formaliter; ſed ſufficere, quod apponantur virtualiter. *Solutio.* Apponuntur autem ſic ab univerſis, qui ordinantur, per hoc ſolum, quod habent intentionem faciendi hanc actionem modo poſſibili, & convenienti: ut docet Nuñus, *dict. quæſt.* 82. *art.* 2. Illud autem pro praxi advertere non omittemus cum Suarez, *ſect.* 4. *in fine*, Dicaſtillo, *num.* 248. & N. Franciſc. ex Cajetano, in hac re lubrica, & implicata ſatis oportere ordinandos habere intentionem faciendi hanc actionem meliori modo, quo poſſunt: & ſic omnia tuta erunt.

7. Quoad miniſtrum autem diſpenſationis certùm omninò eſt neminem alium à Sacerdote habere ordinariam poteſtatem miniſtrandi ſacram Euchariſtiam chriſtiano populo; ſed ſolis Sacerdotibus id ex officio competere ex Chriſti inſtitutione. *Secunda concluſio.* Sumitur ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. *& cap. Pervenit de conſecrat diſt.* 2. Et docent D. Thomas, *quæſt.* 82 *art* 3. Sylveſter, Henriquez, Suarez, Coninchus, Vazquez, quos affert, & ſequitur, Palaus, *num.* 4. & cum Ricardo, & Victoria, Layman, *cap* 7. *de miniſtro Euchariſtiæ*, *num.* 1. N. Gabriel *diſp.* 15. Anton. *diſp.* 11 Franciſc. &c. Nam ſoli Sacerdotes ratione ordinationis ſuæ, adeoque ex officio poteſtatem habent ſuper corpus Chriſti conficiendum, conſequenter etiam diſpenſandum aliis, nemini que alteri a Sacerdotibus dictum eſt à Chriſto Domino: *Hoc facite in meam commemorationem*: hoc eſt, conſecrate, ſumite, aliiſque diſtribuite.

8. Poteſt tamen Diaconus hoc venerabile Sacramentum miniſtrare ex commiſſione non ſolum Pontificis, ſed Epiſcopi, & Præsbyteri, *Tertia concluſio.* neceſ-

Digitized by Google

neceſſitateque urgente. Ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. *cap.*38. ubi dicitur: *Diaconus, præſente Presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.* Eſtque communis doctrina Scholaſticorum, *in* 4. *d.*13. & D. Thomæ, 3. *part. quæſt.*82. *art.*3. & omnium recentiorum, quos proindè non eſt opus in particulari referre. Neque ad hanc commiſſionem videtur expoſtulanda extrema neceſſitas, ſed gravis, ſeu moralis: ut quod Sacerdos ſit debilis, vel infirmus, vel nullus adſit Sacerdos, qui commodè Euchariſtiam miniſtrare poſſit. Ideò poterit Diaconus credere Presbytero cauſanti impedimentum aliquod. Ita Suar. *diſp.*72. *ſect.*1. *aſſert.*3. Rodriguez, *in quæſt. Moral. q.*56. *art.*8. *tom.*1. Dicaſtillus. *diſp.*11. *dub.*5. *num.*71. & cum Henriquez, & Layman, Palaus, *num.*6. Qui addit cum N. Gabr. his temporibus ubi copia Sacerdotum crevit, raro occurrere poſſe neceſſitatem, extrà mortis periculum, committendi hanc facultatem Diacono: præcipuè cum jam ceſſaverit conſuetudo communicandi ſub utraque ſpecie; ob quam facilius Diaconis diſpenſatio calicis concedebatur, teſte D. Th. *quæſt.*82. *art.*3. *ad* 1. utpotè qui non immediatè ſanguinem attingebant, ſed media fiſtula argentea communicantibus propinabant.

Differentia inter Diaconum & Presbyterum.

9. Eſt autem diſcrimen inter Diaconum, & Presbyterum, qui non eſt Paſtor, quando uterque ex commiſſione Euchariſtiam miniſtrat: nam Sacerdos habet ex ordinatione ſuâ ordinis poteſtatem, licet ad legitimam executionem requirat, ut aliquæ oves, quas paſcat, illi alioquin ex ordinatione ipſa potenti paſcere, aſſignentur ſive ordinaria, ſive delegata conceſſione; quâ tamen ordinis poteſtate caret Diaconus. Item quia Sacerdos etiam ex commiſſione id faciens, non præſtat hoc munus tanquam miniſter, & famulus alterius, ſed utitur poteſtate diſtribuendi ſibi collata in ordinatione; Diaconus verò hoc munus ſolum ex commiſſione exercet tanquam Presbyteri miniſter. Ut docet S. Clemens Romanus, *lib.*8. *Conſtitut. Apoſtolicarum, cap.*28. (alias 34.) dum ait: *Ipſe Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos; ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris.* Cum quo tamen ſtat, in ipſo Diacono elucere ex vi ſui ordinis multò majorem proportionem, & congruentiam, ut licitè, & decenter ex cauſa illi committatur ea Euchariſtiæ diſpenſatio, quam aliis inferioribus clericis: quia conſecratur in miniſtrum immediatum Sacerdotis, atque adeò ſupremum inter miniſtros illius ad illi immediatè ſerviendum in rebus majoris momenti, & dignioribus, inter quas diſtributio Euchariſtiæ meritò cenſetur major.

Quarta concluſio.

10. Laicis verò, & clericis Diacono inferioribus, extra mortis periculum, & neceſſitatem Sacramenti extremam, nulla eſt facultas conceſſa miniſtrandi Euchariſtiam, nec concedi poteſt ab ullo Prælatu præter Pontificem. Ita ex communi ſententia tradit Palaus, *puncto* 17. *num.*7. Et colligitur ex cap. *Pervenit de Conſecratione, diſt.*2. ex Concilio Carthaginenſi IV. *c.*38. & ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam aliis, quàm Diaconis hanc facultatem commiſit.

Quæſitum tertium.

11. Sed rogabis: An in extrema neceſſitate, quæ adeſt, cum infirmus in proximo eſt periculo moriendi, neque eſt Sacerdos, neque Diaconus, qui poſſit, vel velit Euchariſtiam miniſtrare, liceat Subdiacono, aut minori clerico, aut etiam Laico Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare ſibi, vel aliis ſecluſo ſcandalo? Affirmant Valentia, *diſp.*6. *q.*10. *puncto* 1. *ad finem*, Layman, Reginaldus, Filliucius, Diana, quos affert Dicaſtillus, *diſp.*11. *dub.*5. *n.*92. Franciſ. *n.*13. & id putant probabile Suarez, *diſp.*72. *ſect.*3. & Palaus, *punct.*17. *n.*8. & alii. Contrariæ tamen ſententiæ, quam tradunt Henriquez, Vaſquez, Sà, Victoria, Poſſevinus, Chamerota, Vivaldus, Sylveſter, Sotus, Bonacina, Card. Lugo, Fagundez, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *loc. cit.* Gonet *diſp.*10. *n.*18. N. Anton. *n.*278. in praxi magis adhærendum putamus. Tum quia magis communis eſt. Tum propter conſuetudinem: quia hic caſus non eſt rarus; ſed ſæpe ob defectum idonei miniſtri, moriuntur aliqui ſine viatico, & non audet illis dare Subdiaconus, aut minor clericus, aut Laicus. Etſi Reginam Scotiæ propriis ſe manibus communicaſſe legatur, id vel bonâ fide, vel ne Euchariſtia ad Hæreticorum manus deveniret vel ex S. Pontificis diſpenſatione feciſſe credendum eſt inquit benè N. Gabr. *diſp.*15. *q.*1. legatur etiam Gonet *n.*20. & 21.

PUNCTUM II.

De his, quæ requiruntur in Sacerdote, ut licitè Euchariſtiam diſtribuat.

12. Etſi cuivis Sacerdoti ratione ordinis competat aliqua ratione diſtributio hujus Sacramenti; non tamen poteſt quivis cuivis communionem dare. Nam ut hoc licitè fiat, requiritur præter poteſtatem ordinis, etiam poteſtas, ſeu licentia proprii Paſtoris. Ut patet ex Concilio Carthaginenſi I. *cap.*7. & Melivitano, *can.*18. & communi Eccleſiæ uſu. Ut tradunt Suarez, *diſp.*72. *ſect.* 2. Vaſq. *diſp.*219. *c.*2. Palaus, *diſp. unic. punct.*18. *num.*2. Dicaſtillus, *diſp.*11. *dub.*3. N. Gabr. *q.*2. Anton. *num.* 279. Cæterique communiter. Et ratio eſt: quia adminiſtratio hujus Sacramenti, quo fideles ſpiritualiter paſcuntur, licet non ſit actus juriſdictionis, ſicut actus abſolvendi à peccatis; eſt tamen actus ad quem proprii Paſtores habent jus, ut nemo præter ipſos, aut ipſorum voluntate ſuas oves paſcat. Undè qui ſine venia proprii Paſtoris alienis ovibus hoc Sacramentum diſtribuit, alienum officium invadit, & graviter peccat, & ſi Religioſus ſit, etiam ipſo facto incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, ut patet ex Clem. *Religioſi, de privilegiis.* Si ſcilicet det communionem clericis, aut Laicis ex aliqua præſumptione ſine venia Presbyteri Parochialis, aut niſi habeat privilegium.

Concluſio 1.

Quæ proprii Paſtoris licentia ſufficiat ad Euchariſtiam licitè miniſtrandam.

13. Venia autem proprii Paſtoris pro hujus Sacramenti licita adminiſtratione ſufficit, quod ſit rationabiliter præſumpta, quæ conſiſtit in eo, quòd ex aliqua cauſa probabiliter judices proprio Sacerdoti non fore ingratum, quod ejus ovibus Euchariſtiam miniſtres. Ita Azor. *lib.*10. *Inſtitut. Moralium, c.*23. *q.*2. Navarrus, *c.*21. *n.* 52. Suarez, *diſp.*72. *ſect.*2. Vaſquez, *diſp.*219. *c.*3. Reginald. *l.*29. *n.*91. Bonacina, *diſp.*4. *q.*5.

punct. 1. *num.* 6. Palaus, *num.* 4. ubi etiam ſic ſubjicit. *Et hac præſumpta voluntate credo plures Sacerdotes ſimplices excuſari, ne peccent adminiſtrando Euchariſtiæ Sacramentum, cum ſacrum faciunt. Eſt enim ſatis receptum petere fideles à Sacerdote celebrante, quicumque ſit, ut formulam ad communicandum apponat, quâ poſita, & conſecratâ Sacerdos miniſtrat, abſque ullo ſcrupulo, aut examine, an communicantis Parochus conſentiat: credit enim ex recepta conſuetudine conſenſurum, quoties communio non ex obligatione, ſed ex devotione fit. Adde jam ferè omnes fideles in Hiſpania Bullam Cruciatam accipere, quâ ex ſatis probabili ſententia conceditur accipienti, ut poſſit Sacerdotem eligere, qui ſibi Euchariſtiam extra Paſchale tempus miniſtret. Præſumere ergo poſſunt Sacerdotes electi, ſibi petentes adminiſtrationem Euchariſtiæ habere facultatem, vel à Parocho, vel à Bulla Cruciata eligendi Sacerdotem, quem maluerint.* Hucuſque Palaus.

Animadverſio 1. 14. Adverte primò, ut poſſit Paſtor dare alicui Sacerdoti veniam dandi communionem ſuis ſubditis, nullam requiri approbationem Epiſcopi, ſicut pro Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione: quia pro ſolo Sacramento confeſſionis exigitur à Tridentino illa approbatio, & odia ſunt reſtringenda: atque in dante commmunionem non deſideratur ea induſtria, & ſcientia, quæ expoſcitur in audiente confeſſionem: neque etiam eſt tantum periculum, ne illud munus committatur in idoneo. Ita Suarez, *diſp.* 72. *ſect.* 3. Coninchus, *quæſt.* 82. *art.* 3.. Vaſquez, *cap.* 5.. *num.* 57. Palaus *loco cit. num.* 6. Rodriguez, Lugo, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *dicta dub.* 3. *num.* 24.

Animadverſio 2. 15. Adverte ſecundò: urgente neceſſitate in periculo mortis, & deficiente Parocho, quemcumque Sacerdotem, etiam ſimplicem, ſi alius non adeſt, poſſe miniſtrare Euchariſtiam ſine licentia Parochi abſentis, vel injuſtè renuentis. Ita Suarez, *diſp.* 72 *ſect.* 2. Coninchus, *quæſt.* 82. *art.* 3. Angelus, verbo *Excommunicatio cap.* 5. *caſu* 12. *num.* 5. ubi citat Archidiaconum Hoſtienſem, & director. Idem docent Rodriguez, Henriquez, Toletus, Sa, Valentia, Chamerota, Reginaldus, Sotus, Lugo, quos affert, & ſequitur Dicaſtillus, *num.* 25. Henrinx, *diſp.* 5. *num.* 20. Anton. *tract.* 6. *de Euchariſt. num.* 287. Et ratio eſt: quia rationabiliter in tali caſu, vel præſumitur venia proprii Paſtoris, quia eam tenetur concedere, aut ſaltem ipſius Eccleſiæ, quæ in tali caſu ſuis, quacumque ratione poteſt, cupit ſubvenire.

Animadverſio 3. 16. Adverte tertiò: quod licet valdè probabile ſit per Bullam Cruciatæ non dari facultatem recipiendi Euchariſtiam (præterquam in die Paſchatis) de manu ſimplicis Sacerdotis ſine licentia Parochi, vel Epiſcopi, ut docent Suarez, Rodriguez, Nuñus, Lugo, quos adducit Dicaſtillus *diſp.* 11. *dub.* 3. *num.* 29. oppoſitam tamen ſententiam, quæ concedit dari in Bulla talem facultatem, etiam probabilem eſſe, quam tenent Vaſquez, *diſp.* 219. *cap.* 5. Henriquez, *lib.* 7. *de Indulgentiis cap.* 13. *num.* 4 Diana, 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 20. & 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 81. & probabilem cenſent Dicaſtilus *loco cit.* & Palaus *ſup. num.* 4. N. Anton hic *n.* 283.

Animadverſio 4. 17. Adverte quartò, varia eſſe privilegia, quæ refert Palaus, *punct.* 19. Religioſis conceſſa dandi communionem omnibus ritè diſpoſitis in ſuis templis quocumque anni tempore, præterquam in die Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, & prohibitione Prælati interveniente, quin imo ex privilegio Julii II. Minimis conceſſo, non ſolum Religioſi poſſunt Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis miniſtrare; ſed miniſtrandi facultatem aliis concedere. Habetur *in Supplemento Min. conceſſ.* 143. & notant Coninchus, *quæſt.* 83. *art.* 3. Suarez, *tom.* 4. *de Religione*, *tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 5. atque ideo apud eos in Paſchate ſine ſpeciali venia ſui Paſtoris communicantes non ſatisfaciunt præcepto de annua communione; ſed tenentur nihilominus in ſua paræcia communicare, nec poſſunt dicti Religioſi morientibus ſecularibus adminiſtrare viaticum, niſi urgente neceſſitate, ſive quando eſſet periculum, ne alias ſine viatico morerentur, ut patet ex privilegio Pauli III. dato Societati, ut notat Coninchus, *art.* 3. *num.* 31. & 32. & quando Prælatus ob aliquam rationabilem cauſam Euchariſtiæ ſumptionem tibi abſque ejus facultate ſpeciali prohibet, non potes pro Euchariſtia ſuſcipienda ad Religioſos accedere; neque ipſi tibi eam miniſtrare poſſunt: quia eſſet miniſtratio cum manifeſto Prælati præjudicio, quam Pontifex in Conceſſ. General. non cenſetur concedere, ut obſervat Palaus, dicto *punct.* 19. *n.* 10.

Vid. lat. N. Gabr. hic diſp. 15. *q.* 2. *Henrinx diſp.* 5. *n.* 16. & *ſeq.*

Animadverſio 5. 18. Adverte quintò, licere Sacerdoti ſibi ipſi communionem adminiſtrare in neceſſitate; ut ſi jaceret moribundus, & poſſet facilè ex ſacrario conſecratam hoſtiam ſibi ſumere, neque eſſet alius, qui poſſet eam dare. Ita Cajetanus in Summa, verbo *Communio*, Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 3. Coninchus, *quæſt.* 82. *art.* 3. *n.* 25. Filliucius, *tom.* 3. *tract.* 4. *cap.* 9. *n.* 285. Armilla, verbo *Communio*, *n.* 8. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 48. *num.* 1. & alii. Addit Suarez, etiam extrà talem neceſſitatem Sacerdotem alicubi ſolum exiſtentem, qui non poſſet conſecrare, paratam tamen haberet hoſtiam conſecratam, poſſe eam devotionis cauſa ſumere: præſertim ſi alias in magno aliquo feſto deberet communione abſtinere: quia nullum eſt jus contrarium: & ſanè videtur probabile, & ita tenent Sylvius, Homobonus, Fagundez, quos adducit, & ſequitur Anton. *n.* 284. Diana, *tom.* 1. *tract.* 14. *reſol.* 53. addens in praxi practicandum eſſe ſecluſo ſcandalo, quod quidem facile Sacerdos vitare poterit monendo ſtantes, ne ſcandalum patiantur: nam ita facere in illo caſu ſibi licet. Et idem, docent (dummodo alius non facilè inveniatur, qui ſibi adminiſtrare valeat, nec adſit periculum ſcandali) Sa, Rodriguez, Vaſquez, Bartholom. ab Angelo, Vivaldus, Poſſevinus, quos affert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 11. *dub.* 6. quamvis nonnulli alii reclament.

Animadverſio 6. 10. Adverte ſextò, Sacerdotem poſſe dare partem hoſtiæ ſuæ Laico, aut non celebranti, dummodo rationabilis cauſa ſubſit: ut ſi quiſpiam magna devotione accederet, & non eſſet formula, quæ illi porrigi poſſet, & non ſit aliud ſacrum, aut ſi ſit, non eſt commodum expectare alium Sacerdotem: quia nec ex natura rei, inſtitutionis ſcilicet Sacramenti, nec ex Jure Canonico, communi, aut alio ex cap. conſtat id eſſe prohibitum: ita tamen, ut ubi id prohibitum fuerit per ſpecialem aliquam legem Synodalem,

tan-

Digitized by Google

tandum ſit prohibitioni. Sic Diana, *9.p.tract.3. reſolut.*54. cum Granado, quem refert. Et idem docent Angelus, Henriquez Sa, Bartholomæus ab Angelo, D.Antoninus, Poſſevinus, Chamerota, quos affert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.*11. *dub.*6. Gabr. à S.Vinc. *de Euchariſt. diſp.* 16. *q.*2. *citat.* Anton, *n.*288.

Secunda concluſio. 20. Requiritur præterea in miniſtro ad licitam adminiſtrationem Euchariſtiæ, ut non ſub utraque ſpecie, nec ſub altera vini, ſed ſub ſpecie panis miniſtret, & contrarium facere eſſet peccatum mortale ex ſuo genere. Ita Suar. *diſp.*72.*ſect.*4. & Filliucius, *tract.*4. *c.*9. *n.*266.

21. Solet hîc tractari: An diſpenſans in mortali, peccet pluſquam venialiter? De hoc diximus *in tract.* 1. *de Sacram. in genere, cap.* 7. *punct.*11. ſicut & *punct.*9. egimus de obligatione miniſtri non dandi hoc Sacramentum peccatori.

Tertia concluſio. 22. Debet etiam Sacerdos extrà Miſſam habere ſtolam, & ſuperpellicium ad Euchariſtiam miniſtrandam, ut ex Sylveſtro, & Poſſevino, tradit Bonacina. *diſp.*4.*q.*5.*punct.*2. & ex Turrecremata, & Grafio, Filliucius, *c.*9.*n.*270. & ex Suarez, Card. Lugo, *diſp.* 18. *ſect.*2. *n.* 53.

Quarta concluſio. 23. Servandæ quoque ſunt miniſtro ad hoc Sacramentum dignè diſpenſandum Eccleſiæ ordinationes: peccari enim in hoc graviter poteſt, ſi vel miniſtretur tempore ab Eccleſia interdicto, vel in loco prohibito, ut in privata domo ſinè debita facultate. & Epiſcopi approbatione, ut notant Suarez, & Filliucius *loc. cit.*

Quinta concluſio. 24. Item non debet Euchariſtia miniſtrari ſinè debito cultu, apparatu, & cæremoniis, ut luminis accenſi, confeſſionis generalis, abſolutionis communis, & aliarum orationum; ſed ſecluſo ſcandalo, & contemptu, eorum omiſſio non videtur eſſe mortale. Omninò tamen cavendum eſt, ne id fiat: eſt enim ob aliquam irreverentiam, ſaltem veniale, ut docent Suarez, & Filliucius citati, Granadus, *tract.*12. *de Euchariſtia*, *diſp.*3. & Fagundez, *præcepto* 3. *lib.*3. *cap.*3.

Sexta concluſio. 25. Præſtat autem ægrum non communicare, quàm Sacerdotem in habitu cum Sacramento publicum currere. Ita Bonacina, *diſp.*4. *quæſt.* 5. *punct.*2. *num.*9. Medulla Theologiæ Moral. *lib.*6. *tract.* 3. *cap.*2. *dub.*1. *art.*2. Cujus Auctor Hermannus Buſembaus etiam addit Euchariſtiam non eſſe deferendam ad ægrum venerationis tantum cauſa, ut adoretur, vel oſculetur, ſi ſumere non poſſit, quod etiam prohibuit congregatio Cardinalium.

Quæſitum primum. 26. Rogabis primo: An liceat dare Euchariſtiam aliis digitis, ſi indice, & pollice ob chiragram dari non poſſit, & alias æger, ſine viatico eſſet moriturus, ſecluſoque periculo lapſus Euchariſtiæ in terram? Reſpondetur affirmativè cum Medulla Theol. Mor. *cap.*2. *dub.*1. cum Leandro, *tract.*7. *diſp.*4. *quæſt.*19.

Quæſitum ſecundum. 27. Rogabis ſecundò: An tempore peſtis liceat Sacerdoti miniſtrare Euchariſtiam ægrotis in cochleari argenteo, præciſo ſcandalo, & periculo lapſus Euchariſtiæ in terram, ut ſic effugiat contagium? Reſpondetur affirmativè cum Venero, & Gabanto, quos affert, & ſequitur Leander *loc. cit. q.*20. contrà Dianam 4.*part. tract.*4. *reſol.*114. & 5.*part. tract.*3.*reſol.*50. & contra alios apud ipſum. Et in praxi pro ægroto, qui non poteſt trajicere hoſtiam, ut ſcilicet ei detur Euchariſtia impoſita particula hoſtiæ cum vino in cochleari admittunt Præpoſitus *in* 3.*part. q.*80. *art.*5. *dub.*6. Eſcobar *cap.* 7. *e* 6. Diana *part.*4. *tract.* 4. *reſol.* 104.

PUNCTUM III.

De obligatione, quam Sacerdotes habent miniſtrandi Euchariſtiam.

27. ET quidem in articulo mortis, & deficiente Parocho, cuilibet Sacerdoti obligatio incumbit Euchariſtiam morienti miniſtrare: quia quilibet ex charitate tenetur proximo ſuo extremè indigenti ſubvenire hoc vivifico, ſalutari, & fortè neceſſario ſalutis remedio. Parochus autem non ſolum ex charitate, ſed etiam ex juſtitia hac obligatione adſtringitur: cui obligationi ut ſatisfaciat, non ſolum vocatus miniſtrare hoc Sacramentum morienti debet, ſed etiam accuratè inveſtigare, an in ſua Parochia ſint aliqui infirmi conſtituti in periculo mortis, quos inviſere, & ſpiritualiter paſcere oporteat: ſicuti colligitur *cap.*1. *de Celebratione Miſſarum.* *Concluſ.*1.

28. Extrà mortis verò periculum nonnulli, ut Sylveſter, verb. *Confeſſor.* 1. §.18. Ricardus, *in* 3. *d.*18. *art.*2. *q.*3. exiſtimarunt ſolum obligari Parochos Euchariſtiam miniſtrare ovibus ſemel in anno, quando ſcilicet obligat præceptum ipſum ſubditos. Meritò tamen rejiciuntur hujuſmodi Autores. Dicendum ergo eſt teneri proprium Paſtorem hoc Sacramentum miniſtrare, quoties oves rationabiliter, & opportunè petunt. Ita Adrianus, *in* 4. *quæſt.* 5. *de Confeſſ. dub.*8. Sotus, *diſt.*12. *art.*6. Navarrus, cap. *Placuit, de Pœnitent. n.*162. Suarez. *diſp.*72. *ſect.*3. Filliucius, *tract.*4. *cap.*9. *n.*268. Reginaldus, Pitigianus, Azor, Angelus, Poſſevinus, Vaſquez, quos affert, & ſequitur Dicaſtillus, *tract.*4. *diſp.*11. *dub.*7. & cum aliis Palaus, *diſp. unica, punct.*20. *n.*3. Ratio eſt: quia Parochi aluntur à ſubditis non ſolùm ad neceſſaria adimplenda præcepta, verum etiam ut miniſtrent valde utilia, & opportuna ſaluti animarum: & hoc etiam maximè pertinet ad munus Paſtorum: neque alioqui ſatis eſſet ſaluti ovium proviſum. *Concluſ.*2.

Caſus ubi Parochus excuſatur ab obligatione miniſtrandi Euchariſtiam. 29. Poſſunt tamen ſæpe excuſari Parochi, vel propter rationabilem cauſam occurrentem, vel quia habeant alios coadjutores, ut Regulares, ad quos poſſunt oves remittere. Regulariter tamen cavere tenentur, ne ſe oſtendant difficiles in diſpenſanda Euchariſtia, quin potius ſubditorum devotionem adjuvent, & quoad fieri poteſt, alliciant, ſicut notarunt Suarez, Filliucius, & alii. An verò tempore peſtis teneatur Parochus cum vitæ periculo ſuis ovibus Euchariſtiam miniſtrare, affirmant Sylvius, Marchantius & alii quos refert Diana 2.*part. tract.*3. *reſol.* 53. at contraria ſentent. quam tenent N. Gabr. *diſp.*15. *q.* 2. Anton. *n.*296. & cum pluribus latius Dicaſtillus *diſp.*11. *n.*123. probabilis eſt: quia non eſt Sacramentum tantæ neceſſitatis: indè ita declaraſſe Greg. XIII. teſtatur Diana *loc. cit.* at Sacramentum Pœnitentiæ teneri miniſtrare cum pluribus affirmat Gabr. à S. V. *loc. cit.*

TRACTATUS QUINTUS DE MISSÆ SACRIFICIO.

CAPUT PRIMUM.

De Eſſentia Sacrificii in Communi, & Miſſæ.

Caput iſtud continet duo Puncta, & unicum Dubium.

P. 1. *Quid, & quotuplex ſit ſacrificium?*
P. 2. *An Miſſa ſit verè, & propriè ſacrificium à Chriſto inſtitutum?*
D. unic. *An in ſola conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti eſſentia ſacrificii Miſſæ tota eſſentialiter ſit?*

PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex ſit Sacrificium?

Quæ ſit ſacrificii metaphorica uſurpatio; & quæ propria acceptio illius?

1. NOn loquimur hic de Sacrificio methaphoricè accepto, quo pacto quælibet opera in cultum Dei relata appellantur aliquando in ſcriptura nomine ſacrificii, ut interna contritio, Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Laus, quæ voce profertur, Pſ. 46. *Sacrificium laudis honorificavit me.* Eleëmoſyna ad Hebr. 13. *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Martyrium Sapient. 3. *Quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos.* Corporis caſtigatio ad Rom. 12. *Obſecro vos ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam ſanctam.* Verùm hæc omnia methaphoricè dicta ſunt ſacrificia. Sermo igitur nobis in præſenti ſolum eſt de ſacrificio propriè accepto, quod conſiſtit in oblatione rei facta Deo, cum immutatione, quâ ex legitima inſtitutione profitemur ipſum ut ſupremum rerum omnium Dominum, vitæque, & mortis auctorem, quibus ſacrificium ab adoratione, & oblatione abſolutè ſumptis facilè diſtinguitur. Ab adoratione quidem: quia adoratio non petit Deo aliquid offerri. Ab oblatione verò: quia oblatio directè dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamſi non immutetur: ſicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari, circà quos nihil fit: unde omne ſacrificium eſt oblatio; ſed non convertitur. Primitiæ autem oblationes ſunt: quia Deo offerebantur, ut legitur *Deuteron.* 26. non autem ſunt ſacrificia: quia non immutantur in recognitionem Dei, ut auctoris ipſius eſſe, & non eſſe rerum, præſertim vitæ, & mortis viventium. Decimæ vero propriè loquendo non ſunt ſacrificia, neque oblationes: quia non immediatè Deo, ſed miniſtris divini cultus exhibentur. Ferè omnia hæc ſunt Angelici Doctoris D. Thomæ 22. *quæſt.* 85. *art.* 3. *ad* 3.

Definitio ſacrificii.

2. Quarè ſacrificium ſic ſolet definiri: *Eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in ſignum ſupremi ſuper res omnes dominii ex legitima inſtitutione.* Ita Suarez, *diſp.* 73. *ſect.* 6. Filliucius, *tract.* 4. *de Euchariſtia*, *diſp.* 1. *n.* 8. Layman *de Sacrificio Miſſa*, *cap.* 1. Coninchus, *quæſt.* 83. Palaus, *tract.* 10. & alii. Dicitur *oblatio* pro genere, in quo convenit cum multis aliis oblationibus, quæ fiebant Deo, nec tamen erant propriè ſacrificia. *Facta Deo*: quia non ſanctis; ſed ſoli Deo ſacrificium offertur, ut docet Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. *Per immutationem alicuius rei*: ea enim diſtinguit ſacrificium a cæteris oblationibus: in mactatione tamen, & occiſione myſtica Euchariſtiæ ſalvatur ut infra dicetur. *In ſignum ſupremi ſuper res omnes dominii*: eo namque ſigno ſignificamus nos ipſos, aliamque rem quamcumque ita à Deo, ut ſupremo rerum omnium Domino vitæque, ac mortis auctore pro nutu, & voluntate ſua deſtrui poſſe: ſicuti res illa à nobis in ſacrificium Deo oblata immutatur. *Ex legitima inſtitutione*: quæ ſcilicet ad ſacrificium propriiſſimè dictum, prout nunc de illo loquimur, tria requirit, ut publica ſcilicet auctoritate, ut nomine totius populi, ſeu reipublicæ, & ut à legitimo miniſtro, quem Sacerdotem appellamus, fiat.

Diviſio.

3. Dividitur autem verum, & proprium ſacrificium ab origine, ſeu cauſa efficiente in ſacrificium legis naturæ, veteris, ac novæ: nam ſicut hæ leges diverſæ ſunt, ita diverſa ſacrificiorum genera illas comitantur. In lege naturæ, ex ſpeciali Dei impulſu, & inſtinctu: & in lege veteri ex peculiari mandato multiplex erat ſacrificium, ut conſtat *Geneſ* 4. 14. *Levit.* 1. *& ſeq.* & aliis plurimis in locis. At adveniente lege gratiæ, & inſtituto diviniſſimo Euchariſtiæ ſacrificio, omnia illa antiqua ceſſarunt: quia illius umbra erant, & figuræ, ut ex Apoſt. ad Hebræos 7. & ex Tridentino, *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. docent omnes Catholici, & prætet hoc divinum Euchariſtiæ ſacrificium, nullum aliud in lege nova invenitur, ut paſſim docent Patres, & Theologi, atque unicum cum ſit, omnes alias ſacrificiorum rationes perfectiſſimè continet. Eſt enim primò *holocauſtum*: quia potiſſimum fit in recognitionem divinæ excellentiæ. Secundo eſt *Euchariſticum, ſeu gratiarum actionis*: quia fit in recognitionem, & gratiarum actionem Paſſionis Chriſti, quæ fuit ſummum Dei beneficium, & fons beneficiorum omnium. Eſt tertio *Impetratorium*: quia in eo Chriſtum offerimus, in quo, & per quem omnia beneficia ſperanda ſunt: Eſt quartò *in expiationem peccatorum*; etenim, ut inquit Catechiſmus Romanus,

nus, dum de Miſſæ ſacrificio agit: *Eucharistia à Chriſto Domino inſtituta eſt, non ſolum, ut caleſte animæ noſtra alimentum eſſet, quo vitam ſpiritualem tueri, & conſervare poſſemus; verum etiam ut Eccleſia perpetuum ſacrificium haberet, quo peccata noſtra expiarentur, & caleſtis Pater ſceleribus noſtris ſæpe graviter offenſus, ab ira ad miſericordiam, à juſtæ animadverſionis ſeveritate ad clementiam traduceretur.* Quarè veriſſimè dicit Eccleſia in quadam collecta Dominicæ ſextæ poſt Pentecoſtem: *Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum unius ſacrificii perfectione ſanxiſti, &c.*

Obſervatio. 4. Et nota, unum, idemque eſſe incruentum Miſſæ, & cruentum Crucis ſacrificium, ut docet idem Cathecismus Pii V. *Unum itaque* (inquit,) *& idem ſacrificium eſſe fatemur, & haberi debet, quod in Miſſa peragitur, & quod in Cruce oblatum eſt, quemadmodum una eſt, & eadem hoſtia Chriſtus, videlicet Dominus noſter, qui ſeipſum in ara Crucis ſemel tantummodo cruentum immolavit: neque enim cruenta, & incruenta hoſtia duæ ſunt hoſtiæ; ſed una tantum, cujus ſacrificium poſtquam Dominus ita præcepit; hoc facite in meam commemorationem, in Euchariſtia quotidie inſtauratur.* Quod ſic eſt intelligendum, ut non ſolum ex parte rei oblatæ ſint idem numero ſacrificium, ſed etiam quod ſacrificium Miſſæ ſecundum rationem formalem ſacrificii, hoc eſt ſecundum ſignificationem excellentiæ Dei auctoris vitæ, & mortis, ſit idem ſpecie cum ſacrificio cruento, quod Chriſtus per ſe in Paſſione obtulit, numero tamen diverſum, ut benè docet Dicaſtillus, *diſp. 1. dub. 15.*

PUNCTUM II.

An Miſſa ſit verè, & propriè Sacrificium à Chriſto Domino inſtitutum?

Miſſa nomen qualiter uſurpatur. 5. Quamvis Miſſa, quæ vox latina eſt, dicta propriè ſit à verbo mitto; ſive quia cathecumeni à Sacerdote, vel Diacono dimittebantur finitis orationibus, & ſacra lectione ante oblationem, ſivè quia dimiſſio populi Chriſtiani fiebat peracto ſacrificio, ut docet Bellarminus, *tomo 2. lib. 1. de Miſſa, cap. 1.* Jam tamen nomen Miſſæ communi, & frequenti uſu pro tota actione ſacra à principio uſque ad finem uſurpatur. Sicuti fecit D. Ambroſius, *lib. 3. epiſtol. 33.* & D. Auguſt. *ſerm. 92 de tempore.*

Duplex de Miſſa loquutio. 6. Poſſumus autem dupliciter loqui de Miſſa. Primò ratione totius actionis, ut includit omnes cæremonias, orationes, & alia multa. Secundò ratione tantum ejus, quod eſt de ſubſtantia, & eſſentia ſacrificii: & ſecundùm hoc Miſſa eſt verè, & propriè ſacrificium à Chriſto Domino inſtitutum. Reliqua autem, quæ in Miſſa non ſunt de ſubſtantia, & eſſentia ſacrificii, ab Eccleſia ſunt inſtituta. Undè Canon etiam Miſſæ non a Chriſto Domino, ſed ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus traditus eſt, & compoſitus, ut habetur in Tridentino, *ſeſſ. 22. cap. 4.* Et idem eſt de aliis cæremoniis, & collectis, ut ex Clemente, & aliis Pontificibus, & conciliis, probant Suarez, *diſp. 74. ſect. 3.* & alii.

Qua ratione ſit Miſſa verè ac propriè ſacrificium. 7. Et quidem Miſſam ratione ejus, quod eſt de ſubſtantia, & eſſentia ſacrificii, eſſe verè, & propriè ſacrificium conſtat ex Tridentino, *ſeſſ. 22. cap. 1. & 2. & canon. 1.* & id tradunt innumeri Patres, qui videri poſſunt apud Bellarminum, *lib. 1. de Miſſa*, & Valentiam hoc loco, *diſp. 6.* Gonet *diſp. 11. n. 5. & ſeq.* Ex ſcripturâ, & pluribus Conciliis probat Cardinalis Lugo, *diſp. 19. ſect. 1.* N. Franciſc. *diſp. 9. n. 23.* Wiggers. *q. 83. art. 6.* Herinx. *diſp. 8. n. 11.* Ratione enim à priori comprobatur: nam in Miſſæ ſacrificio reperitur propriè illa definitio ſacrificii, quam *puncto præcedenti, num. 2.* tradidimus, nimirum: *Oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei in ſignum ſupremi ſuper res omnes dominii ex legitima inſtitutione.* Per oblationem enim, & conſecrationem utriuſque ſpeciei mactatur, & occiditur Chriſtus ut homo; non quidem cruentè, ſed incruentè, & myſticè, quatenus per conſecrationem utriuſque ſpeciei ex vi verborum, quibus illa fit, corpus, & ſanguis Chriſti ab invicem ſeparantur: ſub qua myſtica mactatione, & occiſione, in qua ſalvatur ſufficiens mutatio ad ſacrificium, æterno Patri offertur, & eà ſatis ſignificatur Deum ſupremum ſuper res omnes habere dominium, vitæque, & mortis auctorem eſſe: & hoc ex legitima Chriſti Domini inſtitutione, ut jam fulcimus.

Miſſæ ſacrificium à Chriſto Domino fuit inſtitutum. 8. Quod igitur hoc verum, & proprium ſacrificium Miſſæ ſit à Chriſto Domino inſtitutum, eſt fide certum, & definitum in Tridentino, *ſeſſ. 22. cap. 1. & canon. 1. & 3. & 4.* ubi etiam *cap. 1. & canon 2.* definitur colligi ex illis verbis Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ex ſcriptura, & Patribus manifeſtè convincunt Suarez, *diſp. 74* & Dicaſtillus, *diſp. 1, dubitat. 5.* Ratione etiam ſufficienter probatur: nam Chriſtus in nocte cœnæ obtulit hoc ſacrificium, cum per modum myſticæ mactationis ſeparatim conſecravit corpus ex vi verborum: & ſeorſim a ſanguine, & poteſtatem, & legem perpetuo duraturam de illo ſic in Eccleſia offerendo tradidit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: quod, & nihil aliud eſt quam hoc ſacrificium inſtituere. Undè Div. Ambroſius, *lib. 1. præparat. ad Miſſam*: *Ego* (inquit) *licet peccator accedo ad altare tuum, & offero ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti.*

DUBIUM UNICUM.

An in ſola conſecratione utriuſque ſpeciei eſſentia ſacrificii Miſſæ tota eſſentialiter ſit?

Prima dubitandi ratio. 9. Et videtur quod non. Primò: quia oblatio hoſtiæ conſecratæ illis verbis *unde & memores Domine*, pertinet ad eſſentiam ſacrificii, ut tenent Azor *lib. 10 cap. 19.* Bonacina, *diſp. 4. quæſt. ultima punct. 2.* Sotus, & Covarruvias, apud Dicaſtillum, *tract. 4. de ſacrificio Miſſæ, diſp. 1. dubitat. 8. num. 142.* Et ratione probatur: quia per eam oblationem offertur Deo corpus, & ſanguis Chriſti: oblatio autem Deo facta eſt de ratione ſacrificii.

Secunda. 10. Secundò: quia fractio hoſtiæ conſecratæ ſaltem partialiter pertinet ad ſacrificii eſſentiam, ut ſentiunt Canus, *lib. 12. de locis cap. 13. ad 4. argumentum*, Valentia, *diſp. 6. quæſt. 9. punct. 1. §. 2.* Probarique poteſt, ex facto Chriſti Domini, qui non ſolum conſecravit panem,

ſed etiam fregit: ergo non ſolum conſecratio, ſed etiam fractio pertinet ad eſſentiam ſacrificii.

Tertia.

11. Tertiò: quia ſumptio Euchariſtiæ, vel eſt tota eſſentia ſacrificii Miſſæ, ut affirmant Albertus, *in* 4. *d.* 13. Ledeſma, 1. *p. quarti*, *quæſt.* 23. *art.* 4. in fine, & alii apud Suarez, *diſp.* 74. *ſect.* 5. *in principio*, N. Gabr. *tract.* 5. *de Sacrificio Miſſæ* *q.* 4. vel ſaltem partialiter ad illius eſſentiam ſpectat, ut docent Sotus, *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. Bellarminus, *lib. de Miſſa*, *cap.* 22. Bonacina, *diſp.* 4. *quæſt. ultima puncto* 2. & alii apud Dicaſtillum *dub.* 9. *num.* 155 Et ratione probatur: quia ad rationem ſacrificii requiritur aliqua immutatio in re oblata: nulli autem alii actioni Miſſæ videtur poſſe tribui ratio immutationis, niſi ſumptioni, per quam aliqua ratione Chriſtus immutatur: ergo vel ſumptio eſt tota eſſentia ſacrificii, vel ſaltem partialiter ad illius eſſentiam ſpectat.

Quarta.

12. Quartò: quia in conſecratione non conſiſtit eſſentia ſacrificii: ut tenent Scotus, *in* 4. *diſt* 13 *quæſt.* 2 § *ad quæſt.* Gabriel, *quæſt* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Echius, *lib.* 3. *de ſacrificio Miſſæ*, *cap.* 9. & alii multi. Et probari poteſt primò: quia conſecratio non eſt oblatio, ac proindè nec ſacrificium, cum ſacrificium, ut ſupra viſum eſt, ſit oblatio. Antecedens ſuadetur tripliciter. Primò ex Tridentino, *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. ubi docet Sacerdotibus datam eſſe poteſtatem conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus & ſanguinem Chriſti: ergo ſignificat, conſecrationem eſſe diſtinctam actionem ab oblatione, ſicut etiam ab adminiſtratione. Secundò: quia ſinè conſecratione aliquando fit ſacrificium Miſſæ; ut in feria 6. in Paraſceve, quo die Sacerdos non conſecrat; ſed hoſtiam die antecedenti conſecratam offert, & appellat ſacrificium dicens: *Sic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus*: Et item. *Orate fratres, ut meum, ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat*, &c. Tertiò quia conſecratio eſt actio productiva victimæ ſed actio productiva non eſt deſtructiva ergo conſecratio non eſt oblatio.

Authoritas D. Thomæ.

13. Sed contra: quia D. Thomas, 3. *part.* *quæſt.* 83 *art.* 4. ait: *Sacerdotem per illa verba: ſupra quæ propitio, ac ſereno vultu reſpicere digneris, &c. Quæ dicuntur ſtatim poſt conſecrationem, petere ut ſacrificium peractum ſit acceptum Deo: quæ apertè ſignificant in conſecratione eſſe eſſentiam ſacrificii jam peracti.* Et Simeon Epiſcopus Theſſalonicenſis, *lib. de myſterio Miſſæ*, *cap.* 3. aſſerit: Chriſtum non obtuliſſe ſacrificium antè vel poſt conſecrationem; ſed in conſecratione ipſa: *quia tunc* (inquit) *facta eſt mactatio ex pane non mactato in corpus Chriſti mactatum.*

Concluſio.

14. Reſpondetur dicendum, in ſola conſecratione utriuſque ſpeciei totam eſſentiam ſacrificii ſitam eſſe · reliquaſque actiones antecedentes, & ſubſequentes, vel ad ornatum, vel ad integritatem ſacrificii pertinere Ita Alanus, *lib. de ſacrific. Miſſæ*, *cap.* 25. Palacios, *in* 4. *dnd.* 8. *diſp.* 1. & 4. Becanus, *cap.* 25. *quæſt.* 6. Ricardus, *art* 16. Suarez, *diſp.* 75. *ſect.* 5. Vazquez, *diſp* 222. per totam, Sebaſtianus Perez, Caſſaſius, Oxomenſis, Turtianus Coninchus, Luyſius, Tannerus, quos affert, & ſeq. Dicaſtillus, *diſp.* 1. *dub.* 10. *num.* 176. Adamus, Hurtado, Monteſinos, Marcus de los Huertos, Ochagavia, apud Leandrum, *tract.* 8. *Miſſæ diſp.* 1. *quæſt.* 16 Idem docent Wiggers *q.* 83. *num.* 40 Henrinx. *diſp* 8. *num.* 41 Labat. *diſp.* 5. *dub.* 2. Gonet *art.* 2. Lugo. N. Philippus à SS. Trinit. *diſp.* 8. *dub.* 4 Anton. *de ſacrific.* *diſp.* 2. Franciſc. B. Spei. *loc. n.* 53. Stephan. *diſp.* 4. *n.* 56. & Palaus, *diſp. unica punct.* 2. *num.* 2. referens pro ea Sanctos Patres Ireneum Cyprianum, Chryſoſtomum, & Gregorium Niſſenum: & colligitur ex D. Ambroſ. D. Gregorio Magno, D Iſidoro, apud Dicaſtillum ubi proximè.

Suadetur concluſio quoad primam partem.

15. Et prior pars concluſionis, ſcilicet in ſola conſecratione utriuſque ſpeciei totam eſſentiam ſacrificii ſitam eſſe, probatur. Quia eâ ſolâ ex vi verborum ſufficienter Chriſti mors repreſentatur, mutatur, & mactatur Chriſtus tanquam victima incruentè, & myſticè, per eamque denotatur Deus ſupremus Dominus, auctor vitæ, & mortis, & Patri æterno ejus Filius offertur actu ipſo conſecrationis, & ex intentione miniſtri: ergo nulla alia re indiget, ut veram, & totam ſacrificii eſſentiam habeat.

Probatur ſecunda pars, & 1. ſimul confirmatur.

16. Quod amplius confirmatur ex probatione ſecundæ partis concluſionis, ſcilicet reliquas actiones conſecrationem antecedentes, & ſubſequentes non ad eſſentiam ſacrificii; ſed vel ad ornatum, vel ad integritatem illius pertinere. Et in primis oblatio verbalis, tam antecedens, quam ſubſequens conſecrationem ad eſſentium ſacrificii non ſpectat; ſed ſolum ornat: non ſpectat quidem ad eſſentiam prima illa ablatio panis, & vini: tum quia non fuit ſemper ab Eccleſia obſervata in Miſſa talis oblatio, ut teſtatur Suarez *ſect.* 2. & 3. & tamen in Miſſa ſemper offerebatur ſacrificium: tum etiam quia per eam nihil fit, niſi merè extrinſecè circa rem oblatam. Unde etiamſi omittatur, ſacrificium cenſebitur perfectum eſſentialiter. Non etiam ſpectat ad eſſentiam ſacrificii ſecunda oblatio verbalis, quæ fit poſt conſecrationem: tum quia etiamſi conſtet Chriſtum Dominum in ultima cœna integrè eſſentialiter ſacrificaſſe, non legimus illum alia actione obtuliſſe præter illam oblationem, quæ imbibitur in ipſa actione conſecrandi, & ſacrificandi, ſeu mactandi incruentè: tum etiam, quia non conſtat ea verbali oblatione ſemper Eccleſiam uſam fuiſſe, ut idem Suarez teſtatur: tum denique quia oblatio ad eſſentiam actionis ſacrificii requiſita non eſt actio aliqua diſtincta ab ipſa actione ſacrificandi; ſed eſt ipſamet actio ea intentione exhibita, ut denotetur Deus auctor vitæ, & mortis: ergo non eſt neceſſè, ut ſacrificans verbo exprimat ſe offerre, ſed ſatis eſt opere illam oblationem exercere ex prædicta intentione: ac proinde oblatio aliqua implicita in conſecratione dici poteſt eſſe de eſſentia; non autem vocalis, & explicita.

17. Deinde fractio hoſtiæ conſecratæ, aut commixtio illius cum ſanguine nec partialiter pertinet ad eſſentiam ſacrificii. Tum quia eâ cæremonia non legitur Chriſtum uſum fuiſſe, neque ab eo eſſe inſtitutam: tum etiam, quia etiamſi nulla eſſet fractio, nec ullam partem hoſtiæ Sacerdos in calicem mitteret, ſacrificium tamen eſſet eſſentialiter perfectum. Ut

docet

docet Ang. Doct. D.Thomas, 3.*part.quæſt.*83. *art.*6.*ad* 6. ubi ſic ait: *Dicendum, quod fractio hoſtiæ conſecratæ, & quod una ſola pars mittatur in calicem, reſpicit corpus myſticum, ſicut admixtio aquæ ſignificat populum, & ideo horum prætermiſſio non facit imperfectionem ſacrificii, ut propter hoc ſit neceſſe aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti.*

Denique ſumptio hoſtiæ conſecratæ etiam partialiter non eſt de eſſentia ſacrificii: & quidem de ſumptione, quæ fit à fidelibus, quibus celebrans Sacramentum diſtribuit, certum eſt, cum ſinè hac ſumptione integrum ſacrificium conſtet; de ſumptione vero, quæ in Miſſa fit ab ipſo Sacerdote probatur. Tum, quia poſt conſecrationem utriuſque ſpeciei, & antè ſumptionem, ſacrificium dicitur eſſentialiter peractum. *Unde Sacerdos*, inquit D.Thomas, 3.*part. quæſt.* 83. *art.* 4. *petit ipſum ſacrificium peractum eſſe Deo acceptum, cum dicit: ſupra quæ propitio &c.* Non autem eſſet eſſentialiter peractum antè ſumptionem, ſi eſſet ſumptio de eſſentia ſacrificii adhuc partialiter. Tum etiam: quia tota denotatio, & ſignificatio, quæ requiritur ad eſſentiam actionis ſacrificii, in quo Chriſtus immolatur, invenitur in ſola conſecratione utriuſque ſpeciei. Tum denique: quia in ſumptione non poteſt reperiri mutatio, quæ ſufficiens ſit, ut ratione illius Chriſtus oblatus ſignificet Deum vitæ, & mortis auctorem eſſe, cum ibi ſolum ſpecies corrumpantur: quinimò cum hæc corruptio potius contingat cum ſpecies in ſtomacho Sacerdotis deſinunt eſſe, potius eo tempore, quam in altari, Sacerdos ſacrificare diceretur, quod non eſt admittendum.

Solvitur 1. *ratio dubitandi.*

19. Ad primum dicendum non quamcumque oblationem eſſe de eſſentia ſacrificii Miſſæ, ſed eam dumtaxat, quæ eſt mactatio myſtica rei Deo oblatæ, quá eum auctorem vitæ, & mortis profitemur, & quæ eſt indiſtincta ab utriuſque ſpeciei conſecratione.

Replica.

20. Quod ſi urgeas ulterius cum Bonacina. Si Sacerdos facta conſecratione pereat, tenetur alius Sacerdos offerre, & ſumere, ut integrum fiat ſacrificium: ergo ſignum eſt oblationem, quæ fit poſt conſecrationem eſſe de eſſentia illius: alioquin alius Sacerdos non teneretur offerre, & idem argumentum eſt de ſumptione. Reſpondetur id debere fieri, non quia oblatio illa pertineat ad eſſentiam ſacrificii; ſed quia tanquam de re gravi præceptum eſt ita faciendi. Sumptio autem tunc præcipitur, quia ad aliquod complementum tanquam pars integralis ſacrificii ſpectat, licet non ad eſſentiam: ſicut manus pertinet ad integritatem hominis. Accedit, quod cum noſtra ſententia ſit opinio tantum, quam probabiliorem, & veram exiſtimamus, & in re tam gravi quales ſunt partes eſſentiales ſacrificii, ſemper quoad fieri poteſt, tutior pars, & in qua nullum eſt periculum, ſit eligenda: meritò præcipitur, ut in caſu poſito, oblatio, & ſumptio per alium Sacerdotem ſuppleantur, quæ à priori Sacerdote fuerunt omiſſa.

Enervatur.

Evertitur 2. ratio dubitandi.

21. Ad ſecundum argumentum ſumptum ex facto, & præcepto Chriſti Domini, reſpondetur negando, illum fregiſſe panem conſecratum; ſed nondum conſecratum. Unde non id præcepit, aut commendavit, quod neque ipſe tunc fecit, nec fractionem ipſam hoſtiæ nondum conſecratæ præcepit, ut omnes fatentur.

Diluitur 3.

22. Ad tertium dicendum, non requiri mutationem, & mactationem phyſicam rei oblatæ, ſed ſufficere myſticam, qua & Chriſti mors ſufficienter repreſentatur, & Deum vitæ, & mortis auctorem profitemur.

Enodatur 4. quoad primam probationem.

23. Ad quartum negandum eſt antecedens. Et ad primam probationem petitam ex Concilio Trident. docente Sacerdotibus conferri poteſtatem conſecrandi, & offerendi corpus, & ſanguinem Chriſti, negandum eſt inde colligi conſecrationem eſſe actionem diſtinctam ab oblatione: ſæpè enim aliis, atque aliis verbis ſolet una, atque eadem res ſignificari, maximè ſi in ea ſint plura munera ratione diverſa: ut contigit in præſenti.

Quoad 2.

24. Ad ſecundam probationem ſumptam ex eo, quod Sacerdos in die Paraſcevè non conſecrat hoſtiam, & tamen orat Deum, & petit, ut adſtantes orent, ut ſacrificium illud acceptabile fiat. Reſpondetur nomine ſacrificii intelligere victimam illam pridie ſacrificatam, & eam offerre pro populo, & hanc petere, ut fiat in ſui, & adſtantium utilitatem, & manducationem illam, quæ ab ipſo nomine totius populi fit, omnibus eſſe proficuam. Ad tertiam reſpondetur unam & eandem actionem poſſe eſſe productivam & deſtructivam quando ex modo producendi ita attingit terminum ut quantum eſt de ſe habeat ſeparare corpus à ſanguine ut dictum eſt. *num.* 7. hanc objectionem & ſolut latius deducit Gonet *loc cit.*

CAPUT SECUNDUM.

De iis, qui offerunt, & pro quibus offertur Miſſæ ſacrificium.

IN HOC CAPITE SUNT TRIA PUNCTA.

P. 1. *Qui ſint offerentes in ſacrificio Miſſæ.*
P. 2. *Pro quibus perſonarum generibus vivis validè, & licitè poſſit ſacrificium Miſſæ offerri.*
P. 3. *An, & pro quibus defunctis licet Miſſam offerre, validè, & licitè?*

PUNCTUM I.

Qui ſint offerentes in ſacrificio Miſſæ.

Concluſio 1.

1. Chriſtus Dominus ſummus Sacerdos eſt offerens præcipuus in hoc ſacrificio. Ita D. Thomas, 3.*part.quæſt.*83. *art.*1.*ad* 3.

&

& communiter Theologi. Colligiturque manifeſtè ex Tridentino, *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. Et probatur ratione. Tum quia non eſſet conveniens, ut ſummus Sacerdos, qualis eſt Chriſtus, perpetuò vacaret à munere præcipui offerentis. Tum etiam: quia id pertinet ad majorem gloriam Dei, & dignitatem ſacrificii. Tum denique: quia Sacerdos conficit hoc ſacrificium in perſona Chriſti, & tanquam legatus ejus ipſum repreſentans quod reverà videtur ſufficere, etiamſi nihil aliud intercederet: ibi enim reperitur quædam habitudo moralis ad Chriſtum, ut colentem Deum, quamvis per alium: ſicut qui dat eleemoſynam per ſamulum, rectè dicitur principalis donans, & licet famulus ſit iniquus, ſi ipſe eſt juſtus, eleëmoſyna illa eſt munda apud Deum.

Quæſitum.

1. circa illud ſententia, & duplex ejus fundamentum.

2. Petes: An ultrà hoc Chriſtus Dominus ſit offerens præcipuus, quia ipſe immediatè proximè, & actu elicito offert ſingula ſacrificia, dum actu fiunt? negat Vazquez, *diſp.* 225. *cap.* 3. Becanus, *cap.* 25. *quæſt* 9. & alii. Moventur præcipuè. Primò quia ſi Chriſtus immediatè nunc offert ſacrificium, ita ut ab ejus voluntate actus ſacrificandi habeat honeſtatem moralem, ea oblatio eſſet meritoria impetrationis bonorum gratiæ, quæ dantur virtute ſacrificii, cum tamen non ſit in ſtatu merendi. Secundò quia hic concurſus immediatus Chriſti ad ſacrificium non decet perſonam Chriſti: non enim decet ipſum rogare Patrem, ut ſui ſacrificium per manus ſancti Angeli ſuſcipiat, ſicuti rogat Sacerdos dicens: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum &c.*

Secunda ſententia cui ſubſcribimus.

3. Nihilominus cum Chriſtus Dominus per humanitatem ſuam phyſicè concurrat ad actionem illam, per quam hoc ſacrificium conficitur, ſcilicet ad tranſubſtantiationem, in quâ ratione Chriſtus ut homo, eſt offerens præcipuus reſpectu miniſtri: quia licet humanitas ejus in ea actione inſtrumentaliter concurrat, eſt tamen inſtrumentum conjunctum, & ut ſic dicamus præcipuum organum divinitatis, credibile eſt in eomet concurſu, quo concurrit cum Sacerdotibus ad hujuſmodi actionem ſe gerere, ut ſupremum Dei cultorem, & ſicut actu concurrit ad omnia ſacrificia, ita actu de illis cogitate, & velle concurrere: quia non concurrit tanquam inanime inſtrumentum, ſed per intellectum, & voluntatem: nec refert, quod loco diſtet, aut quod per ſeipſum ſenſibilia verba non proferat, cum hæc non ſint de ratione offerentis, ut ſic, ut per ſe conſtat. Quod ita fieri exiſtimamus. Tum quia ad dignitatem hujus ſacrificii magis conducit; ſicut quamvis honor à Rege per ſuum legatum exhibitus habeat quandam ſpecialem dignitatem à perſona regia tanquàm a principali honorante per ſuum miniſtrum, multum tamen ſecundum moralem exiſtimationem adderetur, ſi Rex per ſe ipſum (ut poſſet) concurreret. Sic igitur in præſenti ad exactam perfectionem hujus ſacrificii, & ut omnino æquale ſit ex parte offerentis ſacrificio Crucis, & cœnæ, oportet, ut Chriſtus per ſe ipſum aliquo modo offerat, & non tantum per legatum ſe repreſentantem. Tum etiam quia hujuſmodi concurſu aptius declaratur, qualiter Chriſtus ſit Sacerdos in æternum, quàm ſi ſolum mediatè, & remotè concurreret: ſiquidem hac viâ non ſemel, ſed in perpetuum offert, quoties ſacrificium fuerit. Sic Suarez, *diſp.* 77. *ſect.* 1. Coninchus, *quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 6. Tannerus, *quæſt.* 9. *dub.* 3. Filliucius, *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 31. Dicaſtillus, *tract.* 5. *diſp.* 2. *dub.* 1. Palaus. *diſp. unit. punct.* 4. *n.* 4. N. Gabr. *diſp.* 1. *quæſt.* 5.

Occurritur 1. fundamento prioris ſententiæ.

4. Neque obſtant rationes in oppoſitum adductæ. Ad primam enim reſpondetur, quod quemadmodum nunc Chriſtus Dominus in cœlis plures actus honeſtos exercet, nec tamen per illos meretur: tum quia jam eſt omnino extra viam: tum etiam quia actus illi non ordinantur ab ipſo in finem merendi, aut ex intentione aliquid impetrandi per ipſos: ita licet actus, quo nunc ſeſè voluntate ſua liberè offert, ſit honeſtus, non eſt meritorius, cum jam anima Chriſti non informet corpus paſſibile, neque actum illum ordinet in finem merendi.

Secundo ſit ſatis.

5. Ad ſecundam negandum eſt, concurſum immediatum in ſacrificio dedecere perſonam Chriſti, tametſi orationes illæ illum dedeceant: aliud enim eſt orare Patrem ut ſacrificium per manus Sancti Angeli ſuſcipiat, aliud ipſum ſacrificium conficere, & offerre: illud cum non ſit à Chriſto inſtiturum, ſed ab Eccleſia, & nomine Eccleſiæ fiat, mirum non eſt, quod ad id immediate Chriſtus non concurrat; at conſecratio, & oblatio cum ſint à Chriſto inſtitutæ, & nomine ipſius fiant, bene poteſt Chriſtus ad ipſas concurſum immediatum habere.

Concluſio 2.

6. Poſt Chriſtum, qui eſt præcipuus offerens ſequuntur Sacerdotes miniſtri, qui ſoli ſacrificium Miſſæ per ſe validè offerre poſſunt: quia in ſolis ipſis eſt poteſtas conſecrandi, & offerendi corpus, & ſanguinem Chriſti, ut certum eſt in Eccleſia, & ſignificatur à Trident. *ſeſſ.* 22. & 23. *cap.* 1. Conſecrant autem, & offerunt omnes ritè, & validè Sacerdotio initiati proferentes verba legitima ſuper legitimam materiam, cum intentione legitima quantumvis ſint hæretici, excommunicati, aut degradati, ut docet D. Thomas, *q* 82. *art.* 7. & communiter Theologi, & aperte colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. ubi docet Sacerdotibus dari poteſtatem offerendi hoc ſacrificium, ut patet ex eorum ordinatione. Et *capit.* 4. ex eo quod ipſis imprimatur character, infert hanc poteſtatem iis auferri non poſſe.

Concluſio 3.

7. Extrà Sacerdotem baptizati non excomunicati (quia neque ipſi conſecrant, neque ad munus offerendi ſunt deputati) non per ſe rigoroſè, & immediate, ſed tantum mediatè, per manus Sacerdotum denominativè, & non rigoroſè dicuntur ſacrificium offerre. In quo ſenſu intelligenda ſunt verba illa Canonis: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ; ſed & cunctæ familiæ tuæ*, & etiam illa: *vel qui tibi offerunt.* Ut explicant Suarez, *diſp.* 77. *ſect.* 3. & Palaus, *punct.* 4. N. Anton. *num.* 19 Tres autem ſunt modi denominative mediatè, & non rigoroſè hoc ſacrificium per Sacerdotes offerendi, quorum unus eſt generalis. & communis omnibus fidelibus, non quidem per aliquam actio-

actionem ſingulorum; ſed tantum per Sacerdotem totius Eccleſiæ miniſtrum: nam ex eo, quod Sacerdos, ut publicus miniſter, hoc ſacrificium immediatè offert, omnes fideles dicuntur mediatè denominativè, & non rigoroſè illud offerre. Secundus modus eſt magis ſpecialis, per actionem ſcilicet aliquam moventem Sacerdotem ad offerendum: v.g. per eleëmoſynam, aut ſtipendium, vel petendo, aut procurando ſacrificium. Tertius modus eſt aſſiſtendo ſacrificio, maximé adjuvando, & reſpondendo: qui enim aſſiſtunt, vel miniſtrant ratione magis peculiari, quam alii, qui neque aſſiſtunt, neque miniſtrant, dicuntur offerre, & tantò perfectius hanc rationem participant, quantò vel magis, vel pluribus modis cooperantur.

PUNCTUM II.

Pro quibus perſonarum generibus vivis validè, & licitè poſſit ſacrificium Miſſæ offerri?

In quo Doctores conveniant

8. OMnes Theologi conveniunt ſacrificium poſſe offerri pro alio, non ſolum quâ hæ voces *pro alio* ſignificant idem, quod nomine, & loco alterius; ſed etiam quâ ſignificant in utilitatem, & commodum alterius.

9. Conſtat etiam apud omnes Catholicos poſſe hoc ſacrificium offerri pro omnibus fidelibus baptizatis vivis qui ſunt membra Eccleſiæ, & ab ipſa non ſunt præciſi, ut definit Tridentin. *ſeſſ.22. cap.1. & can.3.*

Illatio 1.

10. Hinc Suarez, *diſ.78. ſect.1.* & cum aliis Dicaſtillus, *diſp.2. dub.3. n.39.* inferunt, etiam hoc ſacrificium utiliter offerri poſſe pro infantibus vivis baptizatis: quia ſunt capaces fructus impetrationis, licet non ſatisfactionis.

Illatio 2.

11. Hinc ulterius etiam de energumenis meritò cum Vaſquez, & aliis docet idem Dicaſtillus poſſe pro illis Miſſam dici: quia non conſtat id eſſe prohibitum.

12. Certum etiam eſt, pro baptizatis adultis non excommunicatis (ſi in gratia ſint) utiliter Miſſæ ſacrificium offerri; tam quoad fructum ſatisfactionis, quam quoad fructum impetrationis. Pro adultis verò baptizatis injuſtis ſeu peccatoribus non excommunicatis ſacrificium offerri poſſe, iiſdemque prodeſſe ſecundum fructum impetrationis: tum pœnitentiæ: tum aliorum Dei beneficiorum; licet fructus ſatisfactionis injuſti capaces non ſint.

Qualiter in Miſſa Sacerdos pro excommunicato orare poſſit.

13. Communis eſt etiam doctrina, poſſe Sacerdotem nomine proprio validè, & licitè orare pro excommunicato etiam in Miſſa, dum mente ſola id fiat, & non per orationes, quæ Eccleſiæ nomine dicuntur: poſſe etiam nominè ſuo privatim offerre illud ſacrificium pro excommunicato, ſicut poteſt alias privatas orationes offerre pro illo, ut ex communi ſententia tradunt Palaus, *diſp. unic. punct. 5. n.2.* Suarez, *diſp.78. ſect.2. in fine.* Cardinal. Lugo, *diſp. 19. ſect.10. num.185.* N. Anton. *num.23.*

Pro excommunicatis non toleratis celebrare lethale eſt.

14. Conveniunt etiam communiter Doctores, peccaturum graviter Sacerdotem, ſi pro excommunicatis non toleratis, nempe nominatim denuntiatis, vel notoriis percuſſoribus clerici, Miſſam dicat: quia hoc ei prohibitum eſt in cap. *A nobis 2. de Sententia excommunicationis*, & res eſt gravis ex genere ſuo. Ita ex communi docent Suarez *de cenſuris, diſp. 9. ſect.4.* Avilà, *part.2. cap.6. diſp.4. dub. 4.* Coninchus, *q.83. dub.9. concluſ. 2.* Layman, *lib. 5. tract.5. cap.2. num.7.* Dicaſtil. *diſp.2. de Sacrificio Miſſæ, dub.3. num. 61.* cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi velit dicere Miſſam pro hujuſmodi excommunicatis nominè Eccleſiæ, non ſolum illicitè; ſed etiam invalidè id faciat: quia Eccleſia non habet intentionem offerendi pro excommunicato, ſed potius contrariam. Si verò offerat, ut miniſter Chriſti, & ejus nomine, illicitè quidem id faciat, & contrà Eccleſiæ prohibitionem, ſed tamen validè: quia Eccleſiæ prohibitione non poteſt impediri, quominus ſacrificium in Chriſti perſona validè offeratur pro excommunicatis, quatenus capaces ſunt fructus impetrationis, vel etiam ſatisfactionis, ſi præter cenſuram nullum impedimentum habeant: quia modò emendati ſunt, & abſolutionem deſiderant. Ita Cardin. Lugo. Filliucius, *tract.12. cap.2. quæſt.7. num.48.* & cum multis Layman *loc. cit.* nec non cum pluribus Bonacina *de Excommunicatione, diſp.2. q.2. punct.1. §.3.*

15. Reſtant tamen aliquæ expediendæ difficultates. Prima eſt: An poſſit licitè Sacerdos orare nomine Eccleſiæ, vel offerre, ut miniſter Chriſti pro excommunicato tolerato? Affirmant Navarrus, Henriquez, Hugolinus, Graffius, Coninch. & alii, quos affert Lugo, *diſp.19. ſect.10. n.187.* dicens hanc ſententiam ſemper viſam ſibi eſſe ſatis probabilem, quam etiam tenet Villalobos, *tom.1. tract.17 diffic.4. in fine.* *1. Difficultas & 1. circa eam, ſententia.*

16. Sed rectiùs id negant Suarez, Filliucius, Alterius, quos adducit, & ſequitur Bonacina, *diſp. 2. de Excommunic. quæſt.2. puncto 1. §.1.* Sotus, Monteſinos *in manuſcriptis*, Valentia, Vaſquez, Filliucius, Avila, Philibertus, apud Leandrum, *tract.8. de Sacrificio Miſſæ, diſp.2. quæſt. 10.* Petrus de Ledeſma, *tract. de Sacramento Euchariſtia cap.17.* Covarruvias, cap. *Alma mater, part.1. §.7.* & alii ab eo citati, & communiter Magiſtri, ut teſtatur Avila *de Cenſuris, 2.part. cap.6. diſp.9. dub.6.* Quia Eccleſia omninò excludit omnes excommunicatos ab interna ſuffragiorum communicatione. Nec Concil. Conſtantienſe in conſtitutione, *Ad evitanda ſcandala* contrarium voluit, cum ſolum conceſſerit, ut poſſint fideles communicare cum excommunicatis toleratis quantum ad externam converſationem. *2. Sententia priori præferenda*

17. Undè non poteſt orari nomine Eccleſiæ, neque offerri Miſſa pro hæreticis baptizatis, cum ſint excommunicati, neque etiam pro ſchiſmaticis excommunicatis; poteſt tamen orari, vel offerri ſacrificium pro eorum reductione uno ex tribus modis. Primò: ſi Sacerdos nomine ſuo privatim offerat ſacrificium pro hæreticis & excommunicatis, ſicut poteſt alias orationes privatas offerre pro illis, ut convertantur, maximè cum hæc oblatio ſingularis nullibi inveniatur prohibita, ut ex communi ſententia docet Pala. *diſp. unic. punct.5.* Et idem eſt ſi offerat Deo meritum, & opus proprium ſacrificandi ipſius Sacerdotis, pro eadem converſione: quia hoc non fit nominè Eccleſiæ, ſed ut à privatâ perſona, ut cum aliis docet Dicaſtil. *diſp.2. d.3.* Ledeſ. *c. 17.* Secundò, ut miſſa offeratur pro iis qui *Corollarium*

incumbunt eorum converſioni, ut fructuosè exequantur munus ſuum, ut rectè notant Ledeſma, & Avilà ſupra, & Henriquez, *l.9. c.21. n.6.* Tertiò pro augmento Eccleſiæ in provincia infeſta hæreſi, ut ajunt Suarez, & Dicaſtillus.

2. Difficultas cum ſuis fundamentis.

18. Secunda difficultas eſt: An pro infidelibus non excommunicatis, ut pro paganis, Idololatris, Judæis, Turcis, Mauris, & Gentilibus poſſit hoc ſacrificium offerri, quoad vim impetrationis, quam habet nomine Chriſti, ut ad fidem convertantur? Negant id Vaſquez, *diſp.227. cap.3.* Sotus, *in 4. diſt. 11. q.2. art.7. ad 2.* Gabriel, Bartholomæus ab Angelo, Azor, Chamerota, Granados, Philibertus, Hurtado, Huertos, Lublinus, Machado, quos refert, & ſequitur Leander, *diſp.1. q.6.* Negat etiam Palaus, *diſp. unica, punct.5.* Moventur primò: quia D. Auguſtin. *tom.7. lib.1. de Anima, & ejus origine. cap.9.* antè medium: *Quis enim* (inquit) *offerat corpus Chriſti, niſi pro eis, qui ſunt membra Chriſti?* Nemo autem ex infidelibus eſt membrum Chriſti: ergo pro eis non licet corpus Chriſti offerre. Secundò: quia non eſt credendum Chriſtum Dominum Euchariſtiam in ratione ſacrificii inſtituiſſe, pro iis, pro quibus in ratione Sacramenti non inſtituit, neque effectum ſacrificii communicandum eſſe, quibus Sacramenta communicari non poſſunt.

Secunda, & nobis tenenda.

19. Nihilominus affirmativa pars nobis tenenda eſt, quam docent Bellarminus, *lib. 2. de Miſſa, cap. 6.* Suarez, *diſp.78. ſect.2. concluſ.3.* Henriquez, Sà, Coninchus, Filliucius, Bonacina, Layman, apud Palaum, *punct.5. n.3.* Sylvius, *q.83.* Cardin. Lugo, *diſp 19. num.173.* Scortia. *l.2. c.2.* Gonet *diſp.11. art.3.* Wiggers *quæſt.83. dub.12.* N.Ant. *n 22.* Franciſc. B. S. *n.69.* & alii. Probatur primò: quia id de ſe licitum eſt, & meritorium, & ab Eccleſia nullibi eſt prohibitum. Secundò: quia etiam in lege veteri Judæi pro Gentilibus ſacrificare ſoliti ſunt, *l.1. Eſdræ, cap.6.* pro ſalute Darii, & filiorum ejus, *l.1. Machabæorum c.12.* pro ſpartiatis *lib.2. cap.3.* pro Heliodoro. Tertiò: quia in lege gratiæ ita factum eſſe ex multis Sanctis Patribus probant Henriquez & Suarez citati. Et ita Paul. 1. ad Timoth.2. *Obſecro fieri obſecrationes, &c. Pro omnibus hominibus pro Regibus, & qui in ſublimitate ſunt.* Quales tunc Gentiles erant. De obſecrationibus, quæ fiunt in Miſſa, & oblatione impetratoria plures Græci, & Latini Patres interpretantur.

Diluuntur fundamenta 1. ſententiæ.

20. Neque obſtant duo illa, quæ in oppoſitum adducta ſunt. Non quidem primum: D. enim Auguſtini mens in eo loco, ut conſtat ex antecedentibus, tantùm erat probare contra hæreticum quendam, non poſſe pro infidelibus defunctis etiam parvulis ſacrificium offerri, ut benè expendit Suar. Dici etiam poteſt dictum D. Auguſtini eſſe intelligendum de ſacrificio corporis Chriſti, quatenus eſt ſatisfactorium ex opere operato: ut ſic enim verum eſt non poſſe offerri, niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti. Neque etiam obſtat ſecundum: negari enim debet antecedens. Et ratio eſt: quia effectus Sacramenti non poſſunt dari, niſi ſubjecto capaci per Baptiſmum: at verò impetratio ſacrificii redundat etiam in commodum alterius non baptizati.

21. Ex his omnibus ſequitur contra Vaſquez, Palaum, & alios, hoc ſacrificium offerri poſſe quoad vim impetrationis, quam habet nomine Chriſti pro Cathecumenis, pro quibus Eccleſia non ſolum orat, ſed ſacrificium offert, ut conſtat ex libro qui inſcribitur *Ordo Romanus*, ubi in Miſſa, dum Cathecumeni præparantur ad futurum Baptiſma, in Oratione infra canonem ſic habetur: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus Domine, ut placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ donum eligere, atque vocare dignatus eſt.* *Illatio.*

22. Neque obeſt ſi dicas, non potuiſſe Eccleſiam pro iis offerre, quos paulò antè voce Diaconi ab Eccleſia ejecerat: ut quid enim eos excluderet, pro quibus Miſſæ ſacrificium offertur? Reſpondetur enim non decere, quod adſint ſacrificio ii, qui illud cum Sacerdote offerre non poſſunt, licet pro ipſis poſſit offerri. *Objectio.* *Reſponſio.*

PUNCTUM III.

An, & pro quibus defunctis licet Miſſam offerri validè, & licitè?

23. DEfuncti ſunt in multiplici differentia, nimirum in Purgatorio exiſtentes, decedentes cum ſola originali culpa, Cathecumeni abſque Baptiſmo, damnati, & Beati. Et quidem pro animabus exiſtentibus in Purgatorio ſacrificium Miſſæ licitè offerri poteſt, tam ut eſt ſatisfactorium, quam ut eſt impetratorium ex Trident. *ſeſſ.22. cap 2. can.3.* & ſatis conſtat ex uſu, & traditione Eccleſiæ, docentque omnes Scholaſtici *in 4. diſt.45.* Addendum etiam ex Trident. *ſeſſ.25. c.1.* inter omnia ſuffragia quibus juvare poſſumus animas Purgatorii, potiſſimum prodeſſe illis ſacrificium Miſſ. *Concluſio.*

24. Petes: An hoc ſacrificium proſit animabus Purgatorii ex infallibili lege & promiſſione Chriſti: Negant Sotus, Canus, & Corduba, apud Dicaſtillum *loco cit. n.111.* Sed probabilius id affirmant Henriq. *c.13. §.1. & c.16. §.1.* Suar. *diſp.79. ſect.10* Dicaſtillus *dict. n.112.* Azor, Petrus Soto, Navarrus, Caniſius, Fagundez, & alii, quos affert, & ſequitur Philibertus, *tract.3. p.2. c.9. n.11.* Wiggers *n.58.* Et ratio eſt: quia ſufficientiſſimum habemus fundamentum ad aſſerendum Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc ſacrificium ita pro defunctis, atque pro vivis: ergo eodem modo prodeſt infallibiliter utriſque. *Quæſitum & duplex circa illud ſententia.*

25. Pro parvulis autem mortuis ſinè Baptiſmo cum ſolo originali peccato ſacrificium Miſſæ nequaquam poteſt offerri: quia perpetuò ſunt excluſi à Regno, ſuntque addicti loco determinato. Ita cum aliis Azor apud Dicaſtillum, *diſp.2. dub.4. n.113.* dicens eſſe certum apud omnes. Et idem ex communi ſententia tradit Palaus *de Sacrificio Miſſæ punct.5. in fine.* *2. Concluſio.*

26. Pro Cathecumenis verò defunctis non baptizatis, ſi ex negligentia ſua non receperunt Baptiſmum, certum eſt eſſe prohibitum offerri Miſſas: præſumuntur enim deceſſiſſe in mortali, ut benè obſervat Dicaſtil. *loc. cit.* Si tamen caſu aliquo abſque culpa ſinè Baptiſmo deceſſerunt, probabile eſt poſſe pro illis Miſſas offerri, ut cum pluribus aliis docent Henriq. *l.9. c.15.* & *l.13. c.2. n.3.* & Dicaſtil. *n.111.* *3. Concluſio.*

Deindè

Digitized by Google

4. Concluſio.

27. Deinde non licet orare, multòque minus hoc ſacrificium offerre pro damnatis, ut conſtat ex cap. *Pro obeuntibus*, & duobus ſequentibus, cap. *Cum gravia*, cap. *Quibus*, cap *Non extimemus* 13. *quæſt*. 2. & ex Concilio Tiburenſi, *cap*.31. Et docent omnes Scholaſtici *in* 4. *diſt*.45. quos referunt, &, ſequuntur Henriquez, *lib*.9. *cap*. 16. *à num*.2. Suarez, *tom*. 3. *diſp*.78. *ſect*. 3. & *tom*.4. *diſp*.48. *ſect*. 4. *num*.11. *concluſ*.2. Et probatur: quia damnati ſunt extrà ſtatum ſalutis, & pœna in inferno eſt æterna ex immutabili lege Dei explicata per Matthæum cap. 3. illis verbis: *Paleas autem igni comburet inextinguibili*. Et cap. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*.

5. Concluſio.

28. Pro Beatis denique certum eſt ſacrificium Miſſæ offerri non poſſe, quatenus eſt propitiatorium, aut ſatisfactorium: nam Beati omni malo culpæ, & pœnæ expertes omninò ſunt, & incapaces: neque etiam, ut impetratorium aliorum bonorum, præter honorem, & gloriam accidentalem, ut conſtat ex cap. *Cum Marthæ de Celebratione Miſſarum*, & docent omnes Theologi. Quando autem offertur hoc ſacrificium, & orationes funduntur ad impetrandum Beatis hoorem, & gloriam accidentalem, bene adnotant Suarez, *diſp*.78. *ſect*.3. & Valentia, *tom*.4. *diſp*.6. *q*. 11. *punct. ultim*. & alij: hoc modo non tam pro Sanctis, quam pro nobis, noſtriſque proximis ſacrificium offerri, & orationes ſundi: petimus enim, ut magis, ac magis à fidelibus glorificentor in terris, quod noſtra eſt utilitas, & commoditas, licet in Sanctorùm gloriam redundet. Quo pacto etiam in Oratione Dominica, petimus, ut Deus magis glorificetur in terris, quæ noſtra utilitas eſt directè; indirectè tamen honor Deo extrinſecus. Quod ſi Miſſæ ſacrificium, quatenus eſt ſacrificium laudis, & gratiarum actionis pro beneficiis in Beatos collatis, offeratur, quod eſt opus ſanctiſſimum, & Deo, ipſiſque Sanctis gratiſſimum, impropriè tamen dicetur offerri pro illis: ideſt in commodum, & utilitatem ipſorum, ut ex Suarez, & Card. Lugo docet Dicaſtillus, *diſp*.2. *dub*.4. *num*. 81. Quia per hoc nihil eis confertur, nec hoc modo illis applicatur aliquis ſacrificii fructus, ſed totus manet applicandus aliis, vel in Eccleſiæ theſauro.

CAPUT TERTIUM.

De effectibus, & virtute Sacrificii Miſſæ.

In hoc Capite tria reperiuntur Puncta, & unicum Dubium.

P. 1. *Quos effectus habeat Miſſæ Sacrificium ex opere operato.*

P. 2. *Qui ex hujus ſacrificii effectibus infallibiliter conferantur.*

P. 3. *Quam intentionem, & applicationem Sacerdos habere debeat, ut prædicti effectus obtineantur.*

D. un. *An Miſſæ ſacrificium habeat virtutem infinitam pro ſupra dictis effectibus concedendis?*

PUNCTUM I.

Quos effectus habeat Miſſæ ſacrificium ex opere operato.

De quibus effectibus procedat difficultas?

1. IN præſenti non eſt ſermo de effectibus, quos habere poteſt Miſſæ ſacrificium ex perſona Sacerdotis privata, ſeu ut alii dicunt, ex opere operantis: ii enim communes ſunt aliis bonis operibus; ſed ſermo eſt de effectibus, quos hoc incruentum ſacrificium vi ſua ex divina inſtitutione habet: ſeu (ut dicitur) ex opere operato, qui ex indignitate Sacerdotis non pereunt, nec minuuntur. Hi effectus eſſe poſſunt remiſſio peccati, gratiæ augmentum, boni ſpiritualis, vel temporalis impetratio.

Quæſitum 1. circa primum effectum.

1. Sententia cum ſuo fundamento.

2. Circà primum autem effectum remiſſionis peccati ſunt tres difficultates. Prima eſt: an hoc ſacrificium virtutem habeat remittendi peccata mortalia ex opere operato immediatè, & per ſe, ſaltem in homine attrito inſtar Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptiſmi? Partem affirmativam probabilem putat Gaſpar Caſſalius, *lib*. 2. *de Sacrificio Miſſæ*. & probari ſolet ex Tridentino, *ſeſſ*. 22. *cap*. 2. aſſerente, hoc ſacrificium eſſe propitiatorium, eoque placatum Deum ingentia crimina, & peccata dimittere. Et id ipſum teſtantur communiter Eccleſiæ Patres. Quod ſi dicas, Concilium, & Patres non docere, quod virtute hujus ſacrificii remittantur peccata immediatè, & proximè, ſed remotè, & mediatè impetrando auxilium Pœnitentiæ, quâ remittentur. Contra ſic inſurges: quia hoc poſito ſacrificium non eſſet propitiatorium, ſed ſolum impetratorium, impetrando ſcilicet auxilium, quo contritio, & Pœnitentia de peccatis conciperetur: Tridentinum autem ſtatuit, Miſſæ ſacrificium, & propitiatorium eſſe, & impetratorium: ac proinde non impetratione tantùm; ſed aliâ viâ peccata remittere, & ex conſequenti proximè, & immediatè.

2. Sententia præfertur.

3. Nihilominus communis, & vera ſententia eſt, Miſſæ ſacrificium non habere virtutem remittendi peccata mortalia immediatè, & per ſe, inſtar Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptiſmi; ſed ſolum impetrandi auxilium ad Pœnitentiam, quâ remittantur. Sic pluribus relatis firmant Suarez, *diſp*.79. *ſect*.3. & 4. Vaſquez, *diſp*.228. *c*.2. Coninch. *q*.83. *art*.1. Azor, & Pet. Navarr. quos refert, & ſeq. Palaus, *diſp. unica*, *punct*.6. Et eſt expreſſa ſententia D. Th. *in* 4. *diſt*.12. *q*.2. *art*.2. *q* 2. *ad* 4. Idem docent Durandus, Gabriel, Tiletanus, Ricardus, Lindanus, Corduba, Ayala, quos affert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp*. 3. *dub*. 1. *n*.13. & cum aliis Bonacina, *diſp*.4. *q. ult*. *punct*.3. Gonet, *art*.4. N. Gabr. hic *diſp*.2. *q*.2. Anton. *n*.25. Philip. *diſp*.8. *dub*.5.

Suadetur 1. 4. Et ratione probatur primò: quia Sacrificium Miſſæ non confert remiſſionem peccatorum mortalium ex ſua inſtitutione: quia hæc nullo modo conſtat, neque etiam immediatè conferendo: v.g. non contrito per modum impetrationis primam gratiam: quia id eſſet præter legem ordinariam, quâ conſtat neminem juſtificari ſine Sacramentis, vel contritione: ergo tantum mediatè, & per modum impetrationis auxilii ad Pœnitentiam.

Secundo. 5. Secundò: quia alias Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet ſimpliciter neceſſarium ad remiſſionem peccatorum mortalium, quæ commiſſa ſunt poſt Baptiſmum: ſiquidem ſacrificio ex divina inſtitutione remitti poſſent: eo enim ipſo quod ſacrificium ex divina inſtitutione virtutem haberet remittendi mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, manifeſtè infertur ex divina inſtitutione Pœnitentiam neceſſariam non eſſe ſimpliciter ad remiſſionem illorum.

Solvitur primum fundamentum prioris ſententiæ. 6. Ad probationem in oppoſitum benè reſponſum eſt inter arguendum. Et ad impugnationem ſolutionis dicendum, ſacrificium Miſſæ ſub diverſa conſideratione propitiatorium, & impetratorium eſſe. Propitiatorium quidem, quatenus eo placatur Deus, ne iraſcatur, & indignetur, & inferat malum. Impetratorium verò, quatenus movet Deum, ut largiatur bona, tum ſpiritualia, tum temporalia. Adde, nullum eſſe inconveniens hoc ſacrificium, quatenus eſt propitiatorium auxilii ad Pœnitentiam, quâ remittuntur peccata, cùm tamen ſæpè impetratorium ſit, quin propitiatorium ſub ea ratione exiſtat.

Quæſitum ſecundum. 7. Secunda difficultas eſt: An ſaltem peccata venialia hoc ſacrificium proximè, & immediate remittat? Affirmant Canus. *lib.* 12. *de locis Theologicis*, *cap.* 13. *ad* 3. Henriquez, *lib.* 9. *cap.* 13. *num.* 2. Petrus Navarrus, *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 354. Corduba, *lib.* 2. *c.* 3. *notabili* 4. Valentia, *diſp.* 6. *q.* 11. *punct.* 1. § 22. & cum aliis Leander, de Sacrificio Miſſæ, *diſp.* 3. *q.* 6. Nuñus quam ſeq. Gabt.a S.V. *loc. cit.* & probabile dicit. Gonet. *n.* 91. & alii. Ratio illorum eſt: quia Sacramentalia habent vim remittendi immediatè peccata venialia: ergo multò magis Miſſæ ſacrificium.

Secunda præponitur. 8. Sed rectiùs negant D. Thom. *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3. Suarez, *diſp.* 79. *ſect.* 5. Coninchus, *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. *n.* 136. Scortia, *de Sacrificio Miſſæ*, *l.* 1. *c.* 8. *n.* 3. Layman, *l.* 5. *tract.* 5. *c.* 1. Vaſquez, *diſp.* 228. *cap.* 3. Palaus, *diſp. unica*, *punct.* 6. *n* 6. Bonacina, Tannerus, Cajetanus, Pighius, Ayala, Lyndanus, quos affert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 3. *dub.* 1. *n.* 31. N. Ant. *n.* 27. Herinx, *diſp.* 8. *n.* 69. Wiggers *n.* 48. & alii apud Leandrum ubi ſupra, & ratio eſt quia univerſum loquendo nullatenus convenit, ut peccata venialia, cum ſint maculæ quædem animæ libero arbitrio contractæ, unquam tollantur ſine pia animi actione peccatis venialibus aliquo modo repugnante, quam etiam gratiæ ſanctificantis infuſio comitetur. Unde etiam in remiſſione venialium, quæ fit in purgatorio, actio peccatis venialibus aliquo modo repugnans invenitur: nam vel hujuſmodi remiſſio fit in primò ingreſſu purgatorii per motum charitatis ratione ſtatus illius, quo firma eſt charitas, & ab omni concupiſcentia libera, atque adeò ad malum invertibilis, ut ſentire videtur Sanctus Thomas, *q.* 7. *de malo*, *art.* 12. vel per actum charitatis, & patientiæ continuatum illo tempore, quo veniale punitur, ut docet Sotus, *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *& diſt.* 19. *quæſt.* 3. *art.* 3. Ad fundamentum autem oppoſitæ ſententiæ reſpondetur in eo ſumi, quod probandum erat: nam ut ſuo loco dicemus, Sacramentalia non remittunt immediatè peccata venialia.

Annotatio. 9. Rectè tamen ajunt Suarez, Scortia, & Layman credibile eſſe, quod ii, qui Miſſæ ſacrificium expreſsâ, vel virtuali intentione offerunt pro venialium peccatorum ſuorum remiſſione, eam certò ſaltem per modum impetrationis conſequantur, ſi in gratia ſint: tunc enim habent voluntatem repugnantem venialibus culpis, & oratio per Chriſtum Deo Patri oblata, & præſentata efficaciſſima eſt ad impetrandum, eumque propitium nobis reddendum: ſiquidem ſacrificium hoc præſtans admodum, & utile eſt ad remiſſionem peccatorum, quæ quotidiè committuntur, id eſt venialium ut habetur in Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. & in cap. *Quod ſanguis, de conſecrat. diſt.* 2 dicitur hoc ſacrificium quotidie offerri, quia quotidie peccamus, ſcilicet venialiter.

10. Non diffitemur autem venialia eodem modo remitti quoad culpam per hoc ſacrificium, quo mortalia impetrando ſcilicet à Deo auxilia excitantia ad eum actum, quo remittenda ſunt, imò hoc auxilium facilius, & certius impetrari poſſe pro venialium quam pro mortalium remiſſione: cum homo ſupponatur eſſe in gratia.

Quæſitum tertium. Diſſolvitur cum communi ſententia. 11. Tertia difficultas eſt: an pœnas pro peccatis debitas hoc ſacrificium immediatè remittat in juſtis adultis, pro quibus offertur? Communis, & certa ſententia affirmat. Ita D. Thom. 3. *part. q.* 79. *art.* 5. *&* 7. Suarez, *diſp.* 79. *ſect.* 6. *aſſert.* 1. Petr. Navar. *lib.* 2. *cap.* 2. *n* 352. Layman *cap.* 2. *n.* 5. Coninchus, *n.* 141. *concluſ.* 4. Palaus, *n.* 7. Dicaſtillus *dub.* 2. *num.* 42. & indicatur à Tridentin. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. Gonet. Gabt. Philip. ſuprà Anton. *n.* 28. Et probatur: quia ſacrificium Crucis ſecundum externum actum doloris, ſanguinis effuſionis, ac mortis maximè propriè, & directè fuit ſatisfactorium pro pœna peccatis noſtris debita: ergo conveniens erat ſacrificium Miſſæ incruentum, quod cruenti repræſentativum eſt, propriè, & directè inſtitui ad fructum ejuſmodi ſatisfactionis ex opere operato nobis applicandum, ut quod in ſacrificio Crucis accidit ſecundum ſufficientiam, in Miſſæ ſacrificio fiat ſecundum efficaciam.

1. Difficultas circa 2. effectum. 1. Sententia cum ſuo fundamento. 12. Circa ſecundum effectum augmenti gratiæ aliqui aſſerunt ſacrificium Miſſæ immediatè, & ex opere operato conferre augmentum gratiæ juſtis, pro quibus offertur. Ita Corduba, *lib.* 1. *q.* 3. Machado, *documento* 2. *n.* 4. & alios referens Leander *diſp.* 3. *quæſt.* 5. Moventur: quia hoc ſacrificium non eſt minus nobile, ac perfectum, quàm ſint Sacramenta, quæ conferunt immediatè augmentum gratiæ ex opere operato: ergo non eſt illi denegandum, quod iſtis conceditur.

Concluſio. 13. Nihilominus aſſerendum eſt hoc ſacrificium non conferre immediate ex opere opera-

to

to augmentum gratiæ juſtis, pro quibus offertur. Ita Suarez *diſp. 79. ſect. 4* Vazquez, *diſp. 218. cap. 3.* Petrus de Ledeſma, *cap. 17. de Euchariſtia, concluſ. 13.* Nuñus *tract. de ſacrificio Miſſæ, q. 1. dub. 6. concl. 3.* Coninchus *q. 83. dub. 8. n. 131.* Henriquez, Hurtado, Bonacina, Fagundez, Card. Lugo, Granados, & Villalobos apud Leandrum, *dict. q. 5.* Palaus de ſacrificio Miſſæ, *q. unic. punct. 6. n. 5.* Dicaſtillus, *dub. 1 num. 7.* Gonet. Gabr. à S. Vinc. Anton. *locis cit.* & alii. Probatur primò: quia aliàs liceret hoc ſacrificium offerre pro infantibus baptizatis, ut augmentum gratiæ reciperent quod eſt contra omnem Eccleſiæ uſum & fidelium ſenſum. Secundò: quia poſſet qui vix unquam aliquid boni egiſſet, alios, qui multum laboraſſent in vinea Domini, gratiâ, & gloriâ ſuperare, ſi valde multi pro eo celebrarent, quod videtur omninò abſurdum. Tertiò: quia abſque fundamento promiſſionis divinæ hunc effectum attribueremus Miſſæ ſacrificio; veriſſimum tamen eſt, ut benè docent Suarez, & Lugo, poſſe per hoc ſacrificium alteri impetrari auxilium, vel ſufficiens, vel efficax ad efficiendum actum, quo in gratia creſcat.

Occurritur fundamento ſententiæ oppoſitæ.

14. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, negando conſequentiam: quia quantumvis magna ſit nobilitas, & perfectio ſacrificii, non ordinatur per ſe primò ad augendam gratiam in juſtis, pro quibus offertur, ſicut Sacramentum Euchariſtiæ, v. g. per ſe primò ordinatur ad nutritionem charitatis in juſtis, à quibus ſuſcipitur; ſed Miſſæ ſacrificium per ſe primò ordinatur in cultum Dei, & proteſtationem excellentiæ divinæ.

3. Miſſæ effectus explicatur.

15. Quoad tertium effectum impetrationis boni ſpiritualis, vel temporalis, certum eſt virtute hujus ſacrificii dona tam ſpiritualia, quam temporalia impetrari, ut manifeſtè indicat Tridentinum, *ſeſ. 22. cap. 2. & can. 3.* Et frequenter docent Sancti Patres, & Scholaſtici, ut tradit Dicaſtillus, *diſp. 3. dub 2.* & ſatis declarat uſus, & conſuetudo Eccleſiæ univerſalis, quæ hoc ſacrificium offert pro quibusvis hominum neceſſitatibus. Unde juvat juſtos ad vincendas tentationes, ad perſeverandum in gratia, & ad alia bona ſpiritualia, quibus egent, ut ad beatitudinem perveniant, & ad impetranda bona temporalia victoriæ, pacis, ſalutis, ſanitatis, fructuum agrorum, &c. quatenus prædicta omnia ſaluti poſſunt deſervire. Peccatores quoque magnam utilitatem ex hoc ſacrificio pro illis oblato percipiunt, maximè impetrando auxilium ad Pœnitentiam, ad vincendas tentationes, & implenda præcepta Dei, & Eccleſiæ; & ſicut hoc ſacrificium impetrat favorem Dei, ita etiam Sanctorum: excitat enim Sanctos, & Angelos præſertim cuſtodes, ut pro peccatore intercedant, & impedit diabolum, ne plus nimio tentet, & ne vincens noceat ei, & non teneat eum ligatum continuo peccati affectu, ut optimè notant Henriquez, *lib 9. cap. 15. num. 2.* & Dicaſtillus, *diſp. 2. dub. 3. num. 38.* Impetrat etiam peccatori bona temporalia, ut ſalutem, divitias, pluviam, terræ fruges, liberationem à peſte, &c. Quatenus deſervire poſſunt bono ſpirituali. Offertur etiam ad evertendam ex ædibus vim noxiam ſpirituum malignorum, ut Sanctus Auguſtinus loquitur, *lib. 22. de Civitate* Dei, *cap. 8.* Prætereà pro captivorum liberatione, cujus rei illuſtre exemplum adducit D. Gregorius, *homil. 37. in Evangelia.* Et pro obſeſſorum à dæmone liberatione: ut videre eſt apud Sanctum Proſperum *de prædictione, p. 3. de dimidio temporis.*

PUNCTUM II.

Qui ex hujus ſacrificii effectibus infallibiliter conferantur.

16. IN primis peccatorum remiſſio medio auxilio opportuno, quo ad Pœnitentiam excitantur, quoad efficaciam non ſemper, & infallibiliter per hoc ſacrificium obtinetur; ſed quando divinæ providentiæ placitum eſt: alias nullus foret peccator, pro quo hoc ſacrificium oblatum eſſet, qui de peccatis commiſſis non pœniteret, & miſericordiam non conſequeretur. Ita Suarez, *diſp. 79. ſect. 3.* Vazquez, *diſp. 229. cap. 2.* Bonacina, *diſp 4. q. ultim. puncto 3.* Palaus, *punct. 6. num. 9.* Durandus Corduba, Canus, & alii, quos ſequitur Nuñus, *q. 83. artic. 1. §. in 3. parte, dub. 4.* Filliucius, *tract. 7. cap. 3. q. 1. num. 61.* Wiggers *n. 49.* Interdum tamen poteſt efficaciter impetrari, ut pàtet ex Trident *ſeſ 22. cap. 2.* Quoad ſufficientiam verò poteſt dici quid infallibile, ut rectè docent Belarminus, *lib. 2. de Miſſa, cap 4.* & Filliucius ubi proximè. *Concl. 1.*

17. Deindè ſimiliter aſſerendum eſt de remiſſione venialium quoad culpam per impetrationem auxiliorum excitantium ad eum actum, quo remittenda ſunt: juxta ea tamen, quæ *puncto præcedenti num. 7. & duobus ſequentibus* diximus, quæ ne eadem repetamus, omnino videnda ſunt. *Secunda.*

18. Prætereà ſi de remiſſione alicujus pœnæ pro peccatis debitæ loquamur, ea infallibiliter virtute hujus ſacrificii ex opere operato confertur juſtis, pro quibus offertur: & hac de cauſa tam pro vivis, quam pro defunctis hoc ſacrificium applicatur. Ita cum multis Suarez, *diſp. 79. ſect. 6.* & ſumitur ex D. Thoma, *3. p. q. 79. art. 5.* Atque idem docent Vazquez, *diſp. 224. cap. 4.* Lugo, *diſp. 19. num. 143.* Dicaſtillus, *diſp 2. dub. 2.* & cum aliis Palaus, *diſp unico, punct. 6.* contra Canum, Sotum, & Cordubam apud Dicaſtillum *loco citato*: qui docent non ſemper, & infallibiliter prodeſſe defunctis ad dictum effectum. Et ratio noſtræ aſſertionis eſt: quia hoc ſacrificium confert ex opere operato, & infallibiliter in non ponentibus obicem aliquod ſpirituale commodum, quod non eſt poſitivum, ut ſic dicamus, ut benè probat Suarez: ergo quod conſiſtit in ablatione alicujus mali, & non culpæ, ut jam probatum eſt: ergo alicujus pœnæ ex culpa relictæ, quod intendimus. *Tertia.*

19. Præter effectum autem iſtum ex opere operato, etiam poteſt conducere Miſſæ ſacrificium per modum impetrationis ad alicujus pœnæ remiſſionem: licet enim per hoc ſacrificium remittatur pœna ex operato, non tamen ſemper tota: unde ſi aliquis reatus pœnæ maneat poſt effectum ex opere operato, ad illius *Quarta.*

etiam veniam obtinendam poteſt hoc ſacrificium offerri per modum impetrationis. Erit tamen diſcrimen quod quando remiſſio eſt ex opere operato, eſt infallibilis in perſona grata: quæ verò eſt per impetrationem, non eſt infallibilis etiam in juſto, ut optimè docet Suarez *dicta ſectione* 6.

20. Effectus autem augendi gratiam, quatenus poteſt per hoc ſacrificium alteri impetrari auxilium ad efficiendum actum, quo in gratia creſcat, non videtur infallibilis, neque omnino definitus eſt, ſed multiplex eſſe poteſt, & varius: vel juxta intentionem offerentis: vel juxta diſpoſitionem, & indigentiam ejus, pro quo fit oblatio: vel certè juxta diſpoſitionem divinæ providentiæ, ut rectè docent Suarez, & Palaus citati. & alii paſſim.

21. Donum etiam perſeverantiæ vi hujus Sacramenti petitum non infallibiliter obtinetur: aliàs fere nullus inter catholicos damnaretur, cum rarus ſit, pro quo, hoc ſacrificium oblatum non ſit, non ſolum in genere, ſed in ſpecie, & in particulari. Ita cum aliis Palaus, *num. 9. citato* Et idem eſt de aliis ſpiritualibus donis, ſcilicet charitate, patientia, humilitate: bona denique temporalia experientia manifeſtat vi hujus Sacramenti infallibiliter non obtineri; ſed quando divinæ providentiæ placitum eſt.

PUNCTUM III.

Quam intentionem, & applicationem Sacerdos habere debeat, ut prædicti effectus obtineantur?

Concluſio. 22. PRopria applicatio, & intentio Sacerdotis neceſſaria eſt, ut ſacrificium Miſſæ iis, pro quibus offertur, ex opere operato proſit. Ita Suarez *diſp. 79. ſect.* 9. Coninchus, *quæſt.* 83. *artic.* 1. *dub.* 9. *concluſ.* 8. Layman *lib.* 5. *tractat.* 5. *cap.* 2. *aſſert* 4. Lugo, *diſp.* 19. *num.* 210. Henriquez *cap.* 21. referens Sylveſtrum, Armillam, & Gerſonem, Varquez *diſp.* 231. *cap.* 6 Palaus *diſput. unica*, *puncto* 6. *num.* 16. Dicaſtillus, *tract.* 5. *diſp.* 3. *dub. dub.* 7. N. Gabr. *quæſt.* 5. Anton. *num.* 37. Franciſc. *diſp.* 9. *num.* 99. Herinx hic *n.* 79. & alii. Et ratio eſt: quia Sacerdos ex vi ordinationis ſuæ conſtitutus eſt à Chriſto miniſter, ac diſpenſator myſteriorum, & donorum Dei: & in ordinatione poteſtatem accepit ſacrificium offerendi, & conſequenter ejus fructum applicandi pro vivis, ac defunctis: ergo dum Sacerdos ſacrificium non applicat, effectus ſacrificii nemini applicatur.

Illatio 1. 23. Ex quo colligitur primò, tametſi Sacerdos illicitè alicui applicet contra juſtitiæ obligationem, v. g. ſi ratione ſtipendii debet pro alio offerri, nihilominus validam fore applicationem, & fructum ex operè operato proventurum ei, cui Sacerdos vult: cum hæc applicatio ſit actus poteſtatis ordinis, quæ ex aliena poteſtate non dependet. Ita Doctores citati, & alii, quos refert, & ſequitur Leander. *tract.* 8. *diſp.* 3. *quæſt.* 17. contra Scotum, *quodlibeto* 20. §. *De ſecundo*, & contra Gabrielem *in canonem Miſſæ*, *lect.* 26. littera P. & Q.

Objectio. 24. Neque obſtat id, in quo adverſus nos Scotus, & Gabriel fundantur: ſcilicet, quia non poteſt Sacerdos mutare intentionem ex debito juſtitiæ: tenetur enim, ut miniſter Chriſti operari, ac proinde juxta Chriſti voluntatem: cum ergo Chriſti voluntas ſit, ut intentioni debitæ ex juſtitia ſatisfaciat, hanc mutare non poterit Sacerdos. *Solutio.* Reſpondetur namque negando, non poſſe mutare intentionem ex debito juſtitiæ: poteſt enim contra obligationem juſtitiæ validè applicare, quamvis illicitè: quia non minus eſt illius voluntati commiſſa applicatio, quam ſacrificatio: ſicut ergo quamvis peccando, atque adeo contra voluntatem Chriſti volentis, & præcipientis, ut nemo peccet, quis ſacrificet, aut conficiat Sacramentum, validè ſacrificat, & validè conficit propter abſolutam poteſtatem illi collatam ad validè id faciendum. Ita ſimiliter etiamſi peccando, contra juſtitiam offerat pro uno, & omittat offerre pro alio, validè applicabit ei, pro quo offert, & non applicabit alteri; itaque operatur contra voluntatem Chriſti, quatenus Chriſto diſplicet peccatum; non verò contra voluntatem Chriſti, qua dictam poteſtatem abſolutè commiſit.

25. Colligitur ſecundò, Miſſæ ſacrificium prodeſſe ei, pro quo Sacerdos regularis offert contra Prælati præceptum, quo tenebatur pro alio offerre. Valida enim eſt hæc Sacerdotis regularis applicatio, licet valdè illicita. Ita præter citatos in aſſertione, & corollario. 1. tenent Petrus de Ledeſma, *cap.* 18. *de Eucharistia poſt* 18. *conclu.* Fagundez, Huertos, Diana, Ludovicus, Sylveſter, Angelus, Henriquez, Villalobos, quos citat Leander, ubi ſupra, *q.* 18. Et ratio eſt: quia in illa applicatione Sacerdos uteretur poteſtate ordinis, in qua non ſubjicitur ſuperiori quantum ad hoc, quod illam irritare poſſit, ſicut non ſubjicitur in intentione ſacrificandi quantum ad hoc, ut Prælatus talem intentionem valeat irritare. Nec ſatis erit, ſi dicas, oblationem ſacrificii non poſſe pendere à voluntate Prælati quoad ſubſtantiam; poſſe tamen quoad applicationem. Nam juxta dicta utrumque fit poteſtate à Chriſto accepta, ac proinde eadem eſt ratio de applicatione, & oblatione. *Illatio* 2.

26. Eſt tamen hoc ſecundum corollarium contra Scotum, & Gabrielem *loco citato*, Horncalam *de valore Miſſæ*, *art.* 10. Cordubam, Rodriguez, Martinum de Ledeſma, Fraxinellum, Barboſam, Gavantum, Philibertum, & alios, quos affert, & ſequitur Leander *loco citato*. Moventur autem hi Auctores: quia Prælatus optimè poteſt reddere irritas intentiones ſubditorum circa Miſſarum applicationes: ſicut poteſt irritare, & annullare vota, & juramenta illorum. Reſpondetur dicendum voluntatem ſubditi, quantum ad valorem intentionis, & applicationis ſacrificii Miſſæ, non pendere à ſuperioris voluntate, ut dictum eſt, & ita ab eo irritari non poſſe: poſſent tamen ab eo irritari, & annullari ſubditi vota, & juramenta; quia hoc nihil aliud eſt, quam tollere obligationem, quam habet ſubditus, quod optimè præſtare valet Prælatus, qui eſt loco Dei. *Objectio.* *Diluitur.*

27. Colligitur: tertiò, Sacerdotem, ut fructuosè ſacrificet, debere fructum ex opere operato *Illatio* 3.

raro provenientem alicui, vel aliquibus applicare ſub generali, vel ſpeciali intentione, ſaltem implicita, vel virtuali, conſultumque eſſe Sacerdoti, ne ſpecialis applicatio ab eo uni tantum fiat, ſed pluribus: ne fortè ſacrificii fructus ſpecialiter inapplicatus exiſtat ob incapacitatem ſubjecti, cui fuit applicatus. Ita Palaus, & alii.

Illatio 4. 28. Colligitur quartò, debere Sacerdotem fructum ſacrificii, qui eſt ex opere operato, alicui applicare ante, vel in ipſa conſecratione: quia eo tempore perſonam Chriſti ſuſtinet: unde tranſacta conſecratione jam non eſt in poteſtate Sacerdotis prædictum fructum applicare. Ita Suarez, Coninchus; Layman, Palaus, Dicaſtillus *locis citatis.*

Illatio 5. 29. Colligitur quintò, ſicuti effectum Sacramentorum, ita & fructum ſacrificii non poſſe à Sacerdore alicui validè applicari ſub conditione in futurum contingente: v.g. Applico illi, cui poſtea Titius interrogatus voluerit, vel qui proximè mihi eleemoſynam, vel ſtipem offeret. Ita Suarez, *diſp.* 79. *ſect.* 9. Coninchus, *quæſt.* 83. *artic.* 1. *dub.* 9. *concl.* 10. Layman, *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *numer.* 13. Vazquez, *diſp.* 231. *cap.* 7. *& diſp.* 234. *cap.* 3. *num.* 22. Cardinalis Lugo, *diſp.* 19. *num.* 209. Barboſa 2. *p. de poteſtate Epiſcopi, allegatione* 24. *à num.* 12 Palaus, *punct.* 6. *num.* 18. & plures referens Diana *de celebratione Miſſarum, reſol.* 15. Et ita Clemens VIII. ex decreto ſacræ Congregationis 25. Novembris anno 1615. conſuetudinem illorum, qui Miſſas anticipata intentione celebrant pro iis, qui poſtmodum ſtipem erant elargituri, tamquam periculoſam, & fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, & à vetuſto Eccleſiæ more nimium abhorrentem exploſit, & improbavit, omnibuſque Epiſcopis in ſuis diœceſibus, & Prælatis regularibus in ſuis ordinibus exterminandam præcepit, ut latiùs refert Barboſa, 2. *p. allegat.* 24. *n.* 12. de qua etiam declaratione meminerunt Peirynus, *tom.* 2. *privilegiorum Minim. inter conſtitutiones* Urbani VIII. *num.* 9. Gavantus *in Theſauro, tom.* 1. *p.* 3. *tit.* 12. *à num.* 34. Cardinal. Lugo, ubi ſub. & N. Lezana *in ſumma, quæſt. regul. c.* 21. *num.* 7.

30. Licet tamen Sacerdoti Miſſas celebrare anticiparè, quando ex obligatione alicujus capellæ tenetur Miſſas certas ſingulis hebdomadis celebrare; vel inpoſterum pro certa intentione, ſi aliud non exprimatur in fundatione capellaniæ, ex quo voluntas defuncti aliquo modo eludi videri poſſit; vel is, pro quo ſacrificium applicatur, non ſperatur melius ſe diſpoſiturum ad ſacrificii fructum percipiendum: quia tunc fructus ſacrificii non ſuſpenditur poſtmodum applicandus: ſed ſtatim applicatur juxta intentionem præſentem, certam, & determinatam, & nihil fit contra voluntatem defuncti, aut in damnum tertii. Ita Petrus de Ledeſma, Fr. Emanuel, Diana, Riccius, quos affert, & ſequitur Barboſa ubi ſup. *num.* 14. Palaus, *num.* 18.

Illatio 6. 31. Colligitur ſextò, ſecundum conditionem præterito, aut præſenti tempore impletam Sacramentorum, & ſacrificii effectus fructuosè alicui conferri. Ita Laym. *tract.* 5. *c.* 2. *n.* 13. in fine, Medulla Theol. *cap.* 3. *de celebratione Miſſæ, dub.* 2.

DUBIUM UNICUM.

An Miſſæ ſacrificium valorem habeat infinitum pro ſupra dictis effectibus concedendis?

1. Dubitandi ratio. 32. ET videtur quod non. Primò: quia ſi valor hic eſſet infinitus, iniquè ageret uni tantum fructum ſacrificii applicans, cum omnibus applicare poſſet abſque diminutione.

Secunda. 33. Secundò: quia ſuperfluè Eccleſia pro unius neceſſitatis impetratione plura ſacra multiplicaret, cum idem valor, utpote infinitus, adeſſet in uno ſacro, qui eſſet in pluribus.

Tertia. 34. Tertiò: qui fruſtra moriturus plura ſacra facienda relinqueret, cum eumdem effectum uno ſacro, ac pluribus obtinere poſſet.

Quarta. 35. Quartò: quia ſi Miſſæ ſacrificium eſſet valoris infiniti, poſſet Sacerdos una ſola Miſſa pluribus ſatisfacere, etiamſi ab illis accepiſſet ſtipendium. Quod eſt contra uſum, & intelligentiam omnium fidelium, & declarationem ſacræ Congregationis Concilii auctoritate Summi Pontificis Urbani VIII. editam ut pluribus deducit Franciſc. B. Spei *diſp.* 9. *dub.* 6.

Quinta. 36. Quintò: quia valor ſacrificii non tam ſumitur ex re oblata, quam oblatione ipſa: ſed oblatio utpotè actio Sacerdotis, & miniſtri non poteſt eſſe infiniti valoris: ergo neque ſacrificium.

Sexta. 37. Sextò: quia oblatio, hujus ſacrificii, prout fit à Chriſto, neque eſt meritoria, neque ſatisfactoria, cum Chriſtus nunc nec mereatur, nec ſatisfaciat. Solum ergo habet vim pro ſupra dictis effectibus concedendis, quatenus habet annexam ſatisfactionem Chriſti præteritam: hæc autem annexio non debuit ita fieri, ut haberet valorem infinitum: imò congruebat aliter fieri cum valore limitato: quia Chriſtus voluit hoc ſacrificium frequentari: ſi autem haberet valorem infinitum, unum ſacrum ſufficeret pro omnibus defunctis, & vivis.

Septima. 38. Septimò: quia idcirco ſacrificium Crucis unicum fuit, nec iterari debuit: quia infiniti fuit valoris, & pretii: ergo ſi ſacrificium Miſſæ eſt ejuſdem valoris, ſequitur unicam Miſſam ſolum in tota Eccleſia celebrari poſſe, & per illam totum purgatorium evacuari Et ita ſacrificium Miſſæ habere valorem finitum tenent D. Bonaventura, *in* 4. *diſt.* 45. *art.* 3. *q.* 3. *ad ultimum*, Ricardus, *artic.* 2. *quæſt.* 3. Paludanus, *quæſt.* 2. Durandus, *quæſt.* 3. Major, *q.* 2. Scotus, *quodlibeto* 20. Covarruvias, *cap. Alma mater* 1. *part.* §. 5. *à. numer.* 5. Fagundez *de quinque præceptis Eccleſiæ, part.* 1. *lib.* 3. *c.* 2. *ſub num.* 7. *&* 8. *& cap.* 6. *ſub num.* 8. Barboſa *de officio, & poteſtate Epiſcopi, tomo* 2. *allegat.* 24. *n.* 7. & alii.

Authoritas D. Chriſoſt. 39. Sed contra: quia Div. Chriſoſtomus *homi.* 60. ad populum dixit, hanc menſam in nulla re eſſe minorem illâ, quam Chriſtus fecit in cæna: ſed in cæna ſacrificium fuit valoris infiniti: ergo etiam ſacrificium hoc in menſa altaris eſt valoris infiniti. Quod ipſum firmant Albertus Magnus, apud Philibertum *de ſacrificio Miſſæ, part.* 2. *capit.* 12. *propoſitione* 1. &

alii

alii Patres, dum dicunt hanc oblationem incruentam factam à Sacerdote nihil minus habere cruentâ factâ à ſolo Chriſto.

Concluſio. 40. Reſpondetur dicendum, Miſſæ ſacrificium eſſe infiniti valoris, etſi ſemper habeat effectum finitum ſecundum quantitatem diſpoſitionis, & devotionis humanæ. Ita D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 5. ubi ſic ait: *Quamvis hæc oblatio ex ſua quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœnâ: tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ devotionis.* Angelicum Doctorem communiter ſequuntur ejus diſcipuli, Cajetanus ibidem, Sylveſter, verbo *Miſſa, quæſt.* 9. Canus, *lib.* 12. *de locis, capit.* 13. Joannes de la Cruz *de ſacrificio Miſſæ, quæſt.* 1. *dub.* 6. Hærveus *quodlibeto* 10. *q.* 13. Gonet *diſp.* 11. *art.* 5. N. Gabr. à S. V. *quæſt.* 6. N. Philip. *diſp.* 8. *dub.* 7. & pro ea refert Henriquez, ex Thomiſtis, Bañezium, Mantium, Peñam *in Lecturis.* Idem etiam docent Navarra, *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *num.* 258. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 3. *opinione* 5. *concluſ.* 3. Vazquez, *diſp.* 230. Viguerius *in inſtitut. cap.* 16. §. 3. Ricardus, *artic.* 16. *capit.* 2. Petrus Sotus *de Euchariſtia, ſect.* 7. Dicaſtillus *diſp.* 3. *dub.* 4. *num.* 77. Philibertus *de ſacrificio Miſſæ, capit.* 12. referens pro ea Angelum, Petrum de Aragona, Ludovicum de Beia, Nuñum, Dominicum Montagnolum, & Gavantum; & eamdem tradit Columbus *de ſacrificio Miſſæ, lib* 4. *art.* 3. *c.* 64. & favent è N. Lezana. Bacho. Michael à Bononia. Guido Joes. Beetz quos *ref. & ſeq.* Stephan. à S. Paulo hic. *diſp.* 4. *num.* 67. Auguſtinus à V. Maria. hic *quæſt.* 5. *reſ.* 1. & 2.

Suadetur 1. 41. Probatur primò: quia ſacrificium incruentum, quod Chriſtus Dominus in ultima cæna obtulit, fuit infiniti valoris ratione dignitatis perſonæ offerentis, quæ erat infinita: ergò etiam Miſſæ ſacrificium, quod Sacerdotes modò in perſona Chriſti, & nomine illius, ac verbis ejuſdem, illiuſque vicem gerentes offerunt, eſt etiam infiniti valoris ratione perſonæ offerentis.

Evaſio præcluditur. 42. Dices, hoc ſacrificium quod modò offertur limitari per ſacerdotem offerentem, qui eſt finitus. Sed contra. Tum quia hoc ſacrificium oblatum à Sacerdote malo, non proindè ab ejus malitia inquinatur, ut docent Trident. *ſeſ.* 22. *c.* 2. ergo ſicut a Sacerdote malo non recipit impuritatem; ita neq; à finito finitatem recipiet. Par enim eſt utriuſque ratio. Tum etiam: quia oblatio, qua offertur res infiniti valoris à perſona infinita tamquam à principali offerenti, meritò cenſeri debet valoris infiniti, etiamſi principalis offerens per legatum, & miniſtrum parvi, aut nullius valoris eam rem oblatam mittat: ſic autem ſe res habet in noſtro caſu: ergo. Tum denique: quia Pater Æternus intuens oblatum ſibi Miſſæ ſacrificium nomine, & verbis filii ſui, non ſiſtit in Sacerdote; ſed in illo reſpicit perſonam filii, & ideò acceptat illam puriſſimam oblationem, ut ſibi ſummè gratam, & acceptabilem; quamvis Sacerdos non ſolum finitus, ſed peccator etiam ſit, & indignus; ergo à Chriſto Domino ſumit valorem, atque adeò infinitatem: ſicut ſumpſit ſacrificium, quod ipſe in ultima cæna obtulit immediatè per ſeipſum. Undè optimè Div. Chriſoſtomus *homilia* 2, *in epiſtolam ſecundam ad* Timothæum ſic inquit: *Volo quiddam dicere planè mirabile. Quid vero iſtud eſt? Sacra ipſa oblatio, ſive illam Petrus, ſive Paulus, ſive cujuſvis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamque Sacerdotes modo conficiunt, nihil habet iſta, quam illa minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines; ſed Chriſtus, qui illam antè ſacraverat.*

Fulcitur 2. concluſio. 43. Secundò probatur: quia ſi pro pluribus Miſſæ ſacrificium offeratur, æque prodeſt ſingulis, ac ſi pro ſingulis offerretur: alias cum plures Sacerdotes eamdem hoſtiam conſecrarent, idemque ſacrificium pro ſeipſis offerrent, minorem fructum perciperent, & quo plures Miſſæ adſtarent, minor fructus ex opere operato ex vi ſacrificii ſingulis communicaretur. Quæ certè abſurda videntur: ut pluribus probant N. Gabr. *quæſt.* 7. Nuñus hic, & fere omnes citati quidquid in contrarium ſentire videatur Franciſc. B. S. *num.* 80. ergo effectus Miſſæ ex opere operato non eſt limitatus ad aliquem certum gradum; ſed eſt ſyncategorematicè infinitus, ac licet ſit ſemper actu finitus ſecundum quantitatem devotionis humanæ; poteſt tamen augeri ſecundum perfectionem majorem & minorem ſinè ullo limite, quo major fuerit in ſuſcipiente diſpoſitio quantum ad intenſionem ipſius effectus, & inſuper quoad extenſionem, nempè quoad effectum in pluribus, & pluribus hominibus cauſandum: ergo virtus ſacrificii non poteſt eſſe finita; ſed debet eſſe actu infinita. Probatur hoc, tum exemplo paſſionis Chriſti, quæ in genere meriti, & ſatisfactionis fuit infiniti valoris; licet nullum in nobis infinitum effectum actu operetur: quia non poteſt in nobis producere tot merita, & ſatisfactiones, quin poſſit plures, & plures cauſare, tam ſecundum intenſionem, quam ſecundum extenſionem plurium fidelium: ergo cum hoc idem habeat ſacrificium Miſſæ, aſſerendum eſt eſſe infiniti valoris, etſi ſemper habeat effectum finitum ſecundum quantitatem diſpoſitionis, & devotionis humanæ. Tum etiam ratione id ipſum ſuadetur: quia licet effectus infiniti in potentia ſolum non ſint actu ſimul infiniti; ſupponunt tamen totam virtutem cauſæ in actu, & ſic actu infinitam.

Probatur 3 44. Tertiò; quia hoc ſacrificium altaris pro ſupra dictis effectibus concedendis, habet annexam ſatisfactionem, & meritum Paſſionis, & mortis Chriſti ex voluntate, & inſtitutione ipſius Chriſti: ergo cum ſatisfactio, & meritum Paſſionis, & mortis Chriſti ſint valoris infiniti, ſacrificium altaris erit valoris infiniti.

Effugium. 45. Dices: Chriſtum voluiſſe, quod ſacrificium altaris haberet virtutem, & valorem finitum, & limitatum, eo ipſo quod voluit frequentari? *Evellitur.* Sed contra: quia ad frequentationem ſatis eſt, quod tametſi valor ſacrificii ſit infinitus, finito tamen modo participetur pro menſura devotionis; ac proinde ex frequentatione ſacrificii novus, vel major effectus provenire poſſit.

Diluitur 1. dubitandi ratio. 46. Ad primum contrariæ ſententiæ reſpondet Palaus, *diſp. unica, punct.* 6. *num.* 12. negando iniquè agere Sacerdotem applicantem uni particulari ſacrificii fructum, cum poſſet pluribus applicare abſque diminutione: quia pro-

probabilis eſt ſententia contraria aſſerens ex applicatione pluribus facta fructum diminui, atque adeò res eſt incerta, & ob hanc incertitudinem non peccare Sacerdotem uni tantum applicantem; tametſi poſſet pluribus applicare. Secundò reſpondetur: quod licet ex charitate poſſit Sacerdos pro multis ſpecialiter offerre; ſi tamen hoc non facit, non eo ipſo malefacit, præſertim cum offerat pro Eccleſia Sancta Catholica, pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultoribus, pro Summo Pontifice, pro Antiſtite, pro Rege, pro circumſtantibus, & pro fidelibus omnibus vivis, atque defunctis.

Refellitur 2.

47. Ad ſecundum: negandum eſt ſuperfluè Eccleſiam pro unius neceſſitatis impetratione plura ſacra multiplicare: quia cum hic effectus non ſemper concedatur, ſed quando Deo placuerit, fortè decrevit Deus petita concedere, ſi multiplicatis ſacrificiis ab eo petantur, & non aliter. Etſi enim quodlibet ſacrificium valorem habeat infinitum ad impetrandum quantum eſt ex ſe, de facto tamen aliquando offerentis intentionem, & diſpoſitionem illius, pro quo offertur, in repetitis ſacrificiis ad beneficium concedendum ſpectat Deus.

Solvitur 3.

48. Ad tertium dicendum, moribundum utiliter procedere plura ſacra facienda pro ſe relinquendo: quia quodlibet habet effectum finitum ſecundum quantitatem diſpoſitionis, & devotionis humanæ, & ſolum partem pœnæ tollit.

Evertitur 4.

49. Ad quartum dicendum, ex infinitate valoris ſacrificii non valere inferre plura, & plura poſſe à diverſis ſtipendia accipi: quia ſtipendium non eſt pretium Miſſæ, vel fructus ejus; ſed illud ſolum datur pro miniſtri ſuſtentatione, quæ poteſt legitimo, certoque pretio taxari: atque ita cum defacto hoc pretium, vel lege Prælati Eccleſiaſtici, vel conſuetudine hominum taxatum ſit, non poterit Sacerdos pro una ſola Miſſâ plura ſtipendia accipere, & eſtò fructus ſacrificii ex opere operato ſingulis, qui ſtipem dederunt, non diminuatur, iniquum tamen eſt, & contra ſingulorum voluntatem ſtipendium à quolibet accipere: cum ab uno tantum eſſet accipiendum.

Quinta & ſexta enervatur.

50. Ad quintum patet ex dictis *num.* 42. Et ad ſextum ex dictis *num.* 45.

Enodatur 7.

51. Ad ſeptimum dicendum, aliter ſacrificium Miſſæ eſſe infiniti valoris, quam ſacrificium Crucis: quia hoc eſt infiniti valoris per modum meriti, & pretii univerſalis; & ideò quamvis intuitu illius majora, & majora dona conferantur, ſemper manet adhuc remunerabile, atque inexhauſtum, neque augeri poteſt in ratione illa meriti univerſalis: ac proinde neceſſarium non eſt, quod repetatur: ſacrificium verò Miſſæ quamvis ſit infiniti valoris, non tamen per modum meriti, & pretii univerſalis; ſed per modum cauſæ inſtrumentalis particularis applicantis in actu ſecundo valorem ſacrificii cruenti Crucis, ſeu Paſſionis Chriſti ad cauſandum fructum: & quia de facto in actu ſecundo nunquam applicat valorem, niſi ad cauſandum fructum finitum propter finitam recipientis diſpoſitionem, & non niſi ſemel, idcircò ut novum, & majorem fructum applicet, repeti, ſeu multiplicari debet.

CAPUT QUARTUM.

De tempore, loco, altari, vaſis veſtibus, aliiſque requiſitis ad celebrandum.

CAPUT HOC QUATUOR COMPLECTITUR PUNCTA.

P. 1. *Quibus diebus, & eodem die, an ſemel tantum, & qua hora licitum ſit Sacerdotibus celebrare?*

P. 2. *De loco ad Miſſæ ſacrificium offerendum apto.*

P. 3. *De altari neceſſario ad ſacrificium.*

P. 4. *De ornatu altaris, vaſis, & veſtibus ſacris, aliiſque ad celebrationem requiſitis, & de aliis obſervandis in celebratione Miſſarum.*

PUNCTUM I.

Quibus diebus, & eodem die, an ſemel tantum, & qua hora licitum ſit Sacerdotibus ſelebrare?

Doctorum conſenſus & puncti difficultas.

1. ET quidem ſingulis diebus totius anni, exceptâ feriâ quintâ, ſextâ, & Sabbatho majoris hebdomadæ, licitum eſſe omnibus Sacerdotibus ſacrum facere, in confeſſo eſt apud omnes: ſolum ergo de illo triduo difficultas eſt.

Quid circa feriam 5. in Cœna Domini?

2. Circa feriam quintam non licere privatim celebrare quibuſcumque Sacerdotibus ſenſit Francolinus, *lib. de Horis Canonicis, cap.* 30. ſed nullam eſſe obligationem eo die abſtinendi à ſacrificio tenent Navarrus, *in Manuali, cap.* 25. *num.* 88. Sotus, *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *artic.* 2. Angles *in florilegio, quæſt.* 8. *de valore Miſſæ*, Henriquez, *cap.* 24. *num.* 3. Suarez, *diſp.* 80. *ſect.* 2. Dicaſtillus, *diſp.* 4. *dub.* 2. Vaſquez, Coninchus, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *diſp. unica, punct.* 7. *num.* 2. & cum Gutierrez, Barboſa, Fagundez, idem docet Philibertus, *tract.* 3. *de Sacrificio cap.* 8. cum Scortia, Peyrinis, *Conſtitutione unica*, Pyrrhi, *num.* 25. Nam nullo id jure prohibitum reperitur, neque conſuetudo Eccleſiæ repugnat: quia plurimi Sacerdotes privatim eo die tam Romæ, quam extra, ſacrificant: quamvis plures etiam abſtineant: quia ex devotione malunt in officio ſolemni communicare, ut aptius Apoſtolorum communionem de manu Chriſti Domini commemorentur. Et licet Diana, *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 19.

annotet Sacram Congregationem Rituum (ut patet apud Decreta Diœceſanæ Synodi Neapoli celebratæ anno 1627.) decreviſſe in feria quinta in Cœna Domini celebrandam eſſe unam Miſſam rantùm. Hoc tamen decretum non videtur ipſi Dianæ, in Sicilia, & in multis locis receprum; & in Germania ſemper à 15. annis contrarium ſe vidiſſe teſtatur Dicaſtillos, *dubit. 2. citata, num.* 28. & Palaus, *dicto num.* 2. inquit jam paſſim videri eo die ſacrificium celebrari tàm Romæ, quàm extrà. Nec non Cardinalis Lugo, qui poſt illud decretum ſcripſit, & docuir, abſolutè tradit licere *diſp.*20. *num.*14. & ſubdit: *Neque eſt ullum decretum contrarium legitimè promulgatum, quidquid alii dicant.*

3. Non tamen licere dicta feria quinta in Cœna Domini privatim cælebrare poſt Miſſam ſolemnem, & ſacrarium reconditum cum Vaſquez, docet Palaus *loco citato.* Quod de Miſſis dicendis in eodem templo explicat Dicaſtillus, obi ſupra, *num.*29. putans in alio templo ubi nondum reconditum eſt Venerabile Sacramentum, vel in alio ſemoto, & legitimo ſacello, aur oratorio, poſſe Miſſam celebrari, maximè ſi ſir rationabilis cauſa, dummodo ſervetur tempus conſuetum, in quo licet alioquin celebrare.

Quid circa feriam ſextam paraſceves? 4. Circa feriam ſextam Paraſceves omnes Doctores teſtantur nemini licitum eſſe ſacrificare, cap. *Sabbatho de conſecratione, diſt.*3. ubi dicitur hoc biduo penitùs non celebrari, quod reſpectu feriæ ſextæ in viridi manet obſervantia apud omnes, Et ratio eſt: quia die illa non fit Miſſæ ſacrificium ab ipſo celebrante. Nam teſte Hugone de Sancto Victore, *lib.*3. *Miſcellan. cap.*43. *Non ſacrificant amici, dum trucidant inimici.* Et ut inqoit D. Thumas, 3. *part. quæſt.*83. *art.*2. *ad* 2. ea die, quâ Eccleſia recolit realem Paſſionem, & cruentum ſacrificium Chriſti, non repreſentat myſticè, ſeu non immolat incruentè.

Quæſitum incidens. 5. Petes: An in prædicta feria ſexta in Paraſceve licitum ſit ſumere ſacram communionem aliis, quam infirmis per modum viatici? Negant Francolinus, *de horis canonicis, cap.*30. *num.*12. Philibertus *de Sacram. Ordinis, tract.* 3. *part.*3. *cap.*8. *num.*3. Megalius, *in Promptuario, tom.*2. verbo, *Eucharistiæ Sacramenti miniſter, n.*19, Barboſa *de Officio Parochi, part.* 2. *cap.* 20. *n.*16. Leone *de Officio Capellani, quæſt.*8. *ſect.*17. *n.*170. & ita cenſuiſſe Sacram Congregationem Rituum die 19. Februarii 1622. teſtatur Gavantus *in Rubricis Miſſalis, tit.* 9. §. 4. *num.* 25. quia in rubrica, Miſſalis in officio illius diei, ſolum propter infirmos præcipitur ſervari Sacramentum. Affirmant tamen id licitum eſſe, etiam non infirmis Suarez, Vaſquez, Fagundez, Layman, Molfeſius, Filliucius, Sa, quos adducit, & ſequitur Diana, *tom.*6. *tract.*6. *reſolut.* 15. Palaus, *punct.*7. *n.*3. Dicaſtillus, *diſp.*4. *dub.*2. *n.*32. dicens Viennæ Auſtriæ ſe vidiſſe uſu receptum, aliiſque in locis Germaniæ idem audiſſe eſſe in uſu, & Machado, *lib.*4. *part.*1. *tract.*11. *documento* 11. *n.*2. ubi ait ita Matriti in Parochia S. Martini obſervari in praxi. Licere etiam affirmant Hurtado, *diſp.*4. *diffic.*2. Granado, Joannes de la Cruz, Ledeſma, Joannes Sanctius, Tannerus, quos affert, & ſequitur Leander *de Sacrificio Miſſæ, diſp.*5. *q.* 24. Quare ubi uſu id receptum eſt, per ſe loquendo ſecluſo omni ſcandalo, & interveniente aliqua rationabili cauſa, licitum eſſe cenſemus eo die communicare: neque obſtat, quod in officio Paraſceves Sacramentum ſolum proprer infirmos cuſtodiri jubeatur: nam id non ideò fieri videtur, quod illis ſolum licitum ſit communicare; ſed quia illa fuit cauſa maximè neceſſaria ſervandi Sacramentum.

6. Circa Sabbathum Sanctum aliqui negant licere privatim celebrare, ut Vaſquez, *diſp.*232. *cap.*2. *num.*24. Francolinus, Henriquez, Layman, quos affert, & ſeqvitur Palaus, *num.*4. Navarrus, Azor, Gavantus, & Henriquez, apud Philibertum *de Sacrificio Miſſæ, cap.* 8. *num.* 4. Nituntur recepta conſuetudine, & dict. cap. *Sabbatho Sancto:* ubi dicitur hoc biduo Sacramenta penitus non celebrari. Affirmant tamen licere ſecluſo omni ſcandalo Sotus, Gutierrez, Suarez, Coninchus, & Scortia relati à Palao ubi proximè, Fagundez, *de quinque Eccleſiæ præceptis, part.*1. *lib.*3. *cap.*15. *num.* 17. Philibertus, *dicta n.*4. Rodriguez, Diana, Lugo, quos affert, & ſeqoitur Dicaſtillus, *num.* 36. quia contraria ſententia in veteri conſoetudine non ſatis fundator: cum multis in locis Hiſpaniarum, Galliæ, Italiæ oppoſitum ſervetur, ut teſtatur Philibertus. Neque etiam ille textus eam probat: quia in illo declaratur eſſe prohibitum celebrare in Sabbatho Sancto, ſicut in feria ſexta Paraſcheves, & tamen conſtat derogatam eſſe illam prohibitionem quoad ſolemne officium Miſſæ: ergo etiam quoad omnes Miſſas privatas: quia finis, & ratio prohibendi non ſolum in particulari, ſed etiam in generali ceſſat pro omnibus caſibus: neque enim jam Eccleſia repreſentat ab illa hora requiem Chriſti in ſepulchro, & mærorem exhibet, ſicut eo uſque exhibuit; ſed jam incipit antè meridiem, cantatâ gloria, & Alleluya lætari: ex eo quod Miſſa, quæ nocte celebranda erat, retracta ſit ad Sabbathum antè meridiem. *Quid circa Sabbathum Sanctum?*

7. Sed rogabis, An ſtando in hac ulrima ſententia ſatis probabili, licitum ſit prædicto Sabbatho Sancto privatim celebrare ſecluſo omni ſcandalo, antequam Miſſa ſolemnis incæpta ſit? Negar id Palaus, ubi ſupra *num.* 5. quia uſque ad illud tempus memoria realis Paſſionis ab Eccleſia colitur, quo durante cultu nollum eſt ſacrificium celebrandum, ex dicto cap. *Sabbatho de conſecratione, d.*3. In contrariom tamen eſſe uſum piorum hominum qui privatim abſque ſcrupulo celebrant illa die, etiam ante Miſſam ſolemnem, ajunt Cardinalis Lugo, *diſp.*20. *ſect.*1. *num.*23. & Dicaſtillus *num.* 36. In praxi autem abſque cauſa id fieri non debet, ut fatetur idem Cardinalis Lugo, ſed ex caoſa, ut alii, qui non poſſunt exſpectare, audiant ſacrum. Et Filliocius, *tract.*5. *cap.*4. *num.*107. uſus quidem habet (inquit) ut in Monaſteriis una privatim Miſſa celebretur pro officialibus domus in corporalibus miniſteriis occupatis, eaque ſummo manè, alia publicè hora convenienti. *Aliud quæſitum.*

8. Eodem die, jure Eccleſiaſtico ordinario, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit, ſemel tantum licet ſacrificare, *Semel tantum licet celebrare,*

ut

excepto die Nativitatis Domini de jure ordinario. ut habetur cap. *Sufficit de Conſecratione, diſt.1.* & cap. *Conſuluiſti de Celebratione Miſſarum.* Innocentius III. expreſsè docet non licere *excepto die Nativitatis Dominica*: & addit: *Niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat.* Ex antiqua etiam Eccleſiæ conſuetudine idem habetur. In die Nativitatis conceſſum fuit à Teleſphoro relato in cap. *Nocte ſancta de conſecratione, diſt.1.* tres Miſſas celebrare ad ſignificandam triplicem Nativitatem Chriſti: Divinam, quâ ab æterno naſcitur à Patre: Humanam, quâ in tempore ex B. Virgine natus eſt: & ſpiritualem, quâ quotidie in cordibus humanis naſcitur.

Annotatio 1. 9. Notant tamen, & rectè Navarrus, *in Summa, cap.21. num.2.* & *lib.3. Conſiliorum, conſ.1. de Celebratione Miſſarum, editione 1ª* Palaus, *num.7.* Diana, *tom.4. tract.4. reſol.236* Belletus, *in §. Is qui Cleric. part.2. §.28. num.2.* Layman, *tract.5. cap.5. num.9.* nullum ſtare præceptum prædictas tres Miſſas celebrandi, vel audiendi; ſed ſatis eſſe, ſi una legatur, vel audiatur: quia hæc conceſſio privilegium eſt, non præceptum.

Annotatio 2. 20. Secundò notat, & benè Diana, ubi proximè poſſe poſt mediam noctem Sacerdotes omnes tres prædictas Miſſas privatas in nocte Nativitatis antè auroram celebrare referens Mercerum, Puteanum, & *tract.14. de celebratione Miſſarum, reſolut.35.* affert etiam idem Diana, Suarium, Vaſquium, Laymanum, Coninchum, Sylvium, Molleſium, Zanardum, Scortiam, contra Nuñum, Bonacinam, & alios: quia in Canone, *Nocte ſancta de conſecratione, d.1.* abſolutè conceditur, ut nocte Nativitatis Miſſæ celebrentur ſinè ulla diſtinctione. Neque obſtat quod in rubrica Miſſalis tria tempora diverſa aſſignentur, videlicet, ut prima Miſſa de nocte poſt mediam noctem dicatur, ſecunda in aurora, tertia vero in plena die: quia id tantum efficitur pro Miſſis ſolemnibus.

Circa cauſam neceſſitatis plures caſus examinantur. 11. Circà cauſam verò neceſſitatis, quâ poſita, admittit Innocentius III. repeti celebrationem poſſe: varii caſus ab aliquibus enumerantur: quia tamen non in omnibus neceſſitas ſed ſolum utilitas repetitæ celebrationis eſſe videtur, placet illos breviter examinare.

Primus caſus. 12. Primus eſt: ſi Parochus duas habeat Eccleſias Parochiales, & non ſit, qui commodè poſſit in una illarum celebrare, poterit ipſe celebrare in utraque, ut omnes admittunt: quia illa eſt aperta neceſſitas. Et idem eſt, ut cum aliis docet Dicaſtillus, *dub.3. n.39.* de Clerico non Parocho, ubi eſt magna pœnuria Sacerdotum: & pari ratione quando Parochus alterius oppidi gravi morbo, vel abſentia impeditur, poterit enim tunc ſecundò alius Sacerdos ibi celebrare, qui jam in ſua Eccleſia celebravit, dum tamen ſit jejunus: unde in priori Miſſa non debet ſumere ablutiones: aliter non poterit in his omnibus caſibus celebrare ſecundam.

Quæſitum 1. 13. Sed petes primò: An quando Parochus poteſt celebrare duas Miſſas, poſſit etiam hoc facere non ſolum in diebus feſtivis; ſed etiam in diebus ferialibus, ſi in his ſit ſufficiens numerus fidelium audientium Miſſam quotidie? Negativè reſpondent Nuñus, *3. part. q.80, art.2.* Marcos de los Huertos *de Sacrificio Miſſæ, quæſt.13.* Trullench. *de Sacram. lib.3. cap.8. dub.1. num.4.* Nituntur: quia cauſa neceſſitatis non videtur inveniri niſi in diebus feſtivis, ut populus utriuſque Parochiæ poſſit Miſſam audire, quam tamen in diebus ferialibus audire non eſt neceſsè. Quare non eſt neceſſitas iis diebus duplicis Miſſæ celebrandæ. Econtrà tamen affirmativè reſpondent Suarez, *diſp.80. ſect.3.* Palaus, *diſp. unic. punct.7. num.9.* Leander, *de Sacrificio Miſſæ, diſp.5. q.38.* Martinus de S. Joſeph, *in Monit. Confeſſ. tom.1. lib.1. tract.13. num.7. & 8.* & alios referens Diana, *tom.10. tract.16. reſolut.22.* Ne populus ſuo ſacrificio privetur, & opportunitate audiendi Miſſam.

14. Verùm cum conſuetudo in his rebus magnam vim habeat, indiciumque ſit neceſſariæ, vel non neceſſariæ celebrationis, ſtandum eſſe conſuetudini circa hanc difficultatem cenſemus, ut benè docuit Petrus de Ledeſma, *de Sacram. Euchariſtiæ, cap.19. concluſ.6.* ubi ſic ait: *En eſte caſo ſe ha de eſtar à la coſtumbre, y donde huviere coſtumbre de dezir muchas Miſſas en los dias de hazer algo, ſe podran dezir: y donde no huviere tal coſtumbre, no ſerá licito introducirla.* Et idem tradit Joannes de la Cruz, *de Sacrificio Miſſæ, quæſt.2. dub.3. concluſ.2.*

15. Petes ſecundò: An in prædictis caſibus, in quibus diximus poſſe bis eodem die celebrari, poſſit etiam ter, aut ſæpius, ſi eadem cauſa perſiſtat, & Sacerdos adhuc jejunus maneat? *Quæſitum 2.* Partem negativam tenent Henriqu. *lib.9. cap.30. n.7.* Fagundez, *præcepto 1. lib.3. cap.16. num.5.* Nuñus, ubi ſupra: quia jus, inquiunt, in cap. *Conſuluiſti de celebratione Miſſarum*, ſolum bis in eodem die concedit in neceſſitate celebrare jejunis. Pars tamen affirmativa ſuſtinenda eſt: quia in dicto cap. *Conſuluiſti*, eſt Sermo indifferenter de pluribus Miſſis, non determinando ad duas, vel plures. Et ratio eſt eadem, ut benè advertunt Cardinalis Lugo, *de Sacram. Euchariſtiæ, diſp 20. ſect.1. num.47.* & antè illum Petrus de Ledeſma, *dict. cap.19. concluſ.6.* ubi ſic ait: *La razon es la miſma de dos que de tres, quando corre la miſma neceſſidad para la tercera vez, y los derechos tan ſolamente dizen, que por ſemejante neceſſidad ſe pueden dezir muchas Miſas, ſin determinar el numero dellas.* Eandem etiam partem affirmativam docent Suarez, ubi ſupra, verſ. *Sextus autem caſus.* Philiarchus *de Officio Sacerdotis, tom.1.* & cum aliis Leander, *quæſt.41.* Diana, *tom.10. tract.16. reſolut.22.*

16. Secundus caſus eſt: quando eſſet neceſſarium celebrare ad dandum viaticum ægroto: *Secundus caſus.* qui caſus vix practicus eſſe poteſt: quia ſi Sacerdos quando monetur de periculo ægroti, jam ſumpſit ablutionem, non poterit non jejunus ob communicandum infirmum iterùm celebrare: nam preceptum celebrandi jejunè ſtrictiùs obligat, neque omitti debet ob hanc proximi neceſſitatem. Si verò antè ſumptionem hoſtiæ monitus ſit, poteſt, & debet partem ſuæ hoſtiæ reſervare, quam ad infirmum deferat. Solum ergo prædictus caſus habere poteſt locum, quando accepta hoſtia, & nondum accepta ablutione monetur, vel recordatur Sacerdos de periculo ægroti, & non ſunt aliæ particulæ conſecratæ in Eccleſia; & tunc abſtinet ab ablutione, ut iterum celebret. Cum autem caſus ſic

contigerit, ſatis probabile eſt poſſe iterum ad dandum viaticum celebrari: quia illa eſt gravis proximi neceſſitas, & cum rariſſimè occurrere poſſit, non poteſt dici conſuetudinem repugnare. Et ita hunc caſum expreſsè admittunt Coninchus, *quæſt.*83. *art.*2. *dub.*3. *num.*215. Bonacina, *diſp.*4. *de Sacramentis, quæſt. ultim, punct.*7. *num.*10. Card. Lugo, *diſp.*20. *ſect.*1. *num.*44. Palaus, *num.*9. Amicus *tom.* 7. *diſp.*33. *ſect.* 11. *num.* 318. Thomas Hurtado, *de Obligat. Sacerdot. tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 438. Navarrus, Victoria, Henriquez, Ledeſma, Paludanus, D. Antoninus, Sylveſter, Tabiena, Angelus, Valentia, Binsfeldius, Lublinus, Philibertus, Fagundez, quos affert, & ſequitur Leander *diſp.*5. *q.* 34. N. Anton. *de Sacrificio*, *n.* 66. contra Vaſquez, *diſp.* 232. *num.* 50. & contra Dianam, *tom.*2. *tract.* 14. *de celebratione Miſſarum*, *reſolut.* 56. & contra alios.

Tertius caſus. 17. Tertius caſus eſt: ubi ob raritatem Sacerdotum, ob multorum Catholicorum frequentiam, ob difficultatem celebrandi ſacrum multis ſimul concurrentibus, qui nequeunt ſimul confluere, ne prodantur, & ab hoſtibus vexentur, non poteſt unica Miſſa pluribus Catholicis durante neceſſitate ſatisfieri, ut contingit in Anglia, aliiſque ſimilibus Provinciis Hæreticorum: licebit enim tunc eodem die bis vel pluries celebrare: quia id comprehenditur ſub neceſſitate, quam jura excipiunt. Sic Fagundez, *præcepto* 1. *lib.*3. *cap.* 16. *num.*5. Lugo, *diſp.*20. *n.*46. Philibertus, *de Sacrif. Miſſæ, part.*2. *cap.*37. Amicus, ubi ſupra, Leander, *de Sacrificio Miſſæ, diſp.*5. *q.*39. Layman, *cap.*4. *n.*6. Palaus, *punct.*7. Dicaſtillus, *diſp.*4. *dub.*3. *num.*51. Thomas Hurtado, ubi ſupra *num.*435.

Quartus & quintus caſus. 18. Quartus caſus aſſignari ſolet ob nuptiarum benedictionem. Et quintus ob mortui ſepulturam, cui Miſſæ officium adjungi poſtulatur: ſed hi caſus non videntur admittendi, ut contra nonnullos docent Vaſquez, Coninchus, Lugo. Dicaſtillus, Palaus, & cum multis Diana jam citatis.

Sextus caſus. 19. Sextus caſus: quando Epiſcopus, vel Princeps ſupervenit facta conſecratione aut ſumptione: ſed antè acceptam ablutionem, & non eſt alius, qui celebrare queat. In quo caſu non poſſe de novu celebrari docent Vaſquez, Coninchus, Lugo: qui *num* 43. inquit. *Quid enim refert, quod Princeps non audiat illa die ſacrum? Quod ſi inculpabiliter omiſit, non peccavit. Si culpabiliter; jam peccatum commiſſum eſt, nec tollitur per auditionem Miſſæ, ſed per Pœnitentiam.* Et Palaus *loc. cit.* ſic ait, non videtur res tanti momenti devotioni Epiſcopi, vel alterius Principis ſatisfacere, ut ob illius cauſam conſuetudo Eccleſiæ in celebratione præſcripta omittenda ſit. Econtrà verò oppoſitum aſſerunt D. Antoninus, 3. *part. tit.*13. Naldus, verbo *Miſſa, num.*11. Philiarchus, *de Officio Sacerdotis*, *lib.* 2. *cap.*5. *p.*1. Philibertus ubi ſupra, & alii, quos affert, & ſequitur Thomas Hurtado, *tract.* 2. *cap.*7. Et hanc poſteriorem ſententiam probabilem cenſet Dicaſtillus, *diſp.*4. *dub.*3. Verùm in hoc ſtandum eſſe videtur conſuetudini locorum, ut benè docet Bonacina, *diſp.*4. *quæſt.* §.5. *n.*10. & alii.

20. Quod ſi ceptâ Miſsâ, finitâ Epiſtolâ, vel Evangelio Epiſcopus, vel Princeps adveniat antè offertorium, poſſe iterum ab initio Miſſam in caſu poſito inchoari ex Sa, & Henriquez, aſſerit Dicaſtillus, *dicta dub.*3. Et idem tradit alios referens Leander, *de Sacrificio Miſſæ, diſp.*15. *quæſt.*35. Hoc autem limitandum videtur niſi alicubi aliter præceptum, vel præſcriptum, ſit: ſicut in Synodo Hiſpalenſi. *Titulo de Celebratione Miſſarum*, *cap.*8. Strictè ſub excommunicatione præceptum eſt ne peracta confeſſione inchoetur iterum Miſſa, licèt adveniat perſona cujuſcumque dignitatis. Ita refert Granados, *tract.*14. *diſp.*10. *n.*4. Standum igitur eſt loci conſuetudini: quia in his rebus magnam vim habet, ut ſæpè dictum eſt.

21. Septimus caſus eſt ob concurrentiam officiorum eodem die, ut in Quadrageſima, & in rogationibus, in vigilia, in quibus una Miſſa de feſto, altera de tempore dici debet, & in ea Eccleſia ea conſuetudo ſervatur. Qui caſus in præſenti tempore non cenſetur admittendus: & ita illum non admittunt Vaſquez, Coninchus, Lugo, Palaus *locis allegatis*: quia majoris ponderis eſt obſervatio generalis præcepti, ne ab uno Sacerdote bis eodem die celebretur, quàm obſervatio conſuetudinis particularis Eccleſiæ dicendi duplicem Miſſam: præcipuè cum hæc conſuetudo non ſit, quod ab uno Sacerdote bis eodem die una Miſſa de feſto, altera de tempore dicatur. *Septimus caſus.*

21. Octavus caſus eſt ob multitudinem populi ad feſtivitatem concurrentis, quem Baſilica nequit capere, nec haberi poteſt alius Sacerdos, nec cœli inclementia permittit dici unam Miſſam extra Eccleſiam, ut omnes ſacrum audiant; ſed niſi is qui adeſt Sacerdos ſecundò jejunus, celebret in feſto, ingens fidelium multitudo non audito ſacro manebit: tunc enim ſufficiens cauſa, & neceſſitas eſt bis ſacrificandi. Ita Suarez, *diſp.*80. *ſect.*3. *in fine.* Coninchus, *dub.*3. Palaus, *loco cit. num* 9. Dicaſtillus, *diſp.*4. *dub.*3. *num.*49. & plures referens Thomas Hurtado, *de Obligatione Sacerdotum tract.*2. *c.*7. *n.* 425. & manifeſtè indicat Leo Papa, *Epiſt.* 81. *ad Dioſcor. cap.*2. *Octavus caſus.*

23. Nonus caſus præcedenti ſimilis eſt ob peregrinorum multitudinem ſupervenientem in die feſto: v. g. eſt aliquis locus per quem tranſeunt iter facientes Romam ad annum Jubilæi: non eſt ibi niſi unus Sacerdos, qui non poteſt omnibus peregrinis, & habitatoribus loci unica Miſſa ſatisfacere; ſed niſi ſecundò celebret, plures auditione ſacri in dicto die feſto carebunt: poteſt iſte Sacerdos bis celebrare jejunus: quia eſt ſufficiens neceſſitatis cauſa, ut bis celebretur. Ita Sylveſter, Angelus, Armilla, Tabiena, Philibertus, quos adducit, & ſequitur Thomas Hurtado ubi proximè. Et ita etiam ſuſtinet Palaus *loco allegato.* *Nonus caſus.*

24. Decimus caſus, qui admitti debet, eſt ob conſuetudinem, quæ jam præſcripſit, ut omnes fatentur: & ita contingit in Corona Aragoniæ, quæ comprehendit Aragoniam, Valentiam, Catalauniam, ubi Sacerdotes regulares ter; Laici verò bis communiter celebrant in die commemorationis defunctorum, die ſecunda Novemb. Cujus conſuetudinis originem latè refert Vaſq. de Miranda, Abbas S. Anaſtaſiæ, *in ſuo tractatu Theologico, & Juridico, diſcurſu* 2. *c.*8. *n.*25. *Decimus caſus.*

Qua hora eſt celebranda.

25. Quoad horam, in qua licitum eſt Sacerdotibus Miſſam privatam celebrare, conveniunt Doctores, quod non poſſit celebrari antè auroram, vel poſt meridiem. Probatur id ex conſuetudine Eccleſiæ ubique recepta, quam approbare videtur Pius V. in regulis Miſſalis, ubi dicitur horam celebrandi pro Miſſis privatis eſſe ab aurora uſque ad meridiem. Ideoque decretum Teleſphori Papæ relatum, Cap. *Noctie ſancta de conſecrat. d.* 1. ubi præter noctem Nativitatis dicitur non eſſe celebrandas Miſſas antè horam diei tertiam, ſatis conſuetudine contraria abrogatum eſt.

Caſus, quibus ante Auroram licet celebrare 1.

26. Ab hac regula excipitur primò dies natalis Domini, in qua licet celebrare poſt mediam noctem tres Miſſas antè auroram, ut dictum eſt ſupra *num.* 10. & præter ibi citatos contra Fagundium & Nuñum, benè id firmat Cardinal. Lugo, *diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 25.

Secundus.

27. Excipitur ſecundò caſus neceſſitatis, quando neceſſarium eſſet celebrare ad dandum viaticum infirmo, alioquin fortaſſe abſque viatico morituro. In quo caſu non ſolum ſummo manè ante lucem, ut loquitur Fagundez, *præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 15. ſed ſi neceſſè ſit, ſtatim poſt mediam noctem poſſet celebrari: quia conſuetudo non videtur cum tanto rigore introducta, & utrumque ſolum ex conſuetudine prohibitum invenitur. Credendumque non eſt Pontificem velle conſuetudinem hanc cum gravi proximi detrimento obſervari. Ita Card. Lugo, *dict. num.* 25. referens pro ſe Vazquium, Layman, & Dianam. Et idem tradunt Palaus, *n.* 13. Dicaſtillus, *n.* 73. & Leander, *diſp.* 6. *quæſt.* 5. cum Victoria, Gabriele, & Hurtado, Martinus à ſancto Joſeph, *in ſumma, tract.* 14. *num.* 13.

Tertius.

28. Excipitur tertiò, quando Epiſcopus in caſu particulari ob juſtam cauſam diſpenſat, ut antè auroram celebratio fiat, multoque magis ipſemet ea facultate uti poteſt ob cauſam: v. g. itineris inſtituendi. Ita Navarrus, *cap.* 25. *num.* 85. Coninchus, *dub.* 4. *num.* 217. Layman, *cap.* 4. *num.* 3. Cardin. Lugo, *diſp.* 10. *ſect.* 1. *num.* 27. Palaus, *dict. n.* 15. & alii.

Quartus.

29. Excipitur quartò, quando conſuetudo aliud obtinuit, præſertim quando illa nititur rationabili fundamento, ut in Galliæ partibus, in Belgio, & ſuperiori Germania conſuetudo rationabili cauſa introducta eſt, ut in Civitatibus, hyemis tempore, tribus, vel quatuor horis antè ſolis ortum Miſſa inchoetur, ne ſcilicet in his regionibus ſeptentrionalibus, quibus in hyeme ſol ſerò oritur, famuli, & operarii excuſentur à Miſſæ auditione; ſed eam prius audire poſſint, quam ad opus ſe accingant. Ita Navarrus, *capit.* 25. *num* 85. Coninchus, *quæſt.* 83. *art.* 2. *dub.* 3. Layman, *cap.* 4. *num.* 3. Vazquez, *diſp.* 232. *cap.* 3. Palaus, *loco citato.*

Quintus.

30. Excipiuntur quintò Regulares ex privilegio, quo cum licentia ſuorum Prælatorum itineris, vel legitimi impedimenti cauſa Miſſas celebrare poſſunt unâ horâ ante auroram, & aliâ poſt meridiem. Cujus Privilegii meminit Rodriguez, *tom.* 1. *quæſt. Regul. quæſt.* 43. *art.* 1. & refertur in compendio Privilegiorum Societatis Jeſu, verbo *Miſſa*, §. 3.

31. Majorem adhuc facultatem conceſſit Alexander VI. in Privilegio 115. Abbati, & Monaſterio montis Serrati quinto Kalendas Maii, anno 1499. ut teſtatur Emanuel Rodriguez in Bullario Regularium Bulla 13. ut poſſit nimirum poſt duas horas à media nocte facere ſacrum. Quod privilegium quamvis ſoli Monaſterio montis Serrati fuerit conceſſum, & in aliis Monaſteriis non militet eadem ratio, propter quam tale privilegium conceſſum fuit hujuſmodi Monaſterio, adhuc videtur conceſſum omnibus: quia poſtea Clemens VIII. in Bulla 22. extendit facultatem illius conventus ad alios ejuſdem congregationis. Et Ciſtercienſes Hiſpaniæ habent privilegium ex conceſſione Gregorii XIV. participandi privilegia Ordinis Sancti Hieronymi, & hic ſacer Ordo habet Privilegium Pii IV. ut conceſſa uni Conventui extendantur ad alios, etiam non exiſtente in illis eadem cauſa concedendi. Cumque Benedictini per communicationem participent privilegia Ciſtercienſium ex conceſſione Clementis VIII. attentis omnibus, privilegium, quod habet unus Conventus, habet alius in his Religionibus, quæ habent eam communicationem privilegiorum: Unde omnes ii, qui illam habent, ut ampliſſimè habent noſtri Carmelitæ Diſcalceati ex conceſſione Clementis VIII. Bulla 2. ut videre eſt in noſtris privilegiis, *fol.* 184. *n.* 2. poſſunt virtute ſuorum privilegiorum concurrentibus cauſis, aut requiſitis jam dictis, duabus horis poſt mediam noctem Miſſam celebrare. Quia tamen illud Alexandri VI. privilegium non fuit abſolutum; ſed ad celebrandum in Eccleſia illius Monaſterii, ideo cum eadem limitatione debet tranſire ad alios communicantes eodem privilegio. Unde non poterunt in quolibet loco celebrare illa hora; ſed ſolum in Eccleſia ſui Monaſterii, ut benè obſervant Lugo, & Dicaſtillus citati.

Privilegium Regularium ad celebrandum ante auroram.

Singulare privilegium ad celebrandum poſt meridiem.

32. Privilegium etiam ad celebrandum poſt meridiem, magis amplum, quam unius horæ conceſſit Eugenius IIII. congregationi Sanctæ Juſtinæ celebrandi in itinere, vel ex cauſa juſta uſque ad nonam incluſivè prout habetur in Bulla XI. dicti Eugenii IIII apud Emanuelem Rodriguez, in Bullario Regularium. Quare qui communicatione privilegiorum gaudent, poſſunt in itinere, vel ex juſta cauſa uſque ad nonam incluſivè (quæ eſt tertia poſt meridiem) ſacrum facere: an hæc & ſimilia privilegia ſint revocata? latè invenies apud N. Anton. à Spiritu Sanct. *in direct. regular. p.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 2. *num.* 185.

Quod tempus auroræ nomine comprehendatur.

33. Aurora ex probabili ſententia comprehendit ſpatium horæ cum dimidia antè ortum ſolis plus, minuſvè: neque enim in hac re mathematicè, & cum omnimoda præciſione; ſed moraliter agendum eſt, ut benè docent Victoria, *de Euchariſtia, n.* 79. Dicaſtillus, *diſp.* 4. *dub.* 4. *num.* 54. Item Suarez, Bonacina, Rodriguez, quos citat, & ſequitur Palaus, *diſp. unica, punct.* 7. Quare non pauci ſecluſo privilegio unum, vel alterum quadrantem antè auroram accipiunt: unde ſi ſecluſo privilegio, uno vel altero quadrante antè auroram ſacrum incipias, ita ut finias auroræ initio, non peccas, uti docent Suarez, *diſp.* 80. *ſect.* 4. Navarrus *in ſumma*

cap. 25. *num.* 83. Henriquez, *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 5. Sà verbo *Miſſa num.* 27. Rodriguez, *tom.* 1. *quæſt. regul. quæſt.* 43. *art.* 1. Bonacina *diſp.* 4. *quæſt. ultima, punct.* 9. *num.* 4. Card. Lugo, *diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 32. Dicaſtillus, ubi ſupra *num.* 55. Palaus, *num.* 12. Gabr. à S. V. *quæſt.* 2. Poteſt igitur Miſſa juxta hanc doctrinam inchoari per duas fere horas antè ortum ſolis, unde Religioſi, qui gaudent privilegio celebrandi unâ horâ ante auroram, poſſunt ex licentia Prælati itineris, vel legitimi impedimenti cauſa fermè tribus horis ante ortum ſolis abſque alio privilegio Miſſam inchoare.

Poſt meridiem non licet inchoare Miſſam. 34. Poſt meridiem non licet Miſſam inchoare ex conſuetudine prohibente jam recepta: atque ita à Pio V. ſub pœna ſuſpenſionis ferendæ approbata in Bulla, quæ incipit: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, & tradunt Suarez, Vazquez, Laym. Bonacin. Coninc. quos refert, & ſequitur Palaus, *punct.* 7. *n.* 14. contra Navarrum, Dicaſtil. & alios. Quod ſi petas: quantum temporis ſpatium differre debeat Sacerdos poſt meridiem celebrationem, ut mortaliter peccare cenſeatur? Reſpondetur per horam debere eſſe: quia alias non videtur nimia dilatio. Ita Palaus, Bonacina N. Gabr. citati, Sylvius, *q.* 83. *artic.* 2. & alii.

Caſus, in quibus licet poſt meridiem ſacrum celebrare. *Primus.* 35. Excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus licitum eſt poſt meridiem celebrationem differre. Primus eſt propter Miſſam ſolemnem, & concionem feſto die uſque ad meridiem, vel amplius productam: nam caſu eo introducta eſt conſuetudo, ut poſtea aliquæ Miſſæ privatæ dicantur, ne plures ſacri auditione careant. Ita Layman, & Palaus citati, Rodriguez, Ledeſma, & Suarez, quos affert, & ſequitur Villalobos, *de Sacrificio Miſſæ, tract.* 9. *difficult.* 22. *n.* 5. N. Anton. *tract.* 7. *n.* 36.

Secundus. 36. Secundus caſus eſt: ſi Sacerdos ratione itineris non potuit die feſto ante meridiem celebrare, licebit enim tunc Miſſæ initium facere unà horà poſt meridiem ex recepta conſuetudine, ut teſtantur Henriquez, Suarez, Rodriguez, Miranda, Layman, quos adducit Palaus, & Villalobos, cum Soto ubi ſupra *n.* 6.

Tertius. 37. Tertius caſus eſt: quando Epiſcopus ob juſtam cauſam diſpenſat in caſu particulari, ut poſt meridiem ſacrum fiat: ſicuti ſupra de anticipatione dictum eſt. Ita Layman, Palaus, & Dicaſtillus citati.

Quartus. 38. Quartus ob neceſſitatem communicandi ægrotum, alioqui forſan abſque viatico moriturum. Ita Layman, & plures referens Leander, *de ſacrificio Miſſæ, diſputat.* 6. *quæſt.* 12.

Quintus. 39. Quintus, ex privilegio Summi Pontificis modo *dict. ſup. num.* 30. *&* *n.* 32.

Sextus. 40. Sextus: ſi in diebus ordinationum ſolemne officium Miſſæ poſt meridiem cantetur, quando Epiſcopus ſacros celebrat ordines, uti docent Paludanus, *in* 4. *dist.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. Sotus, ibidem, & Ricardus, *art.* 2. *quæſt.* 4. S. Antoninus, *part.* 3. *tit.* 13. *cap.* 6. §. 5. Henriquez, *lib.* 9. *cap.* 24. *n.* 6. Layman, *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. & alios referens Leander, *q.* 23.

Septimus. 41. Septimus caſus, in quo poteſt Miſſa inchoari poſt meridiem, eſt propter Principis funus. Ita Henriq. Layman, Leander, Antonius citati. Sic in funere Regum practicatum eſſe Salmanticæ, & finitam eſſe Miſſam hora 4. poſt meridiem tradit idem Henriq. *loco cit.* littera A.

42. Ad evitandam quoque culpam, ſatis eſſe, ſi Miſſa inchoetur antè meridiem, quamvis poſtea finiatur, bene tradunt Suarez, Rodriguez, Coninch. quos citat, & ſequitur Layman, *cap.* 4. *n.* 3 atque idem aſſerit Filliuc. *tract.* 5. *c.* 4. *n.* 113.

43. His quædam addenda ſunt circa omiſſionem Matutini, & horarum, antequam dicatur ſacrum. Primum eſt, nullum omnino peccatum eſſe privatim celebrare ante dictam primam: ſicuti communiter docent Doctores, ut teſtantur Layman, ubi ſup. *n.* 5. & Philibertus, *p.* 3. *c.* 5. *Auctarium primum.*

44. Secundum, Sacerdotem, qui juſta de cauſa: v. g. infirmitatis, non poteſt horas dicere, nihilominus ſacrificare poſſe: ſicuti ex communi tradunt Sotus, Sà, Suarez, Azor, quos adducit, & ſequitur idem Layman. Et idem docent Bartholomæus à Ledeſma, *de Euchariſt. dub.* 39. & Thomas Sanchez, 2. *conſil. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 38. & alios plures referens Palaus, *diſp. unica punct.* 10. *n.* 14. *Secundum.*

45. Tertium, non eſſe mortale etiam abſque cauſa privatim ſacrificare ante recitatas præces matutinas, Ita cum multis Suarez, *diſp.* 80. *ſect.* 1. Sotus, *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 9. *art.* 2. *in fine*, Filliucius, & Layman citati, & cum pluribus Læſſius, *de juſtitia, cap.* 37. *dub.* 12 *n.* 81. Coninchus, *quæſt.* 83 *art.* 2. *dub.* 4. *n.* 220. cum pluribus Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, allegat.* 24. *num.* 15. Raphael de la Torre, 2. 2. *tom.* 1 *controverſia* 8. *diſp.* 2. *num.* 6. *&* 7. Ioannes de la Cruz. *par.* 1. *præcepto* 3. *art* 3. *dub.* 4. *concluſ.* 2. & cum aliis Diana *de celebratione Miſſarum, reſolut.* 36. Metina *in ſumma, lib.* 1. *cap.* 16. §. 2. *in fine*, Bartholomæus à Ledeſma, *de Euchariſtia, dub.* 39. Thomas Sanchez, *loco citato*, & cum aliis multis Bonacina, *de horis canonicis, diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *num.* 11. & Palaus, *diſp. unica, punct.* 10. *num.* 14. Et eſt modo communis ſententia Neotericorum contra Zenedum, *in quæſt. Canonicis, quæſt.* 3. *num.* 7. & contra alios multos dicentes eſſe mortale. Probatur autem noſtra, & jam communis ſententia: quia neque adeſt conſuetudo, quæ obliget ſaltem ad peccatum mortale: neque in rubrica Miſſalis gravem obligationem circa id affert: neque Miſſa dicit maiorem ordinem ad horas Canonicas, quam ipſæ horæ inter ſe. Cum igitur non ſervare ordinem horarum inter ſe: v. g. dicendo ſextam antè tertiam, non ſit peccatum mortale, ut omnes docent: neque mortale erit facere ſacrum, antequam recitetur Matutinum. *Tertium.*

46. Quartum, ſi cauſa rationabilis interveniat ad celebrandum non præmiſſo Matutino, ut quia Prælatus præcipit, vel aliquis eleëmoſynam offert alicui, ut ſtatim celebret, vel inſtat hora dicendi Miſſam, & populus, vel aliqua perſona gravis expectat, vel elabitur commodum tempus dicendi ſacrum, &c. Nullam eſſe culpam nondum perſoluto Matutino celebrare, Ita Sotus, Metina, Bartholomæus à Ledeſma, quos adducit, & ſequitur Thomas Sanchez, ubi ſuprà. Et idem docent Suarez, *diſp.* 82. *ſect.* 1. Filliucius, Layman, Coninchus, Læſſius *locis allegatis*, Ludovicus de San Juan, *quæſt.* 11. *art.* 22. *dub.* 2. & alii. Ratio eſt: quia pervertere horarum ordinem ex cauſa nulla eſt culpa: ergo neque facere ſacrum non præmiſſo Matutino. *Quartum.*

Addit

Addit etiam benè Suarez *loco citato*, mediocrem cauſam ſufficere ad excuſandum in caſu poſito à peccato veniali; illam ſcilicet, quæ ſatis eſſet ad differendam Matutini recitationem totò illo tempore abſq; culpa veniali, vel aliam, ſimilem.

Quintum. 43. Quintum, eſſe peccatum veniale antè recitatum Matutinum facere ſacrum abſque ulla cauſa rationabili. Ita Petrus de Ledeſma, *de Euchariſtia c.* 23. Bartholomæus à Ledeſma, Thomas Sanchez, & Ludovicus de S. Joan. citati Et videtur tenere Metina ubi ſupra. Et idem tradunt Henriquez, Rodriguez, Fagundez, Bartholomæus à Sancto Fauſto, quos adducit, & ſequitur Philibertus, *de Sacrificio Miſſæ, part.* 3. *cap.* 5. *num.* 8. contra Martinum à Sancto Joſeph, *tract.* 13. *de Euchariſtia, num.* 14 & alios dicentes nullum eſſe peccatum. Ratio noſtræ aſſertionis eſt. Tum quia in rubrica de defectibus Miſſæ inter alios hic defectus enumeratur *Miſſam celebrare non præmiſſo Matutino*: ergo hic defectus, ſi nec mediocris cauſa ſubſit, erit culpa venialis. Tum etiam quia talis omiſſio eſt contra conſuetudinem laudabilem, & receptam, quæ ligat ad veniale, ut docent Thomas Sanchez, & alii. Tum denique quia negari non poteſt eſſe aliquam indecentiam dicere priùs Miſſam, quam Matutinum: quia Matutinum eſt officium noctis, Miſſæ verò diei: ergo peccatum veniale erit ſinè ulla cauſa priùs dicere ſacrum, quam Matutinum. Excuſabit tamen cauſa rationabilis etiam mediocris à levi culpa, ſicut dictum eſt,

Sexta concluſio. 48. Si autem loquamur de Miſſa conventuali, & ſolemni in illis Eccleſiis, ubi ex conſuetudine preces publicè dicuntur, ibi Miſſam conventualem precibus Matutinis in choro non decantatis celebrare abſque juſta cauſa, læthale eſſe peccatum. Tum ob ſcandalum. Tum quia talis omiſſio eſſet contra receptam conſuetudinem omnium Eccleſiarum in materia gravi ſpectante ad publicum Dei cultum, commune bonum, & bonum Eccleſiæ regimen, ad quæ valdè refert, quod ſtatutis temporibus Miſſa, & divinum officium recitetur. Ita tenent Sylveſter, Navarrus, Sotus, Henriquez, Suarez, Faguodez, Layman, quos citat, & ſequitur Philibertus, *part.* 3. *de requiſitis ad Miſſam celebrandam, cap.* 5. *n.* 6. & cum allis Palaus, *diſp. unic. punct.* 10. *n.* 14. Nec non cum pluribus Hieronymus Garcia, *in ſumma tract.* 2. *difficul* 5. *dub.* 4. contra Thomam Sanchez, ubi ſup *dub.* 39. Limitat tamen Suarez, *diſp.* 82. *sect.* 1. *in fine* hoc intelligendum eſſe regulatiter, ac moraliter: aliquo enim raro caſu poſſet id fieri abſque culpa, vitato ſcilicet ſcandalo, & aliqua gravi, & publica cauſa intercedente.

PUNCTUM II.

De loco ad Miſſæ ſacrificium offerendum apto.

Concluſio. 49. IUre ordinario Miſſa abſque neceſſitate, & ſine diſpenſatione, vel privilegio celebrari non debet, niſi in Eccleſia conſecrata, aut benedicta, vel in oratorio ad divinum cultum dedicato, & ab Ordinario deſignato, ut conſtat ex Tridentino *ſeſſione* 22. *in decreto de obſervandis, & evitandis.* Et habetur *cap.* 1. Cap. *Sicut*, Cap. *Nullus de conſecratione*, *diſt.* 1. & docet D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 83 *art.* 3. & eſt conſtans omnium ſententia. Quod ſi ſecus fiat, erit mortale, ut contra Sotum, *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 3. & contra Sà, verbo *Miſſa num.* 20. docent Sylvius, Homobonus, Filliucius, Ioannes de la Cruz, Villalobos, Hurtado, quos citat, & ſequitur Diana, 2. *part. tract.* 14. *reſolut.* 38. Thomas Sanch. Suarez, Layman, Vazquez, quos adducit & ſequitur Palaus, *diſp unic. punct.* 8. & multis allegatis Barboſa *de poteſt. Epiſcop.* 2. *part. allegat.* 23. *n.* 2. & cum Zerola, Sylveſtro, Navarro, Henriquez, Angelo, Azorio, Gabriele, Alenſi, Vivaldo, Fagundez *præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. & 2. Item cum Cardinal. Lugo, Philiberto, Machado idem docet Leander *de ſacrific. Miſſæ, diſp.* 6. *quæſt.* 5. N. Anton. *n.* 67. Franciſc. *num.* 1. Et ratio eſt: quia violatur lex ſupra dictis decretis firmata, & conſuetudine approbata ob tanti Sacramenti reverentiam conſtituta, quæ verſatur circa materiam gravem; ideoque ejus tranſgreſſori pœna depoſitionis ferendæ decreta fuit citato Cap. *Nullus.*

50. Dictum eſt primò *abſque neceſſitate*: nam ea interveniente poterit Sacerdos extra dictam Eccleſiam, vel dictum oratorium etiam ſub dio celebrare: quia ſic habetur Cap. *Sicut de conſecratione, diſt.* 1. Caſus neceſſitatis ſunt. *Explicatur concluſio.*

51. Primus ſi longam peregrinationem peragas per loca deſerta, ſeu infidelium, ubi non occurrit Eccleſia, poteris extra illam in altari portatili conſecrato celebrare: ne diu Miſſa carere cogaris. Sic relatis Paludano, Sylveſt. Soto, Suares, Sà, Conincho, Henriquez, Laym. docet Palaus *dicto puncto* 8. *n.* 4. Card, Lugo, *diſp.* 20. *ſect.* 2. *Caſus 1. neceſſitatis celebrandi extra Eccleſiam.*

52. Secundus: quando Eccleſiæ ſunt dirutæ, poteris extra locum ſacrum celebrare, ne populus ſacrificio careat, ut habetur Cap. *Concedimus de conſecratione diſt.* 1. & tradunt Doctores relati. *Secundus.*

53. Tertius: quando multi conveniunt ad ſolemnitatem, & non capit eos Eccleſia, poteris extra illam in altari juxta Eccleſiam collocato ſacrum facere: ne plures careant ſacro. Sic Card. Lug. *loco cit* Dicaſtillus *diſp.* 4. *dub.* 5. & cum Navarro, Henriq. Layman, Suario. Conincho, Vazquio tradit Palaus *dicto num.* 4. *Tertius.*

54. Quartus: in caſtris pro militibus; ne diebus feſtis ſacro priventur. Et idem eſt in littore maris, ut navigantes non valentes naves deſerere, feſto die Miſſam audiant. Sic Palaus citatus cum Layman, & Vazquio. Et idem docent Dicaſtillus, & Card. Lug. *loco allegato.* Qui bene addit in his, & ſimilibus caſibus, ſi fieri poſſit, petendam eſſe licentiam ab Ordinario: ſin autem, fieri poſſe abſque licentia, nunquam tamen abſque altari portatili conſecrato. *Quartus.*

55. Quod ſi adverſus prædicta objicias, textum in Cap. *Sicut de conſecrat. d.* 1. ubi Pontifex expreſsè dicit non licere extra Eccleſiam celebrare; *Niſi ſumma coegerit neceſſitas.* Reſpondetur cum Vazquio *diſp.* 233. *cap.* 1. *n.* 5. cum Coninch. & nonnullis aliis, quos refert Dicaſtilius *loco cit.* & cum Palao *dicto n.* 4. conſuetudine obtentum eſſe, ut id etiam liceat minore neceſſitate exiſtente, ut in caſibus poſitis. *Objectio.* *Solutio.*

56. Dictum eſt ſecundò: *Sine diſpenſatione. Ex diſpen-*

Nam

Epiſcopi poteſt in loco honeſto celebrari.

Nam occurrente caſu neceſſitatis v. g. quando perſona aliqua gravis perilluſtris morbo laborat, ut audiat Miſſam, & communionem ex obligarione ſuſcipiat, Epiſcopus diſpenſare poteſt, ut una, vel altera vice, in loco honeſto, ſed profanis uſibus non deſtinato, ſuper altari ſacrato, & ornato Miſſæ ſactificium celebretur, uti tradunt Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 3. Rodrig. *tom.* 1. *q. regul.* *q* 43. *art.* 6. Coninc. *q.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *n.* 225. Layman *lib.* 5 *tract.* 5. *c. n.* 4. Card. Lug. *diſp.* 20 *ſect.* 2. *n.* 49 Navarrus, & Vazq. quos citat, & ſequitur Palaus *diſp. unic. punct.* 8. *n* 5. Reginaldus, Azor, Vega, Zeneda, quos affert, & ſequitur Dicaſtill. *de ſacrific. Miſſæ diſp.* 4. *dub* 6. In exemplo autem appoſito non poterit Sacerdos propria auctoritate celebrare: ex quo patet diverſitas neceſſitatis requiſitæ ad celebrandum extra locum ſacrum, comparatione Epiſcopi, & comparatione ſolius Sacerdotis.

Tacita quædam objectio ex Tridentino ſolvitur.

57. Nec doctrinæ traditæ obſtat primò decretum Trident, *Seſ.* 22. *de obſervandis in celebratione Miſſæ* illis verbis: *Ne patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Quia hoc decreto ſolum tollitur ab Epiſcopis facultas conceſſa in cap. *Miſſarum, de conſecratione d.* 1. permittendi aliis celebrationem liberam, & per modum privilegii in privatis domibus, & omnino extra Eccleſiam, & extra oratoria ad divinum cultum tantum dedicata; non verò facultas diſpenſandi ex juſta cauſa, ut una vel altera vice in dictis domibus celebretur. Sicuti docent Doctores citati, & præter eos etiam Gracia *in ſum. tract.* 3. *difficultate* 8. *dub* 2. *punct.* 2. *n* 18. Serrain 3. *p. q.* 83. *art.* 3. Gaſpar Hurtadò *de ſacrificio Miſſæ diſp.* 4. *difficult.* 6.

Quid de privatis ſecularium oratoriis dicendum conſule N. Gabr. hic diſp. 3. q. 5. & Dian. p. 9. tract. 1.

Objectio alia diluitur.

58. Nec etiam obſtat ſecundò Breve Pauli 5. editum anno 1617. cujus meminit Fagundez. *lib.* 3. *de primo præcepto Eccleſiæ cap.* 13. *n.* 12 quo omnibus Prælatis aufertur poteſtas concedendi licentias celebrandi in domibus privatis, etiamſi nobiliſſimæ ſint: quia intelligi debet de licentiis continuis; non autem tollit facultatem diſpenſandi ex juſta cauſa, una vel altera vice in aliquo caſu particulari, ut eſt dictus caſus. Ita tenent Palaus ubi ſupra, Perſ-cus *de officio Sacerdotis lib.* 1. *cap* 6. *dub.* 3. *num.* 26. Novarius, Fagundez, Quintanadveñas, Philibertus, Gracia, & alii, quos citat. Diana *tom.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 44. Gaſpar Hurtado *loco citato.*

Neque etiam obſtat tertiò, Breve Urbani 8. cujus meminit Diana ubi ſupra. *reſol.* 42. quo abſolutè probibetur Epiſcopis dare facultatem, ut quis poſſit in domo ſua privatum oratorium babere, quo celebret, vel celebrare faciat: & hujuſmodi licentia, ſive facultas ſoli ſummo Pontifici reſervatur: quia ſimiliter intelligitur de facultate concedendi licentias abſolutè celebrandi, in oratoriis ſæcularium; non autem de facultate diſpenſandi in aliquo caſu particulari pro una, vel altera vice ex juſta cauſa, ut celebretur in domibus privatis. Ita Garcia ubi ſupra, & cum aliis Dian. *loco allegato, reſol.* 43.

Obſervatio.

59. Advertit autem Card. Lug. *diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 50. ex Gavanto, & Carolo Novar. Epiſcopo Palatium Epiſcopi non exiſtimari domum privatam: atque ideo non eſſe ablatam Epiſcopis facultatem habendi oratorium ad divina deputatum, in quo ſuis domibus celebrare poſſint. Et idem ex Portelo, & Ugolino docet Dicaſtillus *diſp.* 4. *dub.* 5. *num.* 94.

Quando ex privilegio poſſit celebrari extra Eccleſiam.

60. Dictum eſt tertiò, *Sine privilegio*: nam imprimis Epiſcopo iter facienti ſpeciali privilegio conceſſum eſt in cap. *Ultimo, de privilegiis in* 6. ut poſſit in loco decenti celebrare cum altari portatili, vel facere, quod alius coram ipſo celebret. Quæ facultas non eſt ablata per Tridentinum *dicta ſeſ.* 22. ut docent Vazquez. *diſp.* 233. *num.* 7. Fagundez ubi ſupra *num.* 19. Card. Lug, *loco citato*, & alii paſſim.

Privilegium Regularium ad celebrandum extra Eccleſiam.

64. Præterea Regulares celebrare poſſunt: non ſolum in Eccleſiis, oratoriis aut locis, in quibus degunt; ſed etiam in quovis alio loco honeſto, & congruenti ſuper altare tamen portatile, quod conceſſit Sixtus IV. fratribus Minoribus in Bulla authentica. Et idem conceſſum eſt io cap. *In his, de privilegiis*, fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, & ab Urbano V. & Sixto 4 N. Carmelitis, ut refert N. ſapientiſſimus Lezana *tom.* 1. *cap.* 21. & habetur *in ſpeculo Ordinis fol.* 69. & 89. Quod privilegium cæteris Religionibus in privilegiis communicantibus commune eſt. Et licet plures dicant eſſe revocatum per Tridentinum *ſeſ.* 22. *in decreto ſæpius citato.* Alii tamen aſſerunt non eſſe revocatum quamdiu Epiſcopus non contradicit. Et probatur primò: quia hujuſmodi privilegium Prædicatoribus, & Minoribus conceſſum, inſertum eſt juri communi, ut dictum eſt: Canon autem inſertus juri communi non debet dici revocatus, niſi ſatis de revocatione conſtet: cum jus commune remanere ſit favorabile, in præſenti autem non clarè conſtat de revocatione: cum plures Doctores ſtatim referendi aſſerant non eſſe revocatum, quamdiu Epiſcopus non contradicit. Secundò probatur: quia privilegiorum Regularium dubia in favorem ipſorum regularium interpretanda ſunt ex conceſſione Alexand. VI. facta Benedictinis Valliſoleti ann. 1501. Romæ Kalendis Aprilis his verbis: *Sic, ut quando dubium fuerit in intellectu privilegiorum Regularium, ſemper per jurisperitos, & alios judices in favorem Regularium fiat interpretatio.* Ita Rodrigu. *tom.* 2. *q.* 63. *art.* 7. *pag.* 633. Compendium Societatis §. 4. Brunus Coſtaing. *tract.* 1. *c.* 4. *propoſ.* 2. ubi concludit, quod quando ſunt duæ ſententiæ contrariæ; quod valeat, aut non valeat privilegium; quod ſit revocatum, vel non ſit revocatum, cenſendum eſt valere, & non eſſe revocatum. Et ratio eſt: quia cum privilegium ſit certum, revocatio verò dubia, poſſeſſio ſtat pro privilegio, pro quo ſtat in foro externo præſumptio. In dubiis autem melior eſt conditio poſſidentis, ut latè probat Thomas Sanch. *lib.* 1. *ſumma cap.* 10. *n.* 11. Doctores verò, qui aſſerunt non eſſe revocatum privilegium, de quo loquimur, vel fatentur, eſſe probabile non eſſe revocatum, quamdiu Epiſcopus non contradicit, ſunt Emanuel Rodriguez *in ſumma* verbo *Miſſa cap.* 45. *n.* 24. Hieronymus Rodriguez. *reſol.* 9 *n.* 4. Petrus de Ledeſma *de Euchariſt. cap.* 20. Joannes de la Cruz *de ſtatu religioſo lib.* 2. *cap.* 5. § *Si obiicias*, Portel *in dubiis Regularibus* verbo *Altare, n.* 1. Philibertus *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 9. *num.* 12. Joannes Præpoſitus *in* 3. *p. quæſt.* 83. *art.* 3. *num.*

Digitized by Google

num. 151. Baſſæus *tom* 1. verbo *Miſſa* 4. Ludovicus de San. Joan. *q.* 12. *art.* 3. *dub.* 1. *appendice* 1. Villalobos 1. *p. tract.* 8. *diffic.* 23. *n.* 1. Paſqualigus *deciſione* 174. N. Anton. *direct. confeſſ. tract.* 7. *diſp.* 3. *n.* 77. Card. Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 51. dicens ita ſenſiſſe Patres Dominicanos doctiſſimos Salmanticę conſultos, & Patrem Joannem de Salas.

Quæſitum 1.

62. Quod ſi roges: An in cellis, ſivè cameris privatis Religioſorum, qui morbo impediti indè exire non valent, poſſit contradicente Epiſcopo celebrari, ut Miſſam audire queant, & communicare? Reſpondetur affirmativè cum erudito admodum Noſtro Lezana, quem refert, & ſequitur Dicaſtillus *dict. dub.* 6. *num.* 104. & cum Diana *p.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 20. quem refert, & ſequitur Hieronymus Garcia *tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 3. *num.* 32. N. Gabr. *diſp.* 3. *q.* 5. Tum quia prædictæ cellæ, ſeu cameræ non ſunt privatæ domus &c. de quibus loquitur Concilium Tridentinum: ac proinde non comprehenduntur in ipſius decreto. Tum etiam: quia extat hac de re ſpeciale privilegium Pii IV. Canonicis Regularibus Sancti Salvatoris Lateranenſis, quod refert Peyrinis *tom.* 1. *privilegiorum Minorum in conſtitutione Pyrrhi num.* 34. ex Peregrino *in compendio privilegiorum Congregationis Regularium tit. Infirmi.* §. 2. Eſt autem hoc privilegium conceſſum die 18. Maii 1565. poſt Concilium Tridentinum, & cum derogatione ipſius. Quo privilegio gaudent aliæ Religiones in privilegiis communicantes: ſicut etiam gaudent privilegio, quod conceſſit Gregorius XIII. Societati Jeſu, ut in oratoriis, & capellis, quæ Provinciales Societatis per ſe ipſos in domibus, collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint, & ad divinum cultum dumtaxat deputaverint, Miſſæ & alia divina officia celebrari poſſint, nullius alterius ad id requiſita licentiâ.

Quæſitum 2.

63. Sed petes: An in mari liceat aliquando celebrari? Negant Sylveſt. verbo *Miſſa* 4. 5. *dicto* 2. Angelus *n.* 40, Vazq. *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 233. *c.* 1. *n* 4. Peyrinus ubi ſupra *n.* 36. & plures, quos ſequitur Bonac. *diſp.* 4. *ultim. punct.* 9. *n.* 11. Moventur: quia regulariter eſt periculum effundendi ſanguinem propter continuam navis agitationem, & vix locus in navi celebrationi decens inveniri poterit. Verum quia in navibus indicis, & ſimilibus, & locus aptiſſimus deſtinari facilè poteſt decenter, imò & magnificè ornatus, omni fœtore, & ſordibus carens, in quo debito tempore ſacrificetur, & vitari etiam aliquando facili negotio poteſt omne effuſionis ſanguinis periculum: quia periti nau cleri prævident maris commotionem, quę ſi immineat, commonebunt antè Miſſæ inchoationem, & alius Sacerdos calicem conſecratum firmare manu poteſt, ne cadat aut moveatur. Et alias in longa navigatione per prolixum tempus ingens hominum multitudo Miſsâ privaretur, viatico in mortis articulo non pauci carerent, & uſus hujus Sacramenti ad coercendam licentiam peccandi, & continendi ſe in debito conſcientiæ munere diu ceſſaret: idcò aliquando licitum eſſe in mari ex cauſa celebrare benè docent Scortia, Durandus, Fagundez, Laym. Barthol. ab Angelo, Graffis Sà, quos citat, & ſequitur Philibert. *tract.* 3. *de ſacrific. Miſſæ p.* 3. *c.* 9. *in fine*, teſtaturque à Clemen. VIII. & Paulo V. navigantibus in Indiam, ut ſereno cœlo, & tranquillo mari in onerariis Miſſas facere poſſint, quod experientia teſte nullum ſit effuſionis ſanguinis periculum. Idem etiam docent Henriquez, & Angles, quos affert, & ſequitur Palaus *diſp. unic. punct.* 8. Cardin. Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 5. referens Majorem, & Jacobum Granado N. Anthon. *n.* 80.

Quę Eccleſia ad celebrandum apta.

64. Eccleſia conſecrata, & benedicta, ut ſit ad celebrandum apta, non debet eſſe violata, ſeu polluta, alioquin grave peccatum eſſet in ea ſacrificare, quin prius reconcilietur, aut purificetur, ut docet Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 4. Cardin. Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 2. & cum multis Palaus *punct.* 8. *n.* 11. Dicaſtill. *diſp.* 4. *dub.* 7. Herinx hic *n.* 117. Gabr. à S. V. *q.* 3. Wiggers hic *n.* 68. & colligitur ex toto titulo *de conſecratione Eccleſ.* nulla tamen pœna ipſo jure incurritur, ut ſatis indicat textus in Cap. *Is qui. de ſentent. excommun. lib.* 6. Et tradunt Cardin. Lugo, & cum pluribus Palaus *locis citat.* Azor, Suarez Avila. Fagundez, Laym. quos affert, & ſequitur Philibertus *c.* 10. *n.* 6 à prædicto tamen peccato excuſatur Sacerdos primò, quoties Eccleſiæ pollutio contingeret poſt cęptum Canonem: tunc enim teneretur Miſſam proſequi, ut ſacrificium perficiat. Secus ſi antè canonem Eccleſię violatio acciderit, quo caſu deberet expectare reconciliationem, vel Miſſam omittere. Sic Suarez, Coninch. Laym. quos citat, & ſequitur Palaus *dict. n.* 11. Secundò excuſatur celebrans in Eccleſia polluta in caſu neceſſitatis de licentia Epiſcopi, antequam reconcilietur, ut docet D. Thomas 3. *p. q.* 83. *art.* 3. Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 4 *ante finem.* Fagund. *lib.* 13. *de* 1. *Eccleſiæ præcep. c.* 14. *n.* 2. Card. Lug. ubi ſupra, & Philibertus *n.* 2. Imò tanta poteſt eſſe neceſſitas, ut ſi non ſit recurſus ad Epiſcopum, poſſit abſque ejus licentia celebrari, v. g. ſi in die feſto populus non habeat aliam Eccleſiam, in qua poſſit Miſſam audire. Ita Card. Lug. & Philibertus citati.

Qualiter Eccleſia reconcilietur ſi ſit conſecrata.

65. Reconciliatur autem Eccleſia, ſi conſecrata ſit per Epiſcopum aquâ ab ipſo, vel ab alio Epiſcopo benedictâ, vino, & cinere admixtâ, prout habetur in Pontificali Romano: nec hanc poteſtatem ipſe; ſed ſolus Summus Pontifex ſimplici Sacerdoti concedere poteſt, ut expreſsè traditur in cap. *Propoſuiſti*, & cap. *Aquam, de conſecrat. Eccleſiæ d.* 1. Poſſunt tamen Prælati Regulares ex conceſſione Leonis X. facta Minoribus ſuas Eccleſias quacumque ex cauſa violatas reconciliare aquâ per Epiſcopum benedicta; quam & ipſi benedicere poſſunt, ſi Epiſcopus per duas dietas abſens fuerit: ut habetur inter privilegia Mendicantium verbo, *Benedicere*, §. 14. & teſtatur Joannes Baptiſta cofectus *in ſumma privilegiorum Mendicantium tit.* 10. *c.* 5. Sayrus de cenſuris *cap.* 10. *n.* 31. Hugolin. Barboſa, Henriq. Rodrig. quos *ref. & ſeq.* Philibertus ubi ſupra *n.* 14. & Franciſ. B. S. addens eodem privilegio poſſe Eccleſias & cœmeteria benedicere.

Quid ſi tantum benedicta.

66. Si verò Eccleſia non conſecrata, ſed tantummodo benedicta ſit per ſimplicem Sacerdotem ſola aſperſione aquæ, etiam ab ipſomet Sacerdote benedictæ, & orationibus ab Eccleſia inſtitutis, quæ in manuali Romano habentur, purificari poterit. Ita Henriq. Layman, Barboſa, quos refert, & ſequitur Palaus *n.* 14. & colligitur *ex cap. ultimo de conſecratione altaris*, ut ibi notat Abbas *n.* 3.

Quibus modis Eccleſia polluatur.

67. Polluitur vero Eccleſia quinque modis, non tamen niſi poſtquam datur notoreitas facti quod publicè conſtet alias non cenſetur Eccleſia polluta, etiam reſpectu eorum, qui quâcumque notitia id ſciunt, vel ipſius, qui delictum commiſit: quia nullo modo obligatur ad ſe manifeſtandum, ut rectè docet Lugo ubi ſupra, & alii paſſim. Polluitur igitur Eccleſia primò, per homicidium voluntarium mortaliter malum, ſeu injurioſum, quod, vel cujus cauſa intra Eccleſiam perpetrata eſt: ſive fiat cum ſanguinis effuſione, ſive alio modo, ut ſumitur ex Cap. *Propoſuiſti, de conſecratione Eccleſiæ d.* 1. & tradunt Doctores. Unde Eccleſia non cenſetur polluta primò, per homicidium, quod fit ob meram defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Secundò, per homicidium caſuale. Tertiò, per factum ab amente. Quartò, per id, quod aliundè à peccato mortali excuſatur. Quintò, quando, vulnus inflictum eſt extra Eccleſiam, quamvis mors in Eccleſia ſequatur. Sextò, ſi aliquis exiſtens in Eccleſia alium foris exiſtentem ſcoplo occidat. Septimò, ſimiliter non polluit Eccleſiam ſententia judicis intra Eccleſiam de ſuſpendendo aliquo. Octavò ſi enſe, fuſte, baculu quis percutiat ſine effuſione ſanguinis, quando læſio non eſt mortiſeta, ſeu quando mors actu non ſequitur. Ita cum aliis Philibertus, Suarez, Lugo locis allegatis. Nonò, ſi homicidium committatur ſupra tectum Eccleſiæ, aut in turri, vel campanali, aut in cubiculis adjunctis templo, vel in caverna, aut criptâ ſub Eccleſia, aut ſuſpendendo hominem in parietibus Eccleſiæ à parte externa non violatur: nihil enim horum eſt intrà Eccleſiam niſi fortè caverna ſit locus in Eccleſia deputatus ad celebrandam Miſſam, vel deſerviens ad ſepeliendum. Ita Dicaſtillus *de ſacrific. Miſſæ diſp.* 4. *dub.* 7. idemque de cameris, & ſacriſtia dicit Thom. Sanch. *l.* 9. *de matrim. diſp.* 15. *n.* 31.

2. Per homicidium & quale.

68. Cenſetur tamen polluta primò ſi ex vulnere intra Eccleſiam inflicto, etiam ſinè ſanguinis effuſione mors extra Eccleſiam ſequatur, ut contrà Suarez tenent Fagundez, Navarrus, quos refert, & ſequitur Philibertus *loco cit.* Idem Cardinalis Lugo ubi ſupra, & alii: quia licet mors ſequatur extra Eccleſiam, tamen cauſa efficax illius fuit intra Eccleſiam conſummata, quod ſufficit ad Eccleſiæ violationem: cum illa actio fuerit Eccleſiæ injurioſa, & mortem per ſe inferens. Secundò, etiam cenſetur polluta ſiquis exiſtens extra Eccleſiam, aliquem intra Eccleſiam occidat ſcienter: & eadem doctrina eſt applicanda ad caſus effuſionis ſanguinis intra, vel extra Eccleſiam factæ. Tertiò, per ſuſpendium factum intra Eccleſiam, etiam alioqui juſtum. Quartò per occiſionem Martyris intra Eccleſiam, quæ ex parte perſecutoris fuit injuſta, & Eccleſiæ injurioſa. Quintò, ſi quis ſeipſum in Eccleſia occidat, & non in amentia.

2. Modus quo Eccleſia polluitur.

69. Secundus modus, quo Eccleſia polluitur, eſt per effuſionem injurioſam ſanguinis humani; ita tamen, ut vulnus intra Eccleſiam inflictum ſit, ſivè ſanguis intra, ſive extra Eccleſiam fundatur. Ita Lugo, Layman, Philibertus, & ſumitur ex Cap. *Si Eccleſia, de conſecratione diſt.* 1. Non polluitur Eccleſia primò, ſi pauculæ guttę ſanguinis effluant: quia effuſio ſanguinis debet eſſe in quantitate notabili, non unius, vel alterius guttæ. Secundò, ſi effuſio ſit jocoſa, etiam in magna quantitate: quia per iſtam nulla Eccleſiæ gravis injuria infertur. Tertiò, univerſaliter non violatur, niſi percuſſio facta ita gravis ſit ut ad culpam læthalem accedat, ut quando pueri rixantur, & ſanguinem ſibi ex naribus eliciunt, non cenſetur Eccleſia pollui: quia regulariter non ſunt peccata mortalia. Ita pluribus relatis Dicaſtillus Philibertus *loco cit.* & alii. Quartò, ſi vulnus infligatur homini exiſtenti ſuper tecto, aut in turri, vel campanali, vel ſubtus ſpeluncam, ſeu cavernam non violatur; niſi fortè caverna ſit locus in Eccleſia deputatus ad celebrandam Miſſam, vel deſerviens ad ſepeliendum: & idem eſt de cameris, & ſacriſtia, ut in ſimili diximus ſupra *n.* 67. Ita Dicaſtillus, & alii.

70. Tertius modus, quo Eccleſia polluitur, eſt humani ſeminis effuſione illicita mortaliter intra Eccleſiam facta. ſive voluntaria pollutione, ſive copula carnali in quocumque genere perſonarum, etiam infidelium Cap. *Is qui de ſententia excommunicationis in* 6. *& cap. Unico, de conſecratione in* 6. Requiritur tamen, quod ſit notoria, ut ſupra notatum eſt. Unde non violatur Eccleſia primò, per pollutionem inculpatam Secundò nec per fornicationem factam ab amente. Tertiò, nec per pollutionem voluntariam unius, vel alterius guttę ſeminalis, quòd hæc non ſit effuſio, quæ quantitatem debitum ſignificat. Quartò, nec per copulam conjugalem factam ex juſta cauſa neceſſitatis commorandi diu in Eccleſia, ut tempore obſidionis, & ſit alterutrius periculum incontinentiæ, vel admodum moleſtum diu continere. Ita Sylveſt. Covarruvias; Suarez, Coninchus, Henriquez, Læſſius, Thomas Sanchez, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *loco cit. n.* 120. Quintò, ſi delictum non ſit publicum: quia purificatio templi eſt actus publicus, & manifeſtus, Unde ſi non publicè conſtet, non ſufficit, ut Eccleſia ſit polluta, etiam reſpectu illorum, qui fortè id ſciunt, etiamſi ſit, qui patravit delictum. *Tertius.*

71. Quartus modus, quo Eccleſia violatur, ſeu polluitur eſt, ſi in ea excommunicatus ſepeliatur, ut communiter docent Authores ex Cap. *Conſuluiſti: de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris*: debet tamen talis excommunicatus eſſe vitandus, nempe nominatim denuntiatus per ſententiam judicis, vel notorius clerici percuſſor, ut ibi ſepultus violet Eccleſiam poſt Concilium Conſtantienſe, ut notant Victoria, Suarez, Coninch. Scortia, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus ubi ſupra *n.* 122. N. Gab. Franciſ. *loc. cit.* Et idem tradit Philibertus ubi ſupra, & Navarrus *lib.* 5. *conſil.* 10. *de hæreticis edit.* 2. *ad quartam quæſt.* ubi docent ſepulturâ hæretici nominatim non denuntiati locum ſacrum non violari argumento textus in cap. *Sacris, de ſepulturis.* *Quartus.*

72. Quintus denique modus, quo polluitur Eccleſia, eſt, ſi ſepeliatur in ea Paganus, aut quivis infidelis cap. *Eccleſiam de conſecratione, d.* 1. ubi etiam includitur ſepultura pueri non baptizati, qui ſaltem negativè dicitur infidelis: ſi tamen infans in utero matris mortuus ſit, & ſimul cum eadem ſepeliatur, non violatur Eccleſia: quia ut pars matris reputatur, ut notant Paludanus in 4. *d.* 18. *art.* 4. Philibertus, Gabr. à S. Vinc. Wiggers hic *n.* 70. ubi ſupra, & Laym. Dicaſtil. *loc. cit.* qui duo Authores rectè advertunt diſcrimen inter

Google

tres modos priores violandi Eccleſiam, & duos poſteriores, quod tres priores contrahunt per actionem culpabilem ad duos verò poſteriores ſufficit factum ipſum publicum; & non requiritur culpa.

Quid de Eccleſia execrata. 73. Eccleſia execrata non eſt apta, ut in ea celebretur. Execrata autem dicitur, cum perdit ſuam conſecrationē, ita ut denuò conſecrari debeat: quod fit quando ita deſtruitur, ut formam, & uſum ſuum perdat, ut communiter tradunt Doctores. Circa id verò aliqua notanda ſunt.

Prima adnotat. 74. Primum, Eccleſiam execrari, ſi parietes ſecundum majorem partem deſtruantur, vel omnis eorum cruſta, aut major ſaltem pars ſimul auferatur; non autem ſi ſolum ligna, & tecta corruant, vel comburantur, & Parietes perſeverent: quia conſecratio parietum cruſtis inerat: etenim cum Eccleſia conſecratur, parietes ſacro oleo liniuntur, & cruces ibi figuntur juxta Eccleſiæ Romanæ ritum. Ita Suar. Laym. quos adducit, & ſequitur Palaus *tract. 22. diſp. unica punct.* 8. *num.* 15.

Secunda. 75. Secundum eſt, hoc eſſe diſcrimen inter Eccleſiæ, & altaris pollutionem, & execrationem: nam polluta Eccleſia, polluuntur etiam altaria in ea exiſtentia, & vice verſa altare pollui non poteſt, quin etiam corpus Eccleſiæ pollutum cenſeatur: quia pollutio indiviſibiliter reſpicit totum ipſum Eccleſiæ corpus, intra quod eſt altare: & ideò quolibet polluto, utrumque pollui cenſetur. Execratio verò reſpicit ſolum ſubjectum deſtructum, ſivè ſit altare, ſive Eccleſia: & ſic unum ab alio in execratione non dependet, ſecus in pollutione. Ita ex Panormitano, Sylveſtro, & Laym. docet Dicaſtill. *dub.* 7. *n.* 135, & ex Barboſa, Thomas Hurtado *de obligatione Sacerdotum tract.* 2. *ca.* 6. *reſ.* 23. & tradunt communiter Doctores in Cap. *Ad hoc primo de conſecration. Eccleſiæ, & altaris.*

Tertia. 76. Tertium eſt, etiamſi parietes omnes Eccleſiæ deſtruantur, ſi tamen non ſimul, ſed ſucceſſive per aliquot dierum, ſeu hebdomadarum intervalla fiat deſtructio, & eorum reparatio, ita ut pars, quę ſemel de novo advenit, minor ſit ea quæ præexiſtit, conſecratio amiſſa cenſeri non debet; tametſi curſu temporis omnis materia Eccleſiæ de novo ſuperveniat, ut docent Sylveſ. Navarr. Barboſa, Laym. quos affert, & ſequitur Palaus *dicto n.* 15. Quia eo ipſo quod pars, quæ de novo advenit, minor ſit ea, quę præexiſtit per acceſſum ad præexiſtentem conſecratam conſecrata cenſetur: quippe cum magis dignum trahat ad ſe minus dignum argumento textus in Cap. *Quod in dubiis, de conſecratione Eccleſiæ*, & in cap. *unico eodem titulo lib.* 6. Neque obſtat materiam, quæ fuit à principio conſecrata, periiſſe, ut obinde nova Eccleſia moraliter, & quoad effectum conſecrationis cenſenda ſit, argumento textus in lege *Quod in rerum natura*, ff. *De legatis* 1. & in lege *Grege* ff. *Eodem titulo*, & in lege *Proponebatur* ff. *De judiciis* ubi eadem communitas, & populus cenſetur, tametſi decurſu temporis perſonæ illius ſucceſſive pereant, & aliæ de novo ſuccedant. Verum hic notandum ex N. Gab. *q.* 3. *cit.* cœmeterium pollui, pollutâ Eccleſiâ ſed non econtrà: cœmeterium autem iis modis polluitur quibus Eccleſia. Quid vero nomine Eccleſiæ veniat apud ipſum & Navarr. reperies.

PUNCTUM III.

De Altari neceſſario ad Miſſæ ſacrificium.

77. AD ſacrificium Miſſæ neceſſariò requiritur altare, quod debet eſſe lapideum, atque conſecratum ab Epiſcopo, vel habente auctoritatem ex commiſſione Summi Pontificis, ut oſtendit uſus univerſalis Eccleſiæ. Quare peccatum mortale, ipſumque graviſſimum eſt ſinè altari celebrare ſacrum, ut cum multis docet Fagundez *in primo præcepto lib.* 3. *cap.* 22. Palaus *tract.* 22. *diſp. unica punct* 9. Thomas Hurtado *tract.* 2. *cap.* 6. *reſol.* 23. N. Franciſc. B. S. *num* 111. & alii paſſim. *Concluſ.*

78. Eſt autem altare duplex: alterum ſixum, alterum, mobile, ſeu portatile, quod ara nuncupatur. Primum dicitur fixum: quia fixum eſt in Eccleſia, & ut ibi firmiter perſeveret, totum conſecratur, & in qualibet parte menſæ illius poteſt ſacrificari: unde perditur conſecratio, ſi menſa ſuperior à ſtructura, cui eſt affixa, ſeparetur, ut dicitur Cap. *Ad hæc*, cap *Quod in dubiis*, cap. *Liner. de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris*; non tamen perdit conſecrationem, ſi unus, vel alter lapis ex his, quibus innititur, dimoveatur, dum tamen firmiter poſſit, quantum ad ſacrificandum ſufficit, permanere: quia abſolutè eam formam retinet, ſub qua fuit conſecratum, ut obſervant Suarez, Vazquez, Layman, quos adducit, & ſequitur Palaus *loco cit.* Et idem etiam tradit Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 12. *n.* 67. *Altare duplex 1.*

79. Secundum altare dicitur portatile, quia conſecratur, ut ex uno loco in alium portari poſſit, quod conſecrationem amittit, ſi ita frangatur, ut in parte illius integra non poſſint conſiſtere calix, & patena cum hoſtia: quia eo ipſo redditur ineptum muneri ſacrificii: ſi verò in parte integra, quæ remanet, calix, & patena cum hoſtia poſſunt conſiſtere, conſecrationem non perdit: quia non amittit formam ſibi debitam, ut colligitur ex Cap. 1. *Lineis*, Cap. *Quod in dubiis, de conſecratione Eccleſiæ, & altaris*, & tradunt Lugo ubi ſupra, Barboſa *allegatione* 27. *n.* 25. Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 5. & Vazq. *diſp.* 233. *cap.* 2. & cum aliis multis Palaus *punct.* 9. *n.* 7. Advertit autem benè Lugo ubi ſupra *n.* 69. hoſtias tam parvas, quam magnas debere relinqui in ara conſecrata ſuprà corporale tempore ſacrificii, & non alibi: quia omnes ſunt unica victima, & per modum unius offeruntur. Undè obiter infertur, minus ritè facere Sacerdotem, qui conſecratione facta, mox hoſtias minores à ſe conſecratas dat alteri Sacerdoti diſtribuendas populo: quia ſicut Sacerdos non debet de ſua hoſtia dare prius, quam ipſe ſumpſerit: ſic nec de aliis, cum ſint una victima & hoſtia: omneſque oblationes, orationes, & benedictiones ſequentes non minus ſpectent ad parvas hoſtias, quam ad magnam: neque antè ſumptionem Sacerdotis perfectè, & integrè ſacrificata ſit victima. *Secundum.*

80. Non poteſt ſacrificium fieri in altari portatili, ſeu ara conſtante ex duobus lapidibus: quia eſt contra univerſalem conſuetudinem Eccleſiæ, & contra myſterium, quo altare Chriſtum ſignificat, in quo non eſt niſi una perſona, ut tradunt Sylveſter verbo *Altare q.* 3. Vazquez *diſp.* 233. 16. Fagundez *c.* 22. *n.* 9. Card. Lugo *dict. ſect.* 12. *n.* 67 Coninch. & Bonacina, quos affert, *Lapis aræ conſecratæ debet eſſe unus.*

affert, & ſequitur Dicaſtillus *diſp. 4. dub. 8. num. 145.*

Elatio. 81. Ex quo infertur, lapidem addictum majori lapidi aræ conſecratæ, non eo ipſo fieri conſecratum, neque in ea parte poſſe poni calicem cum patena; tametſi alia per conjunctionem cum materia ſacra ſoleant participare conſecrationem, aut benedictionem juxta dicta ſupra *n. 76.* quia lapis aræ conſecratæ debet eſſe ſimplex, & unus, ut ſit aptus ad celebrandum, ut *num. præced.* traditum eſt: ac proinde id, quod additur, non fit ſactum: quia non facit cum præcedenti unum, & ſimplicem lapidem.

PUNCTUM IV.

De ornatu Altaris, vaſis, & veſtibus ſacris, aliiſque requiſitis ad celebrandum.

Ad Miſſæ celebrationem 1. tres pallæ requiruntur. 82. AD altaris ornatum, Miſſæque celebrationem plura requiruntur neceſſaria, & primò tres pallæ, ſeu tobaliæ lineæ, cap. *Si per negligentiam de Conſecrat. d. 1.* ubi fit mentio de effuſione ſanguinis uſque ad quartum linteum (incluſo ſcilicet corporali.) Et licet Sylveſter verbo *Miſſa 1. q 1.* & alii dicant ſufficere, quod ſint duæ præter corporale, ſeu una duplicata; in Miſſali tamen Romano auctoritate Clement. VIII. & Pii V. edito, expreſsè requiruntur tres, quarum una longior ſit, & ad terram pertingat; duæ aliæ breviores, ſeu una duplicata: & præter has, quæ in altari ſunt, poſteà additur corporale ex ſacriſtia afferendum. Ex hoc obſervari in Eccleſia Romana tradit Cardin. Lugo, *diſp. 20. ſect. 2. n. 76.* & Gavantus *in rubricas Miſſalis p. 1. tit. 20. de Præparatione altaris* docet duas minime ſufficere.

2. Corporale. 83. Secundò: præter tres prædictas pallas, ſeu tobalias lineas, quæ, ut obſervant Lugo, & Dicaſtillus citati, debent eſſe benedictæ, ut conſtat ex Miſſali Romano reformato *in rub. 2. de præparatione altaris*, requiritur corporale, quod debet eſſe lineum; non ſericum, vel auro elaboratum, ſaltem ea parte, qua calicem, & hoſtiam tangit. Item per Epiſcopum, vel privilegiatum debet eſſe benedictum, & ejuſdem rationis debet eſſe altera pars, quâ calix operitur, quæ etiam pro corporali poſſet deſervire, ſi capax ſit, cum eandem benedictionem habeat. Non tamen poteſt Epiſcopus facultatem benedicendi ſacra ornamenta, & corporalia aliis Sacerdotibus delegare, ut cum Tabiena, & Hugolino docet Gavantus *in rubricas Miſſalis p. 4. tit. 19. num. 23.* quia de poteſtate ordinis eſt hæc benedictio, ea autem non poteſt ab Epiſcopo delegari, ſicut poteſtas juriſdictionis, quæ delegari poteſt: Poſſunt tamen ut P. Herinx ait cum aliis *diſp. 8. n. 142.* prælati mendicantium, benedicere corporalia & alia ornamenta tam ſuorum quam aliorum, quamvis Franc: *loc. cit.* dicat tutius eſſe aliorum ornamenta non benedicere. Propter decretum Sac. Cong. quod adfert N. Leza. verbo *Benedicere.* vid. tamen P. Herinx *loc. cit.*

Quando cenſetur amittere conſecrationē corporale 84. Tunc autem cenſetur amittere conſecrationem corporale, quando adeò rumpitur, ut deſervire non poſſit ad ſuum munus; non vero eò quod lavetur aut reficiatur, ut notat Dicaſtil. n. 156. Qui etiam bene addit cum Suario, Rodriguez, & aliis multis, eſſe mortale celebrare ſinè corporali benedicto.

Tertiò: requiritur purificatorium lineum, quo tergitur calix, non tamen ex obligatione benedictum, ut cum Suario, & Gavanto docet Cardinalis Lugo ubi ſupra: neque in ritualibus invenitur benedictin propria purificatorii, ſicuti nec veli, nec burſæ corporalis, ut advertit dictus Gavantus *par. 2. tit. 1*, litera 1. *3. Purificatorium.*

86. Quartò: requiritur candela accenſa duplex ex cera juxta regulam Miſſalis; unde dicti fuêre ceroferarii. In neceſſitate tamen præciſo ſcandalo, ſufficere unam etiam ex ſevō, vel lucernam, aut lampadem ex oleo aſſerunt Layman, & Azor, quos affert Lugo, & alii; quos congerit, & ſequitur Diana *tom. 2. tract. de celebratione Miſſarum, reſol. 67.* Nec non Palaus *tract. 22. diſp. unic. punct. 10.* ſine omni tamen lumine celebrare numquam licet: cum ſit contra conſuetudinem Eccleſiæ ab Apoſtolorum tempore dimanantem, ut ex Athanaſio, Abdia, Onufrio, Caniſio, & aliis probat Henriq. *lib. 9. cap. 29. n. 7*, Quę conſuetudo vim legis habet: & ita obligat, ut omnes aſſerant peccatum eſſe mortale ſine lumine Miſſam dicere. Ita Suarius, Henriquez, Azor, Sotus, Angelus, Durandus, Navarrus, Tabiena, & alii, quos citat Fagundez *lib. 7. in præcepto primo Eccleſiæ cap. 13. n. 15* qui etiam addit, hoc adeo eſſe verum, ut ſi omne lumen extingueretur antè conſecrationem (ante offertorium vult Leander *de ſacrific. Miſſæ diſp. 7. q. 20.*) & aliud inveniri non poſſet, Miſſa eſſet relinquenda, etiam in neceſſitate conſecrandi pro moribundo viaticum. Nec obeſt quod contra objicit Quintana Dueñas *tract. 8 ſingularium, ſingul. 4.* quia præceptum celebrandi cum lumine inferius eſt, utpotè eccleſiaſticum ſolum, dignius verò præceptum communionis in mortis articulo, utpote divinum: ergo hoc præferri debet. Sed immemor fortè poſtea ſubdit: *Setius crederem, ſi magna eſſet irreverentia, ut ſi celebrandum eſſet ſinè veſtibus, aut ſine præcipuis earum, aut forſan ſine ara, & corporalibus, tunc enim nec ad Euchariſtiam ægroto miniſtrandam celebrari liceret: quia injuria non levis irrogaretur Sacramento.* Solvat ergo, qui objecit, argumentum: præceptum celebrandi cum veſtibus ſacris, aut ſine præcipuis earum &c. inferius eſt, utpote eccleſiaſticum ſolum: dignius verò communionis in mortis articulo, utpote divinum: ergo hoc præferri debet. Solvamus ergo pro Quintana Dueñas, & pro nobis dicendo: præceptum eccleſiaſticum non celebrandi abſque altari, aut ſine veſtibus ſacris, aut ſinè lumine obligare cum majori univerſalitate, ut conſtat ex uſu fidelium, qui hoc præceptum ita ſemper intellexerunt, ut non poſſit neceſſitas viatici ſumendi, vel dandi excuſare, cum Cardinali Lugo: & rationem reddidimus ſupra *tract. 4. cap. 7. n. 46.* quia ad reverentiam tanti Sacramenti ſpectat, ut uniformi ritu, apparatuque celebretur, qui ſane haberi non poſſet alia via, ſi propter dictam communicandi privatam neceſſitatem alterari valeret. *4. Candela accenſa.*

87. Quintò requiritur liber Miſſalis, ſaltem in quo Canon contineatur ex conſuetudine Eccleſiæ, & rubricis Miſſæ, & licet aliquis Sacerdos periculo morali errandi expoſitus eſſe non videretur, eò quod firmiter memoria canonem *5. Miſſale.*

tene-

teneret: quia tamen facile diſtrahi, vel turbari poſſet, ita ut canonem integrè recitare nequiret, expedit omnino canonem ſcriptum ibi præſentem habere. ut benè docet Palaus, *loco cit. n.* 4. Non videtur tamen improbabile poſſe Sacerdotem abſque Miſſali, cum facilè non reperitur ſacrum facere, ſi experientiâ comperit nullum errorem committere memoriter omnia recitans: quia abeſt periculum morale errandi. Ita Suarez, Laym. Vazq. quos citat, & ſequitur Palaus ubi proximè, Villalobos, Petrus de Ledeſma, quos adducit, & ſequitur Diana, *dict. tract. de celebrat. Miſſarum, reſol.* 46. limitans; quamvis non ſinè alio libro loco Miſſalis; ne nutam aliquam incurrat apud alios Hinc benè infert Vazquez, *diſp.* 233. *cap.* 3. *in fine* ex hoc capite excuſari eos, qui cum legere non poſſint propter viſus debilitatem, adhuc celebrant Miſſam memoriter recitantes, & videntes quantum ſatis eſt ad hoſtiam debita cum reverentia levandam, adorandam, tractandam, & ſumendam, tametſi, ut vitetur nota, librum coram ſe habere debent. Ita etiam Lugo, & Palaus citati.

6. Crux. 88. Sextò requiritur Crux, ut habetur in regulis Miſſalis; non videtur tamen eſſe præceptum Eccleſiæ grave, ut docent Suarez, & Vazquez, quos refert, & ſequitur Cardinalis Lug. ubi ſupra *n.* 79. Layman, *lib.* 5. *ſumma, tract.* 5. *cap* 6. *n.* 12. *verſ.* 8. Bonacin. *diſp.* 4. *q. ultima*, Palaus, *n.* 5. Franciſc. *n.* 108.

7. Calix & patena. 89. Septimò requiritur calix, & patena, quæ debent eſſe conſecratæ ab Epiſcopo, vel alio ex privilegio Pontificis Romani. Cap. *Unico, de ſacra unctione, §. ultimo*, & aliis *de conſecratione, d.* 1. Materia patenæ, & calicis debet eſſe ex auro, vel argento, vel ſi urget neceſſitas ex ſtanno ex Concilio Rhemenſi relato in Cap. *Ut calix, de conſecratione, diſt.* 1. ubi ſic habetur: *Ut calix cum patena, ſi non ex auro, ſaltem ex argento fiat. Si tamen quis pauper fuerit ſtanneo ſaltem calice utatur, ex ære, aut auricalco calix nequaquam fiat; nullo autem modo in ligneo aut vitreo calice.* Unde Henriquez, *lib* 9. *cap.* 6. *n.* 4. cum aliis docet peccatum eſſe mortale celebrare in ligneo, vel vitreo. Adverte tamen ſupradicta intelligenda eſſe de cuppa calicis: pes enim ex ære, ferro, aliave materia decenti permittitur, ut teſtantur Vazquez, Coninchus, Henriquez, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus *loco citato, n.* 5. Gabr. à S. V. Quamvis autem rubrica Miſſalis præſcribat, ut ſaltem cuppa, & ſuperior pars patenæ ſit deaurata; eam tamen non obligare ſub mortali docet cum aliis Granado, *tract.* 14. *de Eucharistia, diſp.* 11. *n.* 3. & ita videri eſſe in uſu, quando ſunt ex argento, notat Card. Lugo, *diſp.* 22. *ſect.* 4.

Quo modo calicis conſecratio deperdatur. 90. Perditur autem conſecratio per fractionem, diviſionem, aut diminutionem talem, ut non ſit calix (& idem eſt de patena) utilis ad uſum in ſacrificio, ut ex communi ſententia tradunt Lugo, & Dicaſtillus citati v. g. ut ſi foramen ſit in fundo calicis; non tamen ſi intornatilis pes ſepareretur à cuppa, ut contra Paludanum, & Sylveſtrum, docent Vazq. Suarez, Coninchus, Reginal. Bonac. Azor, Lugo, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus, *n.* 188. Et ratio eſt: quia cuppa conſecratur independenter ab hoc vel illo pede, & quia ſic habet uſus. Neque etiam amittit conſecrationem calix argenteus amiſſa deauratione; quia non ſolum minutiſſima illa materia auri; ſed tota calicis, aut cuppæ materia argentea conſecrata erat, ut communiter docent Auctores. Poſt novam verò inaurationem, novam conſecrationem exigit communior ſententia, quam tradunt Vazq. *diſp.* 233. *n.* 32. Sylveſter, verbo *Calix, q.* 2. & Angelus *eodem titulo, n.* 2. qui teſtantur ita eſſe conſuetudine receptum. Idem etiam docent Tabiena, Enriquez, Suarez, Rodriguez, Armilla, Bonacina, Azor, Reginaldus, & alii, quos affert Dicaſtil. *n.* 181. contra Durandum, Saa, Coninchum, Lugonem, Dianam, Layman. N. Gab. apud eundem Dicaſtill.

91. Octavò requiruntur veſtes ſacræ ad celebrandum *Amictus*, *Alba*, *cingulum*, *Stola*, *Manipulus*, *& Caſula*, ſeu *planeta*, omnes benedictæ ab Epiſcopo, vel ab habente ad id privilegium a Sede Apoſtolica; ſine quibus celebrare grave eſſe peccatum tradunt communiter Doctores: ob univerſalem conſuetudinem, & obſervantiam totius Eccleſiæ, & colligitur ex Cap. *Eccleſ.* 23. *dist.* & ex Cap. *Veſtimenta, de conſecratione, diſt.* 1. Illud tamen probabile videtur, quod docent Henriquez, *lib.* 9. *cap* 28. Navarrus, & Saa, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 4. *quæſt.* 9. *n.* 205. Lugo, *diſ.* 20. *ſect.* 4 *n.* 98. Azor, *lib.* 10. *cap.* 28 *quæſt.* 9. Palaus, *dict. punct.* 10. *n.* 8. & alii: in caſu neceſſitatis poſſe Sacerdotem uti alia ſtola, pro manipulo, aut cingulo: & etiam manipulo oblongo pro ſtola. *8. Veſtes Sacræ.*

92. An verò in caſu neceſſitatis liceat celebrare abſque aliquo indumento ex levioribus, vel cum eo non benedicto: ut abſque ſtola, vel manipulo, aut cingulo? Diſſentiunt Doctores: negant enim plures. Alii affirmant, quos refert Diana, *tom.* 1. *tract. de celebratione Miſſarum, reſolut.* 57. & de cingulo in particulari *reſolut.* 68. & 5. *p. tract.* 5. *reſolut.* 62. Qui quoniam multi ſunt, non immeritò Lugo *loco citato* non audet condemnare eum, qui in caſu neceſſitatis ita faceret. *Quid in caſu neceſſitatis.*

93. Petes: An Sacerdos extra Miſſam communicans debeat ſub mortali habere ſtolam? Affirmant aliqui. Sed melius id negant Suarez, Reginaldus, Azor, Pitigianus, quos refert, & ſequitur Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 2. *n.* 2. Gavantus, *part.* 4. *tit.* 8. *n.* 7. Diana, *tom.* 2. *tract. de celeb. Miſſ. reſol.* 20. Cardinal. Lugo, ubi ſupra, & alii: quia præceptum Cap. *Eccleſiaſt. diſt.* 23. quoad id non eſt uſu receptum cum tanto onere. *An Sacerdos extra Miſſam communicans debeat ſub mortali habere ſtolam.*

94. Dictæ veſtes ſacræ benedictionem amittunt, quoties ita diſſolvuntur, aut minuuntur, ut vel formam perdant, vel aptæ non ſint ad ſuum uſum: ut ſi cinguli parte amplius te cingere non poſſis, vel ſi manicæ aſſutæ ſeparentur ab alba ut ex communi ſententia docet Dicaſtillus. Non perdunt autem benedictionem, etſi attritis pars aliqua aſſuatur, vel cinguli parti aptæ adhuc ad cingendum, altera annectatur: quia tunc acceſſorium conſequitur principale, ut docent Lugo, & Dicaſtillus *locis citatis* Tamburinus *de expeditione ſacrific. lib.* 1. *c.* 3. *§.* 2. Idem etiam tradit Henriq. *cap.* 29. *n.* 5. & Gloſ. cap. *Quod in dubiis de conſecrat.* Eccleſ. Similiter ſi ſtola, & caſula duplices ſint, ex parte interiori, & exteriori, ſingulæ benedictæ manent, ſi ſeparentur: ſicuti notarunt Sà, & Suarez, quos citat Palaus, dicto *Quomodo veſtes ſacræ amittant benedictionem.*

Digitized by Google

puncto 10. Tamburinus, & Dicaſtillus citati, & alii: quia unica benedictione ſacratæ ſunt.

Quæſitum 1.

95. Rogabis primò: an ſub gravi culpa teneatur Sacerdos orationes ab Eccleſia præſcriptas recitare, cum ſe ſacris veſtibus induit? affirmant Navarrus, *cap.* 25. *num.* 73. & Azor 1. *part. lib.* 1. *cap.* 29. *quæſt.* 5. quia eſt gravis Eccleſiæ cæremonia. Sed dicendum eſt illarum omiſſionem ſolam eſſe culpam venialem: quia non majori rigore ea cæremonia recepta eſt. Ita Henriquez, Pitigianus, Bonacina, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, ubi ſupra *nu.* 8. & alios referens Leander *de ſacrificio Miſſæ, diſp.* 7. *q.* 57. Et idem judicium ferendum eſt, ob eamdem rationem, de omiſſione orationum, quæ pro gratiarum actione in Miſſali præſcribuntur: *Trium puerorum* &c. non eſſe nimirum mortale, ſed veniale ad ſummum. Ita Granado, *tr.* 14 *diſp.* 14. dicens ita ſe accepiſſe à Doctiſſimo Thoma Sanchez, Zerola, & Fagundez, quos refert, & ſequitur Leander, *dicta diſp.* 7. *quæſt.* 62.

Quæſitum 2.

96. Rogabis ſecundò: an Sacerdos poſſit celebrare in patena, & calice nundum conſecratis, & cum veſtibus nondum benedictis, ſi alius Sacerdos bona fide cum ipſis anteà Miſſam celebraſſet? affirmativam ſententiam probabilem, & tutam in praxi aſſerit Diana, *tom.* 2. *tract. de celebratione Miſſarum, reſolut.* 69. Nam in prima celebratione à Sacerdote bona fide facta jam calix, & patena conſecrata remanſerunt, & veſtes ſimiliter benedictæ. Nullum tamen auctorem pro ea ſententia adducit; ſed fundatur in eo quod Caſtro, *lib.* 2. *de lege pœnali, c. ult.* docet Eccleſiam pollutam non indigere alia reconciliatione, ſi aliquis in ea bona fide celebravit: quod etiam probabile exiſtimat Avila *de cenſuris, part.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 3. *conc.* 1. Gab. à S Vinc. hic *q.* 3. & Sa, verbo *Eccleſia*: ergo calix, patena, & veſtes non indigebunt conſecratione, aut benedictione, poſtquam in illis bona fide celebratum eſt.

Dianæ ſententia & ejus fundamentum.

Hoc tamen abſque ſufficienti fundamento aſſeri docet Cardinalis Lugo, *diſp.* 20. *ſect.* 4. Primò: quia doctrina illa Caſtri meritò ab aliis rejicitur, quos refert, & ſequitur Layman, *tract.* 5. *c.* 5 *n.* 13. cum quibus ſentit ipſe Lugo, *ſect.* 2. *præced. n.* 62. Et Ferdinandus de Caſtro Palao, *tract.* 22. *diſp. unica p.* 8. quia in nullo jure fundatur, neque etiam ratione. Nam conſecratio Eccleſiæ, ejuſvè purificatio jure poſitivo ſtatuta ſunt: nullibi autem ſtatutum eſt ſacrificium loco reconciliationis ſuccedere, ſicuti in omnium ſententia non ſuccedit loco conſecrationis: ergo abſque ullo fundamento id affirmabitur. Secundò: quia etiamſi admittatur doctrina illa, adhuc non infertur in noſtro caſu, quod intenditur, ſed ejus contrarium: nam illi Auctores licet dicant Eccleſiam ſemel conſecratam poſſe reconciliari per ſacrificium in ea bona fide oblatum; non dicunt tamen Eccleſiam nondum conſecratam per ſacrificium in ea bona fide oblatum manere conſecratam: alioquin omnia oratoria eſſent conſecrata poſtquam in eis celebratur: ergò licet admitteretur; quod calix ſemel rite conſecratus, ſi pollueretur, poſſet reconciliari per ſacrificium in eo bona fide oblatum, non deberet concedi, quod calix non conſecratus ea ratione fieret conſecratus plus enim requiritur ad conſecrationem inducendam in materiam profanam, quam ad purgandam materiam jam ſemel conſecratam. Unde meritò illam doctrinam rejiciunt omnes alii, Navarrus, & Azor, quos refert, & ſequitur Layman, *dict. num.* 13. & Fagundez, *lib.* 3. *de primo præcepto Eccleſiæ, cap.* 21. *num.* 15. Hucuſque ſapientiſſimus Cardinalis.

Dianæ ſententia impugnatur à Lugone.

2. Diana ſuam fulcit ſententiam.

97. Poſt hanc autem Lugonis impugnationem Diana, 5. *part. tract.* 13. *reſolut.* 60. iterum illud ipſum aſſirmat: atque in ſui patrocinium profert Franciſcum de Nigro *in ſuis additionibus ad Ruiz part.* 6. *animadverſione* 8. *num.* 4. *& part.* 9 *tract.* 7. *miſcellaneo, reſol.* 18. auxiliares affert Bordonum, Scobar, Naldum, Baſſæum, Pellizarium, Joannem Henriquez, & Tamburinum: qui ultimus *opuſc. de ſacrif. Miſſæ, lib.* 1 *cap.* 1. §. 4. *num.* 1. & ſequentibus probabilem eſſe dicit ſententiam aſſerentem calicem, patenam, & veſtes remanere conſecratas, & benedictas, ſi in illis non conſecratis, & non benedictis aliquis Sacerdos ſacrificaret, etiamſi mala fide celebret in illis: putat enim omnia ſupra dicta acquirere ſufficientem conſecrationem, ſeu benedictionem, eo ipſo quod in illis ſacra miſteria exhibentur: quia jam continguntur ſuo modo à Sanctiſſimo Chriſti corpore, unde omnis benedictio promanat.

Rejicitur.

98. Sed contra: quia ſi ſolus contactus venerabilis ſacramenti ſufficeret ad ſacrandum: v.g. calicem prius non conſecratum, ſequeretur, quod omnia quæ ſemel tangunt venerabile Sacramentum, conſecrata manerent, ut pavimentum, aut tapes, ſi ibi cadat: quod enim fiat præter intentionem, non tollit, quod ille ſit verè contactus: & idem eſt de ara, ſi nondum conſecratam Euchariſtiam immediatè tangeret, & de pixide ſolum benedicta, in qua reponuntur formæ conſecratæ: omnia enim hæc manerent verè conſecrata ſine ritu, & modo conſecrandi, legitima Eccleſiæ auctoritate, inſtituto, quod non eſt dicendum. Tum etiam: quia ſequeretur non opus eſſe Diacono in neceſſitate, & bona fide miniſtranti, & tangenti Euchariſtiam ad dandum viaticum ægroto, poſteà ſacrari manus ejus oleo ſancto, ſi accedat ad Sacerdotium ſuſcipiendum: quia alia conſecratione non indigerent manus per contactum corporis Chriſti conſecratæ, quod videtur falſum. Unde à ſententia Canlinalis Lugo, & aliorum cenſemus nullatenus recedendum: pro qua etiam fuiſſe judicatum à graviſſimis Patribus Societatis refert Fagundez, *de quinque Eccleſiæ præceptis, part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 15. Et præter citatos ita pariter nobis conſentiunt Dicaſtillus *tract.* 5. *diſput.* 4. *dub.* 9. *num.* 198. Palaus ubi ſupra, Leander, *tom* 2. *tract.* 8. *diſput.* 7. *quæſt.* 31. Philibertus *de ſacrificio Miſſæ, part.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. Trullench, *de Sacramentis, lib.* 3. *cap.* 8. *dub.* 18. *num.* 5.

Quæſitum 3.

99. Rogabis tertio: An pyxis, ſeu cuſtodia, in qua corpus Chriſti aſſeruatur benediei, aut conſecrari debeat? Reſpondetur debere benedici benedictione ſimplici, & ſine unctione: quia ſic expreſsè præſcibitur *in Miſſali reformato rubrica* 2. *de ritu ſervando in celebratione Miſſæ.* Et ita docent Gavantus *p.* 2. *tit.* 2. *num* 3. litera P. Petrus de Ledeſma, *cap.* 21. *poſt tertiam concluſionem*, Reginaldus, *lib.* 29. *cap.* 9. *num.* 201.

Lugo,

Lugo, *diſp.* 20. *num* 96. & plures alios referens Leander, *dict. diſp.* 7. q. 35. Benedicere autem poteſt idem, qui cætera ornamenta, ut docent Durandus, *lib. 1. de ritibus Eccleſiæ cap.* 16. Petrus de Ledeſma, *cap.* 20. Suarez, Villalobos, Reginaldus, Lugo, Philibertus, Ludovicus de S. Joan, quos refert, & ſequitur Garcia, *tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *punct.* 2.

9. Calceorum uſus requiritur.

100. Nonò requiritur, ut Sacerdos celebraturus non accedat abſque calceis ut in rubricis Miſſalis præſcribitur, ob decentiam, & honeſtatem, ſed non ſub gravi obligatione ſecluſo contemptu, ut ex communi ſententia aſſerunt Vaſquez, Suarez, Henriquez, Sa, Bonacin. Conincbus, quos adducit, & ſequitur Palaus, *dict. p.* 10. *n.* 9. Et idem docet Layman, *l.* 5. *ſummæ tr.* 5. *c.* 6. *nu.* 16. ubi affirmat nullam eſſe culpam, occurrente aliqua neceſſitate & ceſſante ſcandalo, ſine calceis celebrare, & id ipſum docet Philibertus *p.* 3. *cap* 14. *nu.* 3.

10. Miniſter inſerviens Sacerdoti.

101. Decimò requiritur ſub gravi culpa miniſter, qui ſacrificio inſerviat, & reſpondeat, iſque vir ſit; non fæmina ex receptiſſima Eccleſiæ conſuetudine. Et colligitur ex Cap. *Propoſuit* de filiis Presbyterorum; eſtque communis ſententia Doctorum, quam docet D. Thomas, 3. *part. q.* 83. *art.* 5. *ad* 12. occurrente autem neceſſitate fortuita, ut dandi viaticum moribundo, vel etiam ne careat ipſe Sacerdos, aut populus Miſſa in die feſto, aut in aliqua ſimili, & inopinabili neceſſitate licere ſinè miniſtro celebrare docent Villalobos, Pitigianus, Squillanti, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 2. *tr.* 14. *reſol* 43. Graffius, Rodriguez Suarez, Sylvius, & Homubonus, quos affert, & ſequitur Philibertus, *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 15. & cum aliis Leander, *diſp.* 7. *tit. q.* 53. & 54. & Dicaſtillus *de Sacrif. Miſſæ, diſp.* 4. *dub.* 12. *n.* 234. Nunquam tamen fœminam licet miſſæ inſervire, accedendo ad altare, aut Presbytero miniſtrando, Cap. 1. *de cohabitatione Clericorum, & mulierum*; ubi dicitur, ut nulla fœmina præſumat ad altare accedere, aut Presbytero miniſtrare. Et cum multis docent Diana, *tom.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 44. & Leander, *diſp.* 7. *quaſt.* 56. Philibertus *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 15. Vaſquez, Suarez, Coniochus, quos citat Palaus, *d. punct.* 10. *num.* 11. & Bonacina aliis relatis *diſp.* 4. *de Sacramentis, q. ultim. punct.* 9. *n.* 33. & cum aliis Garcia, *tract.* 3. *diffic.* 8. *dub.* 5. Poterit tamen Sacerdos Miſſam jam inceptam cum miniſtro, proſequi ſine illo, quando miniſter abiit, & exſpectatus non venit: maximè ſi jam obtulit, ut ex Henriquez advertit Dicaſtillus *loco citato*, *nu.* 236. Advertunt etiam Doctores ut refert Garcia, *tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 5. *num.* 1. quod licet miniſter malè pronunciet, & ſolæciſmos faciat, non idcircò Sacerdos inquietari debeat, aut formare ſcrupulum; ut deducitur ex Canone *Retulerunt*, *de conſecratione*, *diſt.* 4.

11. Capitis diſco opertio.

Undecimò requiritur, ut Sacerdos diſcooperto capite celebret ex textu in Cap. *Nullus*, *de conſecrat. d.* 1. ub cauſam tamen infirmitatis concedi poteſt licentia cooperto capite celebrandi, ut docent Suarez, *diſp.* 82. *ſect.* 3. Bonacina, *diſp.* 4. *quaſt. ultima puncto* 9. *nu.* 29. Concedere autem prædictam licentiam, reſervatum eſt Summo Pontifici, ut ex declaratione ſacræ Cardinalium Congregationis ſuper negotia Epiſcoporum die 2. Januarii 1590. & ſacra Rituum Congregatione die 31. Julii 1626. docet Gavantus *in rubricas Miſſalis, tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 2. *litera F.* Quæ declaratio licet prius non conſtaret, nunc tamen in Miſſali reformato juſſu Urbani VIII. omnibus obſervanda proponitur, ut notat Cardinalis Lugo, *dict. diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 104. Qui tamen ſinè venia faceret, eum non peccare mortaliter ſecluſo contemptu, & ſcandalo, docent Petrus de Ledeſma *in ſumma de Sacram. Euchariſtiæ, c.* 21. Tamburinus, *lib.* 1. *exped. ſacrif.* Quod Diana, *reſolut.* 58. cenſet probabile, ſi tempus Canonis excipiatur.

12. Sacrificium non eſt mutilum relinquendum.

103. Duodecimò requiritur, ut Sacerdos ob nullam cauſam, etiam ob vitandam mortem, ſacrificium mutilum, ſivè eſſentialiter, ſive integraliter directè faciat; non enim licet conſecrare panem animo non conſecrandi vinum; neque conſecrare panem, & vinum animo non ſumendi utramque ſpeciem: ſed potius mortem perferre debet, quam ſacrificium mutilum ſive eſſentialiter, ſive integraliter contra Chriſti inſtitutionem ſic efficiendo, præceptum negativum divinum frangere, ut docent Laym. *de ſacrif. Miſſæ c.* 7. Palaus, *tract.* 22. *diſp. unica, punct.* 11. & communiter Doctores. Alia vero ratio eſt, ſi in aliquo caſu: v. g. hoſtes fidei ingruant ad occidendum ſacrificantem in altari, poteſt is hoſtiam conſecratam ſtatim ſumere, vel ſecum auferre ſi ad conſecrandum calicem ſinè evidenti mortis periculo pergere non poſſit: quia tunc directè, & ex propoſito non mutilat ſacrificium; ſed permittit, ſeu omittit illud perficere. Præceptum autem perficiendi ſacrificium, quod eſt affirmativum, in tali caſu graviſſimo extremæ neceſſitatis non obligat: ſicuti benè notaot Cupeavilla *tract. de Sacram. admin. c.* 4. *q.* 20. Palaus & Laym. citati, Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 3. *punct.* 2. Aravjo, 3. *p. q.* 74. *art.* 2 *dub.* 1. *n.* 14. Hieronymus Garcia, *tract.* 3. *difficultat.* 8. *dub.* 6. *punct. ultimo.* N. Anthon. *diſp.* 5. *num.* 207.

13. Ut Sacerdos Miſſam inchoatam non abrumpat.

104. Decimotertiò requiritur, ut Sacerdos Miſſam inchoatam non abrumpat; ſed continuò uſque ad finem proſequatur. Ita habetur in cap. *Illud*, Capit Nihil 7. *quaſt.* 1. ibi: *Nullus abſque proventu patentis moleſtiæ miniſter, vel Sacerdos non cum caperit, imperfecta officia præſumat omninò relinquere: ſi quis hæc temerariè præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* Hæc igitur omiſſio, ſi ſine cauſa fiat, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, ut omnes fatentur. Quod non ſolùm de eo, qui circa Canonem Miſſam deſerit; ſed etiam de eo, qui dicta Epiſtola, vel Euangelio ſinè cauſa relinquit, intelligunt Villalobos, *tract.* 8. *diffic.* 31. *n.* 8. Garcia *punct. ult. n.* 29. & incurrit ſuſpenſionem à Corpore, & ſanguine Chriſti ut aſſerit Salizetus *in pract. crim c.* 54. *q.* 126.

Cauſæ relinquendi, vel interrumpendi Miſſam.

105. Cauſæ tamen juſtæ cæptam Miſſam vel relinquendi, vel interrumpendi ſunt, quæ ſequuntur. Prima ſi Sacerdos recordetur ſe non jejunum, vel excommunicatum, aut irregularem eſſe & Canon nundum cæptus ſit: quia potius decet a ſacrificio deſiſtere, quam ab irregulari, excommunicato, vel non jejuno fieri, ut cum D. Thoma, Conincho, & Henriquez, docet Palaus, *p.* 13. *n.* 4. Dicaſtil. *diſp.* 4. *dub.* 12.

& alii

& alii paſſim. Quinimò ſecluſo ſcandalo, & gravi nota videtur tunc Sacerdos obligatus à Sacrificio deſiſtere, ut bene docent Coninchus & Palaus citati.

2. Cauſa. 146. Secunda cauſa juſta eſt, ſi ante inceptum Canonem ſuperveniat interdictum ſpeciale, vel ceſſatio à divinis, neque habeas privilegium januis clauſis celebrandi: vel interdictum generale, nec permittaris claudere januas, & Interdictos excludere; vel excommunicatus aliquis denuntiatus, qui expelli nequeat, potes imo teneris à ſacrificio incepto deſiſtere. Ita Henriquez, *lib. 9. cap. 10. nu.* 5 Palaus, Layman, & Dicaſtillus, locis allegatis.

Tertia. 107. Tertia cauſa juſta eſt, ſi gravis morbus, vel alia gravis corporis neceſſitas, quam ſuſtinere non poſſis, ſuperveniat, poteris ſacrificium inceptum, etiam poſt conſecrationem interrumpere; & morbo, vel neceſſitate ceſſante ſacrificium continuare. Quod ſi morbus ejus conditionis ſit, ut nequeas redire, & ſacrificium inchoatum perficere; ſi conſecratio facta fuit, debet alius Sacerdos ſubſtitui. Sicuti colligitur ex Cap. *illud 7. quæſt.* 1. Cap. *Nullus de conſec. d.* 1. & docent D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6 *ad* 1. Suarez. Azor, Coninchus, quos refert, & ſequitur Palaus *loco citato, n.* 5. Layman, *l.* 5. *tr.* 5. *cap.* 7. Navarrus, *c.* 25. *nu*, 86. Anton. *nu.* 215. Multi autem ex his rectè notant, ſi jejunus Sacerdos non adſit, ſupplendum eſſe ſacrificium à non jejuno, eo quod majus ſit præceptum de ſacrificio non relinquendo imperfecto, quam præceptum de Sacrificando, & communicando jejunè.

Quid ſi Sacerdos poſt inceptum Canonem deficiat. 108. Si autem Sacerdos deficit antè conſecrationem cæpto Canone, poterit quidem accedere alius Sacerdos jejunus, qui Miſſam proſequatur: non tamen ad id tenebitur: quia conſecratione non facta, tametſi Canon ſit inchoatus, ſacrificium ſubſtantialiter, & propriè inchoatum non eſt. Ita cum Angelo & Henriquez, Layman, *d. cap.* 7. Azor, 1. *p. lib.* 10. *t.* 33. *q.* 1. Palaus, *dict. nu.* 5. Garcia, *nu.* 31. Quod ſi cuis ſæpius in ſacrificio Miſſæ ob corporis infirmitatem deficere animadvertatur, is tanquam irregularis amovendus eſt, ut habetur in dicto Cap *illud* 7. *q.* 1.

4. Cauſa. 109. Quarta cauſa juſta interrumpendi ſacrificium, poſtmodum quam citiſſimè poſſibile ſit perficiendum, eſt neceſſitas baptizandi infantem in periculo mortis exiſtentem, quem caſu mater in Eccleſia peperit, & cui alia ratione non poſſit Baptiſmus conferri, quam per Sacerdotem celebrantem. Ita Henriquez, Sotus, Poſſevinus, Sylveſter, Navarrus, Tabiena, Bartholomæus ab Angelo, quos citat, & ſequitur Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. *quæſt. ult. nu.* 25. Layman, & Capeavilla, quos refert Garcia, *nu.* 30. Et idem etiam docet Palaus, p. 11. Qui etiam addit ſolam neceſſitatem, quæ dilationem non patitur recipiendi aliquod Sacramentum ad ſalutem moraliter neceſſarium, ſufficientem eſſe ad ſacrificium facta conſecratione inceptum relinquendum, & poſtmodum perficiendum.

Quinta. 110. Quintò aliæ cauſæ interrumpendi ſacrificium ante factam oblationem ſunt, nimirum, ut poſt Euangelium fiat prædicatio ad populum, vel propter ordines conferendos, ſicuti uſu receptum eſt.

Sexta. 111. Sextò ad adventum Epiſcopi, Ducis, vel proceſſionis populi, quos decet integrè Miſſam audire, neque eſt alius Sacerdos, qui celebret, poterit Miſſa inchoata, ſi oblatio nondum facta eſt, relinqui, & iterum à principio Inchoari, uti docent Henriquez, Navarrus, Azor Scortia, quos affert, & ſequitur Layman, *cap.* 7. *cit.* Sà, verbo *Miſſa. nu.* 21. Palaus *loco cit. nu* 11. Dicaſtillus, *dub.* 13. *num.* 254. & alios referens Garcia, *dict. punct. ulti.* Idque in praxi obſervatum eſſe teſtantur Navarrus, & Henriquez: & Garcia refert anno 1642. accedente Cardinali Tiburtio ad Cæſar-Auguſtanam Eccleſiam ſanctæ Mariæ del Pilar, & etiam Sacerdote dicente Credo, juſſum eſſe illi iterum ab initio dicere Euangelium.

4. Requiritur ut Sacerdos dicat, faciat & ſervet, omnia quæ in Miſſali Romano requiruntur. 112. Decimoquartò ad celebrationem Miſſæ requiritur, ut Sacerdos dicat, faciat, & ſervet omnia, quæ in Miſſali Romano reformato præſcribuntur, ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 22. *decreto de obſervandis in celebratione Miſſarum*, & ex præcepto Pii V. relato in principio Miſſalis: cum autem res hæc gravis ſit, utpote ad divinum cultum ſpectans, tantumque miniſterium ritè, & ordinatè fieri debeat, jure optimo intelligitur, ſecluſo privilegio, omiſſio hujus præcepti, ut benè docet Cicaſtillus ubi ſupra ſupra *nu* 255. vel ommiſſio contra illud, peccatum ex genere ſuo læthale eſſe quamvis ex levitate materiæ, ſæpè poſſit eſſe veniale, aut ex naturali inadvertentia queat aliquando à culpâ excuſari.

Quando lætale committatur per commiſſionem contra præceptum Miſſalis. 113. Et quidem quantum ad commiſſionem contra illud præceptum, conveniunt omnes, ut teſtatur Lugo, *d.* 20. *ſect* 4. *nu.* 104. eſſe mortale peccatum ita operari contra rubricas, ut videatur introduci alius ritus diverſus celebrandi: hoc enim potiſſimum intendit Pius V. cum obligauit omnes ad hunc ritum, & prohibuit alios. Item ex materię gravitate poteſt eſſe mortale addere novas præcationes ex devotione, præſertim ſi publicè dicantur, & non ſecretò tanquam à privata perſona, ut docent Sylveſter, verbo *Miſſat*, *q.* 2 & 3. Sotus, quem refert, & ſequitur Filliuc. *tract.* 5 *de Euchariſt. c.* 6. *n.* 156. Suar. *diſp.* 83. *ſect.* 3. Bonac. *diſp.* 4. *q. ultima. punct.* 10. *n* 19. Quod ſi Sacerdos non intendat aliquid addere officio Miſſæ; ſed ut privata perſona privatam aliquam devotionem ſecretè recitet, erit indiſcreta actio, & peccatum veniale, ſacrum miniſterium privatis precibus omninò ab illo diſtinctis interrumpendo, non tamen erit mortale, ut docet Filliuc. *loco cit. n.* 159. Garcia, *tract.* 3. *diffic.* 8 *dub.* 6. *punct.* 1. *n.* 7. referens Suarium, & Ludovicum de S. Joan.

An graviter peccet qui in feſto duplici, vel Dominica dicit Miſſam votivam vel de requiem. 114. Quod ſi roges: An qui contra regulam Miſſalis in feſto duplici, vel Dominica dicit Miſſam votivam, vel de mortuis, peccet graviter? Affirmant aliqui, quos refert Leander *de Sacrific. Miſſæ, diſp.* 7. *q.* 63 Melius tamen negant Suarez, Zanard. Miranda. Hurtado, & Villaloh. quos citat & ſequitur Diana *tom.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 30. Lugo, Granados, & Ludovic. de San. Joan. quos affert, & ſequitur Leand. *loco cit.* N. Anton. *n.* 223. addens plures cauſas quibus etiam abſque veniali peccato id fieri poteſt.

Quan-

Quando peccetur graviter per omiſſionem prædicti præcepti? Dubium primum.

115. Quantum verò ad omiſſionem prædicti præcepti, ad determinandum quæ ſit exiſtimanda gravis, utile erit aliqua exempla ſubjicere, de quibus ſpecialiter quæri ſolet. Primò ergo quæritur: an omittere Gloriam, vel Credo quando debet dici, ſit mortale? Dubitant Nuñus, 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 4. *dub* 2. *ad.* 3. & Marcus de los Huer. *q.* 17 *concl.* 2. Alii tamen benè abſolutè negant: ut Suarez, Filliucius, Philibertus, Granado, Diana, Lugo, Bauny, Ludovic. Lopez, quos ref. & ſeq. Hieronymus Garcia, *punct.* 2. *num.* 17. Franciſc. B.S. *n.* 119. Anton. à Spir. S. *n.* 191. Gabr. à S. V. hic *diſp.* 3. *q.* 1. Idem etiam docet Palaus ubi ſupra, *num.* 1. de omiſſione Gloriæ, Symboli, aliarumvè orationum, quæ non in omnibus ſacrificiis recitantur, ſed in aliquibus: quia hæc (inquit) non ſunt partes integrantes ſacrificii abſolutè ſumpti; ſed hujus, vel illius diei. Similiter idem tradit Dicaſt. *tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 13 *n.* 256. quia ſinè Symbolo, aut Gloria ſæpè conſueta Miſſæ forma conſiſtit.

Dubium ſecundum.

116. Secundò quæritur: An qui ſecluſo ſcandalo, & contemptu in Miſſa relinqueret Epiſtolam, vel Evangelium peccaret mortaliter. Et prima facie videtur quod non: quia aliquando Epiſtola, & Evangelium pauciora verba habent, quàm Gloria, & Credo: ergo in omiſſione Epiſtolæ, vel Evangelii videtur etiam ſæpè à mortali excuſare materiæ parvitas. Reſpondendum tamen eſt affirmativè cum Martino de S. Joſeph, & Dicaſtillo, quos adducit, & ſequitur Diana, *tom.* 10 *tract.* 15. & 5. *Miſcellaneo, reſol.* 42. cum Palao *loc. cit.* & cum aliis pluribus, quos ref. & ſeq. Garcia, *n.* 18. Anton. *n.* 190. Et ad rationem dubitandi dicendum eſt, ſinè Hymno Angelico, & Symbolo ens artificiale, quod dicitur Miſſa, poſſe ſæpè quoad conſuetam formam conſiſtere: unde non tanti momenti cenſetur, etiamſi major ſit illorum verborum quantitas, quam Epiſtolæ aut Euangelii, ſinè quibus deturpatur, & deformatur illud ens conſuetum artificiale, ſicut in Principis ſtatua, etiamſi ex ora veſtis quandoque major pars abſcindatur, quam ſit pars naſi, aut labiorum, non ita defectus oræ veſtis deturpat, atque naſi, aut labiorum, etiam minorum in quantitate.

117. Si tamen in Miſſa ſolemni Sacerdos non dicat privatim Epiſtolam, vel Evangelium; ſed ſolum cantetur à miniſtris, excuſant eum à mortali Diana, Vega, Rodrig. Navarr. quos refert, & ſequitur Dicaſt. *n.* 256. Cruz, *quæſt.* 4. *de Miſſa, dub.* 1. *concl.* 4. Ledeſma, Ludovicus, Villalobos, apud Leandrum, *diſp.* 7. *q.* 60. Garcia ubi ſup. Herinx hic *n.* 161. Anton. *n.* 193. & alii.

Dubium tertium.

118 Tertiò quæritur: An ſit mortale omittere in Canone unum, aut alterum nomen alicujus ſancti? Affirmant aliqui; ſed ſolum eſſe veniale rectè tradunt Suarez, *diſp.* 83. *ſect.* 3. Filliucius, *n.* 155. Granados, Diana, Cruz, Ledeſma, & Ludovicus, quos citat Leander *quæſt.* 61. N. Anton. ubi ſup. Dicaſtillus, Tamburinus, & Garcia, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 10. *tract.* 16. & 6. *miſcellanea reſol.* 36. Qui benè etiam ibidem docet contra Bernal. *de Sacramentis. diſp.* 6. *ſect.* 4. *num.* 93. relinquere octo nomina ſanctorum in Canone eſſe peccatum mortale, non audet tamen de mortali damnare eum, qui tria tantum nomina relinqueret ex auctoritate Patris Garciæ, *tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 6. *punct.* 2.

Dubium quartum.

119. Quartò quæritur: An omittere ea, quæ tempore Paſchæ, aut alterius feſtivitatis interponuntur in *Communicantes*, vel in *Hanc igitur oblationem* ſit peccatum mortale? Fortè non peccare mortaliter putavit, Nuñus, 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 4. *dub.* 2. *ad.* 3. ſed abſolutè, & abſque ulla formidine eſſe tantum veniale docent Filliucius, *tract.* 5. *cap* 5. *n.* 155. cui conſentit Dicaſtillus, ubi ſupra *n* 256. Leander, *dict. quæſt.* 61. quos ſequitur Diana, *tom.* 10. *tract.* 15. *reſolut.* 42. Anton. à Spir. S. *n.* 191.

Dubium quintum.

120. Quintò quæritur: An omittere mixtionem aquæ cum vino, vel fractionem hoſtiæ, vel miſſionem particulæ illius in calicem ſit peccatum læthale? Reſpondetur affirmativè uti docent Dicaſt. *loc. cit. n.* 259. Palaus, *tract.* 22. *diſp. unica punct.* 11. Filliucius, *n.* 159. & alii paſſim: quia eæ ſunt cæremoniæ graviores continentes ſpecialem ſignificationem. De ſpeciali autem ſignificatione mixtionis aquæ cum vino dictum eſt à nobis, *tract.* 4. *de Euchariſtia. cap.* 4. *punct.* 4. Fractio autem hoſtiæ tria ſignificat ut docet D. Thomas, 3. *p. q.* 83. *art.* 5. *ad.* 7. Primò quidem ipſam diviſionem corporis Chriſti, quæ facta eſt in Paſſione. Secundò diſtinctionem corporis Chriſti myſtici ſecundum diverſos ſtatus. Tertiò diſtributionem gratiarum procedentium ex Paſſione Chriſti, ut Dionyſius dicit 4. *cap. Eccleſ. Hierarch.* Particula vero conſecrata in calicem Miſſa, ſicut exponit Sergius Papa, *cap. triforme, de conſecratione diſt.* 2. Corpus Chriſti, quod reſurrexit, monſtrat, ſcilicet ipſum Chriſtum, & Beatam Virginem, vel ſi qui alii ſancti cum corporibus jam ſunt in gloria, ut explicat Angelicus Doctor, *art.* 5. *citato in ſolutione ad.* 8.

Quæſitum 1.

121. Petes primò: An Miſſa celebrari poſſit materna, & vulgari lingua? Reſpondetur negativè: ut conſtat, tum ex uſu, & ex praxi Eccleſiæ. Tum ex Tridentino, *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. Tum etiam: quia multæ parabolæ, ænigmata, & myſteria leguntur in Miſſa, quæ commodè non poſſunt in linguam vulgarem transferri, & converti. Ita Azor, Bellarminus, Bartholomæus ab Angelo, quos citat. & ſequitur Dicaſtillus *num.* 170. Petrus Sotus *de inſtruct. Sacerd. lect.* 15. *de cæremoniis Miſſæ*, & Bonacina de *Euchariſtia, diſp* 4. *q. ultim. punct.* 9. *n.* 37. Herinx, *n.* 165. ubi plura addit.

Quæſitum 2.

122. Petes ſecundò: An debeat Sacerdos repetere ea, quæ non recordatur ſe dixiſſe, quando jam aliquantulum progreſſus eſt? Reſpondetur cum D. Thoma 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad.* 5. quod licet Sacerdos non recolat ſe dixiſſe aliqua eorum, quæ dicere debuit; non tamen debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit: niſi fortè aliquid in dicendo apprehenderit ſub ratione jam dicti: ſic enim aliquid efficitur memorabile. Undè ſi aliquis attentè cogitet illud, quod dicit, non tamen cogitet ſe dicere illud; non multum poſtea recolit ſe dixiſſe: ſic enim fit aliquid objectum memoriæ, in quantum acaccipitur ſub ratione præteriti; ſicut dicitur *in l. de mem. c.* 1. *s.* 2. inter opera Ariſt. Undè ſcrupuloſi debent omninò quieſcere in hoc, nec repetere

etiam

etiam ſi non recordentur. Ita obſervant Dicaſt, *dub.* 13. Diana, *tom.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 42. N. Gabr. à S. Vinc. hic. *d.* 3. *q.* 1. Quod non ſolum in hoc negotio, ſed in quacumque recitatione officii divini obſervandum eſſe docuit Suar. *d.* 85 *ſect.* 1.

123. Si tamen Sacerdoti probabiliter conſtet ſe aliqua omiſiſſe, ſiquidem non ſunt de neceſſitate Sacramenti; non eſt exiſtimandum, quod propter hoc debeat reſumere immutando ordinem ſacrificii, ſed debet ulterius procedere. Si verò certificetur ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſcilicet formas conſecrationis: cum forma conſecrationis ſit de neceſſitate Sacramenti, reſumenda eſt forma, & cætera per ordinem recitanda, ne mutetur ordo ſacrificii Ita D Thomas. Quod ſi valdè probabiliter dubitet ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe; iteret formam ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulterius, ut expreſsè habetur *in rubricis Miſſalis*, ubi agitur de defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus, §. 5. cujus titulus eſt *De defectibus formæ* Ratio autem quarè non ſit neceſſarium, nec expediens illa repetere, quæ non ſunt de ſubſtantia ſacrificii, poſtquam jam aliquantulum progreſſus eſt Sacerdos: eſt quia id non poteſt moraliter commodè fieri: & quia ita ſunt ordinata, quæ in Miſſa dicuntur, ut extrà propria loca, & variato ordine non cohæreant, & quando non dicuntur ſuo loco, ac tempore, neque ad decorem, & ſplendorem hujus officii conferunt, neque ad ſignificationem, propter quam ſunt inſtituta, conducunt, magiſque illa repetitio perturbat, quàm ad reverentiam ſacrificii juvet; & interdum etiam ſcandalum generare poſſit. Ita Sylveſter, Suarez, Reginaldus, Coninchus, Filliuc. quos citat, & ſequitur Bonacina, *d. p.* 4. *quæſt. ult. punct.* 10. *n.* 16. Petrus de Ledeſma *cap.* 24. Cruz, *quæſt.* 4 *concluſ.* 4. Dicaſtillus, Diana *loc. cit.* & alii paſſim. Diximus poſtquam jam aliquantulum progreſſus eſt Sacerdos: nam ſi aliquando tam parva eſſet mora, ut ſinè incommodo poſſet fieri repetitio, tunc ſuppleri poſſet defectus, uti notant Suarez, Filliucius ubi ſupra, quibus conſentiunt Villalobos, *tract.* 8. *diff. ult.* 32. *de defectibus in Miſſa occurrentibus*, ubi ſic ait: *Digo que regularmente hablando, los defectos accidentales diſpues de cometidos, no ay obligacion de ſuplirlos: como ſi dexa el Credo, que no ſe ha de mudar el orden, ſalvo ſi fuiſſe tan puto que lo huvieſſe paſſado, que ſe pudieſſe dezir ſin nota ninguna.* Et Tamburinus *de exped. ſacrific. lib.* 2. *c.* 5. ubi cenſet: ſi dum ſecretò orat, poſt pauca verba certò advertat ſe aliquid notabile omiſiſſe: v. g. die Paſchæ communicantes, paululum regrediendum eſſe, & repetendum.

Quæſitum 3. 124. Petes tertiò: An obligatus titulo ſtipendii, vel capellaniæ legere Miſſam de defunctis, vel de B. Virgine, ſatisfaciat, ſi Miſſam celebret de feſto eo die occurrente? Et certè ſi occurrat Dominica, vel feſtum duplex, melius eſt ſervare regulam Miſſalis, quam ob privatam devotionem invertere Eccleſiæ ordinem, ut communiter tradunt Doctores.

125. Si verò feſtum ſemiduplex, vel ſimplex eo die occurrat, negant aliqui ſatisfieri obligationi, in caſu poſito celebrando Miſſam de feſto eo die occurrente. Moventur: quia Sacerdos tenetur exequi voluntatem rationabilem fundantis capellaniam, vel ſtipendium concedentis: illa autem voluntas eſt rationabilis, ſiquidem ex aliqua honeſta cauſa Miſſa de defunctis, vel de B. Virgine eo die expoſtulatur, neque ea voluntas adverſatur ritibus, aut cæremoniis ab Eccleſia præſcriptis: cum Eccleſia permittat diebus, qui ſolemnitate duplici, vel Dominica occupati non fuerint, Miſſas votivas celebrare, & ex alia parte ob ſpecialem petentis affectum; nec non ſpeciales Miſſæ orationes, ea Miſſa votiva aptior eſt ad impetrandum: ergo nequit eo caſu Miſſa de feſto occurrente ſatisfieri? Nihilominus reſpondetur dicendum, Sacerdotem integrè ſatisfacere, ſi Miſſam de ſancto etiam ſimplici eo die occurrente celebret, omiſſâ votivâ petitâ. Quia decentius eſt univerſali Eccleſiæ præſcripto in celebratione conformari, quam ob voluntatem petentis privilegio, & permiſſione uti. Ita Navarrus, Henriq. Azor, Suarez, Sà, Miranda, quos refert, & ſequitur Palaus, *tract.* 22. *diſp. unica punct.* 14. *n.* 10. Idem cum aliis tradunt Dicaſtillus, *diſp.* 4. *dub.* 14. & Bonacina *de Eucharistia, diſp.* 4. *quæſt. ultima*, §. 3. *num.* 4. Garcia, *tractat.* 3. *diſtinct.* 11. *dub.* 4. *num.* 11. N Anton. *num.* 221. Ad rationem oppoſitam dicendum: quod quamvis primo aſpectu videatur ſe magis conformare Sacerdos voluntati fundatoris capellaniæ, & concedentis ſtipendium, celebrans Miſſam votivam in diebus illis juxta voluntatem petentis; abſolutè tamen æquè, vel magis conformiter agit, ſi ſe accommodet rubricis Miſſalis præſcribentis eo die Miſſam de feſto celebrari: nam intentio petentis Miſſam eſt impetrare, & obtinere à Deo, quod petit, illique placere: æquè autem vel melius impetrabit, Deoque placebit, ordinationibus Pontificis in Miſſali ſe conformando, ac proinde æquè vel magis ſe conformat intentioni petentis eo die Miſſam de feſto occurrente celebrando. Et quamvis illæ præces, & orationes Miſſæ votivæ expoſtulatæ per ſe valde aptæ ſint ad finem optatum impetrandum; æquè tamen aptum, vel aptius medium ad illud obtinendum eſt orationibus, & præcibus ob præſcriptum Eccleſiæ ſe conformare. Ex hac enim conformitate, nec non ex devotione, & interceſſione ſpeciali illius ſancti, qui eo die occurrit, æqualem, vel majorem vim impetrandi orationes, & præces ab Eccleſia præſcriptæ obtinebunt, ac præces, & orationes petitæ. Ex his etiam infertur, cum N. Anton. *n.* 225. eum qui Miſſas S. Gregorii vel alterius ſancti promiſit, non teneri eas dicere de requiem vel aliarum ſolemnitatum quæ ibi aſſignantur ſed debere illas dicere pro tali defuncto vel pro ipſo poſtulante juxta officium occurrens.

126. Hoc tamen limitandum eſt, dummodo Sacerdos ratione capellaniæ, vel ſtipendii accepti non teneatur celebrare in altari privilegiato pro defunctis: nam tunc ad conſequendam talem indulgentiam in altari privilegiato debet celebrari Miſſa de requiem: alias indultum non ſuffragatur pro liberanda anima purgatorii, etiamſi in indulto non exprimatur, ut habetur in declarationibus ſac. Congregationis Rituum, quas refert Diana, *tom.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 233.

in

in una Hiſtorien. 1. Junii 1601. & una Toletana 13. Julii 1601. ibi : *Miſſa celebrata in altari privilegiato pro defunctis non ſuffragatur, neque indulto ſatisfit, niſi ſit de requiem, licet in indulto non exprimatur*: atque ita tunc Miſſam de requiem dicendam eſſe occurrente feſto ſemiduplici, vel ſimplici docent N. Lezana *in ſumma, tom* 3. verbo *Altare, num.* 19. Magiſter Niger, & Pater Trimarcus, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 9. *tract.* 2. *de altaribus privilegiatis, reſolut.* 8. contra Pellizarium, *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. *ſect.* 3. *num.* 81. aſſerentem, ut probabile, ad liberandam animam è purgatorio ſufficere, quòd quælibet Miſſa dicatur in altari privilegiato, etiam ſtante ſupra dicta ſacræ Congregationis declaratione, cum ea non faciat legem univerſalem (utpotè quæ non habet requiſita ad obligandum inſtar legis communis) adeòque faciat ſolum opinionem probabilem, non ablata probabilitate opinionis oppoſitæ. Nos autem a declarationibus ſac. Congreg. minimè diſcedimus.

127. Si verò dies ferialis ſit, & Miſſam illius diei celebret Sacerdos, omiſſâ votiva expoſtulatâ, idem ferè judicium ferendum eſt, ac quando occurrit feſtum ſimplex, ut cum aliis tradit Garcia ubi ſupra. Quare Palaus *loco cit.* vix, inquit, *credo (ſecluſo ſcandalo) venialiter peccaturum.* Imò Suarez, *diſp.* 83. *ſect.* 3. *verſiculo. In quo eſt* abſolutè dixit: quando aliquis ob ſtipendium, vel capellaniæ inſtitutionem, vel ob aliquam ſimilem cauſam obligatur ad ſpecialem Miſſam dicendam, debet, ſi commodè poteſt, præſcriptam obligationem implere, quamvis ſi abſque ſcandalo id omittat, ut Miſſalis ordinem ſervet, non peccabit. Et Panormitanus in Cap. *Quidam Laicorum, de celebratione Miſſarum* celebranda eſt (ait) Miſſa de eo, de quo fit officium, neque ad inſtantiam Laicorum dimittenda propria proptèr peculiares ex devotione. Excipienda tamen eſt Miſſa de requiem, quando tenetur Sacerdos eam dicere in altari privilegiato, ut dictum eſt.

15. Requiritur ut defectus omnes quoad fieri poſſit, ſuppleantur.

128. Decimoquintò requiritur, ut Sacerdos omnes defectus tam ſubſtantiales, quam accidentales in ſacrificio contingentes ſuppleat, quoad fieri poſſit. De qua re latè Pius V. *in rubr. Miſſalis*, D. Thomas, *quæſt* 83. *art.* 6. & ibi omnes ejus Expoſitores. Si defectus accidentalis contingat in omiſſione eorum, quæ non ſunt de ſubſtantia ſacrificii, ſi aliquantulum Sacerdos progreſſus eſt, regulariter non tenetur repetere, ut cum pluribus tradidimus ſupra *num.* 123. Si verò defectus accidentalis in materia conſecranda contingat, vel quia appoſitus eſt panis fermentatus, cum azimus apponendus eſſet, vel quia vinum non eſt aquâ mixtum, & Sacerdos advertit defectum, antè conſecrationem ſupplere omninò debet; ſi facta conſecratione prævideat, ſuppleri nullo modo poteſt, ſed ſolum per pœnitentiam emundari. Quod ſi defectus levior ſit, ut ſi hoſtia non ſit omninò integra, aut ſi vinum ſit aliquantulum acidum, ita tamen ut certum ſit eſſe verum vinum, ſi talis defectus prævideatur poſt factam primam oblationem, diſſimulandus eſt, antè oblationem verò mutari debet hoſtia, vel vinum; ſi verò jam conſecratio eſt facta cum illo defectu, nihil eſt, quod ſuppleatur. Ita Suarez, *diſp.* 85. *ſect.* 2. Palaus, *punct.* 11. *num.* 6. Ad accidentales etiam defectus pertinet caſus, in quo contingit hoſtiam elabi è manibus Sacerdotis intra calicem, ita ut ob eam cauſam frangi non poſſit: quia & ſumi poteſt ſimul cum ſanguine, tametſi ritus, & cæremoniæ circa illam præſcriptæ fieri non poſſint. Unde nihil propterea eſt iterandum, ſed ſacrificium conſummandum, uti ex D. Thom. *quæſt.* 83. *art.* 6. & communi ſententia tradunt Henriquez, *lib.* 9. *cap.* 37. *num.* 5. Bonacina, *diſp.* 4. *de ſacram. quæſt. ultima, punct.* 10. *n.* 17. Suarez, & Palaus, *locis citatis*, Coninch. *quæſt* 83. *art.* 6. *num.* 282. Item pertinet ad accidentales defectus, ſi poſt conſecrationem vinum congeletur; ſed tunc facilè eſt remedium admotis ſcilicet calici pannis ardentibus donec ſanguis liquefiat, ita ut ſumi poſſit. Quod ſi daretur caſus, in quo tale remedium adhiberi nequiret, poſſet Sacerdos digitis ſanguinem liquefacere, ut ſumptio fieret, ſicuti notarunt Henriquez, Suarez, Bonacina, Palaus, *loc. cit.* Quod ſi defectus ſubſtantialis in ſacrificio contingat, majori cura, & diligentia ſupplendus eſt, ut cum D. Thom. *quæſt.* 83. *art.* 6. advertunt communiter Doctores.

Qualiter defectus ſubſtantialis ſupplendus.

1. Caſus.

129. Defectus autem ſubſtantialis poteſt eſſe primò: ſi cum Sacerdos protulit conſecrationis verba, non habuit legitimam intentionem conſecrandi. Quo caſu tenetur cum primum advertit, iterum cum conſecrandi intentione verba conſecrationis proferre: quia alioqui non daretur ſubſtantia ſacrificii, eſſet enormis fictio, & ulterius ſinè nova conſecratione procedendo, proponeretur, populo adorandum, quod conſecratum non eſſet, ut benè advertit Palaus *loco citato.*

2. Secund.

130. Secundò, in ſubſtantialibus contingit defectus, ſi hoſtia non ſit triticea aut pro vino infuſa ſit aqua, acetum, aliuſve liquor: tunc enim indubitatum eſt apud Doctores, materiam debitam debere apponi, eamque offerri, & conſecrari. In modo tamen, quo ſe gerere debeat Sacerdos, quando advertit poſt ſumptionem hoſtiæ, in calice non eſſe vinum, ſed aquam, non omnes omninò conveniunt. Nam ſecundum rubricam quartam Miſſalis de defectu vini, ſi hoc advertat poſt ſumptionem corporis, vel hujuſmodi aquæ, apponat aliam hoſtiam, iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, & conſecret: hoſtiam quidem, incipiens ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur.* Calicem vero, incipiendo ab illis verbis, *ſimili modo.* Et ſumat utrumque, quamvis non ſit jejunus. Vel ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cætera. Quod eſt conforme doctrinæ D. Th. 3. *part. quæſt.* 83 *art* 6. *ad.* 4. Item Paludan. & Sylveſtri, quos ſequitur Granad. *diſp. unica de Euchariſtia*, Alii verò docent aliam hoſtiam conſecrare opus non eſſe, ſed ſi defectus prævíſus non fuerit, quo uſque Sacerdos calicem aquæ cum particula hoſtiæ ibi immerſa ſumpſerit, non debet ex ore evomere, eſt enim id indecens: ſed ſumptâ aquâ ſimul cum particula hoſtiæ, calicem legitimum mente ſaltem oblatum conſecrare, incipiens ab illis verbis: *ſimili modo*, uſque ad illa: *Hæc quotieſcumque feceritis.* Ita ex communiori ſententia tradunt Navarres, Suarez,

Coninchus, Vazquez, Henriquez Bonacina; quos refert, & ſequitur Palaus, *punct.* 11. *cit.* & Diana cum aliis, *tom.* 2. *tract.* 14. *reſolut.* 60. Item Reginaldus, & Rodriguez, quos affert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 4. *dub.* 15. *num.* 289. Scotus, Gabriel, Adrianus, quos adducit, & cum quibus conſentit Layman, *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 7. *in fine*, & alii. Quamvis enim hoſtia illa conſecrata jam ſit ſumpta, non minus perficitur ſacrificium ſequenti illa conſecratione vini. Monet tamen Palaus, quod qui rubricæ Miſſalis inſtructioni, & D. Thomæ ſententiæ adhærere voluerit, novamque hoſtiam ſimul cum calice conſecrare, intentionem habere debet, prius ſacrificium inchoatum perficere novo illo ſacrificio, atque ita conſecratio novæ hoſtiæ ſimul cum calicis conſecratione, & perfectum ſacrificium conſtituet, & ſacrificium prius inchoatum, & mutilum reddet perfectum.

Quæſitum 1. 131. Quod ſi roges, an Sacerdos, qui malitioſè noluit conſecrare hoſtiam, ſed poſt ſumptionem calicis pœnitet commiſſi erroris, poſſit, aut debeat hoſtiam conſecrare? Reſpondetur poſſe, & debere ad integritatem ſacrificii.

Quæſitum 2. 132. Quod ſi ulterius roges, an in eo caſu iterum conſecrandus ſit calix cum nova hoſtia, ut omnia ordinatè peragantur? Negat cum aliis probabiliter Dicaſtillus *loco citato*, *num.* 293. aſſerens ſufficere utramque ſpeciem conſecrari, etiam ſi alterutra ſit jam ſumpta: quia cum hoc ſalvatur integritas ſacrificii, & ordinario illa non eſt de ſubſtantia. Affirmant tamen, alii, iterum conſecrandum eſſe calicem cum nova hoſtia, ne immutetur ordo in conſecratione harum ſpecierum, ne ſcilicet prius ſit conſecratus ſanguis, & poſtea corpus, propter quam cauſam Suarez, *diſput.* 85. *ſect.* 1. *In eo caſu libentius* (inquit) *uterer remedio conſecrandi iterum utramque ſpeciem, ſi commodè poſſem: quia ille ordo conſecrationis utriuſque, ſpeciei ſemper mihi videtur magni momenti, & aliunde non poteſt, quod ad ſcandalum pertinet, vel ad ſtantium notitiam, magis uno modo vitari, quam alio.* Quod etiam nobis placet, quemadmodum in eo caſu placuit Angelico Doctori, quem ſequitur Miſſale Pii V. & expreſſè Paludano, ut teſtatur idem Suarez.

Tertius caſus. 133. Tertiò: in ſubſtantialibus contingit defectus, ex eo quod impeditur Sacerdos à ſumptione calicis ob venenum ibi appoſitum, vel aliquod quod provocet ad vomitum: & quidem ſi defectum prævidet antè conſecrationem, aliam ſpeciem offerre, & conſecrare debet, projecta priori in locum decentem; ſi poſt conſecrationem, reponendum eſt vinum conſecratum in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo conſecrandum, & finitâ Miſſâ, ſanguis repoſitus in panno lineo vel ſtupa tamdiù ſervetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, & tunc ſtupa comburatur, & combuſtiu in ſacram piſcinam projiciatur, ut habetur in Miſſali reformato, §. 10. *de defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus.* Quod idem faciendum eſt, quando contingat Sacramentum putreſieri, aut ab animali comedi: debent enim comburi, & cineres in ſacram piſcinam mitti. Ita Sa, Azor, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *num.* 300. Palaus *loco cit.* & alii. Quod ſi Sacerdos evomat Euchariſtiam ſi ſpecies integræ appareant, reverenter ſumantur, niſi nauſea fiat, tunc enim ſpecies conſecratæ cautè ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſteà in piſcinam ſacram projiciantur. Quod ſi ſpecies non appareant, comburatur vomitus, & cineres in ſacram piſcinam mittantur. Si verò poſt conſecrationem ceciderit muſca, vel aliquid hujuſmodi in calicem, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet eum vino, finitâ Miſſâ comburat, & combuſtio in ſacram piſcinam projiciatur; ſi autem non fuerit ei nauſea, neque ullum periculum timeat, ſumat cum ſanguine. Quod ſi hoſtia conſecrata miraculosè diſpareat, tunc altera conſecretur, ab eo loco incipiendo: *Qui pridie quam pateretur*, facta ejus prius oblatione, ut ſupra: ut expreſſè habetur in Miſſali Romano. Unde videtur idem eſſe dicendum, ſi hoſtia conſecrata miraculosè in aliam formam tranſmutetur, ita ut ſumi non poſſit: videtur eadem omninò ratio.

134. Quartò, denique contingit defectus ſubſtantialis ob effuſum ſanguinem, vel ob hoſtiam conſecratam vento valido delatam. Et quidem ſi reperiatur pars aliqua hoſtiæ etiam minima, vel aliquid ex ſpeciebus ſanguinis ſuperſuerit, non erit neceſſarium aliam ſpeciem conſecrare, cum perfectum ſacrificium fieri poſſit, ut rectè obſervant Suarez, & Palaus *locis citatis.* Si verò contingat, calicem omninò effundi, vel hoſtia non apparere, conſecranda eſt alia ſpecies, incipiendo à verbis ſupra dictis, & facta prius ejus oblatione, ut ſupra. *Quartus caſus.*

135. Quando autem ſanguis decidit, debet abſorberi, aut lingi, ſi commodè fieri poſſit, locus deinde radi, & lavari raſurâ, & lavatura in ſacram piſcinam mitti. Si verò hoſtia cadat in terram, vel ſuper tapetem, Sacerdos radere debet, mundare, & lavare locum, pulveremque projicere in piſcinam, ut ex Miſſali, D. Thoma, Henriquez, Conincho, Rodriguez. Graff. Bartholomeo ab Angelo, tradit Dicaſtillus *loco citato.* Imponuntur autem in jure aliquæ pœnæ his, ob quorum negligentiam hujuſmodi caſus accidunt, ut videre eſt in Cap. *Si per negligentiam, de conſecratione, diſt.* 2. ſed nulla pœna eſt ipſo jure lata, & jam prudenti arbitrio judicis committitur, ut pro qualitate culpæ, & negligentiæ pœnam imponat: ſicuti notarunt Navarrus *in ſumm. capt.* 25. *num.* 89. Suarez, *diſp.* 85. *ſect.* 1. Palaus, *tract.* 22. *diſp. unica, punct.* 11. in fine. Quoad ceremoniarum Miſſæ explicationem eſt & ſignificationem legi poterunt Gonet. *diſp.* 11. *art.* 7. & alii.

CAP.

CAPUT QUINTUM.
De juſto Miſſæ ſtipendio.

CAPUT HOC CONSTAT TRIBUS PUNCTIS.

P. 1. *Qui, & quo titulo accipere poſſint ſtipendium pro Miſſa?*

P. 2. *Quantum ſtipendium accipere poſſit Sacerdos pro Miſſa, quando ſit obligatus celebrare, & pro quibus?*

P. 3. *An peccet mortaliter, ſi diù differat ſacrificium offerre in favorem illorum, quibus eſt obligatus?*

PUNCTUM I.

Qui, &, quo titulo accipere poſſint ſtipendium pro Miſſa?

Quomodo Miſſæ ſtipendium poſſit promiſſa accipi, & de eo paciſci, abſque ſimonia gravi?

2. CErtum eſt poſſe Sacerdotes (niſi ex alio capite impediantur) ſtipendium ſui miniſterii à fidelibus, quibus ſpiritualia miniſtrant, accipere: imò, & habere jus ad illud exigendum juxta illud Luc. 10. ubi Chriſtus Dominus dixit diſcipulis ſuis, dum eos ad prædicandum mitteret: *In eadem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Id quod ſupponit Apoſtolus 1. Corint. 9. dicens. *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant.* Et traditur in Concilio Agathenſi, *cap.* 36. Tota autem difficultas eſt in explicandu: quomodo Miſſæ ſtipendium poſſit dari, accipi, & de eo paciſci abſque ſimoniæ labe. Communior, & facilior explicandi modus eſt; ſtipendium non dari, accipi, vel in pactum deduci, pro pretio rei ſpiritualis, ſed ad ſuſtentationem miniſtri: ut enim ſtipendium dari, accipi, & in pactum deduci poteſt ad neceſſaria ad miniſterium exequendum, panem, ſcilicet vinum, ceram, &c. Ita ad ſuſtentationem ipſius Sacerdotis: quippe qui ſicut non poteſt celebrare abſque pane, vino, cerâ, &c. ita nec poteſt ſuæ ſeipſu ſuſtentatu: Unde etiamſi Sacerdos hæc omnia accipiat à petente Miſſam, nihilominus gratis dicitur offerre pro eo ſacrificium, cum non petat, niſi quæ ſunt neceſſaria, ad ipſum ſacrificium. Et quemadmodum ſi quis habens gratiam gratis datam ad curandum aliquod genus morbi, accerſeretur ad curiam Principis eo morbi genere laborantis, ut eum curaret, propoſitis magnis præmiis, poſſet dicere *gratis accepi, gratis dabo*: etiamſi peteret neceſſaria ad iter illud peragendum, & dum eſſet in curia expenſis Principis aleretur: quia hæc non ſunt pretium, ſed neceſſaria ad hoc, ut poſſet illic exequi ſuum miniſterium. Ita ergo Sacerdos ut miniſter evangelicus non facit contra præceptum Chriſti, gratis dandi, quod gratis accepit, ſi ab illis pro quibus celebrat, recipiat neceſſaria ad tale miniſterium exequendum, inter quæ computanda eſt ſuſtentatio ipſius Sacerdotis. Ita Suar. *diſp.* 86. *ſect.* 1. Cardin. Lugo, *de Euchariſtia, diſp.* 21. *n.* 13. & 14. Dicaſtil. *de Sacrificio Miſſæ, diſp.* 4. *dub* 16. Pellizarius, *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. *de ſtipendio Miſſæ, ſect.* 3. plures referens Palaus, *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 14. *n.* 3.

Illatio. 2. Ex his infertur, ſtipendium pro Miſſa accipi poſſe non ſolum a Sacerdote paupere, ſed etiam à divite, ſivè dives ſit ex ſuis patrimoniis, aut temporalibus bonis, ſivè etiam ex Eccleſiaſticis beneficiis, ut docent D. Thom. *quodlibeto* 6. *art.* 10. Navarrus, Sotus, Suarez, Petrus de Navarra, Reginaldus, Aragon, Vaſquez, Fraxinellus, Rodriguez, Henriquez, Lugo, Gonet, Franciſc. B. S. *diſp* 9. *n.* 87. & alii quos refert, & ſequitur Dicaſtil. *dicta diſp.* 4. *dub.* 18. contra alios. Quia cum uterque in gratiam alterius offerat ſacrificium, ad quod exequendum ſicut neceſſarius eſt panis, vinum, cera &c. Sic etiam eſt neceſſaria perſona Sacerdotis ſuſtentata, uterque poteſt nolle ex ſuo dare illi, quæ neceſſaria ſunt, ſed ea accipere ab eo, in cujus gratiam offert ſacrificium.

Obſervatio. 3. Obſervandum tamen eſt cum Suario, Palao, Dicaſtil. Anton. à Spir. S. hic *n.* 241. & Latius *in Direct. Regular. p.* 1. *tom.* 2. *diſp.* 2. *n.* 195. quod ſicut Juſtitiæ æqualitas non expoſcit, ut ſacrificanti dentur integræ ceræ candelæ ad celebrandum, ſed ſufficit valor partis earum, quæ in Miſſa conſumitur: ita etiam ſtipendium Miſſę ſecundum æqualitatem juſtitiæ non exigit, ut Sacerdotibus integra detur ſuſtentatio diurna pro ſola Miſſa, quæ non eſt integrum, ſed veluti inadæquatum Sacerdotis miniſterium: quippe cum non illud tantum habeat; ſed etiam alias actiones ſacras exerceat, ratione quarum poteſt aliquid in ſuſtentationem recipere, v.g. agendu funus, ſeu officium defunctorum, &c. Et inſuper propter Miſſę miniſterium non impediatur, quominus aliâ honeſtâ viâ poſſit aliquid ad vitam ſuſtentandam lucrari: ut habetur cap. *Clericus* 91. *diſt.* Neque Eccleſia vult adæquatam Sacerdotis ſuſtentationem diurnam ſolius Miſſæ miniſterio debere reſpondere. imò propterea ſtrictè cavet, ne quis ordinetur ſinè beneficio, aut patrimonio: ut habetur cap. *Non licet*, cap. *Epiſcopus*, cap. *Tuis*, cap. *Cum ſecundum Apoſtolum, de Præbendis.* Et in Trident. *ſeſſ* 21. *c.* 22. *de Reformat.* Unde quando hæc ſtipendia lege taxantur, non ſolent eſſe tam pinguia, ut ſola ad integram Sacerdotis ſuſtentationem ſufficiant, ac proindè nec ſunt majora exigenda, quando communi æſtimatione definiuntur.

Quorumſententia rejicitur. 4. Ex quo disjicitur ſententia plurium, quos refert Lugo ubi ſupra *n.* 27. aſſerentium poſſe Sacerdotem tot ſtipendia pro una Miſſa accipere, quot ſufficiant ad ſuſtentationem unius diei moderatam, & aliorum, qui id extendebant ad emendos aliquos libros, ſi Theologus, vel Juriſta eſſet, & ad ſuſtentandos parentes aliàs mendicaturos. Cujus oppoſitum omninò abſolutè tenendum eſt cum Suarez, Palao, Dicaſtillo citatis, & cum Fillirucio, Læſio, Navarro,

Azorio, quos refert, & ſequitur Cardin. Lugo, *dicto num.* 27. & cum Corduba, Toleto, Covarruvia, Gutierrez, Fagundez, quos refert, & ſequitur Philibertus *de Sacrificio Miſſæ, part.* 2. *cap.* 16. *n.* 22. & cum Vaſquez, Layman, Rodriguez, Bonacina, quos affert, & ſequitur Palaus, *n.* 4. Qui docent non integrum unius diei victum pro uno ſacrificio expòſtulari poſſe. Et hoc ſuo præcepto confirmavit Sacra Concilii Congregatio anno 1625. ſub obligatione peccati gravis, & onere reſtituendi, ut teſtatur Cardinalis Lugo.

PUNCTUM II.

Quantum ſtipendum accipere poſſit Sacerdos pro Miſſa? Quando ſit obligatus celebrare? Et pro quibus?

Concluſio. 5. ILla pars ſuſtentationis juſtum ſtipendium cenſetur pro unius diei ſacrificio, quæ lege Pontificia, vel Epiſcopali fuerit taxata: Quod ſi fortè nulla talis taxatio facta ſit, non ex cujuslibet ſingulari arbitrio taxatio juſta deſumenda eſt, ſed ex eo quod receptum eſt conſuetudine, darique ſolet à viris timoratis: uti docent Filliucius, Suarez, Sotus, Navarr. Fraxinellus, & Cardin. Lugo, quos refert, & ſequitur Pellizarius, *ſect.* 3. *n.* 56. Vaſquez, Layman, Barboſa, quos citat, & ſequitur Palaus, *punct.* 14. Lex autem, vel conſuetudo taxans ſtipendium, numquam prohibet, quin fideles poſſint dare majus, & Sacerdotes recipere minus, ſi velint, ut benè probant Vaſquez, Suarez, Miranda, Barboſa, quos affert idem Palaus; ſed tantum obligat fideles, ne minori ſtipendio velint ſacrificium exigere, & Sacerdotes nè abundantius taxato exigant. Ita etiam ſentit N. Ant. à Spir. S. *in Direct. Confeſſar. tr.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. ubi plura habet notatu digna.

Non licet ab uno, vel à pluribus plura juſta ſtipendia exigere pro unico ſacrificio. 6. Nemini tamen licitum eſt ab eodem, vel à pluribus plura juſta ſtipendia exigere, & unico ſacrificio ſatisfacere; nam eſto ſacrificium pluribus applicatum æquè proſit ſingulis, ac ſi ſingulis applicaretur: at ſtipendium non conceditur in pretium fructus applicandi, ſed in ſuſtentationem Sacerdotis, qui fructum applicare debet: ac proinde accipiens ab uno unicam, & juſtam pro unico ſacrificio ſuſtentationem immeritò ab alio pro eodem ſacrificio ſuſtentationem expoſtulat, ut benè cum Vaſquio, Suario, Barboſa, Layman, & Bonacina, Palaus *loco cit.* & cum multis aliis Diana, *tom.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 8. & N. Lezana quem ſeq. Stephan. à S. Paulo hic *dub.* 11. & Sacra Congregatio *in Decretis*, §. 3. ſub obteſtatione divini judicii mandat, ac præcipit, ne ullus Sacerdos hoc faciat, ſub obligatione peccati gravis, & onere reſtituendi. Idemque in noſtris Carmelitarum Diſcalceatorum conſtitutionibus Congregationis Hiſpaniæ à Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro VII. confirmatis, *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. ſub gravi pœna prohibetur, ibi: *Numquam pro una Miſſa, niſi una tantum pictantia in Ordine recipiatur; neque ulla ratione dicantur Miſſæ anticipatæ pro incertis perſonis, vel eleëmoſynis, quæ poſteà fortè recipientur, neque pro eis applicari poterunt ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per quatuor menſes iis, qui in aliquo horum deliquerint.*

Quæſitum 1.

7. Sed petes primò: An ſaltem poſſet id fieri per aliqua privilegia Summi Pontificis quæ aliquibus Religionibus conceſſa erant? Reſpondetur cum N. Gabr. Lezana, Steph. *loc. cit.* & aliis, Sacram Congregation. in illo Decreto authoritate Summi Pontificis, & de ejus mandato hujuſmodi privilegia omninò revocaſſe, §. 4. ibi. *Id verò ut deinceps obſervetur exactius, ſacra Congregatio eadem authoritate revocat privilegia, & indulta omnia, quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac locis piis, tam ſæcularibus, quam regularibus cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & inſtituti quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus, in futurum, uſ ſtipendiis ſatisfiat.*

8. Petes ſecundò: An Sacerdos, à quo Miſſa *Secundum.* poſcitur, dato ei ſtipendio infra quantitatem juſtam lege, vel conſuetudine taxatam, poſſit unâ Miſsâ ſatisfacere pluribus ſtipendiis, donec ſingulis correſpondeat unum juſtum ſtipendium? Affirmant Corduba, Vaſquez, Suarez, Petrus de Navarra, Henriquez, quos citat Palaus *loco cit. num.* 6. Rodriguez, Angles, Nuñus, Fernandez, Filliucius, Scortia, quos affert Diana, *tom.* 2. *tract. de Celebratione Miſſarum, reſolut.* 7. & probabilem reputat Layman, *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 13. & Palaus, *dict. num.* 6. Licet aliqui eorum id non concedant, ſi adſit expreſſa promiſſio dicendi Miſſam pro illo exiguo ſtipendio. Negant verò abſolutè Coninchus, *quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *num.* 193. & alios referens Bonacina, *diſp.* 4. *de Sacramentis, quæſt. ultim. punct.* 7. §. 1. *num* 8. & Sacra Congregatio in ſuo Decreto graviſſimè prohibet, ne ullus Sacerdos id faciat, & ultra peccatum grave, vult quod maneat obligatus ad reſtituendum. Et ita poſt hoc decretum hanc negativam ſententiam docent Diana *loco cit.* & 5. *part. tract.* 13. *reſolut.* 52. Cardinalis Lugo, *diſp.* 21. *num.* 26. Philibertus, *cap.* 21. Leander *de Sacrificio Miſſæ, diſp.* 4. *quæſt.* 5. Gaſpar Hurtado *de Sacrificio Miſſæ, diſp.* 4. *diffic.* 25. N. Lezana verb. *Miſſa.* Stephan. *n.* 60. Gonet *diſp.* 11. *n.* 113. dictum decretum clarè, & abſolutè loquitur.

9. Petes tertiò: An Sacerdos poſſit pro Miſſa *Tertium.* diei feſti duplum ſtipendii accipere, quod aliis diebus erogari ſolet? Affirmat Homobonus, *in Examine Eccleſ. part.* 1. *tract.* 4. *c.* 13. *quæſt.* 120. Sed Sacra Congregatio in ſuo decreto id graviſſimè prohibet, dicto §. 3. atque ita eam ſententiam jure rejiciunt Diana, *tom.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 9. Machado, *lib.* 4. *p.* 1. *tract.* 12. *document.* 9. *n.* 1. Leander *diſp.* 4. *q.* 7. N. Gabr. à S. Vinc. *diſp.* 3. *de Sacrificio Miſſæ, q.* 7. Anton. *n.* 253.

10. Petes quartò: An poſſit Sacerdos duo- *Quartum.* bus ſtipendiis à duabus perſonis acceptis ſatisfacere unicâ Miſsâ, applicando uni partem ſolitam, & alteri ſuam, ſeu fructum ſpecialem, qui correſpondet ipſi celebranti, cuique ipſe renuntiat, & cedit? Affirmant Molfeſius apud Dianam, *tom.* 2. *tract.* 14. *reſolut.* 14. Bartholomæus à Sancto Fauſto, *tract. de Euchariſt. lib.* 2. *q.* 258. Leander *q.* 10. Philibertus *de Sacramento Ordinis tract.* 3. *part.* 2. *c.* 16. *n.* 7. Quod etiam admittit Filliuc. *tract.* 5. *c.* 6. *n.* 181 caſu quo Sacerdos partem trium Miſſarum ſibi correſpondentem applicet pro una Miſſa debita. Negant

vero

vero Navarrus *de celebratione Miſſarum*, *conſil.* 8. Suarez, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Cardinalis Lugo, *diſp.*21. *num.*33. Fraxinel. Megallius, Rodriguez, quos citat, & ſequitur Diana, *tom.*5. *tract.*14. *reſolut.*45. Item Gavantus, & Perſicus, quos pro ſe adducit idem Diana, *tom.* 6. *tract.* 6. *reſol.*8. Pellizarius, *tract.*5. *cap.* 9. *de Stipendio Miſſæ*, *ſect.*3. N. Lezana *in Summa*, *part.*4. verbo *Miſſa*, *num.* 17. Gabr. à S.V. *loc. cit.* Anton. *n.*258. Stephan. à S. P. Franciſc. Gonet, Herinx, hic *diſp.*8. *q.*15. & alii. Et quidem meritò: quia vel illam partem fructus ſpecialis Miſſæ non poteſt transferri in alium Sacerdos, ut docent Bonacina, *diſp.*4. *quæſt. ult. punct.*8. *num.*16. Scotus, & Gabriel, quos affert, & ſequitur Suarez, *diſp.*79. *ſect.*9. *& diſp.*86. *ſect.* 1. Poſſevinus, *cap* 2. *n.*25. Rodriguez, Miranda, Lichetus, quos citat, & ſequitur Pellizarius *loc. cit. n.*58. vel certè eſt res valde dubia; ut inquiunt Lugo, & N. Anton. qui autem dat ſtipendium certum pro Miſſâ, intendit habere certum fructum ipſius Miſſæ, partem ſcilicet illam, quam Sacerdos, ut miniſter Chriſti applicare poteſt nomine ipſius Chriſti: ergo cum aliàs Sacerdos certò ſcire non poſſit, an ſit capax dicti fructus ſpecialis, qui pendet à ſtatu gratiæ, de quo non poteſt conſtare Sacerdoti, juxta illud Eccleſ. 9. *Nemo ſcit, utrùm amore, an odio dignus ſit.* Supradictus ſpecialis fructus non poteſt alteri exhiberi, tanquam ex contractu, ut patet. Quare hæc ſententia negans omninò tenenda eſt, maximè poſt Sacræ Congregationis decretum, poſt quod hodie jam non eſſe dubium, docet idem doctiſſimus Lugo: quia per illud prohibetur, unquam unicâ Miſsâ duobus ſtipendiis ſatisfacere, etiam cum onere reſtituendi. An verò Sacerdos poſſit idem ſacrificium offerre pro eo à quo recepit eleëmoſynam & ſimul pro aliis ex charitate vel ex conſtitutione religionis affirmant cum N. Lezana & pluribus aliis Gonet hic *diſp.* 9. *art.*6. Stephan. à S. Paulo à *num.*67. ubi alia breviter & utiliter pertractat.

Quintum. 11. Petes quintò: An Sacerdos, qui Miſſas dicendas ſuſcepit, poſſit aliis Sacerdotibus dicendas dare, retenta ſibi parte ſtipendii accepti, & dato illis ſtipendio quidem juſto, ſed inferiori? Verùm hoc dubium jam ceſſavit ex prædicto Sacræ Congregationis decreto, in quo prohibetur, ne unquam id fiat, ut omne damnabile lucrum ab Eccleſia removeatur.

12. Quod idem ſervandum eſſe, quando Sacerdoti datur eleëmoſyna major ſolita pro celebratione Miſſarum, nec tunc partem poſſe retinere, declaravit eadem Congregatio, ut habetur in declarationibus Sacræ Congregationis Concilii Sanctiſſimi Papæ Urbani VIII. authoritate editis ſupra decretis ejuſdem Congregationis in reſponſione *Ad novum.*

19. Ubi etiam octavo loco quæſitum fuit, an prædictum decretum habeat locum in beneficiis, id eſt, an Rector beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redituum beneficii? Et Sacra Congregatio reſpondet: *Ad octavum, non habere locum, ſed ſatis eſſet, ut Rector beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleëmoſynam congruam ſecundum morem civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit.* Quod etiam docuerant Suarez, *diſp.*86. *ſect.* 3. Sà, verb. *Miſſa*, *num.* 45. Vaſquez, *diſp.*234. *cap.*4. atque idem tradunt Lugo, *ubi ſup.* Layman, Barboſ. Bonacina, quos citat, & ſeq. Palaus, *dicto punct.* 14. *n.*9. N. Anton. *n.* 263. Stephanus à S. P. *n.*71. Gabriel à S. Vincent. *de remediis ignorantiæ diſp.*12. ubi *dub.* 8. 9. *&* 10. eruditè admodum & fuſius tuetur & explicat has tres ab Alexandro VII. damnatas opiniones: 1. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando partem etiam ſpecialiſſimam, fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque, poſt Decretum Urbani VIII.* 2. *Poſt Decretum Urbani VIII. poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio alia parte ſtipendii ſibi retentâ.* 3. *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre neque etiam eſt contra fidelitatem etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.*

14. Ibidem ſeptimo loco circa idem decretum interrogatum fuit, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleëmoſynam portionum pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, altarium inſervientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium, & ſacra Congregatio reſpondit: *Permittendum non eſſe ut Eccleſiæ, vel loca pia, aut illorum adminiſtratores ex eleëmoſynis Miſſarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expenſarum, quas habent in Miſſarum celebratione; niſi cum Eccleſia, & loca pia alios non habeant reditus, quos in uſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint: ac tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm Miſſarum ſacrificio, neceſſario ſunt ſubeunda; ac nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſupra deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleëmoſynas.*

15. Non tamen videtur probiberi in præfato Sac. Congregat. decreto retinere exceſſum ſtipendii, in caſu, quo Sacerdos à viro amiciſſimo, non ſolum ad Miſſam attendendo, ſed etiam ad perſonam ſibi amicitia, vel alia ratione conjunctam, quæ Miſſam celebrare debebat, accepit duplicatum ſtipendium; ſecùs verò ſi ſolo intuitu Miſſæ accepit. Ita cum Diana, *tom.*2. *tract.*14. *reſol.*12. tenet expreſsè Dicaſtill. *de Sacrific. Miſſæ*, *diſp.*4. *dub.*20. & favet Pala. *tr.*22. *diſp. unic. punct.* 14. *n.*9. cum aliis, quos refert ibid.

16. Item non videtur eſſe contra prædictum decretum retinere exceſſum ſtipendii, ſi Sacerdos, qui dicturus eſt Miſſas, id condonet alteri Sacerdoti, qui illas commendat, ita tamen ut condonatio omninò ſpontè, & liberè fiat; non verò ex metu aliquo, quia fortaſſe aliàs non darentur ſibi illæ Miſſæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, vel quid ſimile: quod in praxi vix poterit abſque periculo contingere. Ita Card. Lugo *diſp.*21. *ſect.*2. *n.*32. in hoc ſenſu intelligens authores aliquos, quos affert Dian. *loc. cit. reſol.* 13. & Lugoni in ſenſu explicato ſubſcribit Dicaſtillus, *n.*376.

17. Petes ſextò: An Sacerdos, qui ex fundatione Capellæ, vel alio titulo eſt obligatus ad celebrandum in hac Eccleſia, vel in hoc altari, *Quæſitum 6.*

peccet

peccet alibi celebrando? Reſpondetur dicendum, peccare mortaliter, ſi abſque juſta, & legitima cauſa, vel diſpenſatione, ſæpius alibi celebret: quia in re gravi defraudat fundatorem, qui ordinando Miſſas in tali Eccleſia, vel altari non ſolum cenſetur ſpectare defunctorum animabus prodeſſe, ſed etiam vel alicujus imaginis, & altaris ſpecialem cultum, & devotionem, vel commodum populi, ut poſſit ibi audire Miſſam, vel memoriam ſuæ familiæ ad quam illa capella, vel altare pertinet, vel quid ſimile intendere. Ita docent Navarr. Azorius, Graffis, Homobo. Fraxinel. & Fagundez, quos citat, & ſequitur Diana, *tom.* 2. *tract* 14. *reſol.* 29. Sylveſter, Henriquez, Barboſa, quos adducit, & ſequitur Palaus, *tract.* 13. *de Beneficiis, diſp.* 1. *punct.* 6. *n.* 26. Stephan. *n.* 75. Anton. *n.* 281.

18. Dictum eſt autem, *ſi celebret abſque juxta, & legitima cauſa*: quia poteſt à celebratione in tali loco impediri juſta cauſa intercedente, nempe violatione Eccleſiæ, vel ſi adeſſet inundatio aquarum, vel alia via, & tunc nullum eſt peccatum, neque obligatio ſupplendi, modo alibi celebret.

19. Dictum eſt etiam: *ſi abſque diſpenſatione, Juſta cauſa intercedente, fiat*: quia Capellanus obligatus celebrare ad certum locum, & altare, aut tali hora diei, ut ad auroram juxta onus expreſſum in fundatione, poteſt, ab harum circumſtantiarum obligatione eximi ex diſpenſatione Epiſcopi ex juſta cauſa: puta, ut qui in Academia ratione ſtudii abeſt, ſatisfaciat oneri celebrando in alio loco, tempore, & horâ: quia in illa diſpenſatione ſolum voluntas fundatoris in accidentibus omittitur, & altiori bono compenſatur: uti docent Henriq. *lib* 9. *de Sacrific. Miſſæ, c.* 24. *§.* 4. & cum aliis Barboſ. 2 *p de poteſtate Epiſcopi allegat.* 24. *n.* 36. Pala. *n.* 27. N. Anton. *n.* 283.

20. Dictum eſt denique: *ſi ſæpius alibi celebret*; nam ſi rarò id fiat, non facilè continget peccatum mortale propter parvitatem materiæ, imò ſi rarò fuiſſet cum cauſa rationabili non erit peccatum veniale: non enim cenſetur fundator voluiſſe cum tanto onere obligare ſuum Capellanum, uti rectè advertit Cardinalis Lugo, *dict. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 36.

Quæſitum 7.

21. Petes ſeptimò: An Sacerdos obligatus celebrare in altari privilegiato, ſatisfaciat ſuę obligationi celebrando in alio altari non privilegiato, exiſtimans, ſe privilegio imaginis, vel calculi benedicti, animam illius, pro quo celebrare tenebatur, è purgatorio per modum ſuffragii eximere poſſe? Reſpondetur non ſatisfacere: quia infideliter agit cum detrimento alterius: magis enim, & ſecuriùs prodeſt Miſſa in altari privilegiato celebrata, quam recitatio brevis alicujus orationis, privilegio imaginis, vel calculi. Ita Dian *tom.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 29. Navarr. Azor. & Fraxinel. apud Dicaſtil. *diſp.* 2. *dub.* 21. *num.* 390. Bonacina ſupra, §. 4. *n.* 5.

Excuſetur-nè à celebratione in altari privilegiato ſi aliis indulgentiam obtineat?

22. Sed quid ſi Sacerdos in caſu poſito habeat calculum, vel imaginem benedictam cum indulgentia ad liberandam animam purgatorii in ſingulis Miſſis? Satisfaciet nè ſufficienter obligationi, celebrando in alio altari non privilegiato cum dicto calculo benedicto, ſi is qui petiit Miſſam in altari privilegiato, univerſaliter locutus eſt, & nullum altare particulare privilegiatum determinavit? Affirmant Fraxinel. & Alphonſ. de Leone, apud Pellizar. *de Miſſæ ſtipendio, c.* 9. *ſect.* 3. *n.* 80. cum quibus ſentit Dian. *tom.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 12. cum Philiberto, & Ant. Ruteo. Item Megallius *variar. reſol. tom.* 2. *reſol.* 187. *n.* 20. Paſqualigo *dec.* 427. quia cenſent in eo caſu Sacerdotem ſufficienter ſervare promiſſionem, & obligationem per æquipollens, & nihil refert, quod ex æquipollentibus fiat ex lege *Finali. §. finali, ff. mandati.* Verum cum his authoribus nobis lis nulla erit, quoties prudentis judicio minor privilegii cauſa, & certitudo in imagine, vel calculo particulari non fuerit, quam quæ in altari privilegiato reperitur. Quoties vero minor cauſa, & certitudo dicti privilegii prudentum judicio fuerit inventa, ſicut non poterit ſervari ſufficienter promiſſio, & obligatio per æquipollens: ita & nequibimus nos præfatis authoribus aſſentiri. Et ita in praxi oppoſitam ſententiam regulariter amplectuntur Doctores communiter, teſte Pellizar. *dicto n.* 80. & ſpecialiter tradunt Card. Lugo, *n.* 39. & idem Pellizar. & alii, ea ducti ratione, quod indulgentia applicata altari privilegiato regulariter ſolet eſſe magis authentica, & ſecura, quam quæ applicatur alicui calculo benedicto, & fortaſsè minus dependet à ſtatu gratiæ ipſius celebrantis, ut habeat effectum. Et ita fuiſſe determinatum Bononiæ in caſibus conſcientiæ ibi diſcuſſis an. 1634. menſe Febr. *caſu* 1. *fol.* 9. quia non eſt ita certum privilegium numiſmati conceſſum, ſicut certum eſt moraliter privilegium altaris, fatetur Diana, *dict. reſol.* 12.

23. Petes octavò: An Sacerdos poſſit accipere duplex ſtipendium pro una Miſſa, alterum pro applicatione fructus, qui tradenti eleemoſynam evenire ſolet, alterum pro applicatione indulgentiæ altaris privilegiati, cui conceſſa ſit liberatio animæ purgatorii? Affirmat Bordonus, *tom.* 1. *Conſil. et. Regular. reſol* 25. *n.* 17. Verum oppoſitum omninò tenendum eſt cum ſapientiſſimo N. Lezana *in Summa*, *p.* 4. verb. *Miſſa*, *n.* 18. ubi Bordoni ſententiam vocat non ſolum ſingularem: cum nullum alium pro ſe patronum habeat, ſed & contra communem ſenſum fidelium, qui quando petunt pro aliquo defuncto dici aliquam Miſſam cum indulgentia altaris privilegiati, petunt applicationem, tum indulgentiæ, tum fructus, qui communiter in aliis Miſſis applicatur, imò, & contra intentionem Pontificum tales indulgentias concedentium, qui hoc ſine dubio intendunt, & multum ab illis lucris, & negotiationibus abhorrent. Quare ait ſe non videre quomodo ſuſtineri poſſit, maximè poſt decreta ſacræ Congregationis generaliter prohibentia recipi plura ſtipendia pro una Miſſa, & ideo meritò adverſus Bordoni ſententiam inſurgunt etiam Cotonius, & Tamburinus, quos ref. & ſeq. Dian. *tom.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 70. N. Gabr. à S. V. *de Sacrif. Miſſæ diſp.* 3. *q.* 7. *in Summa*, verb. *Miſſa*, & *tract. de remed. ignor. diſp.* 12. *dub.* 9. Stephan. à S. P. *n.* 65. Ant. à Spir. S. *in direct. confeſſ. tract.* 7, *n.* 257. — Quæſitum 8.

24. Petes nonò: An cum Sacerdos ratione ſtipendii prius accepti, beneficii præbendæ, Capellaniæ, &c. ſolùm eſt obligatus celebrare tali die, in tali loco Eccleſiâ, Capellâ, &c, pro cultu Eccleſiæ, commoditate populi, &c. relicta — Quæſitum 9.

illi

Digitized by Google

illi expreſsè Facultate applicandi ſacrificium pro alio, à quo accipere ſtipendium poſſit tunc illud accipere pro applicatione Miſſæ? Affirmant Suarez, Vazq. Alphonſus de Leone, Fraxinellus, Homobonus, Bartho. à S. Fauſto, Turrianus, & Ludov. à Cruce, quos citat, & ſequitur Cardin. Lugo, *dict. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 21. Item Leander *de ſacrif. Miſſæ*, *diſp.* 4. *q.* 12. ſed poſt declarationem decreti S. Congregationis Concilii ſub Urbàno VIII emanati, quæ habetur in declarationibus dicti decreti, §. *Ad quartum reſpondetur*: cujus hæc ſunt verba. *Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare, ratione beneficii, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſsâ utrique obligationi ſatisfacere.* Negativam ſententiam tenet Gavantus *in rubricas Miſſalis, tom.* 1. *p.* 3. *tit.* 12. *n.* 5. innixus verbis prædictæ declarationis, & in hanc ſententiam inclinat etiam Diana, *tom.* 2. *tract.* 14. *reſolut.* 80.

25. Verum adhuc poſt prædictum S. Congregationis reſponſum, affirmativæ ſententiæ probabiliter adhærent Ludovicus à Cruce, Card. Lugo, & Leander citati Et ad reſponſum S. Congregationis reſpondent, ibi ſermonem eſſe de Sacerdotibus, qui ratione beneficii, Capellæ, legati, aut ſalarii certis diebus obligantur ad celebrandum pro aliquo: hi enim non poſſunt acceptâ eleëmoſynâ ab alio, eâdem Miſsâ utrique ſatisfacere debito, ſcilicet celebrandi pro utroque; non verò ibi eſſe ſermonem de Sacerdote, qui uni ſolum deberet celebrare in tali loco, ut poſſet commodè audire Miſſam, relicta illi expreſsè facultate applicandi ſacrificium pro alio.

26. Idque ita intelligendum eſſe, ſuadetur: quia in decreto, quod in illo reſponſo à S Congregatione declaratur, impoſitum erat onus reſtituendi, quod in caſu noſtro non habet locum, ſicut illum non haberet in caſu, quo dans, aut relinquens ſtipem, expreſsè diceret, ego volo, ut poſſis recipere ſtipendium ab alio, & offerre pro illo, perindè ac ſi à me nihil accepiſſes, & te liberum manere ab omni onere reſtituendi: hæc enim omnia virtualitèr dicuntur, quoties Capellano datur aliquid ſolùm, ut celebret in tali loco, relictâ illi expreſsè facultate applicandi Miſſam alteri, à quo accipiat ſtipendium. In dubio verò non præſumitur datum, vel relictum Capellano pro cultu ſolum Eccleſiæ, ſed pro applicatione etiam ſacrificii, niſi aliud exprimatur, uti notat Alphonſ. à Leone, *in tract. de Jubil, p.* 3. *q.* 20. *n.* 27. & N. Anton. *n.* 246. *& prac.* ubi hac de re plura habet utilia.

Quæſitum 10. 27. Petes decimò: An Capellanus, qui tenetur ſingulis habdomadis aliquas Miſſas celebrare pro fundatore, vel pro aliquibus defunctis, ſatisfaciat illas in hebdomoda antecedenti celebrando? Reſpondetur, regularitèr ſatisfacere: ut docent Bonacin. *de Euchariſt. diſp.* 4. *q. ult. p.* 7. §. 5. *n.* 4. Pet Navarra, Emanu. Sa, Rodriguez, quos citat, & ſequitur Lugo, *diſp* 21. *ſect.* 2. *n.* 44. Dicaſtil. *diſp.* 4. *dub.* 21. *n.* 405. Et in ſimili, de illo, qui ex pœnitentia debet aliquid tali tempore faciendum, docet Thom. Sanch. *l.* 4. *de voto, c.* 14. *n.* 26. Et ratio eſt: quia anticipata ſolutio regulariter meliùs proderit, quam ſi dilata fuiſſet in hebdomadam ſequentem.

28. Diximus *regulariter*: quia caſu quo fundator reſpexiſſet ad tempus illud determinatum propter aliquam ſpecialem cauſam: vel quia nimirum pertinet ad honorem, & decorem ſuæ Capellæ, ut nulla in hebdomada Miſſæ ſacrificia prætermittantur: vel quia ſtatutos, & certos dies determinavit, ut dies Dominicos, ut faciliùs poſſent fideles implere præceptum audiendi ſacrum, dies ſabbati, ut propter devotionem B. Virginis habeant Parochiani ſacrum paratum, voluntas fundatoris tamquam lex adimplenda eſt. Ita Cardinalis Lugo, Petr. Navarra, Rodriguez, Reginald. Riccius, Molfeſius, quos adducit, & ſequitur Bonacin. *loc. cit.* Dicaſtill. *n.* 406. N. Anton. *n.* 292. & alii communiter.

29. Similiter illa anticipatio non eſt admittenda, quando redundat in alterius præjudicium, ut ſi Sacerdos debeat celebrare ſingulis hebdomadis, vel menſibus pro defunctis alicujus populi, vel communitatis, ex illa enim anticipatione fit, ut illi, qui moriuntur menſe, vel hebdomadâ poſt Miſſam anticipatè celebratam, fraudentur illo ſubſidio menſe, vel hebdomadâ ſequenti, cum tamen voluntas fundatoris fuerit omnibus ſucceſſivè ſubvenire, ut benè advertunt Lugo, & Dicaſtillus citati.

30. Petes undecimò: An qui ex fundatione debet celebrare certis diebus: v. g. feriâ 2. 6. & ſabbato, poſſit aliis diebus ejuſdem hebdomadæ celebrare? Reſpondetur: ſi fundator deſignavit illos dies ſinè myſterio, ſed ſolum, ut ter in hebdomada celebraretur pro ipſo, poſſe aliis diebus ejuſdem hebdomadæ celebrare, cum illa circumſtantia tunc ſit merè accidentalis; ſi verò deſignavit illos aliquo ſpeciali motivo, aut reſpectu: v. g. ut feriâ ſecundâ diceretur Miſſa pro animabus purgatorii, feriâ ſextâ in honorem Dominicæ Paſſionis, & ſabbato pro honore Beatæ Virginis, aliis diebus non ſatisfacere. Ita Lugo, & Dicaſtillus citati, Anton. *n.* 579. Non tamen facilè poterit in prædictæ deſignationis omiſſione mortaliter delinqui, cum materia ſit ex ſe parva, præſertim ſi cum cauſâ, vel non multum frequenter fiat: ut benè obſervat idem Lugo. *Quæſitum* 11.

31. Petes duodecimo: An Capellanus qui ter quatervè in bebdomada celebrare tenetur, ſatisfaciat celebrando diebus ferialibus, vel teneatur Dominicis, aut aliis feſtis Miſſæ ſacrificium perſolvere? Reſpondetur ſatisfacere in ferialibus per ſe loquendo: quia Capellanus obligandus non eſt ultrà voluntatem fundatoris, qui, ut ſupponimus, ſolum ſignificavit velle, ut toties celebraretur in hebdomada. Ita Bonac. *de Eucha. diſp.* 4. *q. ult. punct.* 7. §. 4. Dicaſtil. ubi ſup. *n.* 407. Diximus *per ſe loquendo*: quia aliquando fieri poteſt, ut ex accidenti teneatur celebrare in diebus feſtis: ſi enim fundator inſtituit Capellaniam in eo loco, in quo nullum aliud celebratur Miſſæ ſacrificium, ex hac, & aliis circumſtantiis præſumi ſufficienter poteſt, fundatorem voluiſſe, non ſibi tantum conſulere, verum etiam bono publico illius loci providere, ut fideles ibi commorantes ſatisfacere valeant præcepto audiendæ Miſſæ, in die feſto: niſi aliter colligatur de mente fundatoris. Ita teſtatur Bonac. cenſuiſſe Congregationem Pœnitentiarii Mediolanenſis ipſo præſente, & ita conſulente. *Quæſitum* 12.

Quæſitum 13. 32. Petes decimo tertiò : An qui tenetur ex Capellania diebus feſtis celebrare, nomine feſti debeat intelligere feſtum fori, & præcepti Eccleſiæ ? Reſpondetur affirmativè (niſi aliud expreſsè conſtet) quia verba accipi debent juxta communem loquendi modum, juxta quem dies feſti dicuntur, qui ſunt feſti fori, & præcepti, ut benè docet Dicaſtillus, *num.* 410.

Quæſitum 14. 33. Petes decimo quartò : An Capellanus, aut beneficiarius ſimplex poſſit Miſſas ob ſuum beneficium debitas per alium dicere ? Negat Riccius *in praxi tom.* 1. *reſol.* 340. *n.* 6. movetur argùmento Rectoris Parochiani infirmi, qui non poteſt deputare Vicarium ; ſed munus deputandi pertinet ad Epiſcopum. Verum hoc argumentum nihil probat cum diverſa ſit ratio de ſubſtitutione Capellani, & Vicarii Parochi, Capellanus enim Miſſam tantum celebrare tenetur ; Vicarius autem Parochi præter onus celebrandi, onus habet curæ animarum : & ita à ſolo Epiſcopo rectè debet Parocho infirmo ſubſtitui. Ita Fraxinell. quem citat, & ſequitur Diana, *tom* 4. *tract.* 4 *reſol.* 87. Ad quæſitum ergò reſpondetur cum Dicaſtill. & aliis, poſſe, niſi in inſtitutione Capellaniæ, expreſsè diſponatur, ut Capellanus per ſeipſum celebret, ut rectè ex declaratione Cardinalium probat idem Diana, *dict. reſol.* 87. & teſtatur Campanill. *in diver. jur. Can. rub.* 7. *c.* 6. *n.* 13.

Quæſitum 15. 34. Petes decimo quintò : An Capellanus ægrotans debeat interim dare ſtipendium alteri, ne fraudetur teſtator, vel fundator illis Miſſis ? Affirmat Enriqu. *l.* 9. *de Miſ. c.* 24. Ex communi tamen ſententia Dian. *tom.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 27. Lug. *dict. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 48. Dicaſt. 411. N. Ant. *n.* 268. Steph. *n.* 73. cum N. Lez. *verb. Miſ.* diſtinguunt de infirmitate brevi, & longa : ſi longa ſit, aſſerunt debere ſuppleri per alium, ſi brevis, non debere, niſi fundator expreſsè, vel tacitè ſignificaverit animum, & mentem ſuam, quod non deſit Miſſa in tali loco, vel Capella.

35. Sed quæ ſit judicanda infirmitas brevis ad hoc propoſitum, non omnes conveniunt, Molfeſius, Riec. Graffis, Fraxin. Barb. Homob. quos refert Diana, *dict. reſ.* 27. dicunt, ſi morbus durat per octo, vel decem dies, non eſſe obligationem ſupplendi per alium. Bonacina, *diſp.* 4. *de Miſſæ ſacrif. q. ult. punct.* 8. *n.* 17. & Diana, *loco citato*, id extendunt ad quindecim dies. Gaſpar Hurtado, & Layman, apud Dianam, *tom.* 4 *tract.* 4. *reſol.* 238. ad unum menſem. Huic extenſioni, cui libenter ſubſcribimus, favet Concilium Mediolanenſe Provinciale ſeptimum titul. de Miſſis, ubi ſic dicitur : *Si Capellanus ſaltem per annum functus ſit munere celebrandi in aliquo loco, ſi etiam per menſem ægrotet, adhuc integram eleemoſynam judicio Epiſcopi accipere poteſt.* Verum Petrus de Navarra, Philib. Nald. quos refert, & ſequitur Leander *de ſacrif. Miſſæ, diſp.* 5. *q.* 29. id ad ſpatium duorum menſium extendunt. Hunc ultimum approbat Lugo. cum aliis apud Dianam, & apud ipſum aſſentitur Dicaſtillus, *dict. n.* 411. in fine. & probabile reputat N. Antun. *n.* 269. quia ita præſumi poteſt de mente fundatoris, niſi contrarium ſignificaverit.

Quæſitum 16. 36. Petes decimo ſextò : An Capellanus electus, & obligatus ad celebrandum quotidiè poſſit in quolibet anno, quater, vel ſexies pro ſe ipſo, vel pro aliquibus ſibi valdè conjunctis ad ſpecialem aliquam gratiam obtinendam, vel pro anima ſui patris, vel matris, vel cariſſimi amici, aut benefactoris celebrare ? Reſpondetur affirmative ; quia creditur, quod pius quotidianæ Miſſæ, vel Capellaniæ inſtitutor, ſi de tali caſu præcogitaſſet, vel interrogatus fuiſſet, hoc minimè negaſſet. Ita Naldus, & Homobon. quos refert, & ſequitur Dian. *tom.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 86. Alphonſus de Leone, *tract. de Jubilæo, part.* 3. *q.* 20. *num.* 22. Philibert. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 33. *num.* 4. & cum Lezana Stephan. *num.* 74. & alii.

37. Petes decimo ſeptimò : An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, poſſit ſemel in hebdomada causâ majoris honeſtatis Miſſam prætermittere ? Reſpondetur poſſe, ſi in fundatione Capellaniæ fuit electa perſona, ut ſi dicatur, eligatur Sacerdos, qui quotidiè celebret, aut volo, ut Sacerdos electus ad hanc Capellaniam, quotidiè celebret ; ſecus ſi in fundatione Capellaniæ non electa fuerit perſona, ſed tantùm habita fuerit ratio loci, aut Miſſæ celebrandæ, ut ſi in fundatione dicatur : volo, ut dicatur Miſſa quotidiè in tali Eccleſia, aut Capella, &c. quia tunc tenebitur Sacerdos abſque ulla intermiſſione quotidiè celebrare. Ita Zanardus, & Fraxinel. quos citat, & ſequitur Diana, *tom.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 28. & *tom.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 37. Sylveſter, Armilla, Tabiena, Graffis, Corduba, Suarez, quos adducit, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 7. §. 2. *n.* 17. Gavantus, & Azor, quos affert, & ſequitur Leander *de Sacrificio Miſſæ, diſp.* 5. *q.* 14. Quæſitum 17.

38. Petes decimo octavò : An Capellanus Quæſitum 18.
eo die, quo in qualibet hebdomada poteſt causâ majoris honeſtatis Miſſam omittere, poſſit, etiam ſi velit, pro alio celebrare, & ſtipendium accipere ? Affirmat Vidal *in Arca Theologiæ Moralis titulo de Juſtitia, inquiſit.* 1. Verum oppoſitum omninò tenendum eſt : quia aliàs in uno anno pro qinquaginta Miſſis duplicatum acciperet ſtipendium, contra Sacræ Congregationis decretum, & non honeſtatis causâ ; ſed ex motivo pernicioſi lucri Capellaniæ Miſſas contra fundatoris voluntatem prætermitteret. Et ita Vidalis ſententiam eſſe contra ſenſum communem omnium Doctorum, & contra praxim aſſerit Diana, *tom.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 37. Et noſtram ſententiam docent communiter Doctores, Bonacina, Gavantus, Philibertus, Riccius, Homobonus, quod refert, & ſequitur Leander, ubi ſup. *quæſt.* 18. Alphonſ. de Leone, Campanil, Navarrus, S. Carolus Borromæus, quos citat, & ſequitur Fraxinel. *de Obligatione Sacerdotis, ſect.* 4. *concl.* 4. §. 3. *num.* 1. Anton. *num.* 274. Stephan. *n.* 75.

39. Petes decimo nonò : An peccet mortali- Quæſitum
ter Sacerdos, qui promiſit unam Miſſam ex 19.
recepto ſtipendio, & poſtea illam non dicit ? Petrus de Navarra, *lib.* 2. *de reſtitut.* Franciſc. B.S. quem ſeq. Stephan. à S. P. *n.* 72. affirmant : eo quod unius ſacrificii privatione graviter concedens ſtipem defraudetur : eſt enim ſacrum quolibet prætio temporali æſtimabilius. Et confirmari poteſt : nam ſi ex voto, vel juramento, vel ex ſuperioris præcepto, ſacrum debitum eſſet, nemini eſt dubium, illius omiſſionem gravem culpam

indu-

Digitized by Google

inducere: ergò etiam inducit, cum ex ſtipendio debitum eſt. Nihilominus dicendum eſt cum Thoma Sanctio, *lib. 1. de Matrimon. diſp. 6. n. 25.* non eſſe peccatum mortale, caſu quo ſtipendium datum in materia furti gravem culpam non inducat. Ita etiam Fagundez *de primo Eccleſiæ præcepto, lib. 3. cap. 6. circa finem, num. 11.* Palaus, *tract. 22. diſp. unica, punct. 14. num. 2.* Pellizarius, *tom. 1. tract. 5. cap. 9. ſect. 1. n. 20.* N. Anton. *n. 261.* Herinx *diſp. 8. n. 180.* Quia gravitas ſacrificii non eſt penſanda in præſenti, ex eo quod ſacrificium quolibet temporali pretio dignius ſit; alias ſimili modo promittens quamlibet orationem, & poſteà omittens peccaret mortaliter; ſed illius gravitas deſumenda eſt ex damno, quod patitur is, cui ſacrificium erat applicandum. Hoc autem damnum in genere damnorum ſpiritualium, in quibus debet fieri comparatio, non eſt cenſendum grave: ſiquidem levi ſtipendio redimi poteſt. Neque eſt ſimile de ſacrificio debito ex voto, juramento, vel ſuperioris præcepto: nam eo caſu gravitas materiæ debitæ deſumitur ex cultu, & honore, qui Deo per ſacrificium exhibetur: conſtat autem unicum ſacrificium eſſe graviſſimum, & ſupremum Dei cultum, & honorem, & idcircò illius omiſſio gravem culpam inducit.

Quæſitum 20. 40. Petes vigeſimò: An ſimplex Sacerdos, qui nullum ſtipendium pro Miſſa celebranda accepit, ratione tamen muneris Sacerdotalis præcisè, teneatur ſub peccato mortali celebrare aliquoties in anno? Et quidem primò, uti benè notat Suarez, *diſp. 80. ſect. 1.* plerique Doctores, ex his, qui ſuſtinent Sacerdotem ſimplicem non teneri ratione ordinis Sacerdotalis præcisè celebrare ſub peccato mortali, modo abſit periculum ſcandali, & in Paſchate communicent cum Laicis; concedunt nihilominus peccare venialiter, ſi aliquoties in anno non celebrent: quia eſto materia de ſe ſit apta ad obligationem gravem, ſi ſub præcepto ex obedientia præciperetur, in eorum tamen ſententia nullum extat præceptum divinum, aut humanum, quod firmiter adſtringat Sacerdotes ſingulos, diviſim ad aliquoties celebrandum in anno; cæterum illam omiſſionem venialem ſaltem admittunt inducere culpam deſidiæ, ſeu ocioſitatis vitioſæ, & prodigalitatis ſpiritualis, cum ſic ocioſam habeant poteſtatem conſecrandi, abſque cauſa lucrum talenti accepti amittant, & Eccleſiam magno illo fructu, quem ex ſacrificio Miſſæ participat, ex incuria, & negligentia privent.

41. Secundò notandum eſt, plures etiam ex Authoribus, qui negativam ſententiam defendunt, concedere hodie vix poſſe excuſari à culpa gravi Sacerdotem non celebrantem per totum annum: quia ſcandalum grave generat, & indicium eſt corruptiſſimæ vitæ.

1. Sententia. 42. Quibus ſuppoſitis circa præſens quæſitum duplex reperitur ſententia. Prima ſententia aſſerit ſimplicem Sacerdotem ſecluſo ſcandalo obligatum non eſſe ſub gravi culpa aliquando ſacrificare. Ita Alenſis, *4. part. q. 11. memb. 2. art. 4. §. 1. quæſt.* quæ incipit: *Conſequenter quæritur.* D. Bonav. *in diſt. 12. punct. 2. art. 2. q. 1. in corpore, & ad 3.* Cajetan. *q. 82. art. 10.* & probabilitate non carere reputant, Layman, Bonac. Suar. quos refert, & ſequitur Pala. *tr. 22. diſp. unic, punct. 12.* Diana, Philibertus, Granad. & alii quos citat, & impugnat Hurtado *de Obligat. Sacerdot. tract. 2. c. 7. reſol. 29.* Henriquez, & Lugo, quos affert, & ſequitur Dicaſtil. *diſp. 4. de Sacrificio Miſſæ, dub. 1.* & alii.

43. Secunda tamen ſententia magis pia, ſecurior, & in praxi conſulenda, aſſerit, quemlibet Sacerdotem ratione muneris Sacerdotalis præcisè teneri ſub gravi culpa aliquoties in anno ſacrificium offerre. Sic D. Thom. *quæſt. 82. art. 10.* Suarez, *diſp. 80. ſect. 1.* dicens eam revera eſſe magis conſentaneam rationi, & præterea vix poſſe ſinè magno ſcandalo contrarium fieri, & ut minimum exiſtimari communiter hujuſmodi omiſſionem diuturnam ſacrificii eſſe ſignum pravæ conſcientiæ, & perditæ vitæ: & addit eſſe ergò, quoad fieri poſſit, Sacerdotes monendos, ut frequenter celebrent, & ſuadendum contrarium non eſſe in conſcientia ſecurum. Sequitur Vazqu. Coninc. Nuñus, Valentia, Sylvius, quos affert Th. Hurtado ubi ſuprà, Navarrus, Enriquez. Azor, Bonacina, Layman, quos citat Palaus, *dict. punct. 12.* & ſequendam putat in praxi Dicaſtillus, *dictâ diſp. 4. dubitat 1.* ubi etiam pro ea refert Durand. Paludanum, Majorem, Sylveſtrum, Angelum, D. Antonin. Toletum, Reginaldum, Graffium, Chamerotam, Mirandam, quibus ſubſcribant Moure, *in exam. p. 3. c. 5. §. 5.* Villalobos, *tom. 1. tract. 3. difficult. 49.* Vivaldus, *in Candelabro, tit. de Euchariſt. c. de Sacerd. n. 1.* Filliucius, *tom. 1. tract. 5. c. 4. q. 1. num. 96. & 97.* Fagundez, *præcepto 1. lib. 3. c. 1. num. 3.* Honcala, *opuſculo de ſacrificio, tract. 7. tit. 34.* Barboſa, ad Cap. *Dolentes, de celebratione Miſſarum, n. 11.* & cum aliis Garcia, *tract. 3. difficult. 2. dubit. 1.* N. Gabr. à S. V. hic *diſp. 3. q. 1.* Anton. *tract. 7. n. 45.*

2. Sententia.

Quibus diebus debeant Sacerdotes celebrare ratione ſui muneris Sacerdotalis. 44. In quibus autem diebus anni Sacerdotes legitimè non impediti ratione præcisè ſui muneris Sacerdotalis teneantur, non conveniunt omnes Doctores citati. Navarrus, *in manuali, c. 25. num. 82.* aſſerit, ter, aut quater in principalibus anni feſtis, in quibus Laici religioſiores ſolent communicare. S. Antoninus, Sylveſter, & alii, in præcipuis feſtivitatibus anni, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueverunt. Paludan. & Moure in Nativitate Domini, in Reſurrectione, & Pentecoſte, nec non in Aſſumptione B Virg. & in feſtivitate omnium Sanctorum. Nuñus docet non eſſe Sacerdotem ſecurum in conſcientia, ſi non celebret decem, aut duodecim vicibus in anno. Denique ſufficere ad excuſandam culpam gravem, ter, vel quater in anno celebrare, quibuſcumque diebus id fieret, ſervata diſtantia proportionata inter illos, fatentur non improbabiliter Vazqu. *diſp. 232. c. 1.* quem ſequitur Lugo, *diſp. 20, ſect. 1. n. 13.* Leander, *de ſacrificio Miſſæ, diſp. 9. q. 2.* referens Sotum, Azorium, Enriqu, Toletum, Hurtadum, Gavantum, & Philibertum. Dictum eſt *ſervata diſtantia proportionata*: nam Sacerdos qui ſex, vel octo menſes abſque rationabili cauſa à celebratione abſtinet, ſcandalum generat, & malè audit apud omnes, & communiter exiſtimatur ſuæ ſalutis immemor, cum fructum tanti ſacrificii ex incuria, & negligentia percipere ommittat: ut rectè ad-

vertit Palaus ubi ſupra *num.* 3. Sacerdotes verò Religioſi tenentur ex vi juris communis ſaltem ſingulis menſibus celebrare, quod ſi abſque legitima excuſatione omiſerint, graviter delinquent, ut deducitur ex Clementina, *Ne in agro: §. ſanè, de ſtatu Monachorum*, & cum aliis docet Tamburinus, quem refert, & ſequitur Garcia, *tract. 3. difficult. 2. dub.* 1. in fine

Quæſitum 21. 45. Petes vigeſimo primò: An Epiſcopi, & Prælati Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conventualium teneantur curare, ut in prædictis Eccleſiis ſaltem unum ſacrum, ſingulis diebus fiat? Reſpondetur affirmativè, uti colligitur ex Cap, *Cum Creatura, de celebratione Miſſarum*, & eſt communis Doctorum. An autem peccent hi Prælati mortaliter, ſi uno, vel altero die ſacrum abſque legitima cauſa omittere permittant, non conſentiunt Doctores, Sotus, *diſt.* 13, *q.* 2. *art.* 2. Suarez, *diſp.* 80. *ſect.* 2. Victoria *de Euchariſtia. n.*44. negant caſu, quo exiguus ſit numerus Sacerdotum illius Eccleſiæ. Affirmant Coninchus, *q* 83. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 203. Layman, *lib.* 5. *tract.* 5. *c.* 3. *num.* 5. Palaus, verò, & Dicaſtillus citati, non immeritò cenſent, conſuetudinem exſpectandam eſſe: ſi enim conſuetudine firmatum ſit, ut quotidiè in illa Eccleſia Miſſa dicatur, graviter delinqueret Prælatus, ſi abſque publica cauſa omitti ſacrificium permitteret: quia illa conſuetudo vim legis habet, & talis omiſſio non ſinè magno fidelium ſcandalo fieret, ſi abſque cauſa viderent contingere.

Quæſitum 22. 46. Petes vigeſimo ſecundò: An Parochus teneatur ſacrũ facere per ſe vel per alium omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto obligantur audire? Reſpondetur affirmativè, uti ex communi ſententia tradunt. Villalobos, *part.* 1. *tract.* 8 *dub.* 14. *num.* 5. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi. tom.* 2. *allegat.* 24. *num.* 22. & *de poteſtate Parochi, cap.* 11. *num.* 5. Bonacina, *diſp.* 4. *quæſt. ult. punct* 7. *num.* 4. Quia officium habentis animarum curam eſt miniſtrare Parochianis, quæ illis neceſſaria ſunt illis autem diebus hoc miniſteriũ neceſſarium eſt populo.

Quæſitum 23. 47. Petes vigeſimo tertiò: An teneatur Parochus celebrare per ſe, vel per alium, aliis diebus, nimirum, nec Dominicis, nec feſtivis. Et quidem ſupponimus primò: præcisè ratione ſui muneris, & ſeclusâ aliâ particulari obligatione, non teneri ad celebrandum quotidiè, ut ex communi ſententia tradunt Garcia, *tract.* 3. *difficult.* 2. *dub.* 2. & Bonacina, *n.* 4 Villabos ubi ſup. & alii. Supponimus ſecundò: ſi populus numeroſus ſit, & fructus non exigui, ad munus Epiſcopi pertinere. Parochum adſtringere, ut aliquoties bis, vel ter in hebdomada celebret, maximè ſi in eo oppido non ſint Eccleſiæ Collegiatæ, vel Conventuales, ad quas pro ſacrificio audiendo concurrere populus poſſit. Ita Palaus, *tract.* 22. *diſp. unica, punct.* 13 *n.* 5. Layman, *l.* 5. *ſummæ, tract.* 5. *c.* 3. *num.* 2. conſentit Bonacina, *dict. num.* 4. ubi etiam refert in Concilio Provinc. Mediolarenſi I. *p.* 2. *tit. de frequenti divini ſacrificii oblatione*), præceptum eſſe Curatis, ut præter dies dominicos, & reliquos dies feſtos, ter in hebdomada aut etiam ſæpius, quo vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem divini ſacrificii uſum poſtulabit, Miſſam celebrent.

48. His ſuppoſitis Philibertus, *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 30. *n.* 1. Fagundez *de Eccleſiæ præceptis, part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 8. putant extra dies Dominicos, & feſtivos, ſecluſa conſuetudine, ſtatuto peculiari, obligatione, aut ſcandalo, non teneri Parochos ad ſacrificandum. Moventur: quia hæc duo videntur correlativa, ut quibus diebus populus non tenetur Miſſam audire, nec teneatur Parochus ſacrum facere: ſed extra dies Dominicos, & feſtivos non tenetur Miſſam audire: ergo, &c.

49. Sotus verò *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 12. *art.* 2. Azor, *l.* 10. *c.* 24. *q.* 2. Suarez. *diſp.* 80. *ſect.* 2. *concl.* 3. Palaus, ubi ſupra *num.* 5. & alii rectius exiſtimant, frequentius teneri Parochos celebrare, quam populus Miſſam audire. Si enim communiter Doctores docent teneri proprium Paſtorem Euchariſtiam, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare ſuis ovibus, non ſolum quando ipſæ obligatæ ſunt accipere, ſed etiam quoties rationabiliter, & opportunè petunt, ut tradidimus *tract. de Euchariſt. c.* 9. *punct.* 3. circa finem: quia Parochi aluntur à ſubditis non ſolum ad neceſſaria adimplenda præcepta, verum etiam, ut miniſtrent valdè utilia, & opportuna ſaluti animarum, & hoc etiam maximè pertinet ad munus Paſtorum; neque alioqui, ſatis eſſet ſaluti ovium proviſum. Eadem ratione affirmare debent, hoc ſacrificium miniſtrandum eſſe, non ſolùm cum ſubditi obligati ſunt audire ſacrum, ſed etiam quando opportunè, & rationabiliter poſtulant. Ex quo facilè ſolvitur contrariæ ſententiæ fundamentum. Ideoque Sotus aliquoties in hebdomada Parochum obligatum eſſe celebrare docet, & probabile reputat Azor.

50. Petes vigeſimo quartò: Quibus diebus ſit obligandus Parochus, ad applicandum Miſſæ ſacrificium pro ſuis ovibus? Et quidem aſſerendum eſt 1. jure divino teneri aliquoties arbitrio prudentum ad offerendum pro populo ſibi commiſſo, ut ſtatuitur in Trident, *ſeſſ.* 23. *de Reformat. c.* 1. ibi: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere pro his ſacrificium offerre, &c.* Lex etiam charitatis, & æquitatis ratio ſuadet, ut Paſtores animarum pro ſuis ſubditis Deo intra, & extra ſacrificium frequenter ſupplicent: aliquando etiam pro eiſdem offerant, uti docent Laym. *tract.* 5. *c.* 3. *n.* 3. Garcia, *tract.* 3. *diffic.* 3. *dub.* 6. Coninch. *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. Barboſa, 2. *part. de poteſtate Epiſcopi, alleg.* 24. *n.* 23. & alii. *Quæſitum 24.* *1. Aſſertio.*

51. Aſſerendum eſt ſecundo, ex vi ſui muneris, & præcisè ratione juris communis, non teneri Parochum ad quotidiè ſacrificandum pro populo, ut contra Sotum *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 1. & *de Juſtitia, lib.* 9. *q.* 3. *art.* 1. circa medium ex communi ſententia docent Suarez, Vaſquez, Ludovicus à Cruce, Bonacina, Barboſa, Alphonſ. de Leone, Philibert. & alii, quos refert, & ſequitur Garcia, ubi proximè. Tum quia non tenetur Parochus ex jure communi quotidie celebrare, ut dictum eſt: ergo neque ſacrificium pro ovibus quotidiè offerre. Tum etiam, quia neque Sum. Pont. pro tota Eccleſia, neque Epiſcopus pro ſuo Epiſcopatu, neque General. Ord. pro ſuis Religioſis quotidiè ſacrificare tenentur: ergo neque Parochus pro ovibus ſuis. *2. Aſſertio.*

52. Aſſe-

3. *Aſſertio.* 52. Aſſerendum eſt tertiò, ex vi juris communis præcisè (niſi aliud conſuetudo præſcribat, aut ſit aliqua alia peculiaris obligatio, aut legitimum ſtatutum, quibus ſtandum eſt) non obligari Parochum ad applicationem ſacrificii pro Populo, omnibus feſtivis, & Dominicis diebus, & aliis, quibus tenetur ad celebrandum: nam obligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum videntur diverſæ, & ex una obligatione, non eſt facienda extentio ad alteram, ex lege *Papinianus*, ff. *de minoribus*, & quia nullo jure poſitivo communi, neque communi ſolo, beneficii curati inſtitutione præcipitur. Ita Navarrus *cap.* 25. *n* 92 Naldus, *verbo Paroch. num.* 18. Suarez, Corduba, Henriquez, Reginaldus, Vaſq. Fraxinellus, Poſſevinus, Riccius, Coninch. Hugolinus, Layman, Filliucius, quos refert, & ſequitur Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, par.* 2 *allegat.* 24. *num* 23. Garcia, *dub.* 6. Philibertus *de ſacrificio Miſſæ, part.* 2 *cap.* 30. *num.* 4. N. Anton. *n.* 252.

21. Præſcindendo igitur à conſuetudine, à Sinodalibus, à legitimis ordinationibus, & pactis, & loquendo ſecundum ſe, & præcisè ex jure communi, ſufficit ad ſatisfaciendum juri divino (quod refertur à Tridentino) celebrare Parochos pro populo aliquoties in anno arbitrio prudentis. Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. *quæſt. ultima, punct.* 7. hoc prudentis arbitrium, putat eſſe, teneri in præcipuis ſolemnitatibus Domini, & Dominicis diebus, aut ſemel ſaltem in hebdomada. Philibertus *dict. cap.* 30. *num.* 3. & Leander *de ſacrificio Miſſæ, diſp.* 5. *quæſt.* 5. exiſtimant cum aliis ſufficere ſolemnioribus feſtis pro populo offerre. Et Garcia, *dub* 6. *num.* 7. diebus ſolemnibus primæ, & ſecundæ claſis.

54. An autem illis diebus ex beneficii curati vi præcisè, & non ſtante contraria conſuetudine, vel lege, Parochus obligatus ſit applicare fructum ſacrificii ſpecialiter ovibus ſuis, non omnes conſentiunt. Communior ſententia, quæ nobis placet; affirmat. Alii exiſtimant præcisè ex hoc capite non teneri ſpecialiter ſacrificii fructum ſuis ovibus applicare, ſed ſolum ea generali applicatione, qua omnibus fidelibus, & præcipue ſacrificio intereſſentibus applicatur. Et ita intelligunt Tridentinum, & locum Pauli ad Hebræ 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Ita Palaus, *tract.* 22. *diſp. unica, punct.* 13. *num.* 7. referens pro ſe Navarrum, Reginaldum, Vaſquium, Suarium, Naldum, Fraxinelum, Poſſevinum, & Coninchum. Et addunt Palaus & N. Anton. *num.* 252. (quod probabile reputat Stephan. *num.* 66.) affirmandum eſſe conſequenter ſi ex conſuetudine, vel fundatione, vel ordinarii lege, & præcepto aliquibus determinatis diebus ſacrificare pro populo non obligetur, poſſe quolibet die ſtipendium accipere pro Miſſis celebrandis. Verum in diebus, quibus prudentis arbitrio juxta noſtram, & valdè communem ſententiam, tenetur Parochus pro Populo ſacrificare, nec non in omnibus aliis diebus, quibus ex conſuetudine, vel fundatione, vel Ordinarii lege, & præcepto, ſacrificii fructum ſuis ovibus applicare obligatur, non poterit ſtipem accipere, ut eo die concedenti ſacrificium applicet. Ita Garcia ubi ſupra dicens, eſſe valde commune inter DD. & declaratum à ſacra Congregatione Rituum die primo Septembris, anni 2629. teſte Barboſa. Et idem etiam tenet Philibertus *de ſacrificio Miſſæ, part.* 2. *cap.* 30. aſſerens ob decretum ſacræ Congregationis ex mente Urbani VIII. de Miſſarum celebratione, non poſſe oppoſitum licitè practicari.

PUNCTUM III.

An peccet mortaliter Sacerdos ſi diù differat ſacrificium offerre in favorem illorum, quibus eſt obligatus?

55. Concluſio eſt affirmativa, & certiſſima. Ita Petrus Navarra, *lib.* 2. *de reſtitutione, cap.* 2. *num.* 366. Rodriguez, Sylveſt. Fraxinel. Aragon, Reginaldus, Poſſevinus, Naldus, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *de ſacrificio Miſſæ, diſp.* 4. *dubit.* 21. *num.* 400. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 1. *quæſt.* 4. Palaus, *tract.* 22. *diſp. unica punct.* 14. *num.* 11. Bonacina, Homobonus, Segala, Fagundez, quos citant, & ſeq. Philibertus, *tract* 3. *de ſacrificio Miſſæ part.* 2. *cap.* 31. & è N. Lezana. Gabr. à S. V. Anton. Franciſc. Steph. *num.* 76. & alii. Ratio deſumitur, tum ex ſimilitudine eorum, qui ſunt in mora pecuniaria debita ſolvendi: ſi enim hi graviter delinquunt, cur non hi, qui diù differunt ſolvere debita ſpiritualia, quæ tanto utiliora ſunt, quanto præſtantiora? Tum etiam ex non levi damno, quod infertur illis, pro quibus ſacrificare debebat: nam ſi debitum offerendi foret pro anima in Purgatorio exiſtente, ex ſe conſtat quam grave damnum illi proveniat ex hac dilatione: ſiquidem diù illis moleſtiſſimis flammis detinetur, alioquin citò liberanda. Si verò foret immolandum ad impetrandum, tum ſalutem animæ, & corporis, tum pacem inter diſcordes, tum beneficium aliquod temporale, tum alium fælicem eventum, ſæpe ob non celebrata debito tempore ſacrificia, perit impetratio: peccat igitur mortaliter Sacerdos, qui diù differt ſacrificium offerre in favorem illorum, quibus eſt obligatus. *Concluſio.*

56. Ex quo infertur, obligandum eſſe Sacerdotem ad reſtitutionem ſtipendii accepti in aliquibus caſibus, ut ſi accepit eleëmoſynam pro impetranda infantis infirmi valetudine, & ipſe celebrationem Miſſæ diſtulit in tempus, quo infirmus obierat, fortè non moriturus, ſi debito tempore pro eo celebraſſet: quia ex violatione juſtitiæ obligatio reſtitutionis conſurgit. Atque ſic ſentiunt in caſu propoſito, Rodriguez, Petrus Navarra, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *dict. dub.* 11. *n.* 401. Fraxinel. Bonacina. Homobonus, quos cit. & ſeq. Philibertus, *dict. cap.* 31. *num.* 2. N. Anton. 290. *Illatio.*

57. Quæ autem dilatio diuturna judicanda ſit, arbitrio prudentis decidenda relinquitur, inſpecta materiæ, & perſonarum qualitate, ut docuerunt Menochius, *de arbit. judicum lib* 2. *centur.* 1. *caſu* 8. *num.* 10. ad finem, Petrus Navarra *de reſtit. l.* 2. *c.* 2. Philib. Palaus Steph. cit. & alii. Hoc autem arbitrium ex fine, ad quem impetrandum ſacrificia, à concedente ſtipem exiguntur, colligendum eſt: ſi enim præcipuè ad impetrandum aliquem effectum poſtulata fuerint, non

Digitized by Google

eſt dubium graviter Sacerdotem delinquere, ſi intra tempus impetrationi aptum, illa non celebret: illudit enim poſtulantis intentionem; ſi verò in ſatisfactionem animarum purgatorii ſuerint præcipuè petita, unius menſis dilatio ſatis gravis eſſe videtur: ſicut cenſet Palaus, & idem meritò credit dicendum, ſi pro impetranda liberatione alicujus gravis moleſtiæ, infirmitatis, aut laboris, poſtulata ſuerint Miſſæ ſacrificia: fortè enim ob dilationem ſacrificiorum pœnæ continuarentur, quæ alioqui ceſſarent. Quoties vero Miſſas poſtulantes majorem celeritatem non intendunt, unius menſis dilatio non cenſetur gravis: & ita in deciſione Rotæ in una Bononienſi reſolutum fuit, licere Sacerdoti nova Miſſarum onera recipere, ſi infra menſem poſſet vetera implere, niſi Miſſas poſtulantes majorem celeritatem requirant; ut teſtatur Philibertus, ſup. *n.* 5. Alii modicum temporis in eo caſu extendunt ad duos menſes. Et colligitur ex Canone *Præſentium* 7. *q.* 1. ubi abſens à ſua Eccleſia per duorum menſium ſpatium causâ ægritudinis, non dicitur ſuæ Eccleſiæ defuiſſe. Et adhuc clarius colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 23. *de reformatione*, *cap.* 1. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reformat. verſ. Præterea obtinentibus*, ubi ſpatium duorum menſium, tanquam quid modicum præfigitur abſentiæ in Canonicis, & aliis obtinentibus præbendas, aut portiones in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis. Et ita tenent Ripa in lege, *ſi cucullo*, *n.* 36. ff. *de verborum ſignificatione*; & pluribus aliis relatis, Cerbulus *de cauſa privat. Emphet. ob non ſolutum canonem*, *lim. ultima*, *numer.* 25. quibus in noſtro caſu conſentiunt, Petrus de Ledeſma, Villalobos, Diana, Lugo, quos refert, & ſequitur Garcia *in ſumma*, *tract.* 3. *difficultate* 10. *dub.* 8. *num.* 4. Philibertus, *dict. num.* 5. N. Gabr. *quæſt.* 7. & *in ſummâ verbo*, *Miſſa*, *num.* 11. ubi meritò cum N. Anton. *num.* 289. rejicit ſententiam Peyrini aſſerentis hoc modicum tempus ad tres annos extendi.

Præſentium.

CAPUT SEXTUM.

De præcepto audiendi Miſſam feſtis diebus.

Caput hoc quinque puncta complectitur.

P. 1. *Ad quid obliget præceptum audiendi Miſſam?*

P. 2. *De præſentia requiſita ad Miſſam audiendam?*

P. 3. *Quæ intentio exigatur ad ſatisfaciendum præcepto de auditione ſacri?*

P. 4. *Quæ attentio requiratur ad audiendam Miſſam?*

P. 5. *De cauſis excuſantibus à præcepto audiendi Miſſam.*

PUNCTUM I.

Ad quid obliget præceptum audiendi ſacrum?

1. Certum eſt dari Eccleſiaſticum præceptum legi naturali, & divinæ conforme de Miſſa diebus feſtis audienda, quod habetur in Cap. *Omnes*; & in Cap. *Miſſas*; *de conſecrat. d.* 1. ligat autem hoc præceptum non ſolum diebus Dominicis, ſed aliis feſtis: ad id enim inſtituitur dies feſtus, ut in eo ille idem cultus ex præcepto Deo reddatur, qui præcipitur diebus dominicis, adſtringit omnes utriuſque ſexus, etiam Religioſos, & Sacerdotes, quando non celebrant, ut Eccleſiæ ſenſus, praxis, & conſuetudo teſtatur. Conſtrigit graviter ex genere ſuo: quia materia ipſa gravis eſt: extenditur ad omnes baptizatos ſtatim poſt rationis uſum; non ad amentes, aut parvulos, qui aſſiſtentiâ humanâ nequeunt Miſſæ intereſſe, neque ad Cathecumenos, neque ad aliquos alios, quos Eccleſiaſticæ leges non ſtringunt: obligat denique Miſſam totam, & integram audire, ut conſtat ex dicto Cap. *Omnes*; fit tamen dicto præcepto ſatis, ſi Miſſa onævis privata audiatur, etiam extra propriam Parochiam, quæ quocumque ritu ab Eccleſia approbato celebretur. Ita Cardinalis Lugo, *diſp.* 22. *ſect.* 1. *n.* 1. Dicaſt. *de ſacrificio Miſſæ*, *diſp.* 5. & cum multis Leander *de auditione Miſſarum*, *tract.* 2. *diſp.* 1. & Garcia, *tract.* 4. *difficult.* 1. 2. & 3. & deinceps. N. Stephan. *diſp.* 4. *dub.* 16. & alii paſſim.

2. Hoc ſuppoſito quæritur primò: Quæ pars Miſſæ ſi omittatur, ſit ſufficiens ad peccatum mortale? Communior nunc ſententia, cui ſubſcribimus, tenet, ſi omittatur ab initio, uſque ad Evangelium excluſivè, & reliqua audiantur, non eſſe mortale: quia non videtur hæc tam magna pars, ut cenſeatur materia gravis. Ita Sotus, Suarez, Navarrus, Tabiena Azor, quos refert, & ſequitur Fagundez, *l.* 2. *c.* 6. Petrus de Ledeſma, Henriquez, Rodriguez, Graſſis, Coninchus, quos citat, & ſequitur Dicaſt. *diſp.* 5. *dubit.* 3. *num.* 35. & alii multi. Alii probabiliter dicunt, etiam dicto Evangelio ſi quis accedat, & aſſiſtat uſque ad ultimum Evangelium incluſivè, non peccare mortaliter. Ita probabile putant Suarez, Nuñus, Azor, Rodriguez, Graffius, quos refert, & ſequitur Bonac. *diſp.* 4. *de Miſſæ ſacrificio*, *quæſt. ultima*, *punct.* 11. *num.* 17. Cardinalis Lugo, *diſp.* 22. *num.* 3. Dicaſtillus, *dict. dubitatione* 3. *num.* 35. Navarrus, Sà, Layman, quos citat Palaus, *diſp. unica*, *punct.* 16. Herinx, *de ſacrif. Miſſæ*, *num.* 201. Quis autem neget ſententiam in re, quæ pendet à prudenti æſtimatione virorum, tot, & talibus fulcitam Auctoribus, probabilem eſſe?

Quæſitum 2.

3. Poſt inceptum Canonem uſque ad communionem, minoris partis omiſſio gravior materia cenſenda eſt: nam ut bene inquiunt Suarez, *diſp.* 88. *ſect.* 2. verſ. *ultimo denique*, Palaus, *n.* 6. & Lug. ubi ſupra, Miſſę partes non ſunt homogeneę, ſed multum æthereogeneę, & in his non tam eſt exſpectanda mora temporis, quam dignitas

Quid ſi poſt canonem uſque ad communionem aliqua omittantur?

gnitas

Digitized by Google

gnitas rei omiſſæ ob propinquitatem ad eſſentiam,& integritatem ſacrificii. Quocirca non ſatisfacit præcepto, qui omittit aſſiſtere conſecrationi, & non ſumprioni; tametſi reliquis Miſſæ partibus aſſiſtat: quia quamvis conſecratio, & conſumptio extenſione, & quantitate parvæ videantur, maximi tamen momenti ſunt, cum abſque illis, eſſentia, & integritas ſacrificii non exiſtat. Ita Henriquez, Coninchus, Nuñus, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus ubi ſupra, *num.* 36. Palaus, *dicto num* 6. Herinx N. Anton. *tract.* 7. *num.* 16. Franciſc. Steph. & alii. Similiter non ſatisfacit præcepto, qui à peracta conſecratione, uſque ad Pater noſter excluſivè non aſſiſtit: quia eſt pars gravis, & notabilis in dignitate, orta ex propinquitate ad ſubſtantiam ſacrificii, ut bene docet Leand. *de audit. Miſſæ, tract.* 2. *diſp.* 1 *q.* 48.

Quid ſi conſecrationi, vel conſumptioni non aſſiſtat?

4. Sed quid, ſi conſecrationi aſſiſtens omittat aſſiſtere conſumptioni, vel è contra? Suarez ubi ſupra, & Layman, *lib.* 4. *ſumma, tract.* 7. *cap.* 3. *in fine*, à mortali excuſant: eo quod hæc moraliter judicanda ſunt, neque ſatis conſtat, in qua ex illis actionibus eſſentia ſacrificii ſita ſit, & aliquo modo favent Cardinalis Lugo, *diſp* 22, *sect.* 1. *num.* 4. & Diana, *p.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 61. quatenus licet per principia intrinſeca, id non concedant, quia tamen inquiunt ſub opinione eſt, an eſſentia ſacrificii conſiſtat in conſecratione, vel conſumptione, poteſt quis in praxi amplecti hanc, vel illam ſententiam. Specialiter autem non aſſiſtentem ſoli conſecrationi à peccato mortali excuſat Hurtado, *diſp.* 5. *de ſacrificio Miſſæ*, *difficultate* 11. Non aſſiſtentem vero ſoli conſumptioni ſacrificii liberum à læthali, aſſerit Leander *de auditione Miſſarum, tract.* 2. *diſp.* 1. *q.* 44. Sed rectiùs Coninchus, *q.* 83. *art.* 6 *dub. unico*, Nuñus ibidem, *dub.* 2. *poſt.* 3. *concluſ* Henriquez, *cap.* 25. *num.* 7. Bonacina, *diſp.* 4. *de Sacrament, quæſt. ultima, punct.* 12. *num.* 14. Palaus *loco allegato*, & alii in utroque caſu omittentem peccati mortalis damnant: quia eſto non omninò conſtet, in qua ex illis partibus eſſentia ſacrificii ſita ſit, conſtat tamen utramque ad eſſentiam vel ad integritatem ſacrificii pertinere; qui autem eſſentiæ vel integritati ſacrificii aſſiſtere omittit, cenſeri non debet, levem ſacrificii partem omiſiſſe.

5. Non videtur autem materia gravis, ſi omittantur ſolum ea, quæ ſunt poſt communionem uſque ad finem, uti docent Cajetanus, verbo *feſtorum violatio*, verſ. *ſecundum quoque*, Suar. *diſp.* 88. *sect.* 2. Sotus, *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 1. Reginaldus, *lib.* 19. *num.* 24. Dicaſt. *loco cit. num.* 36. & alii communiter.

6. Quod ſi Sacerdos in Miſſa per unam horam vellet in memento, aut antè communionem orare mentaliter, ſatisfaciet quis præcepto, ſi aſſiſtat ipſi memento, aut antè communionem tempore conſueto, & reliquo illius horæ tempore abſit: quia adhuc Miſſa abſque illa temporis parte eſſet integra. Ita Lugo, *num.* 5. Dicaſtillus *num.* 37.

Quæſitum ſecundum.

7. Quæritur ſecundò: An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam integram, qui ab uno Sacerdote dimidiam Miſſam audit, & poſtmodum ab alio aliam dimidiam? Negant Suar. Toler. Azor, Coninch. quos adducit, & quibus adhæret Card. Lugo, *dicta sect.* 1. *n.* 8. Affirmant vero Navarrus, Toletus, Sà, Laym. Bonac. apud Palaum ubi ſupra, *n.* 8. qui aſſerit, ob eorum Doctorum auctoritatem hanc affirmativam ſententiam eſſe probabilem, & ſecuram: cum quibus etiam ſentiunt Major, Medina, Reginald. Henriq. Diana, quos citat, & ſeq. Dicaſt. ubi ſupra, *n.* 39. Herinx, *loc. cit.* Gabr. à S. V. hic & cum N Urbano, Steph. à S. P. *n.* 99. unde non poſſumos hujus ſententiæ probabilitatem negare, & eſto, ut ait Palaus, illæ partes independentes ſint, neque unum ſacrificium conſtituere poſſint, ideoque illis aſſiſtens, nequaquam integro ſacrificio propriè, & in rigore aſſiſtat. Attamen ex benigna Eccleſiæ interpretatione communi Doctorum judicio approbata, reputandæ ſunt partes unum ſacrificium componentes, quoad effectum audiendi ſacrum, & ſatisfaciendi Eccleſiæ præcepto. Ita Palaus. Vel ſub aliis terminis dici poteſt, quod quamvis illæ duæ dimidiæ Miſſæ diverſorum ſacrificiorum non ſufficiant ad unitatem ſacrificii; ſufficiunt tamen ad unitatem obſequii præcepti ab Eccleſia, & actionis religioſæ in obſequium Dei exhibendæ; non tamen excuſaremus à peccato veniali eum, qui abſque cauſa dimidiam Miſſam ab uno, & dimidiam ab alio audiret, ut non excuſant Suar. Coninch. Nuñus, & alii communiter, quos refert, & ſequitur Leand. ubi ſupra, *quæſt.* 56. quia abſque cauſa non ſervaret modum, & perfectionem præcepti. Quod ſi in duabus medietatibus ſucceſſivè auditis inverſus fuerit ordo, ita, ut ſiquis veniens ad Eccleſiam tempore elevationis Miſſæ, reliquum illius audiat, & poſteà partem alterius, uſque ad elevationem, hoc facere probabile eſt, ſolum eſſe peccatum veniale, ſi fiat ſinè juſta cauſa, ut cum Navarro, Sà, Soto, Henriq. Bartholomæo ab Angelo, & aliis aſſerit Diana, *tom.* 2. *tract* 17. *reſol.* 18. Bonacina, *diſp.* 4. *quæſt. ultima, puncto* 11. *n.* 13. Scortia, *lib.* 2. *de ſacrificio Miſſæ, cap.* 20. *num.* 3. Dicaſtill. *diſp.* 5 *dub.* 3. *n.* 39. Petrus de Ledeſma, *cap.* 27. *poſt.* 5 *concl.*

8. Quæritur tertiò: An poſſit ſatisfieri præcepto Miſſæ, ſi ſimul tempore duas medietates Miſſæ, quis audiat: v. g. unius Sacerdotis Miſſam, uſque ad conſecrationem, & alterius eodem tempore à conſecratione uſque ad finem? Affirmar Diana, *part.* 2. *tract.* 17. *reſolut.* 18. *& part* 5. *tract.* 14. *reſolut.* 50. ex Hurtado, & Bartholomæo à Sancto Fauſto, & idem tenet Bonacina ubi ſupra *num.* 13. Et probabile aſſerit Dicaſtillus, *num.* 40. Bauny, Geſualdus, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *quæſt.* 56. licet hic Auctor fateatur oppoſitam ſententiam in praxi eſſe conſulendam. Probabile etiam aſſerit Garcia, ubi ſupra. Moventur: quia hic adimplet præceptum, quandoquidem audit Miſſam integram, & audire duas medietates ſimul non tollit poſſe utrique attendere: ſicut poteſt quis ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, & recitare ſimul divinum officium. *Quæſitum tertium.*

9. Negativa tamen ſententia vera nobis videtur, & in praxi tenenda, quam docet Suarez, *diſput* 88. *sect.* 2: dicens oppoſitum eſſe valde abſurdum Fagundez, *lib.* 2. *de primo præcepto*, *cap.* 6. *num.* 12. vocans etiam oppoſitum abſurdum, Turrianus, *in ſelectis, diſp.* 16. *dub.* 7. aſſerens contrarium neque eſſe probabile, nec tutum

in

Digitized by Google

in conſcientia, Petrus de Ledeſma, 1. *part. cap.* 27. *poſt* 5. *concluſ.* dicens oppoſitum ſibi non videri probabile. Noſtram etiam ſententiam amplectuntur Cardinalis Lugo, *num.* 10. Candidus, *diſquiſ.* 25. *art.* 29. *dubit.* 8. Trullench. *lib.* 3. *in decalogum, c.* 1. *dub.* 5. *num.* 9. Martinon *de Sacramentis, diſput.* 40. *ſect.* 9. *num.* 109. Caſpenſis, *tom.* 2. *tract.* 23. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 19. & alii Doctores communiter, ut videre eſt apud Coninch. *q.* 83. *art.* 6. *dub. unico, num.* 288. Nuñum ibidem, *dub.* 2. *reſponſione ad* 3. Reginaldum, *lib.* 19. *n.* 23. Laym. *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. *in fine*, Palaum, *tract.* 22. *diſp. unica, punct.* 26. *num.* 9. Pellizarium, *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 58. Herinx, Franciſc. S. Sp. *tract.* 2. *de act. hum. diſp.* 4. *dub.* 7. Stephan. *n.* 100. Et probatur primò: quia quamvis utrique parti, poſſit quis ſimul attendere, talis attentio non eſt ad partes ſucceſſivas duorum ſacrorum, quæ, ut diximus *num.* 8. ſufficiens eſt ex benigna interpretatione Eccleſiæ Doctorum judicio approbata, ſic Miſſę auditionem acceptantis; ſed eſt attentio ad duplicem partem duorum ſacrificiorum eodem tempore celebratam, & ſimultaneam, quam non videtur acceptare Eccleſia in integræ Miſſę auditionem; cum eam communiter Doctores non approbent, & plures eam expreſſè rejiciant, ſucceſſivam approbantes: quia, & ut bene ait Ledeſma ubi ſupra: *Eſta manera de oir Miſſa es contra la intencion del precepto de la Igleſia, y contra la reverencia debida à eſte Sacramento.*

10. Secundò probatur ab inconvenienti cum Cardinali Lugo: quia ſi poteſt ſimul à duobus audire primam, & ſecundam partem Miſſæ, & ita conflare unam Miſſam, poterit etiam à tribus, vel à ſex, ita ut intra breviſſimum tempus totam Miſſam integram audierit, & ſatisfecerit præcepto: ſicut enim poſſunt conjungi duæ partes, poterunt, & ſex diverſorum Sacerdotum: conſequens autem videtur ſatis alienum à fidelium mente: ergo, &c.

Evaſio Leandri impugnatur.

11. Reſpondet Leander *tract.* 2. *diſp.* 1. *q.* 57. poſſe quidem à tribus, vel quatuor Sacerdotibus, tres, vel quatuor partes Miſſæ, eodem tempore, audiri & ſic ſatisfieri præcepto, non tamen a ſex: quia hoc eſt majus, & illud minus. Sed contra ad hominem: minus eſt à duobus poſſe ſimul audiri, quam à tribus, vel quatuor, & nihilominus ſic arguit Leander: *Sicut ex duabus partibus Miſſæ, nempe prima, & ſecunda, conſtatur una integra Miſſa: ita etiam conſtatur ex quatuor partibus, nempe ex prima, ſecunda tertia, & quarta: ergo ſi ille, qui audit ſimul prædictas duas partes Miſſæ, adimplet præceptum: ita etiam, qui quatuor præaſſignatas.* Ergo vel hæc Leandri conſequentia non tenet: quia eſt de minori ad majus, vel Lugonis conſequentia tenet; præſertim cum idem Leander paulò infra dicat, in præcepto audiendi Miſſam ad ipſius impletionem non requiri, quod audiantur adhuc in confuſo, quæ à celebrante dicuntur, ſed ſolum, quod corpore, & mente præſens quis ſit ſacrificio, quod quidem ſicut pluribus præſtare id poteſt: ita & pluribus partibus earum. Hæc Leander, Cur ergo ſicut à quatuor Sacerdotibus poteſt ſimul quatuor partes Miſſæ audire, & in Leandri ſententia ſatisfacere præcepto, non poterit ſimul à ſex Sacerdotibus in Eccleſia habente ſex altaria, quibus facilè poſſit quis eſſe præſens corpore, & mente, ſex partes Miſſæ ſimul audire, & præcepto ſatisfacere? Et ſi hoc reputat inconveniens, & meritò, ut communis ſententia reputat, cenſeatur etiam cum communi ſententia, nec quatuor, nec duas Miſſæ partes à pluribus ſimul audiendo, poſſe Eccleſiæ præcepto ſatisfieri.

12. Ad fundamentum autem contrariæ ſententiæ, optimè reſpondet Petrus de Ledeſma ubi ſupra, his verbis. *A la razon de dudar ſe reſponde, que en tal caſo no ſe cumple con el precepto, como pretende la Igleſia: y aunque es verdad que ſe puede cumplir con el oir Miſſa, y dezir el oficio divino, por que ſon dos preceptos diſtintos; pero no es la miſma razon de un miſmo precepto, que en cierra en ſi dos partes.*

13. Quæritur quartò: an qui non poteſt Miſſæ integræ intereſſe, quia venit: v. g. dum diceretur præfatio, & non eſt aliud ſacrum, teneatur partem Miſſæ, quæ reſtat, audire? Negativam ſententiam probabilem cenſuit Joan. Sanchius *in ſelectis, diſp.* 15. *n.* 5. ubi ſic ait: *Probabile judico accedentem ad audiendum ſacrum, tempore quo præfatio dicitur & non extet aliud celebrandum, minimè teneri reliquis illius Miſſæ intereſſe.* Verum oppoſitum omninò tenendum eſt cum Th. Sanchez *in ſumma, lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 6. & cum Suarez, & Hurtado, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 96. & cum Cardinali Lugo, quem refert, & ſequitur, Garcia, *tract.* 4. *difficult.* 4. & cum Bonac. Auſonio, Machado, & aliis, quos citat, & ſequitur Leander *q.* 62. Quia ea quæ reſtant ſunt maximè neceſſaria, & per ſe primò intenta in præcepto audiendæ Miſſæ, utpote in quibus ſacrificii ſubſtantia conſiſtit; reliqua autem ſunt accidentariò annexa ad ejus perfectionem, & ornatum. Si verò conſecratio peracta ſit non teneri reliquum audire, affirmant. Herinx, *diſp.* 8. *n.* 202. N. Anton. *n.* 17. & alii. *Quæſitum 4.*

14. Quæritur quintò: an ſemper omittere levem partem ſit veniale? Reſpondetur affirmativè, ſi voluntariè ſinè cauſa fiat, ut docent Filliucius, *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 205. Dicaſtillus, *diſp.* 5. *dub.* 3. *n.* 41. Leand. *q.* 65. & alii paſſim. Si verò ex cauſa levis pars, & involuntariè omittatur, nullum eſſe peccatum docent Auctores citati. *Quæſitum 5.*

15. Quæritur ſextò: An is qui levem partem omiſit, ſive voluntariè, & ſinè cauſa, ſive involuntariè, vel ex cauſa, teneatur ſub veniali, ſi poteſt, ſupplere illum defectum audiendo partem omiſſam? Negant Filliucius ubi ſupra, ubi ſic ait: *Quintò quæro quid faciendum ſit ad peccatum vitandum, cum quis aliquam partem Miſſæ omiſit? Reſpondeo, & dico primò: ſi pars non eſt notabilis, tunc aut involuntariè, & ex cauſa omittitur, & ſic nullum peccatum eſt: unde non eſt ſupplendus hujuſmodi defectus per aliam Miſſam; aut voluntariè, & ſinè cauſa, & ſic ſemper eſt veniale ſaltem, neque tamen eſt obligatio ſupplendi per aliam Miſſam.* Hæc Filliucius. Sed rectius oppoſitum affirmat Leander *loco cit.* quia illa pars levis omiſſa, poteſt ſuppleri in aliam Miſſam: ergo cum fieri poteſt, tenetur quis ſub veniali ad illam ſupplendam: ſicuti in communi ſententia, qui accedens ad chorum reperit officium per Pſalmum inchoatum, tenetur ſub veniali poſteà, illum defectum ſupplere. *Quæſitum 6.*

16. In calce hujus puncti advertendum eſt cum Palao, *punct.* 16. & N. Steph. *n.* 101. Sæpè contingere, aliquem audiſſe Miſſam, & tamen *Animadverſio.*

peccaſſe

peccaſſe mortaliter contra hoc præceptum: eo quod voluntariè moratus ſuit tanto tempore, ut ſe expoſuerit periculo morali non inveniendi ſacrum, tametſi caſu evenerit, inveniſſe, quod non impedit, quod à principio peccaſſet. E contra verò contingit, aliquem non audire ſacrum, nec tamen peccaſſe mortaliter: quia per illum moraliter non ſtetit, quin audiret, ſed Sacerdoti ſacrum maturanti, & horâ conſuetâ non celebranti tribuendum eſt. Unde Confeſſarii diligentes debent eſſe in examinandis pœnitentibus: an ſe expoſuerim periculo omittendi ſacrum? An eo die quo ſacrum omiſerunt, fecerint quantum in ipſis fuit, ut audirent?

PUNCTUM II.

De præſentia requiſita ad Miſſam audiendam.

Qua præſentia requiratur pro audienda Miſſa?

17. CErtum eſt, præſentiam moralem humanam ex ſe religioſam ad ſatisfaciendum præcepto de audiendo ſacro requiri. Item non exigi quod viſu percipiatur, vel auribus verba audiantur: nam cæcus, vel ſurdus adhuc Miſſę aſſiſtit, & ſatisfacit præcepto: ſicuti benè docent Navarr. Tolet. Coninch. Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *punct.* 16. *n.* 4. Herinx *n.* 209. N. Gabr. à S. V. hic *diſp.* 3. Sufficit autem ſi ex ſignis etiam aliorum, qui ſunt in conſpectu altaris, & cum quibus moraliter conjungeris, ſenſu aliquo percipis, quid in ſacrificio à Sacerdote agatur, ut cum ſurgunt, & aſſurgunt, genua flectunt, pectus tundunt, &c. faciens unum corpus cum illis. Ita cum Soto, Navarr. Toleto, Coninch. docet Laym. *lib.* 4. *tract.* 7. *c.* 3. *n.* 2. Palaus *loc. cit. n.* 1. Fagundez, Ledeſm. & Segura, quos refert, & ſequitur Pellizarius, *tract.* 5. *c.* 4. *n.* 43. Et in alio ſimili, docuit etiam Th. Sanchez, *lib.* 3. *de Matrimonio, diſp.* 39. *num.* 2.

Illatio 1. 18. Ex hac autem præſentia morali humana, & ex ſe religioſa requiſita, fit primò, eum, qui incipit Miſſam audire, & poſteà etiam involuntariè dormit per notabilem ejus partem, non ſatisfacere præcepto: quia humano, & religioſo modo non aſſiſtit. Ita Card. Lugo, *diſp.* 22. *ſect.* 2. *n.* 19. & cum aliis Th. Sanchez, 2. *tom. conſiliorum, lib* 7. *c.* 2. *dub.* 33. & alii paſſim.

Illatio 2. 19. Fit ſecundò: ſi ebrius ſacrificio aſſiſtat, eum præcepto non ſatisfacere ob eandem rationem, ut ex communi ſententia tradit Pala. *n.* 2.

Illatio 3. 20. Fit tertiò: te optimè ſatisfacere poſſe præcepto audiendi ſacrum, ſive præces voluntarias, ſive ex obligatione recites, ſicuti docent Navarr. Suar. Henriq. Bonac. quos citat, & ſequitur Pala. *n.* 4. *& tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 20. Th. Sanchez, *l.* 1. *Summæ, c.* 14. *n.* 11. Cajetan. Sotus, Medina, quos refert & ſequitur Villalob. *tract.* 4. *diffic.* 35. *n* 11. Dian. 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 107. Philibert. *tract.* 3. *part.* 3. *c.* 17. *n.* 12. & aliis plurimis relatis, Leander *de auditione Miſſarum, tract.* 2. *diſp.* 1. *q.* 68. quia ea recitatio moralem, & religioſam præſentiam non impedit, & ſufficienter utrique operi poteſt quis ſimul attendere.

Illatio 4. 22. Fit quartò: ſi pro deferendo libro, vino, thure, aliiſque ad ſacrificandum neceſſariis, à ſacrificio recedas, te etiam ſatisfacere: quia eſto phyſicè recedas, moraliter recedere non cenſeris, ſiquidem cauſa ſacrificii recedis, & dum recedis, ſacrificio inſervis, & Miſſæ cooperaris. Ita Sylveſter, Navarrus, Henriquez, Sa, apud Palaum, ubi ſupra, *num.* 7. Candidus, *diſp.* 25. *art.* 29. *dub.* 9. Card. Lugo, *diſp.* 22. *ſect.* 1. *n.* 4. Dicaſtillus *de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 3. *n.* 42. N. Gabr. & alii, quos refert, & ſequitur Leander ubi ſup. *q.* 55.

22. Limitant Bonacina, *diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ultim. punct.* 11. *n.* 18. Fagundez, *de primo Eccleſiæ præcepto l.* 2. *c.* 6. *n* 10. Palaus, *dicto num.* 7. ut intelligatur dummodo ab Eccleſia non receſſeris, niſi ad breve tempus: alias cenſeri non poſſes præſens ſacrificio, quantumvis ob illius cauſam receſſeris: non enim præſentia moralis cum abſentia morali conſiſtere poteſt; qui autem à templo recedit, etiam occaſione deferendi Miſſæ neceſſaria, abſolutè abſens eſt non ſolum phyſicè, ſed moraliter à ſacrificio: non igitur illi præſens eſſe poteſt. Quamvis autem hæc limitatio probabilis ſit, eam tamen, ut omninò neceſſariam, non admittunt. Diana, *tom.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 7. Dicaſtillus, *n.* 43. & Leander, *quæſt.* 46. Quia non cenſeris præſens Miſſæ ex eo præcisè, quod ſis in Eccleſia, in qua ſæpè ſunt, & poſſunt eſſe, qui non cenſentur corporaliter præſentes Miſſæ, ut patet maximè in magnis Eccleſiis, ut in Cathedralibus, ſed tunc cenſeris præſens: quia ſervis in eo, & cooperaris Miſſæ, quod poteſt præſtare, etiam extra Eccleſiam.

23. Fit quintò: poſſe ſatisfacere præcepto eum, qui in magna populi frequentia exiſtens poſt columnam Eccleſiæ, ex ſignis etiam eorum, qui ſunt in conſpectu altaris, cum quibus moraliter conjungitur, ſenſu aliquo percipit, quid in Miſſa celebrans agat, aut in qua ſacri parte verſetur, ut cum ſe ſignant, ſurgunt, genuflectunt, pectus percutiunt, &c. Faciens unum corpus cum illis. Ita Fagundez, *præcepto* 1. *Eccleſiæ, lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. Pellizarius, *tract.* 5. *cap.* 4. *ſect.* 2. *num.* 43. Reginaldus, *lib.* 19. *num.* 12. dicens in caſu poſito non obſtare, quod maneat poſt altare, aut poſt parietem, etiam extra Eccleſiam, ut fieri ſolet, cum locus capax non eſt totius multitudinis, quæ ad audiendum confluxit, dummodo prædicta ſerventur. Cui conſonat Gordonus, *tom.* 2. *lib.* 6. *quæſt.* 7. *cap.* 2. *num.* 12. & tenent Lublinus, verbo, *Feſtum. num.* 13: & Leander, *quæſt.* 105. Item Dicaſtillus, *diſp.* 5. *dub.* 4. *n* 59. *Qui in magna* (inquiens) *frequentia populi impeditur ab alio exiſtente ante, vel à columna, verè implet, & moraliter aſſiſtit, ut cum Fagundez, & Hurtado, quos refert, & docet Lugo, diſp.* 22. *n.* 20. Ex quo alii ſimiles caſus facilè poſſunt reſolvi. *Illatio* 5.

PUNCTUM III.

Quæ intentio exigatur ad ſatisfaciendum præcepto de auditione ſacri.

24. REquiritur ad ſatisfaciendum huic præcepto, præter præſentiam, etiam intentio, ſeu voluntas libera audiendi ſacrum: quia impleri non poteſt preceptum, quin efficia- *Concluſio.*

tur opus præceptum, opus autem præceptum eſt auditio libera ſacri. Ita Th. Sanchez, *lib.* 1. *in Decalog. c.* 13. *n.* 3. Suarez, *diſp.* 88. *sect.* 3. & *lib.* 2. *de Legibus, c.* 10. Molina, Azor, Bonacina, Salas, quos refert, & ſequitur Palaus, *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *puncto* 17. *num.* 5. Card. Lugo, *diſp.* 22. *sect.* 2. *num.* 23. & alii. Hinc colligunt Sanchez ubi ſupra, & Bonacina, *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 10. *n.* 4. accedentem ad Eccleſiam, animo meditandi res divinas, ſi Sacerdos interim eat ad altare ad celebrandum Miſſæ ſacrificium, non ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam: quia non habuit intentionem audiendi ſacrum, ſed ſolùm meditandi. Verum ſi in caſu poſito, attentione requiſita, Miſſæ ioterfuit, verè præcepto ſatisfeciſſe: quia interfuit ſacro non violenter, ſed liberè: ac proinde habuit voluntatem audiendi ſacrum, quæ ſeparari non potuit, ab illa morali, & religioſa præſentia, meritò credit Palaus *loc. cit. n.* 7. quem refert, & ſequitur Diana, 3. *part. tract.* 6. *reſol.* 77.

25. Ex voluntate autem libera audiendi ſacrum requiſita ad impletionem præcepti, optimè infertur, quod ſi quis poſitiva, & contraria voluntate, quâ nolit ſacrum audire, in Eccleſia omninò vinctus detineatur, ut Miſſam audiat, non ſatisfaceret præcepto: quia tunc more pecudis, & non actu humano audiret: nam in tam abſoluta, & præciſa vi ex parte aliorum, & repugnantia ex parte ipſius, careret profectò omni abſolutè voluntate faciendi actum, per quem impletur præceptum. Ita Fagundez *de Primo Eccleſiæ præcepto, l.* 2 *c.* 7. *n.* 20. referens Th. Sanchez, Sotum, Medinam, Suarium, & Azorium & idem docet Lugo, ubi ſupra *num.* 23.

26. Non tamen deſideratur ad ſatisfaciendum huic præcepto intentio adimplendi præceptum: quia Eccleſia tantum præcipit voluntariam Miſſæ auditionem; non autem quaſi reflexam implendi præcepti intentionem. Ita cum multis Layman, *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 4. *n.* 7. Suarius, Azor, Rodriguez, & Card. Lugo, quos citat, & ſequitur Dicaſtill. *diſp.* 5. *dub.* 5. *n.* 62. & 65. Sic etiam Th. Sanchez, *lib.* 1. *Summæ, c.* 13. *n.* 9. Vaſquez. ubi ſup. Valentia, *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. *punct. ultim.* Bonacina, *tom.* 2. *diſp.* 1. *de Legibus, q* 1. *punct.* 10. *n.* 9. Salas, *de Legibus, diſp.* 9. *sect.* 2. Filliucius, *tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 211. Diana, 3. *part. tract.* 6. *reſolut.* 68. & 77. Trullench. *lib.* 3. *in Decalogum, cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 19. Herinx, *n.* 211.

Illatio 1. 27. Hinc infertur primò, in die feſto illum, qui ignorat eſſe præceptum audiendi Miſſam, vel non vult ſatisfacere in hac Miſſa, ſed poſteà audire aliam, ut ſatisfaciat; ſi tamen verè vult audire hanc, eo ipſo ſatisfacere præcepto, nec teneri aliam audire: quia cum opus, quod præcipitur, impleat, etſi per ignorantiam, vel errorem ſe non implere exiſtimet, aut etiam nolit implere, non poteſt tamen efficere quo minus impleat: ſiquidem proteſtatio contraria facta inefficax eſt, & nullo modo obſtat, quo minus præcepto ſatisfaciat ut cum pluribus docent Pala. *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 17. *n.* 12. Card. Lugo, & Laym. citati; quamvis non pauci negent; id tamen fatendum eſt cum dicto Laym. ſi quis falſa perſuaſione maneat, quaſi præcepto non ſatisfecerit, peccaturum eſſe, niſi vel errorem deponat, vel aliam Miſſam audiat.

28. Dices: actus non operatur ultrà agen- *Objectio.*
tis intentionem, lib. *Non omnis*, ff. *Si certum*, lib. *In agris*, ff. *De acquirendo dominio*: ſed intentio hujus agentis eſt non ſatisfacere præcepto illa actione: ergo de facto non ſatisfacit.

29. Reſpondetur primo, concedendo actum *Solutio* 1.
non operari ultra intentionem agentis, ſed quando voluntatem habet quis audiendi Miſſam, & non ſatisfaciendi præcepto, duplicem voluntatem habet, aliam inefficacem non ſatisfaciendi, & quæ ex ignorantia procedit; aliam efficacem ſatisfaciendi: in concurſu autem hujus duplicis voluntatis vincit voluntas efficax, utpote principalior,

30. Reſpondetur ſecundò. Actum non ope- *Solutio* 2.
rari ultra intentionem agentis, quando ab ipſo pendet actus, & effectus: at ſatisfacere præcepto ſi ſemel quis exequatur, quidquid ſibi præceptum eſt, non eſt in ipſius poteſtate.

31. Hinc pari ratione ſequitur, eum, qui auditâ Miſſa, aut recitatis horis canonicis, agitatus ſcrupulis debitæ attentionis, dicit, habeo pro non dictis, iterum repetam, aut iterum Miſſam audiam, non teneri depoſitis ſcrupulis, horas repetere, aut aliam Miſſam audire: nam re ipſa adimplevit præceptum. Ita Suarez, Henriquez, Valentia, Sanchez, Vaſquez, Leſſius, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 11. *n.* 23. contra nonnullos alios.

32. Infertur ſecundò: ſi puer à pedagogo *Illatio* 2.
metu pœnæ commotus, Miſſam die feſto attentè audiat, ſatisfacere: quia metus non tollit voluntarium, & liberum ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. Ita Sotus, Thomas Sanchez, Azor, Suarez, Salas, quos adducit, & ſequitur Layman, ubi ſupra *num.* 12.

33. Sed quid, ſi famuli quaſi coacti gratiâ comitandi herum, interſint ſacro, alias non audituri? Vel ſi dum actu audiunt, eam actu intentionem habeant, non audiremus, ſi herum, pedagogum, aut patrem non comitaremur? Reſpondetur, hos omnes in omnibus his caſibus, ſi attentione requiſita audiant, ſatisfacere præcepto, ita ut Miſſam aliam audite non teneantur, quamvis illa actuali voluntate conditionali læthaliter peccent: quia cum ibi vincti non detineantur, non eſt ea coactio præciſa, quæ ſola impletionem præcepti impedit, & illa actualis voluntas conditionalis ſolum efficit, ut peccent læthaliter. Ita Thomas Sanchez ubi ſupra *n.* 13. Sotus & Azor, quos citat, & ſequitur Fagundez *loco allegato, n.* 19. Leander ubi ſup. *q.* 88. Layman, *dict. n.* 12. contra aliquos alios.

34. Infertur tertio, ſatisfacere præcepto il- *Illatio* 3.
lum, qui ex voluntate mala, & peccaminoſa: v. g. videndi ſœminam, ad finem turpem venit ad audiendam Miſſam: quia quantumcumque finis ſit malus, implet ſubſtantiam actus præcepti, attenta auditione ſacri, & ita ſatisfacit illi præcepto; etſi contra aliud peccet, cui malus ille finis opponitur. Quoniam juxta Doctorem, & Præceptorem noſtrum D. Th. 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. & 10. leges præcipiunt ſubſtantiam actus, non modum, qui ſit extrinſecus operi præcepto, adhuc ut præcepto, & ita hic reipſa ponit totum, quod præcipitur præcepto audiendi ſacrum. Ita Sotus, Navarr. Covarruv. Ledeſma, Azor, quos refert, & ſequitur Thom. Sanchez,

lib. 1.

*lib.*1. *Summæ*, *cap.*14. *n.*1. Cardin. Lugo, *dict. diſp.*22. *ſect.*2. *num.*23. Almaynus, Suarez, Bonacina, quos affert, & ſequitur Palaus, *tom.* 1. *tract.*3. *diſp.*1. *puncto* 18. Baſſæus, verb. *Miſſa* 8. *num.* 2. Medina, Henriquez, quos adducit Dicaſtillus, *diſp.* 5. *dub.*7. contra Adrianum Carthuſianum. & alios.

Objectio. 35. Sed objicies: regulam traditam in lib. *Non dubium*, cap. *de Legibus*, & in lege *Contra legem*, & ſequenti, cap. eodem titulo, quæ eſt: *Is in legem delinquit, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem, & intentionem*: ergo audiens ſacrum ob finem malum non adimplet præceptum, cum contra legis intentionem agat, quæ eſt vitam hominis componere.

Solutio. 36. Reſpondetur, regulam illam intelligendam eſſe de voluntate intrinſeca legis, qua intendit obligare ad aliquid, tanquam ad materiam præcepti; non autem de voluntate, & intentione legis, qua intendit aliquid, ut materiæ illius præceptæ finem, qui dicitur extrinſecus legis finis, & ita qui primæ voluntati adverſatur, peccat in legem; qui verò ſecundæ, non cenſetur legem illam tranſgredi. Quod idem optimè explicuit D.Th. 1. 2. *q.*100. *art.*9. *ad ſecundum*; & *in* 2. *diſt.*28. *q.unica*, *art.*3. & *in* 3. *diſt.*36. *q. unic. art.*6. dicens: *Intentionem Legiſlatoris eſſe duplicem, alteram, de qua intendit præceptum inducere, alteram autem ad quam intendit per præceptum inducere, & primam ſolam cadere ſub præcepto.*

PUNCTUM IV.

Quæ attentio requiratur ad audiendam Miſſam?

In quo Doctores conveniant & in quo diſſentiant? 37. ET quidem ad obſervantiam hujus præcepti, omnes concedunt requiri ſaltem attentionem externam, quæ conſiſtit in negatione diſtractionis externæ, id eſt alicujus negotii, vel occupationis externæ, quæ ex ſe diſtrahere debeat mentem ab auditione Miſſæ: v.g. occupationis pingendi, ludendi, litigandi, diſputandi, & ſimilium. An autem ulterius exigatur attentio interna, quæ conſiſtit in applicatione interna mentis ad Miſſam, vel attendendo ad ea, quæ Sacerdos dicit, vel facit, non ultra progrediendo, nec diſtinctè intelligendo; ſed ſolum attendendo, ut ad rem quandam ſacram, quæ eſt attentio infima, vel attendendo ad ea, quæ illis verbis, vel factis ſignificantur, & hæc eſt melior, vel attendendo ad Deum, quæ eſt optima, non omnes conſentiunt.

1. Sententia. 38. Prima enim ſententia aſſerit, fidelem quemlibet, ſi ſecundum externum corporis habitum Miſſæ decenter humano modo interſit, ita ſecundum externam apparentiam ſe gerendo, ac ſe gerunt alii, qui ordinario modo Miſſæ aſſiſtunt, nullum præbendo diſtractionis ſignum, præcepto Eccleſiæ ſatisfacere ſinè attentione interna, liberè diſtractum, & vagum mente. Ita Coninchus, 3. *part.* q 83. *art.* 6. *dub. unico*, Pellizarius, *tract.* 5. *c.*4. *n.*48. Herinx, *n.*212. Dicaſtillus, *de Sacrific. Miſſæ. diſp.*5. *dub.*8. referens pro ea Sylveſtrum, Durandum, Paludanum, Antonin. Angelum, Roſellam, Piſanam, Medinam, & Gabrielem. Ita etiam Cardin. Lugo, *diſp.*22. *ſect.* 2. *n.*27. aſſerens Joannem Valerium, Dianam, Hurtadum, & probabilem dicunt Leſſius, Henriquez, Victorelus, Layman, ab eodem Cardinali citati. Moventur: quia Eccleſia non præcipit actum interiorem: ergo in auditione Miſſæ ſolum præcipit attentionem externam.

39. Secunda verò ſententia, quam ſtatuimus pro concluſione, docet attentionem internam, ſaltem virtualem, eſſe etiam in præcepto Eccleſiæ de auditione ſacri: ſicuti eſt in præcepto horas canonicas recitandi. Ita D.Th. *in* 4. *diſt.*15. *q.*4. *art.*2. *quæſt.*4. Cajetan. 2.2. *q.*83. *art.*13. Sotus, *l.*10. *de Juſt. q* 5. *art.*5. Medina, *lib.* 1. *Inſtruct. cap.*14. §.11. Sylvius, 2.2. *q.*122. *art.*4. Palacios, Adrianus, Turrecremata, Gabriel, Manuel, Aragon, Tabiena, Armilla, Navarrus, Pedraza, Nieva, Suar. Ledeſm. Sandoval. Angles, quos refert, & ſequitur Thom. Sanchez, *tom.* 2. *Conſilior. l.*7. *c.*2. *dub.* 38. *n.*9. Layman, Bonac. Moure, Llamas, Reginald. Philibertus, Candidus, Bauny, Graffius, Malfeſius, Trullench. Villalobos, Baſſæus, Diana, Auſonius, Luyſius, Turrianus, & alii, quos adducit, & ſequitur Leander *de Auditione Miſſarum*, *tract.* 2. *diſp.*1. *q.*66. & eandem docet Filliucius, *tract.*5. *cap.*7. *n.* 213. N. Gabr. à S. V. *diſp.* 3. *quæſt.* 9. & *in Summa*, verbo, *Attentio*. *2. Sententia ſtatuitur pro concluſione.*

40. Et ratio eſt: quia licet verum ſit, Eccleſiam non præcipere actus interiores directè, & ſecundum ſe, hoc eſt nudos; non eſt tamen verum; Eccleſiæ legem, ſeu præceptum non ſe extendere ad actus internos indirectè, & ut ſunt rationes actuum exteriorum, ſeu tanquam formæ illorum: ſic enim præcipitur interior attentio per legem humanam, quâ præcipitur vocalis oratio, ut habetur 2. 2. *q.*83. *art.* 13. Et conſtare videtur ex Concilio Lateranenſi, quod refertur cap. *Dolentes*, *de Celebratione Miſſarum*, dum dicitur: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut officium divinum nocturnum pariter, & diurnum, quantum Deus eis dederit, ſtudioſè celebrent pariter, & devotè.* Propoſitum autem dicendi attentè horas, eſt ſufficiens dicendi devotè: quia licet attentio ad intellectum, & devotio ſpectet ad voluntatem, at velle attendere pertinet ad voluntatem, & qui vult attendere, ut decet, vult Deo ſervire cum aliqua promptitudine voluntatis. Unde ſolùm, & ſemper quis peccat, eo quod non recitat cum devotione, quando peccat, eò quod non attendit, & quando implet præceptum recitandi attentè, implet etiam recitandi devotè, ut benè cum aliis docet Sanchez, ubi ſup. Sic igitur in præcepto de auditione ſacri, in quo licet interna attentio, & devotio nuda non præcipiatur; præcipitur tamen utraque, interna, ut ratio exterioris cultus. *Ratio pro hac ſententia.*

41. Circa hanc concluſionem optimè advertit Cajetan. *loc. cit.* non ob eam laqueum injectum eſſe animabus: quoniam facillimum eſt huic præcepto obedire: nam nihil aliud exigit, niſi quod quis incipiat audire Miſſam, vel recitare horas canonicas intentione attendendi, ſeu quantum in ſe eſt, vacandi Deo, & in contrarium animus iſte non mutetur, dum Miſſam audit, vel exſolvit divinum officium. Unde quoties prædictus deditâ operâ mentem à dicta intentione non dimovet, licet ſit inter audiendum ſacrum, vel recitandum officium diſtractus, *Animadverſio* 1.

ſatisfacit præcepto: quia reputatur diſtractio illa involuntaria, & manet attentio virtualis, quæ ſat eſt ad implendum tale præceptum, ut cum Cajetano, conſentiunt Sotus, Suar. Nieva, Tabiena; Turrecremata, Pedraza, Metina, Gabriel, Armilla, Ledeſm. Sandoval, Navarr. Gerſon, quos affert, & ſeq. Th. Sanchez *loco allegato n.* 10. N. Gabr. *loc. cit.* & *in Summa*, verb. *Horæ Can.*

2. Animadverſio. 42. Et quod plus eſt, ac pro tollendis multorum ſcrupulis, maximè notandum, licet qui prædicto modo incæpit audire Miſſam, vel recitare horas, poſteà dum audit, vel recitat, ultrò, & advertenter circa alia mente divagetur, ſi non advertat per hoc diſtrahi à Miſſa, vel ab horis, ſatisfacit dicto præcepto: quia hic non voluntariè diſtrahitur à Miſſa, vel ab horis, & ideo virtute remanet prima attentio; Ita Candidus *diſp.* 25. *art.* 25. *dub.* 1. Cajetanus, Sotus, Nieva, Armilla, Suarez, Navarrus, & multi ex junioribus valdè docti Magiſtri, uti refert, & cum quibus ſentit Thomas Sanchez, *num.* 11.

3. Animadverſio. 43. Qui dictus Sanchez, etiam probè notat primò cum Navarr. Cajetan. & aliquibus recentioribus, quod ſi advertens ſe mente divagari habeat mediocrem diligentiam, ut attendat, nullo modo peccat; at ſi non adhibeat ſaltem mediocrem diligentiam, peccat venialiter: quia attenta humana fragllitate, impoſſibile eſt hominem retinere imaginationem ſemper actu advertentē juxta illud Pſ. 39. *Cor meum dereliquit me.*

4. Animadverſio. 44. Notat rectè ſecundò cum D. Th. 2. 2. q. 83. *art.* 13. cum Soto, & Navarro, quod licet ad implendum præceptum Eccleſiæ, & ad conſequendum duos effectus orationis, ſcilicet, mereri, & impetrare, ſat ſit attentio virtualis, ſcilicet, in principio proponere intentionem, & adhibere mediocrem diligentiam ad illam; ſed ad conſequendum tertium orationis effectum, ſcilicet ad ſentiendum refectionem, & recreationem ſpiritualem, non ſat eſt attentio virtualis; ſed eſt neceſſaria actualis attentio.

Fundamento. 1. Sententiæ occurritur. 45. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ Reſpondetur, quod licet Eccleſia non præcipiat actus internos directè, & ſecundum ſe, hoc eſt nudos, & ſine ordine ad actus externos; præcipit tamen actus internos, indirectè, & ut modificant actus externos, ut dictum eſt.

1. Difficultas. 46. Superſunt adhuc circa præſens punctum aliquæ breviter expediendæ difficultates. Prima eſt: An qui confitentur peccata tempore Miſſæ, ad quam ex præcepto Eccleſiæ tenentur, ſatisfacere poſſint præcepto? Affirmat Palaus, *tract.* 22. *diſp. unica, punct.* 10. referens Reginaldum, & Molfeſium: cui favere videtur cum Leſſio, Herinx, *n.* 216, quia ſimul cum peccatorum confeſſione attendere quis poteſt. quid in ſacrificio agatur, qua attentione poſita, præſens eſt moraliter, & religioſè ſacrificio: ac proindè ſatisfacit præcepto: ſicut ſatisfacere poſſet Confeſſarius, ſi confeſſiones in templo audiret. Negant tamen & meritò, tam in confitente peccata, tam in Confeſſario confeſſiones in templo audiente, Bonacin. *diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 11. *n.* 26. Jacob. Gordonus, quem refert, & ſequitur Card. Lugo, *diſp.* 22. *ſect.* 2. *num.* 22. Candidus, *diſq.* 25. *art.* 9. *dub.* 10. Trullench. *l.* 3. *in decal. c.* 1. *dub.* 5. *n.* 16. *dub.* 10. *n.* 199. Et ratio utriuſque eſt: quia hujuſmodi actiones externæ tametſi piæ ſint, impediunt, tum attentionem internam, ut experientia conſtat; tum etiam cultum externum ſacrificandi, ſeu oſtendendi ſe exiſtentem ſacrificio, & coofferentem cum Sacerdote, atque in externo, & communi modo agendi, oſtendunt non manere attentionem ad Deum per modum orationis, quam in externo modo agendi habere præcipit Eccleſia ſimul cum virtuali attentione interna. Per quod patet ad fundamentum Palai.

47. Secunda difficultas eſt: An dormientes, vel dormitantes inter auditionem ſacri, vel inter recitandum divinum officium, ſatisfaciant præcepto? *2. Difficultas.*

48. Et quidem, qui incæpit audire ſacrum, vel recitare horas intentione debita, ſed poſtmodum vexatur à ſomno, ſi adeò reſiſtit, ut pronunciet horas, vel audiat ſacrum ea attentione, quod ſaltem videat ſe non omittere dicere, aut audire ullum verſum, vel verbum; licet propter gravitatem, & moleſtiam ſomni non attendat ad ſignificationem, neque ad aliam meditationem non peccat ſaltem mortaliter. Ita Navarr. cap. *Quando, c.* 9. *n.* 9. & tenent aliqui Juniores docti, uti refert, & cum illis ſentit Th. Sanchez, *l.* 7. *conſilior. c.* 2. *dub.* 33. Et ratio eſt: quia hic habet attentionem neceſſariam ad orationem.

49. Qui verò dormit per notabilem partem horæ, vel Miſſæ, non ſatisfacit præcepto: quia deeſt attentio neceſſaria, & ſic tenetur ſub mortali repetere. Qui verò per partem non notabilem, peccat venialiter. Sic Navarrus, ibi *n.* 56. & cum aliis Thom. Sanchez *loc. cit.*

50. Tertia difficultas eſt: An qui audit ſacrum cum aliis confabulando, ſatisfaciat præcepto? Reſpondetur eum, qui confabulatur in tanta parte Miſſæ, ut ejus omiſſio ſit mortalis, peccare mortaliter, & non ſatisfacere, niſi confabulatio ſit diſcontinua, & per parvam Miſſæ partem colloquia miſceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, ut communiter fieri ſolet, vel non de re ſeria, ſed levi, quæ non impediat attentionem neceſſariam, ſed ſolum illam faciat remiſſiorem: tunc enim excuſatur à mortali, uti cum Suar. tradit Dicaſtll. *de Sacrificio Miſſæ, diſp.* 4. *dub.* 8. *n.* 109. Filliuc. *tract.* 5. *c.* 7. *n.* 216. & favet Bonac. *n.* 24. Et Trullench. *num.* 15. Layman, *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. Herinx, *n.* 214. & alii. *3. Difficultas.*

51. Exercens inter recitandum horas ex præcepto, aliquas operationes externas, quæ non ſunt incompatibiles cum attentione, neque expoſtulant tantam animi advertentiam, poteſt implere recitandi præceptum, ut ſi recitet induens ſe, vel calceans, vel deambulans per hortum, & herbas proſpiciens. Sic Dicaſtillus, *dict. n.* 109. Navarrus, Major, Cajetan. Sotus, Metina, & alii, quos refert, & ſequitur Sanchez, *l.* 7. *conſilior. c.* 2. *dub.* 32. N. Gabr. à S. V. *in Summa*, verb. *Horæ Can.* (ubi de horis Canon plura breviter & utiliter.) Quia ſolus, & omnis ille actus corporalis adimpletionem præcepti impedit, qui repugnat, & eſt incompatibilis attentioni, inſpecta habilitate ejus, qui recitat: ergo cum faciens iſtos actus poſſit attendere, nec ſint tales, qui omninò impediant, exercens illos inter recitandum poteſt adimplere recitandi præceptum. *Quæ operationes non impediant horarum recitationem?*

52. Quan-

52. Quantum ad Miſſam verò, etiam poſſe ſatisfacere eum, qui interim dum illi aſſiſtit, ſe veſtit, aut calceat, aſſerunt aliqui recentiores, teſte Dicaſtillo, ubi ſupra,& expreſsè tradit Leander *de auditione Miſſarum, tract.2. diſp.1. quæſt.*80. referens Navarrum, Henriquez, Cajetanum, Majorem, Graſſium, Bonacinam; & alios; & non immeritò: quia hic non exercet actum ita externum, ut non poſſit facillimè ad Miſſam attendere, ſi veſit. Addit tamen, & benè Dicaſtillus, ſanè ſibi maxime diſplicere fieri hoc ipſum, quod aliquando vidit factum in privatis domibus; tametſi quoad attentionem videatur ſufficere, ubi etiam ſic ſubdit, deambulare tamen interim dum celebratur ſacrum, cui, quis ex præcepto debet aſſiſtere (imò etiamſi non ex præcepto) quis non videt, tantam eſſe irreverentiam, ut vix (ſi non ſit mortale, ſecluſo contemptu) à graviſſima veniali culpa poſſit excuſari? an vero præcepto audiendi Miſſam ſatisfaciant qui magnam ſacri partem inſumunt in colligendis eleëmoſynis, plures affirmant ſi eleëmoſynæ colligantur in parvis Eccleſiis, ſecus ſi in majoribus, quia in his, ut apparet, moralis ad Miſſam præſentia adeſſe non poteſt. Ita Herinx, *num.*217.

PUNCTUM V.

De cauſis excuſantibus à præcepto audiendi Miſſam.

Cauſa excuſantes à præcepto audiendi Miſſam.
1. cauſa excuſationis.

53. VAria capita enumerantur, quæ excuſant ab audienda Miſſa præceptâ. Primum eſt impotentia ſpiritualis, talis eſt ea: quæ provenit ob excommunicationem, vel interdictum: nam, excommunicatus, vel interdictus cum prohibeatur Miſſam audire, eſt impotens ex vinculo ſpirituali. Et licet negligens quis eſſet in abſolutione cenſuræ procuranda, non obinde adverſus hoc præceptum peccaret: quia ex vi illius præcisè non tenetur tam à longe, & remotè ſe diſponere ad audiendam Miſſam, procurando ſibi abſolutionem à cenſura. Sicut ſiquis infirmus negligens ſit in procuranda ſibi ſanitate, & captivus in procuranda ſibi libertate, & propter hanc negligentiam Miſſam audire non poſſit, non peccabit contra hoc præceptum, quod non obligat ad tollenda impedimenta tam remota: ita ſimiliter in caſu noſtro. Ita Navarrus, *cap.*21. *num.*2. Azor. *lib.*7. *cap.*7. *quæſt.*1. Suarez, *diſp.*88. *ſect.*6. *num.* 1. Henriquez, *cap.* 25. *num.* 11. Sà, *Miſſæ auditio, num.* 3. Bonacina plures referens, *diſp.*4. *quæſt. ultima. punct. ultimo, num.*23. Diana, *tom.*5. *tract.*9. *reſol.*88. Palaus, *tract.*22. *diſp. unica, punct. ultimo*, Petrus de Ledeſma, *in ſumma, cap.* 27. Villalobos, Fagundez, Graſſius, Trullench. Dicaſtillus, Geſualdus, quos citat, & ſequitur Leander, *tract.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. Philibertus, & Machado, quos adducit, & cum quibus ſentit Garcia, *tract.*4. *difficultate ultima, dub.*1. contrà Nuñum, & nonnullos alios.

Qui teneantur audire Miſſam in interdicto locali?

54. In interdicto autem locali, Religioſi, & Clerici, quia ſecundum jus commune, *Cap. Quod in te de pœnitentiis, & remiſſionibus*, & *Cap. Quod nonnullis, de privileg.* non ſunt comprehenſi, ſed poſſunt divina celebrare, ſervata moderatione, de qua in *Cap. Alma mater, de pœnitentiis, & remiſſionibus*, tenentur Miſſam audire ſecundum communem Doctorum ſententiam: quia comparatione horum non eſt interdictum, ſeu prohibitio facta: unde ipſi potius dicentur non comprehendi prohibitione, quam privilegio uti.

An excuſentur à præcepto audiendi Miſſam habentes Bullam Cruciatæ?
1. Sententia.

55. An vero in prædicto interdicto locali, habentes Bullam Cruciatæ, vel aliud ſimile privilegium, excuſentur ab hoc præcepto audiendi ſacrum? Non omnes conveniunt. Affirmat Avila, 5. *part. de cenſuris, diſp.*4. *ſect.* 2. *dub.*6. *concl.* 2. dicens fuiſſe ſententiam Victoriæ, & & Cani: & eandem ſequitur Diana, 1. *tom. tract.*11. *de Bulla Cruciatæ, reſol.*2. & *tom.*4. *tract.*4. *reſol.*80. citans Coninchum, Alterium, & Flammam, & alii Doctores Salmanticenſes, quos ita reſpondiſſe, refert Henriquez, *lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 48. *num* 5. *littera* D. & *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.*13. *num.* 3. Moventur: quia nemo cogitur uti ſuo privilegio, & quod in favorem alicujus conceditur, non debet in ejus obligationem retorqueri: ergo Bulla Cruciatæ affert quidem poteſtatem, non tamen obligationem audiendi Miſſam.

2. Sententia.

56. Sed rectiùs Suarez, *diſp.*88. *ſect.* 6. *num.*1. Bonacina, *num.*24. Navarrus, *n.*3. Sotus. *diſp.*13. *quæſt.*2. *art.*1. & *diſt.*22. *q.*3. *art.*1. Azor, Henriquez, Vivaldus, Medina, Emanuel, Rodriguez, Petrus Cenedo, Valdes, Antonio Gomez, quos refert, & ſequitur Fagundez, *in primo præcepto, lib.* 2. *cap.*8. *num.*5. & Cardinalis Lugo, *diſp.*22. *ſect.*2. *num.*13. Item Reginaldus, Sà, Hurtado, Tannerus, Barboſa, Acoſta, Movre, Scortia, Villalobos, Philibertus, Ledeſma, Trullench. Filliucius, Baſſæus, Lublinus, Toletus, Molfeſius, Geſualdus, quos adducit, & ſequitur Leander, *dicta diſp.*1. *quæſt.* 7. Dicaſtillus, *tract.* 5. *de Sacrament. diſp.*5. *num.*159. Palaus, ubi ſupra, & alii communiter negant, Quia interdictum locale nulla alia ratione excuſat ab obligatione audiendi Miſſam, niſi quatenus prohibet illius auditionem: at habentibus Bullam Cruciatæ, vel ſimile privilegium, non prohibet Miſſæ auditionem, ut de ſe conſtare videtur: ergo habentibus Bullam Cruciatæ, vel ſimile privilegium non eſt excuſatio, & obligatio præcepti ſuam vim retinet reſpectu ipſorum.

1. Sententiæ fundamentum refellitur.

57. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, dupliciter poſſe per virtutem privilegii reddi aliquem capacem obſervationis præcepti, quod ſinè illo privilegio obſervare non poterat. Primò quidem ſi conceſſio privilegii mutet objectum præcepti, & faciat, quod præcepto ſatisfiat per aliud opus, quod non erat in præcepto, & in hoc caſu verificatur, quod privilegium non debet retorqueri in obligationem privilegiati, nec cogi quis uti privilegio, ut ſi aliquis haberet privilegium anticipandi officium divinum; ita ut hodiè recitare poſſet totum officium craſtinum, & ita ſatisfacere præcepto, non teneretur quidem ad utendum privilegio, & anticipandum die præcedenti totum divinum officium diei ſubſequentis; etiamſi ſciret ſe die ſubſequenti habiturum impedimentum, vel morbi, vel alterius generis, quod à recitatione excuſaret. Secundò verò, poteſt per virtutem privilegii

reddi aliquis capax obſervationis præcepti, quod ſinè illo privilegio obſervare non poterat, ſi conceſſio privilegii non mutet objectum præcepti, ſed privilegium auferat impedimenta ad faciendum illud idem opus, quod prius præcipiebatur, & hoc modo contingit in caſu noſtro: nam præceptum erat audiendi ſacrum die feſto: privilegium autem non obligat ad aliud; ſed aufert id, quod impediebat audire ſacrum die feſto, ex obligatioque audiendi ſacrum non ex privilegio, ſed ex præcepto Eccleſiaſtico oritur, & ſi propriè loquamur, ſic privilegiatus nullo privilegio utitur: uſus enim dicit actionem præſtandam, hic autem poſito privilegio nullam præſtat actionem, ſed tantum non compræhenditur á judice ferente interdictum.

2. cauſa excuſationis. 58. Secundum caput excuſationis, eſt corporalis impotentia, qualis eſt mari navigantium, incarceratorum, lecto affixorum, & quidem ob infirmitatem excuſaris, non ſolum quando gravis eſt, & non poteſt è lecto ſurgegere, aut Miſſam audire, verum etiam caſu quo prudenter timeas, ſi ſurgas, vel Eccleſiam adeas, aliquod damnum conſiderabile in ſalute, aut moram notabilem in convaleſcentia, conſideratis diſtantia loci, labore audiendi, aëris intemperie, temporis qualitate, aliiſque circumſtantiis: quia jugum Eccleſiæ ſuave eſt, & onus ejus leve. Ita Petrus de Ledeſma *in ſumma, cap. 27. poſt 16. concluſionem ibi: Lo ſegundo ſe puede excuſar ſi uno teme quebra en la ſalud: por eſta razon ſe excuſan los enfermos, no ſolamento quando eſtan en grave enfermedad, que no ſe pueden levantar de la cama, ni oir Miſſa, ſino tambien quando no la pueden oir, ni levantar ſe de la cama ſin algun detrimento de ſu ſalud, que ſea de algn momento: y aunque pueda, y aia començado à convalecer, ſi ay peligro de voluer à caer, ò que notablemente ſe tarde en convalecer, eſtà eſcuſado legitimamente de oir Miſſa.* Ex idem tradunt Caietanus, Sotus, Navarrus, Suarez, Henriquez, Bonacina, Hurtado, Fagundez, Scortia, & alii plures, quos citat, & ſequitur Leander, *tract. 2. diſput. 2. quæſt.* 13. Gabr. à S. V. hic *diſp. 3. quæſt. 8.* Eſt autem optimum indicium, quod ea infirmitas ſufficienter excuſet, ut optimè obſervant Suarez *loco allegato*, & Dicaſtillus, *diſp. 5. dub. 10. num.* 173. ſi etiam impediat egredi, ad alia negotia æqualis, vel minoris laboris, quam ſit Miſſam audire, ſi enim hæc impediat, etiam erit ſufficiens impedire, & excuſare auditionem ſacri; ſecùs è contrà.

59. Verùm ſi infirmus, aut valetudinarius dubitat, an incurrat periculum morbi, exeundo domo ad Miſſam audiendam, debet petere conſilium a Medico, vel à Superiore, vel à Parocho, niſi ipſe ſit vir ſatis prudens, qui rectè valeat per ſe in ea re judicium ferre. Quando autem adhuc manet dubium, non ſolum non tenetur, verum neque poteſt domo exire, ne ſe periculo exponat gravioris morbi: uti rectè docent Bonacina, *num.* 3. Dicaſtillus ubi ſup *nu.* 174. & alii.

60. Solum eſt aliqualis dubitatio. An tenearis audire ſacrum ſi vi privilegii ab hac impotentia facilè liberari poſſis, ut ſi privilegium habeas ſacrificii celebrandi ſuper altari portatili in privato oratorio domi, quo privilegio utens, poteris facilè à prædicta impotentia liberari: ſiquidem domi ægrotans ſacrum audire (ut ſupponimus) facilè poſſes. Dubium ergo eſt an tenearis? Affirmat Nuñus, *quæſt. 85. art. 3. verſus finem, concl. 2.* Movetur: quia ex præcepto audiendi Miſſam obligatur quis media apponere, quæ ſibi gravia non fuerint, ſicuti non eſt privilegio uti in caſu poſito.

61. Sed rectius alii negant: quia privilegio ſuo de ſe odioſo, legi communi adverſo, & reverentiæ Sacramenti parum conformi, nemo uti cogitur: ſicuti notarunt Suarez, *citato diſp.* 88. *ſect. 6. §. Secundum caput*, Filliucius, *tract.* 6. *c. 7. quæſita* 11. *n.* 224. Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 4. num.* 3. quos refert, & ſequitur Palaus, *tract. 22. diſp. unica, punct. ult.* Petrus de Ledeſma, & Trullench. quos adducit, & ſequitur Diana, *tom. 4. tract. 4. reſol.* 80. ubi etjam ingenuè fatetur eſſe diſparem rationem inter hunc caſum, & caſum tempore interdicti (de quo nos ſupra *num.* 54.) *Communis ſententia.*

62. Ad fundamentum Nuñi reſpondetur, media, quæ ad executionem præcepti obligatur quis apponere, eſſe media communia, ordinaria, & conſueta; non vero extraordinaria de ſe odioſa juri communi contraria, & non adeo decentia. Addunt etiam benè Suarez, Bonacina, Palaus, Filliucius citati, te non eſſe obligatum ſacrum audire, ſi pro illius auditione tibi neceſſarium eſt celebrantem conducere: quia eſt medium extraordinarium, & in præcepto audiendi ſacrum non contentum: & idem etiam cum Petro de Ledeſma, & cum Trullench. tradit Diana *loco cit.* idem docet Villalobos *in ſumma, tractat. 8. difficult. 36. num.* 4. & cum aliis Leander ubi ſupra *quæſt.* 19. Dicaſtillus, *dict. diſp. 5. dub. 10. nu.* 168. & alii.

63. Tertium caput excuſationis eſt impotentia moralis, ſi videlicet Miſſa audiri non poſſit, niſi eum magna difficultate, vel jactura bonorum mediocris æſtimationis: quia hoc præceptum ut probè docet Suarez *loco cit.* juxta commune Doctorum interpretationem, & juxta communem etiam conſuetudinem, cum hac moderatione latum eſt, & receptum, ut non ſit neceſſaria cauſa admodum gravis ad excuſandum, & conſequenter ex cauſa mediocriter gravi obligatio hujus præcepti ceſſare poteſt. Plures caſus enumerant Doctores, ex quibus alii etiam deduci poſſunt. Primo ex jactura vitæ, certa eſt excuſatio, unde ſi ob audiendam Miſſam, in probabile periculum vitæ incurras, vel ob inimicitias, vel ob intemperiem aëris, vel ob aliam ſimilem cauſam manifeſtum eſt, te eſſe excuſatum. Unde benè excuſat Layman ubi ſupra *num.* 3. eum, qui ob probabile periculum peſtis domi ſe continet. *3 cauſa excuſationis.*

64. Secundò excuſatur, qui ſine pudore ſuo, & dedecore domo exire non poteſt, ut honeſta mulier carens veſte decenti: dum enim in eo ſtatu quis eſt conſtitutus, comparatur ei, qui in vinculis eſt alligatus lege *Eadem cauſa, ff. ex quibus cauſis.* Ita Layman, & Palaus citati Sà Hurtado, Scortia, Tabiena, Henriquez, Azor, Toletus, Trullench. Geſualdus, Vega, Rodriguez, Graſſius, quos adducit Leander, ubi *2. Illatio*

ſupra

ſupra, quæſt. 36. & alii quos cit. & ſequitur Bonacina, *diſp. 4. de Euchariſt. quæſt. ultima, puncto ult.* Marchantius Franciſc. B. S. de Miſſæ ſacrif. *num.* 104. quos refert & ſeq. Stephanus à S. P. *num.* 103. Non tamen extendenda eſt nimium hæc licentia ad ſuperfluos ornatus, præſertim ſœminarum, & modificanda, & limitanda cum Petro de Ledeſma *in ſumma, cap. 27. poſt 16. concluſionem*, per hæc verba. *Pueden en ſemejantes caſos levantarſe de mañana à oir Miſſa ſecretamente, ò en alguna Igleſia apartada del concurſo del Pueblo: porque deſta manera pueden evitar el daño de la honra, y cumplir con el precepto; y aſſi atendo eſta comodidad, no ſe eſcuſan de oir Miſſa.* Sic Ledeſma, & idem docent Suarez, & Villalobos, Dicaſtillus, & Molſeſius, quos refert & ſequitur Leander, *quæſt.* 36. citata: & idem tradit Filliucius, ubi ſupra, *num.* 226. Palaus, *num.* 4. Marchantius

Illatio 3. & N. Stephan. *loc. cit.* Eadem ratione excuſatur tertiò fœmina innupta, quæ habetur honeſta, & tamen gravida eſt, ſi in ultimis menſibus antè partum non poſſit lapſum occultare, niſi domi ſe contineat; modò non poſſit alias occultè, & ſinè nota Miſſam audire: tunc enim tenebitur, ut ex communi ſententia tradit Dicaſtillus, *num.* 177. & Palaus dict. num. 4. Franciſc & Stephan. *loc. cit.* Villalobos, Petrus de Ledeſma, Hurtado, Layman, Reginaldus, & alii relati à Leandro, *quæſt.* 40.

Illatio 4. 65. Quartò excuſantur qui longè diſſiti ſunt à loco ubi Miſſa audiri poteſt, ſi nimirum ad eum accedere non poſſint abſque gravi moleſtia, & difficultate, quod habita ratione perſonarum, viæ, temporis, loci, &c. prudentis arbitrio dijudicandum eſt. Regulariter diſtantia per leucam, ſi pedibus iter conficiendum eſt, excuſat imo, & minor diſtantia dummodo ſit aliqua notabilis moleſtia, ſi imbres, tempeſtates, aut nives ingravant, ut benè Suarez, quem refert, & ſequitur Palaus *num.* 4. Villalobos, *num* 5, Fagundez, *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 10. Trullench. *lib.* 3. *in decalogum, cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 8. Filliucius, *tractat.* 5. *cap.* 7 *num.* 226. Dicaſtillus, *diſp.* 5. *cit. num.* 158. Geſualdus *de Sacrament. tract.* 17. *cap.* 2. *num.* 62. & alii.

Illatio 5. 66. Quintò excuſantur qui occaſione Miſſæ audiendæ timent, rixas graves ſuboriendas eſſe, vel propter veteres aliquas inimicitias, vel propter locorum ordinem, & dignitatem. Sic Navarrus, Azor, Bonacina, Suarez. quos affert, & ſequitur Palaus, *num.* 4. *citato*, Henriquez, Trullench. Baſſæus, Philibertus, Scortia, Filliucius, Dicaſtillus, quos adducit, & ſequitur Leander ubi ſupra *quæſt.* 41.

Illatio 6. 67. Ob eandem cauſam ſextò excuſatur nupta, quæ ex acceſſu ad audiendum ſacrum gravem rixam, aut iram mariti timet, non verò ſi levem: hæc enim diſſimulanda eſt, & patienter ſuſtinenda. Sic cum Henriquez, Suario, Bonacina, Caſtrus Palao *loco citato*, & cum D. Antonino, Soto, Trullench. Azorio, Scortia, Jodoco, Dicaſtillo, Geſualdo, Molſeſio, Leander, *quæſt.* 31. Et ſimiliter ſi maritus ob zelotypiam, non permittat uxorem domo exire, ſi ſit periculum gravis incommodi, ea excuſatur, non verò ſi levis tantum, ut docent Suarez, Henriquez, Azor, Bonacina, allegati à Palao, & cum Trullench. Dicaſtillo, Geſualdo, Molſeſio, & aliis Leander, *quæſt.* 32.

68. Septimò excuſantur ob jacturam bonorum temporalium, qui ſacrum audire non poſſunt, quin domum ſolam relinquant, caſu quo timeantur latrones: uti ex communi ſententia docent Palaus, Bonacina, Layman citati, & alii plures, quos adducit, & ſequitur Leander, *quæſt.* 35. *Illatio 7.* Similiter octavò excuſantur cuſtodes gregum, qui non poſſunt Miſſam audire, niſi grege ſine cuſtodia in agro relicto, propter probabile periculum gravis nocumenti, quod ſi ſint plures ſocii debent ad Miſſam ſic accedere: ut unus ad Eccleſiam adeat, altero cuſtodiente gregem, eo verò redeunte, alter ad ſacrum pergat, & ſi unica tantum ſit Miſſa, debent alternatim ad illam audiendam tendere. Sic Suarez, *diſp.* 88. *ſect.* 6. Navarrus, *conſil.* 5. *tit* 9. *de Feriis*, Henriquez, *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 6. Layman ubi ſupra, *num.* 4. Azor, Coninchus, Scortia, Fagundez, Philibertus, Villalobos, Baſſæus, Trullench. Dicaſtill. Geſualdus, Vega, Rodriguez adducti à Leandro, *quæſt.* 43. *Illatio 8.*

69. Nonò excuſatur viator, qui ſi Miſſæ aſſiſteret, perderet comites in via, quando probabile periculum latronum imminet, ſi ſolus incedat, & etiam ſi ſperet itineris expenſas, quibus eget accipere a comitibus, vel aliud ſimile commodum, quod admittere, temporale damnum gravis momenti cenſeatur. Nam ſolum admittere comites viæ, ſi nullum aliud incommodum adjungatur, non videtur ſufficiens cauſa ad Miſſam omittendam, ut benè docent Villalobos, *tract.* 8. *difficultate* 36. *Y el que va camino (ſe eſcuſa) por donde ay ladrones, ſi dexa la compañia que lleva, ò que le hazen la coſta, llevando neceſſidad, ò ſi teme otro grave daño; mas no baſta para eſcuſarſe, ſolo el dexar la compañia.* Et idem tradunt Suarez, *dict. diſp* 88. *ſect.* 6 referens Cajetanum, Armillam, & alios. Item Bonacina, Ledeſm. Coninch. Trullench. Toletus, Reginaldus, & Dicaſtillus, apud Leandrum, *quæſt.* 50. Item Palaus, *num.* 4. citato. N. Stephan. *n.* 102. *Illatio 9.*

70. Excuſantur decimo, qui Miſſam audire non poſſunt propter urgentia negotia, quæ dilationem non patiuntur, ſinè magno detrimento boni temporalis, quod intelligendum eſt, quando hujuſmodi negotia præveniri non poſſunt; ne Miſſæ auditionem impediant, vel è contrariò, Miſſa præveniri nequit, ut negotiis vacetur; nam ſi quis velit prius nimio ſomno indulgere, unde poſtea non poſſit utrique oneri ſatisfacere; non excuſabitur à culpa ratione præteritæ negligentiæ, ſi fuit prævisum impedimentum, & voluntariè non præventum. Ita Suarez, & Dicaſtillus citati, Filliucius, *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 226. ex Cajetano, Navarro, & aliis. *Illatio 10.*

71. Quartum caput excuſationis à Miſſa præcepta audienda eſt ratione officii, & juſtæ obedientiæ. Quo titulo excuſantur primò, milites cuſtodientes caſtrum, aut vigilias, ſeu excubias facientes, quando ſinè gravi detrimento, non poſſunt ſuo muneri deeſſe, ut Miſſam audiant. Ita Palaus, & Dicaſtillus Franciſc. Stephan. allegati, Navarrus, Suarez, Fagundez, Azor, Toletus, Layman, Petrus de *Quarta cauſa excuſationis.* *Illatio 1.*

Ledeſma,

Ledeſma, Villalobos, Baſſæus, Graffius, Martinon, quos refert, & ſequitur Leander, *q.* 51.

Illatio 2. 72. Secundò, ex hoc capite excuſantur Matres, vel nutrices, quæ neque infantes deferere poſſunt, neque habent aliquam, cui illos commendent, nec frequenter expedit eos ad Eccleſiam deferre ob eorum inquietudinem, quæ adſtantes moleſtat, & celebrantem perturbat. Ita Navarrus, Sylveſter, Azor, Suarius, Henriq. Toletus, quos refert, & ſequitur Dicaſtill. *n.* 209. & cum Conincho, & Bonacina, Palaus, ubi ſupra *num.* 6.

Illatio 3. 73. Tertiò, excuſatur ab audienda Miſſa Mater, quæ domi ad cuſtodiendas filias remanet, caſu quo neque eas ſolas poſſit domi abſque periculo relinquere, neque ſecum abſque periculo ad Eccleſiam portare. Ita Suarez, *dict. ſect.* 6. Bonacin. *punct. ultim. citat. n.* 2. Trullench. *num.* 4. Dicaſtill. *n.* 217. & plures alios referens Leander, *q.* 27.

Illatio 4. 74. Quartò, excuſantur famuli, quibus imperium Domini obſtat, quo minus ad templum accedere liceat, quando miniſterium eſt ita neceſſarium juxta comunem, & ordinarium vivendi modum; vel juxta occurrentes morales, & rationabiles occaſiones, ut non poſſit in aliam horam ſinè gravi incommodo differri: tunc enim nec Domini peccant præcipiendo, nec famuli parendo; tametſi ex illo obſequio Miſſa omittatur: quia eſt gravis, & rationabilis cauſa, & moralis neceſſitas. Quod ſemper intelligendum eſt, (inquiunt bene Suarez, *dict. ſect.* 6. *n.* 5. Coninchus, *q.* 86. *art.* 6, *dub. unic.* Palaus, *dict. n.* 7. Dicaſtillus, *num.* 213.) dummodo famuli non poſſint, mediocri diligentia adhibita, opportunum tempus pro Miſſa audienda prævenire; quod facilè contingit, quando in oppido non eſt niſi una Miſſa.

75. At ſi miniſterium non eſt ita neceſſarium, ſed poſſit in alium diem, vel in aliam horam ſinè incommodo differri, Domini quidem iniquè agent, & graviter peccabunt, id præcipiendo: eo quod impedient famulos ſinè legitima cauſa ab audienda Miſſa: cum tamen non ſolum ſint obligati ſibi ſubjectos à Miſſa audienda ſinè legitima cauſa non impedire, verum etiam debitam curam, & diligentiam, ut Miſſam audiant, adhibere. Quod adnotavit D. Ambroſius, *homil.* 33. Quadrageſimæ, & refertur in *Cap. Non putans* 80. *diſt.* Et colligitur ex illo Pauli ad Corinth. 5. *Si quis, ſuorum maximè domeſticorum curam non habeat, fide negavit, & eſt infideli deterior.* Ac benè docent Sylveſter, *verbo, Miſſa*, 2. *q.* 1. Navarrus, *c.* 21. *n.* 9. Palaus *num* 6. & Dicaſtillus *dict. n.* 213. Unde in hoc caſu famuli ſi abſque magno incommodo poſſunt ſubterfugere, & Miſſam audire, non obtemperando Dominis, tenentur facere, quamvis aliqua levis rixa intercedat, ſi verò, gravem iram, aut graves rixas timent, excuſari poſſunt: quia cum tanto incommodo non vult eos Eccleſia obligare. Quod ſi frequenter, & quaſi per conſuetudinem à Miſſa audienda ſinè cauſa juſta neceſſitatis impediantur, debere illos nacta oportunitate tale miniſterium relinquere, & alteri Domino adhærere, apud quem Eccleſiæ præcepta ſervare poſſint, rectè tradunt Suarius, Ægidius, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *num.* 6. *cit.* Dicaſtillus, *numer.* 212.

76. Quintum caput excuſationis à præcepto audiendi Miſſam ſumitur ex titulo charitatis. Hac ratione excuſatur primò, qui deſervit infirmo, quando non adeſt alius, qui inſerviat, & ſervitium, & Miſſa præſtari non poſſunt ſimul, neque alterum præveniri, ſervitiumque, aut aſſiſtentia ſit neceſſaria, Tum ut remedia convenienti tempore ægroto adhibeantur. Tum ne gravem laborem, & animi anxietatem ſolus relictus patiatur. Ita Palaus, *nu.* 5. & cum Suario Enriquez, Sylveſtro, Tabiena, Armilla, Angelo, Soto, & aliis Dicaſtillus *num.* 189. Filiucius, *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 227. D. Antoninus, Nunus, Bonacina, Azor, Hurtado, Scortia, Villalobos, Fagundez, Philibertus, Geſualdus, Trullench apud Leandrum, *quæſt.* 15. quos ipſe ſequitur. *5. excuſationis cauſa Ad hoc caput pertinens. Prim*

77. Secundò, ex hoc capite aliqui excuſant fœminam interdum ſe domi continentem die feſto, quando ſcit ſe ab adoleſcente perditè adamari, quæ ſi Eccleſiam adeat, erit illi occaſio peccandi; quamvis in hoc non conſentiant alii. Enriquez enim *cap.* 12. *num.* 10. nec non Palaus *loco citato*, *num* 5. aſſerunt, hanc cauſam non eſſe legitimam excuſationem, ſed putant teneri Miſſam audire: quia præceptorum obſervatio omittenda non eſt ob ruinam proximi, quam ipſe ſibi voluntariè ſumit. Valentia verò, *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 18. *punct.* 4. *regula.* 3. Lodovicus Lopez, 1. *p. cap.* 57. putant teneri ad omittendam Miſſam, bis, vel ter, ſi creditur vir ex fragilitate ruiturus. Sotus, in 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 3. *art.* 1. conſulit Miſſam relinquere. Suarez vero, Sà, & alii apud Dicaſtillum, *num.* 204 quos ipſe ſequitur, item Fillincius, *tract.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 11 *nu.* 227. Bonacina, *num.* 15. Caietanus, Thomas Sanchez, Azor, Philibertus, Trullench. Baſlæus, Villalobos, apud Leandrum, *quæſt.* 54 & alii ſatis probabiliter aſſerunt, poſſe relinquere ſed non teneri: poſſe quidem relinquere propter charitatem proximi, ad evitandum notabile ipſius damnum; non teneri verò, quia utitur jure ſuo, & ſcandalum illud eſt paſſivum, acceptum; non datum, neque ipſa non relinquendo Miſſam, cenſetur præbere occaſionem peccandi, ſed alium illam arripere ex ſua malitia. *Secundo.*

78. Sextum caput excuſationis ſumitur ex conſuetudine rationabili, & legitimo tempore præſcripta, à Paſtoribus Eccleſiæ tolerata, quæ ſicut poteſt legem introducere, poteſt præexiſtentem abrogare, aut temperare, ut ex communi ſententia docent Palaus, *num.* 7. & Leander, *quæſt.* 56. *Sexta cauſa excuſat.*

79. Ex hoc titulo excuſantur primò fœminæ, quæ per aliquot dies poſt partum ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinent, tametſi perfectè convaluerint, juxta *Cap. Unicum de Purificat.* poſt partum, ex reverentia, inquam, & devotione; non ex ſuperſtitione, & obſervatione ritus, & legis Moſaicæ. Ita Caietanus, Suarez, Majolus, Bonacina, Henriquez, quos citat, & ſequitur Palaus, *dict. num.* 7. Trullench. Filliucius, Lublinus, Dicaſtillus, Molfeſius, apud Leandrum, *quæſt.* 61. cum quibus ipſe ſentit. Sicut N. Franciſc. B. S, Herinx, *Corollarii.* 1.

Ob

Fœmina non excuſatur propter menſtrua.

80. Ob temporaria vero, & conſueta menſtrua non excuſari fœminas à Miſſa audienda, niſi ratione ægritudinis, & debilitatis, quæ per accidens adjungeretur, benè notant Navarrus, Henriquez, Suarez, & Bonacina, quos affert & ſequitur Palaus, *dict. num.* 7. Dicaſtillus, *num.* 219. Filliucius, *num.* 229. Villalobos, *difficult.* 36. *num.* 8.

Corollarium 2.

81. Secundò excuſantur aliquibus in locis virgines nobiles jam nubiles ab audiendo ſacro, quando eſt conſuetudo recepta, ne in publicum exeant, ob eamque cauſam Miſſam non audiunt, ut cum Cajetano, Soto, Sylveſtro, Navarro, docet Suarez, Azor, Henriquez, Rodriguez, Graffius, Bartholomæus ab Angelo, Angelus, Armilla, Sotus, D. Antoninus, Aragon, Tabiena, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, Filliucius, *dict. num.* 229. Palaus, *dict. num.* 7. & alii. Si tamen hanc conſuetudinem violent exeundo ad alia vana, & profana, ut ad ludos, choreas, ſpectacula, & ſe ad domus feneſtras, & portas ſpectandas præbeant, iniqua profectò conſuetudo erit, ſolum pro audiendo ſacro virgineæ pudicitiæ excuſationem prætexere: unde præſumendum eſt, conſuetudinis titulum ea moderatione receptum eſſe, ut domo ſe contineant, portas, & feneſtras fugiant. Advertunt etiam Suarez, Azor, & Dicaſtillus, moderandam adhuc, & quoad fieri poſſit auferendam prædictam conſuetudinem, vix enim ob tanti præcepti executionem periculum impudicitiæ adeſt, præcipuè ſi Eccleſias adeant, ubi non eſt adoleſcentium concurſus, & finitâ Miſsâ ſtatim domum revertantur.

Corollarium 3.

82. Tertiò ob viri mortem excuſari ſolent conjuges à Miſſa audienda: quia pluribus in locis eſt conſuetudo recepta, ne domo exeant ob honeſtatem, & decentiam vidualem, & ob rationabilem oſtenſionem, & ſignificationem triſtitiæ. Quæ conſuetudo non deberet durare poſt menſem, ut benè docet Villalobos, Filliucius *loco cit.* Rodriguez, verb. *Fiestas, concl* 9. & alii apud Leandrum, *quæst.* 58. & apud Dicaſtillum, *num.* 219. Si tamen eſſet in aliquo loco diuturnior, præſertim in fœminis nobilioribus, non eſſet damnanda, ſaltem peccati mortalis, ut cum Cajetano, Sylveſtro, Navarro, tenet idem Filliucius, & cum aliis Dicaſtillus, Leander, & Palaus citati; Herinx, N. Urbanus, Franciſc. quos refert & ſeq. Stephan. *num.* 103. viduæ tamen illæ, quæ non obſtante hac conſuetudine, domo egrediuntur ad alias res non æque ſacras, neque urgentes, nullatenus excuſari poſſunt: ſi enim viduitatis decentia, & triſtitiæ ſignificatio exitum non impedit, quo titulo impedire poteſt Eccleſiæ acceſſum, ut rectè arguit Palaus.

Septimum excuſationis caput.

83. Septimum caput excuſationis ſumitur ex parte Sacerdotis, ſi ſit nominatim excommunicatus, aut manifeſtatus Clerici percuſſor: quia in hoc caſu idem eſt, ac ſi non eſſet miniſter, cum talem Sacerdotem teneamur vitare, maximè in rebus divinis. Ita ex communi ſententia tradunt Villalobos, & Palaus citati. Breviter plures alios caſus referunt N. Gabr. Franciſc. Stephanus, Herinx & alii quibus fideles à Miſsa audienda excuſantur, ſed ex dictis facilè colliguntur & deducuntur: illis tamen hoc D. Aug. *Serm.* 25. *de Temp.* monitum proponimus: *Saltem in domo ſua orent & non negligant Deo ſolvere votum, ac reddere penſum ſervitutis.*

TRACTATUS SEXTUS
DE
SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT PRIMUM.
De Pœnitentia quatenus eſt ſpecialis virtus.

Caput hoc complectitur quinque Puncta, & tria Dubia.

P. 1. *De etymologia, & definitione Pœnitentiæ, de ſubjecto, & objecto ejus, ubi etiam explicatur, qualiter à Religione differat.*
P. 2. *In quibus conveniant, & in quibus differant Pœnitentia ut eſt virtus, & ut eſt Sacramentum.*
P. 3. *An virtus Pœnitentiæ habeat nexum cum gratia, & charitate.*
P. 4. *De actibus Pœnitentiæ, contritione, ſcilicet, & attritione.*
P. 5. *De neceſſitate Pœnitentiæ, quatenus eſt actus virtutis.*
Dub. 1. *An Pœnitentia ſit ſpecialis virtus?*
Dub. 2. *An ſit pars potentialis juſtitiæ?*
Dub. 3. *An Pœnitentia concurrat effectivè ad deſtructionem peccati?*

PUNCTUM I.
De etymologia, & definitione Pœnitentiæ, de ſubjecto, & objecto ejus, ubi etiam explicatur, qualiter à Religione differat.

Pœnitentia undè dicta?

1. ET quidem in primis quantum ad nominis etymologiam Pœnitentia dicta eſt à pœna, ut idem ſit, *pœnitere, quod pœnam tenere, & Pœnitentia ſit pœnæ tenentia*; quia pœnam, & dolorem tenere facit ob bona omiſſa, & mala commiſſa. Sic Auctor *de vera, & falſa Pœnitentia, c.* 8. *&* 19. relatus in *cap. Pœnitentia* 2. *de Pœnitent. diſt.* 3. & habetur apud D. Aug. *tom.* 4. vel *Pœnitentia* (ut ait D. Iſidorus, *lib.* 6. *Etymologiarum, cap. ultim.*) *appellata eſt, quaſi punientia: eò quod ipſemet homo in ſe puniat, Pœnitendo, quod male admiſit.*

Pœnitentiæ definitio.

2. Quantum ad definitionem verò non ita benè ab aliquibus Pœnitentia definitur: *Quod ſit dolor de peccatis propter Deum*: quia ad hunc dolorem niſi aliquid addatur, non requiritur ſpecialis virtus diſtincta à charitate: quippe eadem virtus, quæ inclinat ad diligendum bonum alicujus, inclinat etiam ad odio habendum ejus malum, & de illo dolendum; ſed melius definitur ſic: *Pœnitentia eſt virtus tendens ad deſtructionem peccati, in quantum eſt Dei offenſa, media ſatisfactione, & dolore.* Vel ita: *Eſt virtus offerens Deo debitam ſatisfactionem, & dolorem pro peccatis.* Ita Noſtri Salmantic. *tom.* 3. *in* 1. 2. D. Thom. *in Arbore Prædicamentali, ſive generali diviſione omnium virtutum*, §. 9. *num.* 75. cum enim Pœnitentia ſit juſtitia hominis ad Deum, tametſi ſecundum quid, & imperfecta, oportet, ut ejus objectum ſit aliquid Deo debitum, per cujus exhibitionem & reſtitutionem inæqualitas, & injuria, quam offenſa intulit, imperfectè ſaltem, & inæqualiter, modo poſſibili reparetur, divinuſque honor à peccatore ſecundum affectum damnificatus reſtituatur, & jus divinum læſum, quoad fieri poſſit, integretur: quod licet non perfectè, & ad æqualitatem, hoc enim eſt creaturæ impoſſibile, inæqualiter, ac imperfectè tamen, & modo ſibi poſſibili, pœnitens media ſatisfactione præſtat: in qua includitur dolor de peccato præterito, & propoſitum ulterius non peccandi: Pœnitentia enim utrumque inſpicit, & offenſæ ſatisfactionem, & offenſæ dolorem, cum emendationis propoſito: taliter tamen, quod offenſæ ſatisfactionem inſpicit, ut finem: dolorem, cum emendationis propoſito, ut medium; aſſumit namque Pœnitentia dolorem cum propoſito emendationis, tanquam medium ad dirimendam offenſam.

3. Subjectum virtutis Pœnitentiæ, ſicut aliarum partium juſtitiæ, eſt voluntas, ut docet D. Thom. 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 4. quem ſequuntur Cajetan. & communiter Theologi: juſtitia enim habet pro ſubjecto appetitum rationis, qui eſt voluntas. Undè ſicut juſtitia (ut inquit Cajetan.) eſt voluntas jus ſuum unicuique tribuens: ita Pœnitentia eſt voluntas tribuens Deo jus ſuum pro peccato contra eum commiſſo. Vitium oppoſitum Pœnitentiæ per defectum eſt impœnitentia; ſi quod verò opponitur illi per exceſſum, erit innominatum, vel dicetur Pœnitentia indiſcreta. *Subjectum.*

4. Quantum ad objectum ipſa ſatisfactio, quam dolore ut medio ad compenſandam offenſam Pœnitentia offert, eſt proprium, & formale objectum *quod* hujus virtutis; Deus autem poteſt dici objectum *cui*; ſed peccata habent ſe tanquam, id quod deſtruitur per Pœnitentiam; quod dicitur materia remota. Materia verò proxima extenditur ad omne id, in quo poteſt reperiri aliqua ratio ſatisfactionis, proindeque comprehendit actus omnium virtutum. *Objectum.*

A Religione quomodo diſtinguatur?

5. A Religione verò diſtinguitur Pœnitentia: quia Religio reddit Deo honorem, ei

ſecun-

ſecundum ſe, & abſolutè debitum, ob rationem primi principii ſupremique, excellentis; Pœnitentia verò reddit ſatisfactionem debitam non niſi pro offenſa, & ideò non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione offenſæ reſtituit Deo debitum, ſcilicet honorem qui fuit per offenſam ablatus.

PUNCTUM II.

In quibus conveniant, & in quibus differant Pœnitentia, ut eſt virtus, & Pœnitentia, ut eſt Sacramentum?

Pœnitentia, ut virtus, & ut Sacramentum conveniunt in ſex.

6. Conveniunt hæ duæ Pœnitentiæ in nomine: conveniunt, & in aliis ſex. Primò, utraque hominem in gratiam, & Dei reſtituit amicitiam. Secundò, utraque requirit deteſtationem peccati, & vitæ emendandæ propoſitum. Tertiò, utraque eſt medicina utilis ad delendum peccatum, & neceſſaria, ſi peccatum poſt Baptiſmum commiſſum mortale ſit. Quartò, utraque dicitur ſecunda tabula poſt naufragium. Quintò, utraque requirit pro ſubjecto hominem adultum. Sextò, utraque poteſt iterari, non modo circa idem peccatum, ſæpius videlicet deteſtando illud, vel aperiendo in doloroſa confeſſione, verum etiam circa diverſa, quæ poſt Pœnitentiam, & confeſſionem committuntur.

Differunt in decem.

7. Differunt verò in aliis decem. Primò, quia ut virtus, eſt quodammodo de jure naturali, in quantum, quod jus naturale dictat, hominem debere de eo dolere, de quo dolendum eſt: at ut Sacramentum, eſt de jure divino poſitivo, nempe inſtitutione Chriſti. Secundò, quia qua Sacramentum pro materia tres habet partes, ſcilicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem; non ut eſt virtus. Tertiò, quia virtus eſt pars quædam Sacramenti per ſuum actum, nempe per dolorem; Sacramentum eſt ipſum totum, quod præter dolorem, & alios actus, dicit etiam abſolutionem. Quartò, quia ut virtus, dari poteſt in hominibus antè Baptiſmum; ſecùs quà Sacramentum. Quintò, quia quà virtus, à mundi cœpit exordio; ut verò Sacramentum, Chriſti fuit inſtitutionis. Sextò, quia qua virtus, ut juſtificet, requirit actum perfectum, qui eſt perfecta contritio; ut verò eſt Sacramentum, cum ſola etiam juſtificat attritione. Septimò, quia qua Sacramentum, eſt quid ſenſibile, ſicut & omnia alia Sacramenta; ut verò eſt virtus, eſt quid inſenſibile. Octavò, quà virtus eſt cauſa gratiæ per modum diſpoſitionis; at ut Sacramentum per modum cauſæ efficientis inſtrumentalis, & ex opere operato. Nonò, quia ut virtus, fuit neceſſaria in omni ſtatu: qua Sacramentum verò tantùm in ſtatu gratiæ. Decimò, quia virtus ponitur ſub genere habitus; Sacramentum ſub ſigno ſacro.

PUNCTUM III.

An virtus Pœnitentiæ habeat nexum cum gratia, & charitate?

Pœnitentia nexus cum gratiâ.

8. Habet Pœnitentiæ virtus duplicem nexum cum gratia, unum generalem; ſpecialem, ſeu ex particulari titulo alterum: generalem quidem, qua virtus infuſa eſt: omnes namque virtutes morales infuſæ cum gratia connectuntur, illi ancillantur, illi deſerviunt, ad illam velut paſſiones conſequuntur. Nexus vero ſpecialis, ſeu ex particulari titulo eſt ipſi cum gratia: quia per ſe tendit ad auferendam offenſam irrogatam Deo media ſatisfactione, & dolore cum propoſito emendationis; & hujuſmodi ſatisfactio, & dolor, quantumvis magnus ex ſe, cum inæqualis ſit prædictæ offenſæ, nequit ſuum ſortiri effectum, niſi ex Dei acceptatione, ſupplente divina miſericordia: quod non valet hominis præſtare juſtitia: hoc autem eſſe non poteſt, niſi Deus pacetur homini, reddaturque ipſi amicus: quod fit per gratiam.

Idem cum charitate.

9. Habet etiam nexum cum charitate: quia dolor divinæ deſtructivus offenſæ non eſt quicunque, ſed dolor (ut ſic dicamus) ſuper omnia: quia hic ſolus eſt prædictæ offenſæ proportionatus. Sicut autem omnis dolor ex aliquo procedit amore: ſic dolor ſuper omnia de divina offenſa debet procedere ex amore ſuper omnia divini boni, qui eſt amor charitatis.

PUNCTUM IV.

De actibus Pœnitentiæ contritione ſcilicet, & attritione.

Quid ſit contritio.

10. Duplex eſt Pœnitentiæ actus, perfectus, & imperfectus. Actus perfectus Pœnitentiæ, qui contritio in ſcholis appellari ſolet: *Eſt deteſtatio, & dolor ſuper omnia de peccato commiſſo, quatenus eſt offenſa, & injuria Dei, & propter Deum ſumme dilectum, intentione abolendi, & reſarciendi illam, cum propoſito non peccandi de cætero.* Circa quem actum quædam advertenda ſunt.

Quomodo ſit motus efficax?

11. Primum: idem perfectæ Pœnitentiæ, ſive contritionis actus, licet quantum eſt ex parte peccati præteriti, ſit motus inefficax, quia vellet peccatum non fuiſſe, quod efficaciter volitum eſſe nequit: quantum tamen ex parte voluntatis eſt efficax affectus, quatenus motu abominativo, ita tendit in peccatum, ut juris divini læſivum deſtruendum, ut verè per modum ſatisfactionis, & compenſationis ſupplente divina miſericordia, inæqualitatem ipſius efficaciter deſtruat.

Qualiter à charitate & à Pœnitentia infuſa procedat?

12. Secundum: eadem contritio procedit, tum a charitate erga Deum, tum ab infuſa Pœnitentiæ virtute: ab illa quatenus pœnitens dolet de peccato, ut eſt quid contrarium Deo ſummo bono dilecto; ab hac autem quatenus idem peccatum abolere cupit ad ſatisfaciendum Deo offenſo, ſeu injuria affecto. Nam illa quidem affectio ex charitatis motivo eſt; hæc autem ex motivo Pœnitentiæ, ſeu juſtitiæ imperfectæ erga Deum. Illa quidem prior, ad imperans: hæc verò poſterior eſt, ac imperata. Ideo enim pœnitens ſuper omnia dolet de divina offenſa intentione illam compenſandi: quia ſuper omnia diligit divinum bonum ſummè amabile, & abolere, & deſtruere vult peccati malum, quia eſt contrarium Deo ſummè dilecto.

Includit ordinem ad

10. Unde actus contritionis in ſua intrinſeca ratione includit ordinem ad actum formalem

Actum formalem dilectionis Dei.

malem dilectionis Dei, & conjungitur cum illo, ut docent D. Thom, 3. *part. quæſt.*85. *art.*5. *& 6. quæſt.*86. *art.*3. & *in* 4. *diſt.*17. & ibi Paludanus, & D. Bonavent. Ricardus, *diſt.*15. *&* 16. Scotus, *diſt.*14. *quæſt.*2. *ad ult.* Durandus, *diſt.* 15. *&* 16. Alenſis, 4. *part. quæſt.* 17. *membro* 2. Canus *in relectione de Pœnit. punct.* 2. Petrus de Ledeſma *in manuſcriptis de partibus Pœnit. dub.*2. Ita quod actus contritionis ſit deteſtatio, & dolor peccati, quæ pertinet ad virtutem pœnitentiæ, cum intrinſeco ordine ad deteſtationem perfectam, & ad Dei amorem formalem: ſicut actus fidei ſupernaturalis eſt actus intellectus cum ordine intrinſeco ad piam affectionem voluntatis.

Quibus gradibus ad eam pervenitur.

14. Tertium: adhunc præſtantiſſimum pœnitentiæ, ſive contritionis actum quibuſdam quaſi gradibus pervenitur. Primum: itaque Dei miſericordia nos prævenit, cordaque noſtra ad ſe convertit. Deindè hoc lumine illuſtrati, per fidem ad Deum animo tendimus, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud inprimis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Prætereà, peccatores nos eſſe intelligentes, motus timoris conſequitur, & ſuppliciorum acerbitate propoſita, animus à peccatis revocatur. Huc deinde accedit ſpes impetrandæ à Deo miſericordiæ, quâ erecti, vitam, & mores emendare conſtituimus. Poſtremò charitate corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis, & ingenuis filiis oritur, atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majeſtatem lædamus, adverſus peccata per odium, & deteſtationem ex intentione reſarciendi divinæ injuriæ, & offenſæ movemur, & peccandi conſuetudinem omninò deſerimus, firmum propoſitum concipientes Deum inpoſterum non offendendi. Ita docent Concilium Tridentinum, *ſeſſ.*6. *cap.*6. Catechiſmus Pii V. ad Parochos, §. *Quibus viis ad virtutem Pœnitentiæ perveniatur.* Eodemque penè modo D. Thom. 4. *part. quæſt.*85. enumerans actus, quibus Deo operante, in Pœnitentia cooperamur. *Primum* (inquit) *principium eſt Dei operatio convertentis cor ſecundum illud Threnorum ultimò: converte nos Domine ad te, & convertemur. Secundus actus eſt motus fidei. Tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.*

Quænam contritionem comitentur?

15. Quartum: Ex Tridentino, *ſeſſ.*14. *c.*4. veram, & perfectam contritionem hæc etiam comitantur. Primò, inchoatio novæ vitæ, non ſolum veteris ceſſatio, & odium. Secundò, reconciliatio hominis cum Deo extra Sacramentum, licet non ſinè voto Sacramenti incluſi in illa. Tertiò, charitas perfecta.

Quid ſit Chriſtiana attritio?

16. Alter eſt actus Pœnitentiæ imperfectus, qui in ſcholis *Attritio chriſtiana* dici ſolet, & *eſt deteſtatio, & dolor imperfectus de peccato, qui non attingit ad perfectionem contritionis hactenus explicatam: eſt tamen ſupernaturalis, & abſoluta deteſtatio peccati cum ſpe veniæ, diſponens hominem ad gratiam remotè, & inſufficienter ex ſe ſola, proximè, & ſufficienter cum Sacramento Pœnitentiæ.* Dicitur *Deteſtatio, & dolor imperfectus:* quia nunquam eſt ſufficiens diſpoſitio ſe ſola ad gratiam, licet poſſit eſſe intentior, & remiſſior in ſua ſpecie. Dicitur ſecundò, *qui non attingit, &c.* nam licet motivum illius ſit ratio æterna, ut privatio gloriæ, deformitas ſupernaturalis animæ, offenſa etiam Dei ſecundum aliquos; ſaltem deeſt illi conditio illa, ut non ſit propter Deum ſummè dilectum. Dicitur tertiò, *ſupernaturalis:* quia quæ tantum eſt naturalis, cum ſit inferioris ordinis, non eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, neque cum Sacramento. Dicitur quartò, *abſoluta deteſtatio peccati diſponens ad gratiam, &c.* ad excludendum eam, quæ ſit tantum conditionalis, *ut nollem peccaſſe, vellem cavere futura.* Chriſtiana igitur attritio, quæ voluntatem peccandi abſolutè excludit, cum ſpe veniæ, donum Dei eſt, & Spiritus Sancti impulſus, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſinè Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, cum diſponit, uti docet Tridentinum, *ſeſſ.*14. *cap.* 4.

Septem inter contritionem & attritionem diſcrimina.

17. Sequentia autem diſcrimina aſſignari poſſunt inter contritionem, & attritionem. Primum, quod attritio dicit quandam diſplicentiam de peccatis commiſſis, ſed non perfectam; contritio autem perfectam. Ita D. Th. *quæſt.* 1. *ſupplem. art.*2. *ad* 2. & Concilium Tridentinum, *ſeſſ.*14. *cap.* 4. Secundum, quod attritio non includit dilectionem Dei ſuper omnia, & ideò non eſt ſufficiens diſpoſitio ſinè Sacramento in re; eſt autem contritio, quia illam includit. Tertium, nam contritio ſemper eſt ex voluntate efficaci deſtruendi culpam commiſſam; attritio non ſemper: cum ſe ſola poſſit ſæpe eſſe conjuncta cum peccato mortali habituali. Quartum, quia contritio reatum pœnæ æternæ, ut delendum reſpicit; non ſic attritio, quæ hoc ſolum habet medio adjuta Sacramento in re. Quintum, contritio pro primo ſui principio recognoſcit dilectionem Dei ſuper omnia; attritio vero timorem ſervilem ex amore concupiſcentiæ. Sextum, contritio deteſtatur peccatum in ratione offenſæ Dei ſuper omnia dilecti; non ſic attritio. Septimum contritio, utpote actus perfectus, petit procedere à virtute; non ſic attritio, quæ eſt actus imperfectus in ratione deteſtationis, ad quem ſatis eſt divinum auxilium.

Objectio triplex.

18. Sed contra hoc ultimum diſcrimen objicies. Primò, quod attritio de qua loquimur eſt actus bonus, & laudabilis moraliter loquendo: ergo petit etiam procedere ab aliqua virtute, & non ſolum ab auxilio, cum omnis actus bonus moraliter, ut connaturaliter fiat, ab aliqua virtute debeat procedere. Secundò, quia talis attritio habet ſupernaturalitatem: ergo petit procedere ab aliquo principio ſupernaturali, non ſolum per modum motionis, verum etiam per modum formæ; nam adhoc ut actus ſupernaturalis debito modo fiat, & connaturaliter, neceſſarius eſt habitus ſupernaturalis. Tertiò, nam ad actum contritionis requiritur

habitus

habitus ſupernaturalis, qui quidem habet proportionem cum actu; ergo etiam ad actum attritionis ſupernaturalis, ut ſit proportio inter actum, & habitum.

Diluitur. 19. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur, quod attritio eſt actus bonus, & laudabilis, imperfectus tamen in ratione deteſtationis, & propterea ad illam non requiritur virtus. Ad ſecundam dicendum, quod licet attritio, de qua loquimur, ſit actus ſupernaturalis, ad eam tamen non eſt neceſſarius habitus virtutis, ſed ſufficit divinum auxilium per modum principii, vel aliqua affectio per modum diſpoſitionis, quoniam eſt actus imperfectus. Sicut in intellectu reperiuntur aliquæ cogitationes ſupernaturales, quæ antecedunt fidem, & ad illas non eſt neceſſarius aliquis habitus. Ad tertiam conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: quia contritio eſt actus in ſua ratione perfectus, & propterea ad illum requiritur habitus virtutis; attritio vero eſt actus in ſua ratione imperfectus, & propterea ad illum non requiritur habitus.

PUNCTUM V.

De neceſſitate Pœnitentiæ quatenus eſt actus virtutis.

1. Concluſio. 20. Cum duplex ſit neceſſitas, una medii, altera præcepti, de utraque dicendum nobis eſt. Et quidem in primis Pœnitentia ſemper in omni lege fuit neceſſarium medium ad ſalutem hominibus lapſis in peccatum mortale. Ita Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Tertulian. *lib. de Pœnitent. c.* 4. D. Aug. *epiſt.* 48. ad Vincentium, D.Th. 3. *p. q.* 86. *art.* 2. & ſumitur ex illo Lucæ 13. *Niſi Pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

An in ſtatu antè legem gratiæ ſufficere, poſſet ad ſalutem ſola attritio? 21. Sed quid nomine hujus Pœnitentiæ neceſſariæ neceſſitate medii intelligitur, perfectane contritio? An ad ſalutem ſufficere poteſt ſola attritio? Reſpondetur ſub diſtinctione: ſi loquamur de ſtatu antè legem gratiæ, aliqui probabiliter dicunt neminem adultum à peccato mortali liberari, & juſtificari potuiſſe ſinè vera contritione includente charitatem Dei ſuper omnia: eo quod Sacramenta veteris legis ſolum excitabant fidem in Chriſtum, quæ ſi formata fuerat per actum charitatis, & contritionis, homo juſtificabatur; non verò ſi ſuſcipiebat Sacramentum circumciſionis, vel aliquod aliud cum ſola attritione. Ita Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 1. Bonacina, *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 1. *puncto* 2. *num.* 3. Canus, & alii, plures, ut retulimus *tract.* 1. *de Sacramentis in genere, cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 38. Alii verò, quos refert Nunus, 3. *p. q.* 70. *art.* 4. etiam probabiliter aſſerunt, quod in circumciſione, (& fortè in aliquo alio Sacramento, ut in conſecratione Sacerdotis, & in remedio legis naturæ) conferebatur gratia, ita ut adultus fieret ex attrito contritus; non tamen virtute Sacramenti, id eſt non cauſabatur gratia ab ipſo Sacramento, ſed à Deo ſolo ad præſentiam Sacramenti.

Quid in lege gratiæ cum Sacramento Baptiſmi, vel Pœnitentiæ? 22. In lege autem nova poſt commiſſum peccatum mortale non eſt neceſſaria neceſſitate medii vera contritio homini ſuſcipienti Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ; ſed ſufficit ſola attritio à nobis explicata ſup. *num.* 16. quia ut ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. manifeſtè colligitur: ea eſt ſufficiens diſpoſitio, ut Sacramentum conferat gratiam, & faciat de attrito contritum; atque ita docent, cum aliis relatis, Henriq. *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6. *num.* 5. Suarez, *de pœnit. diſp.* 15. *ſect.* 4. *num.* 13. Coninchus, Layman, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus, *tract.* 23. *diſput. unica, punct.* 3. & eſt jam ferè communis Theologorum. Ratio eſt: quia hæc duo Sacramenta ex Chriſti inſtitutione non vivorum, ſed mortuorum remedia ſunt, id eſt per ſe, ac directè inſtituta, ut homini ſpiritualem vitam, id eſt gratiam conferant, conſequenter eam antè ſuſceptionem neceſſariò non requirunt, ac proinde nec perfectam contritionem exigunt; ſed ſufficit attritio ſupernaturalis, quæ licet ſinè Sacramento Baptiſmi, vel Pœnitentiæ (per ſe, & ordinariè) ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen ad Dei gratiam ſanctificantem in dictis Sacramentis conſequendam diſponit. Sicuti loquitur Tridentinum. Quarè Act. 2. D. Petrus monuit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.*

Quid extra Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ per ſe loquendo? 23. Verum extra Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ peccator ſinè vera contritione, ſaltem virtuali juſtificari non poteſt per ſe, & ordinariè loquendo: eo quod cætera Sacramenta præter Baptiſmum, & Pœnitentiam ſunt vivorum; licet per ea peccator interdum cum ſola attritione per accidens juſtificetur, fiatque ex attrito contritus: quando nimirum quis accedit ad Sacramentum, vel nullam habens conſcientiam peccati mortalis, ſed putans invincibiliter ſe eſſe in gratia, eo quod adhibuit omnem ſuam diligentiam, ut examinaret, & probaret ſuam conſcientiam, an peccatum haberet, & nullius recordatur: vel quia exiſtimat ſe fuiſſe abſolutum, cum non fuerit, ſimulque cum tali bona fide, & ignorantia habet veram attritionem ſupernaturalem, quæ ex motivo ſupernaturali procedat, & in omnia peccata commiſſa cadat, vel is, qui memor eſt peccati mortalis non confeſſi, non habens copiam confeſſoris, habens tamen prædictam attritionem exiſtimatam invincibiliter contritionem, accedit ad Sacramentum urgente neceſſitate: ut cum D. Thoma, & ferè communi ſententia tradidimus *tract.* 1. *de Sacramentis in genere, cap.* 5. *punct.* 2. *num.* 11. & *tract.* 4. *de Euchariſtia, cap.* 6. *punct.* 4. *num.* 55.

De neceſſitate pœnitentiæ ex præcepto divino. 24. Præterea: Pœnitentia homini lapſo in peccatum mortale neceſſaria etiam eſt neceſſitate præcepti divini, ut communiter tradunt Theologi, & manifeſtè colligitur ex ſacris literis, Lucæ 13, *Niſi Pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis:* Et Act. 4. *Pœnitentiam agite, & Baptizetur unuſquiſque veſtrum,* & alibi paſſim.

Objectio 1. 25. Sed objicies: ſpeciali præcepto ſpeciale opponitur peccatum: ſed finalis impœnitentia, quæ Pœnitentiæ opponitur, non eſt ſpeciale peccatum, ſed ſolum circumſtantia illius peccati, cum quo, quis moritur, ut docet Angelicus Doct. 2. 2. *q.* 14. *art.* 2. & *in* 2. *diſt.* 43. *art.* 3. *ad.* 3. ergo neque eſt contra ſpeciale præceptum.

Solutio. 26. Reſpondetur, duplicem eſſe impœnitentiam, una eſt materialis, quæ eſt ſola permanentia in peccato uſque ad mortem, & hæc non eſt ſpeciale peccatum impœnitentiæ, ſed quædam generalis circumſtantia aliorum peccatorum, in quo ſenſu locutus eſt D. Thomas quando ait: impœnitentiam eſſe circumſtantiam aliorum peccatorum. Altera eſt impœnitentia formalis, quæ eſt propoſitum non pœnitendi, vel omiſſio actus debiti Pœnitentiæ, quando homo poteſt, & tenetur pœnitere, quod proculdubio eſt ſpeciale peccatum.

Quæſitum primum ſolvitur. 27. Hoc ſuppoſito rogabis primò quale præceptum ſit de Pœnitentia elicienda? Reſpondetur; præceptum hoc eſſe divinum naturale, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma: quia actus Pœnitentiæ ex natura rei, aut abintrinſeco, eſt ad remiſſionem peccatorum neceſſarius, & ita continetur inter præcepta decalogi in quibus tota lex naturalis clauditur: continetur enim ſub primo decalogi præcepto implicitè, ad illudque remotè, & radicaliter revocatur, utpotè à quo derivatur: ex illo enim principio quo Deus eſt ſuper omnia amandus, & colendus, deducitur, non eſſe illi irrogandam injuriam, eamque ſemel illatam, eſſe compenſandam; ſicuti ex eo, quod proximus eſt à nobis diligendus, deducitur non eſſe injuriandum, & ſuppoſitâ injuriâ, eſſe illi ſatisfaciendum: uti docent Canus, Dominicus, Soto, Henriquez, & Nuñus, quos refert, & ſequitur Aravio, 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 26. & cum multis aliis Leander, *tract.* 5. *de Pœnitent. diſp.* 1. *quæſt.* 30. N. Philippus a SS. Trinit. *tract. de pœnitent. diſp* 9. N. Gabr. a S. Vinc. *tract. de pœnit. diſp.* 2. *quæſt.* 10. N. Anton. à Spirit. S. *in direct. confeſ. tract.* 4 *diſp.* 3. *ſect.* 2. Goner. *de pœnit diſp.* 7. *art.* 9. &c. Præſcindimus autem ab hoc, quod actus Pœnitentiæ ſit pars Sacramenti confeſſionis: quia ſecundum hanc rationem de illo eſt præceptum poſitum in ratione confeſſionis.

2. Objectio. 28. Sed objicies, quod præcepta naturalia ſunt invariabilia ſicuti, & natura rerum: ergo cum præceptum pœnitentiæ ſit nedum variabile, ſed de facto variatum: ſiquidem antè legem Evangelicam, & inſtitutionem Sacramentorum erat neceſſaria formalis contritio omnibus adultis, ad obtinendam remiſſionem peccatorum, nunc autem in lege Evangelica ſufficit attritio cum Sacramento in re ſuſcepto: ergo præceptum pœnitendi non eſt naturale.

Reſponſio illius. 29. Reſpondetur cum D. Th. 1. 2. *q.* 100. *art* 8. ad 3. præcepta juris naturalis variationem aliquando pati, non quidem quoad formam obligationis; ſed tantum quoad ejus materiam, & modum ab illo, qui ſupra eam habet poteſtatem. Qua ratione in lege gratiæ invariata manente forma obligationis præcepti pœnitendi, ob quam quilibet adultus pro peccato mortali tenetur Deo aliquam pœnitentialem ſatisfactionem exhibere; datur variatio quo ad materiam, & modum: & ita in lege gratiæ ad ſatisfactionem in actu contritionis conſiſtentem, ſolus ille debitor tenetur qui Sacramentum in re non ſuſcipit, qui verò illud ſuſcipit, ad imperfectam ſolutionem, quæ conſiſtit in attritione, per quam ſufficienter obligationi præcepti pœnitendi ſatisfacit, ſupplente Deo creditore, qui ſupra plenam habet poteſtatem, defectum contritionis, virtute ipſius Sacramenti in re ſuſcepti: ſicut etiam per accidens poteſt debitor obligatione præcepti reſtitutionis in totum, aut in parte excuſari ob liberalem condonationem creditoris, qui ſupra materiam reſtitutionis plenam haberet poteſtatem.

Quod ſi per accidens ponatur juſtificatio ratione actus dilectionis, quando quis nullam habens peccatorum memoriam, ſubitò in Deum rapitur, tenetur adhuc ſaltem cum peccata clavibus ſubjicienda ſunt, ratione Sacramenti habere actum pœnitentiæ illorum: quia peccata materia pœnitentiæ non ſunt, niſi dolore informata, ut docet Palaus ubi ſupra, Lugo, Hortado, Becanus, quos citat, & ſequitur Leander, *quæſt.* 24.

30. Rogabit ſecundò, quo tempore obliget contritionis præceptum? in quo quæſito diſtinguere oportet inter obligationem præcepti, quæ eſt per ſe, & eam, quæ aliunde, ſive per accidens provenit. Et quidem per accidens peccator Sacramentum Pœnitentiæ non ſuſcepturus, quia vel non adeſt commoditas confeſſionis, vel obligatio ejus, tenetur primò ad veræ contritionis actum, ſi Sacramentum aliquod ex his, quæ vivorum propria ſunt, ſuſcipere, vel quodcumque Sacramentum ex officio miniſtrare velit: quia tenetur quis dignè, & ſanctè Sacramenta ſuſcipere, & miniſtrare, ut latè dictum eſt, *tractatu primo de Sacramentis in genere.* Ita Layman. & Palaus citati Vaſquez, Valentia, Zerola, Filliucius, Molfeſius, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 1. *puncto* 2. *Quæſitum 2.* *Per accidens peccator tenetur ad actum contritionis.*

31. Secundò obligatur ad veræ contritionis actum per accidens, ſi poſitus inter peccandi occaſiones, gravibus tentationibus vexetur, quas credat ſe moraliter evitare non poſſe, niſi ad Deum per contritionem converſus peccati remiſſionem, & conſequenter opportuniora ad vincendum auxilia obtineat. Ita Layman, Palaus ubi ſupra, Medina, & Canus, quos adducit, & ſequitur Filliucius, *tract.* 6. *cap.* 9. *num.* 213. & alii. *Tenetur 2.*

33. Tertiò, ſi certò credat ob ſuum peccatum graviter Communitatem eſſe à Deo puniendam, ut contigit Iſraëlitis in peccato Achan, Joſue 7. tali enim caſu (qui rarò continget) tenetur per Pœnitentiam placare Deum, ad commune periculum evertendum Ita Filliucius, Layman, & Palaus. Verum in his tribus caſibus obligatio pœnitendi non provenit per ſe ex præcepto Pœnitentiæ, ideoque omiſſio contritionis non eſt peccatum diſtinctum ab eo, quod committitur, indignè Sacramenta ſuſcipiendo, vel miniſtrando, bonum commune contemnendo, tentationibus ſuccumbendo contra virtutem Religionis, vel Charitatis, Fidei, vel Temperantiæ, &c. Ex qua obligatio contritionis habendæ naſcitur: ſicuti notarunt Suarez, *diſp.* 15. *ſect.* 6. Coninchus *de Pœnit. diſp.* 3. *dub.* 3. Layman, *dicto cap.* 2. *n* 4. Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica, puncto* 3. *n.* 5. Bonacina, *diſp.* 5. *de Sacramentis quæſt.* 5. *ſect.* 1. *puncto* 2. *num.* 5. Filliucius ubi ſupra. *Tenetur 3.*

34. Verum ſi de obligatione præcepti Pœnitentiæ per ſe loquamur, communis Theolo- *Per ſe tenetur.*

gorum

gorum doctrina eſt, ſub gravi culpa peccatorem peccati commiſſi memorem, obligatum eſſe in articulo mortis pœnitere.

Quæſitum 3. 35. Circa quod rogabis tertiò: an tunc ille, qui ſuſcepit Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita, debeat adhuc ſub peccato mortali habere contritionem in illo articulo mortis, ſaltem exiſtimatam. Et quidem non eſt dubium, contritionem eſſe longè meliorem, magiſque utilem, & tunc ex conſilio procurandam. Sed ſolum loquimur de neceſſitate, & obligatione. Hanc autem tunc eſſe affirmant multi, Suarez *diſp.* 14. *num.* 18. Zambranus *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 4. & alii, quos refert, & ſequitur Valentia, *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 8. *puncto* 4. Coninchus *diſp.* 3. *dub.* 11 *num.* 6. Filliucius, *q.* 7. Zerola *de Sacramento Pœnit. quæſt.* 24. Bonacina, *loc. cit.* Thomas Sanchez, *tom.* 1. *in decalog. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 34. Granados 1. 2. *controverſia* 2. *de actibus humanis tract.* 12. *diſp.* 4. *num* 36. Tannerus, & Præpoſitus citati à Diana, *tom.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 70. & alii. Et ajunt, peccatorem in mortis articulo ob periculum æternæ damnationis videri obligatum verum contritionis actum, tamquam certiorem diſpoſitionem, atque ſalutis ſuæ remedium, in ſe ipſo excitare ſtudere.

Primum pro ea fundamentum. 36. Idque ſuaderi videtur tripliciter. Primò: quia attritionem cognitam cum Sacramento ad juſtificationem ſufficere, non eſt de fide, neque ita certum, ut non ſint aliqui graves Theologi, qui id negaverint, etiam poſt Concilium Tridentinum: obligatur ergo quis ſaltem in articulo mortis ex charitate, qua ſe ipſum debet diligere, & procurare ſalutem propriam, verum contritionis actum in ſe ipſo excitare ſtudere, ut in re tanti momenti non ſe exponat, periculo, ſed quærat remedium certum, & ſecurum.

2. Fundamentum. 37. Secundò: quia lex charitatis quemcumque obligat, ut in fine vitæ per actum dilectionis ſe Deo omnis vitæ auctori conjungere ſtudeat: atqui cum actu dilectionis Dei ſuper omnia in pœnitente, qui peccati memoriam habet, ſimul etiam per naturalem ſequelam junctus eſt actus veræ contritionis de eodem peccato: ergo, &c.

3. Fundamentum. 38. Tertiò: quia negari non poteſt probabilem eſſe ſententiam aſſerentem obligationem eſſe eliciendi tunc contritionem propter dictum periculum: ergo non poteſt homo in re tanti momenti conformare ſe practicè cum oppoſita ſententia, licet ſit probabilior: quia eſto in aliis materiis poſſimus ſequi ſententias probabiles, & habere judicium practicum juxta illas ad licitè operandum, id tamen locum non habet, quando cederet in detrimentum ſalutis propriæ, vel aliorum: & ideo non poſſumus adhibere Baptiſmum cum materia, aut forma probabiliori, relicta magis ſecura, & certa: quia exponeremus periculo ſalutem æternam, ſi fortè illa ſententia eſſet falſa: cum ergo probabilis ſit hæc ſententia aſſerens eſſe tunc obligationem dictam, & ſit etiam ſententia magis ſecura, non poſſumus practicè amplecti contrariam, licet ſpeculativè ſit probabilior.

Ratio hujus ſententiæ. 39. Nihilominus contrariam ſententiam verius docent alii multi, Coninchus, Becanus, Layman, Fagundez, Philippus, Faber, Luiſius, Turrianus, Salas, Diana, quos refert, & ſequitur Cardinalis Lugo *de Pœnitentia*, *diſput.* 7. *ſect.* 13. *num.* 263. Herinx, *diſp.* 2. *num.* 19. Palaus ubi ſupra, & N. Gabriel à S. Vincentio *de pœnitentia*, *diſp.* 2. *quæſt.* 11. dicens non teneri hominem ſequi adhuc in illo caſu ſententiam tutiorem, ſed ſufficere ſequi tutam, & probabilem probabilitate non ſolum de valido, verum etiam de licito. Loquitur autem de peccatore, qui in illo articulo moraliter certus eſt de attritione vera, & ſupernaturali cognita.

Ratio hujus ſententiæ. 40. Probatur autem hæc ſententia: quia non quæcumque contingentia poſſibilis ſufficit ad inducendam obligationem rigoroſam ſub peccato mortali, etiam in rebus maximi momenti, neque obligatur quis ad exquiſitam, & methaphyſicam diligentiam; ſed ad humanam, & moralem. Unde quamvis negotium ſalutis æternæ ſummi momenti ſit, & in quo nulla prudens diligentia ſuperflua videri debet; non tamen obligat niſi ad humanam, & moralem diligentiam, quæ nimirum ſufficiat ad excludendum morale, & humanum dubium. Hinc eſt, ut licet Baptiſmus ſit medium unicum ad ſalutem æternam infantuli morientis, ſi tamen Parochus, vel ejus mater fide digna teſtetur, quod eſt baptizatus, non poteſt ad majorem ſecuritatem baptizari iterum ſub conditione talis parvulus, adhuc animam agens: quia licet poſſibile ſit, in genere loquendo, quod mentiatur Parochus, vel mater, non tamen habemus fundamentum ſufficiens ad dubitandum moraliter, quod hic, & nunc id contingat: quia exiſtimatur humana certitudo ſufficiens, ut non debeamus, nec poſſimus certius remedium quærere ad aſſecurandam magis æternam ſalutem illius parvuli. Hinc etiam eſt, non obligari peccatorem ad confeſſionem, vel contritionem ſtatim poſt peccatum mortale commiſſum: quia licet in genere loquendo aliqui ſubitò moriantur abſque ſpatio Pœnitentiæ conceſſo, hic tamen homo, hic & nunc, non videtur habere tale periculum humanum, nec ratione illius dicetur exponere ſe periculo moriendi in peccato mortali. Sicut etiam licet in genere loquendo aliqui baptizentur invalidè ob defectum intentionis, materiæ, vel formæ, non eſt tamen fundamentum ad dubitandum hic & nunc in particulari de defectu hujus Baptiſmi, nec ſufficit periculum in genere, & in communi ad rebaptizandos eos, de quibus in particulari moraliter non dubitatur: ſimili ergo modo non eſt obligatio in noſtro caſu, ſi pœnitens de vera attritione cognita ut tali moraliter certus eſt.

Confirmatur. 41. Confirmatur, & explicatur amplius: quia ſententia negans Sacramentum Pœnitentiæ cum vera attritione cognita ſufficere ad juſtificationem, caret fundamento ſufficienti ad id moraliter dubitandum: ergo non erit obligatio in eo, qui ſuſcepit Sacramentum Pœnitentiæ, cum attritione cognita, & ſibi moraliter certa habendi contritionem in articulo mortis ex obligatione Pœnitentiæ. Conſequentia patet ex dictis; & antecedens probatur: quia fateri oportet aliquam diſpoſitionem eſſe, quæ per ſe quidem non ſufficiat; ſed tamen in Sacramento ſufficiat ad conſequendam veniam peccatorum, quæ utique non eſt perfecta contritio; ſed ſolum attritio: & hoc non ſolum in

eo,

eo, qui putaret ſe eſſe perfectè contritum; ſed etiam in eo, qui cognoſcit ſe ſolum attritum. Cum enim Chriſtus inſtituerit hoc remedium, & dederit Sacerdotibus hanc poteſtatem remittendi peccata, non ſolum quantum ad pœnam; ſed præcipuè quantum ad culpam, eo ipſo non obligavit fideles, ut ante abſolutionem ſacerdotalem ſtudeant ſe per contritionem juſtificare, & ſic in ſtatu gratiæ abſolutionem recipiant; ſed licitè poterit peccator ſciens, & volens cum tali ſola diſpoſitione accedere, qua virtute ipſius abſolutionis ſacramentalis juſtificetur à culpa. Idque Tridentinum non obſcurè docet, ejuſque verba ſinè aperta violentia non poſſunt aliter explicari, ut rectè advertit Coninchus, *diſp.* 3. *dub.* 1. *num.* 5. ergo &c.

Quæſitum 1. 42. Ad primum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur negando, auctoritatem illorum paucorum (exiſtimantium attritionem præſertim cognitam non eſſe ſufficientem diſpoſitionem, ut Pœnitentiæ Sacramentum effectum habeat) ſufficere, ut homo cum attritione, & Sacramento dicatur exponere periculo motali, & humano modo ſalutem ſuam. Nam poſt Tridentinum ita certum eſt, & ferè communiter aſſertum, quod attritio etiam cognita cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficiat ad juſtificationem, ut prudenter poſſimus nobis perſuadere, nullum jam de eo eſſe periculum, ut fatentur Salas, Coninch. Layman, negari non poteſt certius id eſſe, quam quod hic puer ſit baptizatus, de quo ſolus Parochus, vel mater fide digna teſtatur, quod baptizatus eſt: in quo tamen caſu, & aliis ſimilibus, non eſt obligatio adhibendi aliud remedium propter illam qualemcumque incertitudinem, quæ adhuc remanet.

Quæſitum 2. 43. Ad ſecundum: Dicendum, obligationem illam conjungendi ſe Deo in mortis articulo per actum dilectionis ipſius ſuper omnia (quæ ad tractatum de charitate ſpectat) charitatis quidem eſſe, non Pœnitentiæ virtutis obligationem: quarè etiam poſt acceptam Sacramentalem abſolutionem, ſeu remiſſionem peccatorum talis actus elici poteſt. Addit etiam Lugo, quod ratione illius obligationis dilectionis Dei non tenetur Confeſſarius, aut quilibet alius ex debito charitatis, admonere moribundum de obligatione illa diligendi Deum: cum enim dilectio non eſſet neceſſaria neceſſitate medii, ſed præcepti, poſſet relinqui conſcientiæ ſuæ. Nam vel infirmus ſcit obligationem diligendi Deum in illo articulo, vel eam ignorat, ſi eam ſcit, non indiget admonitione; ſi verò eam ignorat, adhuc Confeſſarius non videtur teneri ad docendum pœnitentem de illa obligatione. Tum quia prudenter poteſt credere, quod in vita ſæpe habuerit actum amoris Dei, & ſatisfecerit præcepto diligendi Deum, obligatio autem habendi illum actum etiam in articulo mortis, non eſt ita certa, ut graves Doctores eam non negent: non debet ergo Confeſſarius laqueos injicere pœnitenti in re incerta. Tum præſertim: quia regulariter timere prudenter poteſt, nè ea occaſione exponat infirmum periculo peccandi mortaliter: ſi enim infirmus propter ſuam imperfectionem non movetur ex ſe, & ex imminente jam morte, ad diligendum Deum, quem offendit, ſed ſolum ad odium peccati propter pœnas inferni, vel aliud ſimile motivum, timeri poteſt, ne propoſita obligatione diligendi Deum incipiat jam imputari ad culpam omiſſio dilectionis, quæ prius propter ignorantiam, vel inadvertentiam, non imputabatur. Expediet itaque, & oportebit exigere, & excitare pœnitentem ad dolorem de peccatis propter Deum, & ad perfectam contritionem, ac dilectionem Dei ſuper omnia, propoſitis motivis opportunis, non tamen expedit regulariter proponere obligationem, & laqueos injicere in materia adeò incerta, ut viſum eſt. Huc uſque Cardinalis Lugo.

44. Ad tertium reſpondet pro nobis idem Lugo ubi ſupra *num.* 273. aliter loquendum eſſe *Quæſitum 3.* de ſententia, quæ negat, attritionem cum Sacramento ſufficere, aliter de illa, quæ obligationem ponit contritionis habendæ propter incertitudinem hujus remedii. Prior quidem probabilis non eſt poſt Tridentinum, neque habet fundamenta, quæ ad probabilitatem ſufficiant, imo à multis cenſurâ notatur. Poſterior verò probabilis eſt; ſed ejus probabilitas non impedit judicium practicum, quo aliquis poſſit in operando amplecti noſtram ſententiam. Regula enim illa, quod in operando liceat ſequi ſententiam probabilem, vera eſt in univerſum, ſi ſermo ſit de ultimo judicio circa licitum, vel illicitum hic, & nunc. Neque obſtat illa alia regula, quæ dicit, circa materiam, & formam Sacramenti Baptiſmi, & Ordinis, ſaltem Sacerdotii, non licere ſequi ſententiam probabilem: nam ibi non eſt ſermo de probabilitate circa licitum, ſed circa valorem: v. g. materiæ, vel formæ.

45. Diximus autem nos loqui de moribundo recipiente Sacramentum Pœnitentiæ, qui moraliter certus eſt de vera attritione cognita: nam qui eam habet incertam, & ſuſpectam, ut qui ad Pœnitentiam ſolum movetur inſtante morte, magiſque videtur ab ipſis peccatis deſeri, quam ea deſerere, quantum poteſt debet eniti ad dolorem omninò perfectum, ſive contritionem, ut ſaltem attritionem certò obtineat, ut benè docet Coninchus, cui favet Layman: & ſi hoc tamen vellet ſententia contraria, nullum, vel parum eſſet inter has ſententias diſſidium.

46. Rogabis quartò: An contritionis præ- *Quæſitum 4.* ceptum obliget ſtatim poſt commiſſum peccatum mortale? Affirmant Alenſis, 4. *part. q.* 68. *membro* 2. *artic.* 2. §. 1. Gabriel *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 3. *art.* 3. *dubio* 2. & alii, quos refert Leander, ubi ſupra, *quæſt.* 31. Quam ſententiam cum aliis rectè impugnat Diana, *tom* 5 *tract.* 13. *reſol.* 33 & cum Suario, Vaſquio, Coninscho, Bonacina, Valentia, Paulo, Layman, Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica punct.* 3. Dicaſtillus, *tract.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 3. Gonet *diſput.* 7. *num.* 96. & è N. Philippus à SS. Trinit. *de pœnit. diſp.* 9. *dub.* 6. Gabr. à S. V. *loc. cit.* Antonius à Spir. S. hic. *diſput* 3 *ſect.* 3. Stephanus à S Paulo *de Sacram. num.* 129. Et communis ſententia, quæ etſi conſultiſſimum eſſe dicat, ut ſtatim poſt commiſſum peccatum, ad Pœnitentiam confugias, juxta illud Eccleſiaſtici. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira Dei.* Attamen hanc obligationem tibi non imponit, ut

patet

Google

patet ex communi praxi, & ſenſu fidelium, qui hanc obligationem minimè agnoſcunt.

Quæſitum 5. 47. Rogabis quintò: An hoc præceptum naturale pœnitentiæ obliget de ſe ad ſæpius pœnitendum de eiſdem peccatis? An verò ſufficiat ſemel pœnitere? Multi ex antiquioribus, quos afferunt Suarez, Leander, Dicaſtillus, N. Gabr. citati, judicant obligare pœnitentiam ad dolendum de peccatis, etiam remiſſis, quoties memoriæ occurrunt. Quam ſententiam meritò rejiciunt prædicti Authores: nec non Lugo, & Diana, tum aliis omnibus recentioribus: quia abſque fundamento graviſſimum onus imponit, valdè tamen conſultum eſt (ut optimè advertit Layman, *lib. 5. tract. 6. cap. 2.*) circa peccatum memoriæ, vel appræhenſioni actuali infixum, exercere actum diſplicentiæ, imò interdum per accidens neceſſarium, ſi periculum moroſæ delectationis propinquum eſſe videatur.

Quæſitum 6. 48. Rogabis ſextò: An teneatur peccator præcepto ipſo contritionis, quamdiu eſt in periculo probabili oblivionis peccatorum? Affirmat Dominicus Sotus, *in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 6.* Negant tamen, & meritò Suarez, Hurtado, Vaſquez, Ochogavia, Cajetanus, & Diana, quos refert, & ſequitur Leander, *dict. diſp. 1. quæſt. 35.* Dicaſtillus ubi ſupra, & communiter Theologi. Quia ex vi contritionis non tenetur homo conteri de ſingulis peccatis diſtinctè recogitatis, ac proinde ex vi naturalis præcepti contritionis non tenetur quis conteri propter metum oblivionis.

Quæſitum 7. 49. Rogabis ſeptimò: An prædictum contritionis præceptum obliget in diebus feſtis? Affirmant Marſilius, *in 4. quæſt. 12. art. 1.* Viguerius, *cap. 16. §. 4.* Petrus Sotus, *lect. 13. de Pœnitentia*: quia obſervatio diei feſti inſtituta eſt in ſanctificationem animarum. Eam tamen jure optimo negant Suarez, Vaſquez, Canus, Sotus, Medina, Bonacina, Reginaldus, Valentia, Pitigianus, Angles, Zerola, Granados, Binsfeldius, Cajetanus, Armilla, Candidus, Diana, Hurtado, Ochogavia, Molfeſius, quos ſequitur, & citat Leander, *quæſt. 33.* N. Gabr. *loc. cit.* Dicaſtillus, *diſput. 3.* citato *num. 20.* Venerabilis P. Noſter Thomas à Jeſu *in Tribunali Conſcientiæ, cap. 2. pag. 23.* & communis. Quia nullum eſt ſufficiens fundamentum ad id aſſerendum: ſolum enim in die feſto præcipitur quidam cultus Dei, ad Religionem pertinens, qui quamvis ad finem extrinſecum ordinetur in ſanctificationem animarum, non ſat eſt, ut inde oriatur præceptum contritionis, quà mediâ animæ ſanctificentur, neque enim finis extrinſecus actus præcepti cadit ſub præceptum illius actus.

Quæſitum 8. 50. Rogabis octavò: Utrum præceptum contritionis obliget quando magna aliqua calamitas Reipublicæ imminet, cui membra tenentur ſubvenire, & orare Deum, atque adeo eſſe in gratia, ut exaudiantur? Affirmant Adrianus *in 4. quæſt. 3. de Confeſſione.* Petr. Sotus, *lect. 13. de Pœnitentia*, & alii. Negant verò meritò Suarez, Vaſquez, Granados, Ochogavia, Hurtado, Bonacina, Diana, quos adducit, & ſequitur Leander, *quæſt. 34.* Filliucius, *cap. 8. quæſito 9.* Dicaſtill. *loc. cit.* & N. Gabr. à S. V. *de Sacr. Pœnit. diſp. 2. q. 11.* & communis. Quia vel ſatis eſt tunc oratio etiam peccatoris: hæc enim nititur Dei miſericordia, non orantis juſtitia: vel ſi aliquando per accidens ſubvenire media contritione teneatur quis, (de quo alibi) obligatio tunc non ex contritionis præcepto, ſed ex charitate, qua ſubvenire patriæ adſtringitur, naſceretur.

51. Rogabis nonò: An præceptum divinum pœnitendi obliget per ſe extra mortis periculum, eum, qui mortale committit peccatum, ne diu pœnitentiam differat? Prima ſententia negat. *Quæſitum 9.* Ita Vaſquez, *3. part. tom. 4 q. 86. art. 2. dub. 6.* Diana, *tom. 5. tract. 13. reſolut. 33.* adducens pro ſe Hurtadum Complutenſem, & Villalobos, & aſſerens peccatorem, qui aliâ viâ non juſtificatur, ſolum teneri conteri in actu ſecundo ratione præcepti divini in articulo aut periculo mortis. Et idem inſinuant Durandus *in 4. diſt. 27. q. 10. art. 1. in fine, juncto artic. 2.* Cajetanus, verbo *Contritio*, *§. Tempus autem.* Navarrus, *cap 1. num. 27.* & expreſsè tenet Dicaſtill. *tract. 8. de Sacram. Pœnitentiæ, diſp. 3. dub. 3. n. 25* & *dub. 5. num. 6.* & apud ipſum Valentia, & aliqui recentiores. Suadetur: quia D. Thomas, *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 4.* eam ſatis clarè innuit, dum docet, quod per ſe loquendo non obligatur homo ad confeſſionem, niſi in periculo mortis ex præcepto divino.

52. Secunda ſententia affirmat, contritionis *2. Sententia.* præceptum ultra articulum, vel periculum mortis obligare per ſe peccatorem, qui aliâ via non juſtificatur, ne diu Pœnitentiam differat. Ita Nuñus *in additionibus, quæſt. 2. art. 3. dub. 3.* Candidus, *diſp. 24. art. 16. n. 5.* Joannes de la Cruz, *in Summa, q. 2. dub. 5.* N. Gabriel à S. Vincent. *part. 3. de Sacramento Pœnitentiæ, diſp. 2. quæſt. 11.* N. Philip. *loc cit.* Franciſc. B. Spei, *de Pœnitent. diſp. 2. n. 75.* Card. Lugo, *diſp. 7. n. 234.* Granado *Controverſ. 7. tract. 2. diſp. 9. num. 7.* dicens eſſe communem doctrinam Theologorum, Palaus, *tract. 23. diſp. unica, punct. 3.* Leander *de Pœnitentia, diſp. 1. quæſt. 37.* & apud ipſum Coninchus & Ochogavia, & cum aliis Henriquez, *lib. 4 cap. 3. n. 2. & 4.* & *cap. 6. n. 6. in gloſ.* littera Z. favet Layman *de Sacram. Pœnit. c. 2. n. 6.* dicens: differre Pœnitentiam longo tempore, aut uſque ad finem vitæ, vel tamdiu differendi propoſitum concipere, videri eſſe novum peccatum mortale. Et ita videri ſentire D. Thomam, *quæſt. 84. art. 5. ad 1.* citans, illud Eccleſiaſtici cap. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.*

53. Et probari poteſt: quia quemadmodum *Suadetur.* præceptum naturæ, quod per ſe obligat ad reſtitutionem homini ex juſtitia faciendam, conſequenter etiam obligat ad diu illam non differendam, præſertim quando ex tali dilatione non poteſt novum, & grave nocumentum creditori non inferri. Ita etiam præceptum divinum naturale Pœnitentiæ, quod per ſe obligat ad recompenſationem ex potentiali juſtitia Deo faciendam pro peccato mortali commiſſo, conſequenter etiam obligat ad diu non differendam hujuſmodi recompenſationem: quandoquidem ex diuturna dilatione non poteſt gravis, & nova injuria Deo non irrogari, ſeu inferri:

quia homo ſinè gratia ſanctificante diu ſervari non poteſt à lapſu novi peccati mortalis, ſeu injuriæ Dei, ut docet Concilium Melivitanum *canon.* 3. & tradit D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 8. & ratione probat efficaciter his verbis: *Antequam hominis ratio, in qua eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam juſtificantem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundum aliquod tempus: quia non eſt neceſſe, quod continuò peccet in actu; ſed quod diu maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt. Unde, & Gregorius dicit ſuper Ezechielem quod peccatum, quod mox per Pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit, & hujus ratio eſt: quia ſicut rationi ſubdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio ſubdi debet Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis. Per finem autem oportet, quod regulentur omnes actus humani: ſicut per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo inferiori appetitu non totaliter ſubjecto rationi, non poteſt eſſe, quin contingant inordinati motus in appetitu ſenſitivo: ita etiam ratione hominis non totaliter exiſtente ſubjecta Deo, conſequens eſt, ut contingant multæ inordinationes in ipſis actibus rationis. Cum enim homo non habeat cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari vellet, occurrunt multa, propter quæ conſequenda, vel vitanda homo recedit à Deo, contemnendo præcepta ipſius; & ita peccat mortaliter, præcipuè quia in repentinis homo operatur ſecundum finem præconceptum, & ſecundum habitum præexiſtentem, ut Philoſophus dicit in 3. Ethicorum, quamvis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus. Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundum conſequentiam voluntatis deordinatæ à Deo, niſi citò per gratiam ad debitum ordinem reparetur.*

Advertentia quædam.

54. Advertunt tamen Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 6. & Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica, punct.* 3. *num.* 10. N. Stephanus *num.* 134. huic obligationi pœnitendi ſatisfieri à fidelibus credendum eſſe, ſi annuam confeſſionem ab Eccleſia præceptam frequentent: nam eſto Sacramento non accedant contriti; ſed attriti ea attritio ſimul cum Sacramento ſufficit, ut Altiſſimus pacetur, amicitia divina reſtauretur, & peccatum commiſſum deleatur.

Quod ſit longum dilationis pœnitendi tempus?

55. In determinando autem, quod ſit longum dilationis pœnitendi tempus, ita ut ſi quis ſinè annua confeſſione tale tempus in mortale tranſigeret, contra hoc divinum præceptum faceret, variant hujus ſecundæ ſententiæ Authores. Obligare enim quinquennio pœnitentiam non differre, aſſerunt aliqui quos refert, & ſequitur Henriquez, *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 4. & *c.* 6. *num.* 6. Tertio verò, vel quarto quoque anno Coninchus, *diſp.* 3. *dub.* 3. *n.* 33. Palaus *n.* 9. N. Gabriel à S. Vinc. *quæſt.* 11. in quam partem inclinare videtur Card. Lugo *de Pœnitentia, diſp.* 7. *num.* 243. Cæteri denique quibus aſſentitur Stephanus *loc. cit.* poſt integrum annum: in quod, & nos inclinamur.

Judicium de illis duabus circa quæſitum ſententiis.

56. Verum illæ duæ circa quæſitum ſententiæ poſſunt ſic componi, ut prima verificetur loquendo de præcepto affirmativo divino actus pœnitendi, qui eſt actus potentialis juſtitiæ, ut præceptum affirmativum eſt præcisè, & directè, & de obligatione per ſe, & hoc tantum in ſimili affirmat teſtimonium D. Thomæ ex 4. *ſententiarum* adductum pro hac prima ſententia. Secunda vero etiam vera ſit, loquendo de præcepto divino actus pœnitendi indirectè ratione præcepti negativi incluſi in affirmativo, ſcilicet nunquam faciendi aliquid, quod ſit contra virtutem Pœnitentiæ, quæ eſt potentialis juſtitia erga Deum, vel nunquam exponendi ſe periculo faciendi contra illam, quod in idem quoad præſens redit: & hoc ſolum probat ratio adducta pro hac ſecunda ſententia, ut intuenti conſtabit. Quæ diſtinctio ut rectè percipiatur, notandum eſt, in præcepto affirmativo virtutis pœnitentiæ, quæ eſt potentialis juſtitia erga Deum offenſum, includi aliud negativum, ut nunquam fiat aliquid, quo ipſa violetur, vel ſit periculum ſaltem violandi illam. Et ſicut illud præceptum affirmativum obligat ut tale per ſe, & directè, ſemper, & non pro ſemper, ſed ſolum in articulo, vel periculo mortis; ita indirectè ratione præcepti negativi, quod includit, obligat ſemper, & pro ſemper. Unde ratione iſtius, & non præcisè, & directè, ut affirmativum eſt, obligat extra articulum mortis, ut dictum eſt.

DUBIUM I.

An Pœnitentia ſit ſpecialis virtus.

Prima ratio dubitandi.

57. ET videtur quod non. Primò: quia objectum pœnitentiæ eſt commune ad objecta omnium virtutum, reſpicit enim omne peccatum, operando ad illius deſtructionem: peccatum autem in tota ſua latitudine amplectitur materias omnium virtutum: cum ad omnes pertineat odio habere peccatum unicuique oppoſitum, & diſplicere de illo; ut ad temperantiam ſpectat per ſe primò proſequi bonum temperantiæ, & ſecundariò refugere peccatum intemperantiæ: & idem contingit in aliis: ſed nulla virtus nequit ſpeciali diſtinctivo gaudere, niſi ad ſpeciale objectum, aut ſub ſpeciali ratione terminetur: ergo Pœnitentia non eſt ſpecialis virtus.

Secunda.

58. Secundò: quia quælibet virtus ſpecialis habet materiam ſpecialem: quia habitus diſtinguuntur per actus, & actus per objecta: ſed Pœnitentia non habet materiam ſpecialem; ſunt enim ejus materia peccata præterita circa quamcumque materiam: ergo Pœnitentia non eſt ſpecialis virtus.

Tertia.

59. Tertiò: quia Pœnitentia contrariatur omnibus peccatis, cum omnia illa expellat, & nihil expellatur niſi à ſuo contrario: ergo non eſt una ſpecialis virtus, ſed generalis non ponens in numero cum aliis virtutibus.

Quarta.

60. Quartò: quia unaquæque virtus habet non ſolum gaudere in propriis, ſed etiam triſtari de malis oppoſitis, quæ repugnant virtuti, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 55. *art.* 4. ergo cum ſit munus Pœnitentiæ triſtari de malis oppoſitis omnibus virtutibus, Pœnitentia non erit ſpecialis, ſed generalis virtus.

Quinta.

61. Quintò: omnis virtus ſpecialis, vel eſt Cardinalis, vel pars ejus, ſi ſit moralis: ſed Pœnitentia ſi ſit virtus non poteſt eſſe niſi moralis, quia habet paſſionem annexam: non autem eſt Cardinalis, neque continetur inter partes alicujus Cardinalis virtutis à Philoſophis enume-

enumeratas : quia de virtute Pœnitentiæ nullam mentionem fecerunt : ergo non eſt ſpecialis virtus.

Sexto. 62. Sextò : Pœnitentia neque eſt ſpecialis virtus Theologica : quia licet ſatiſfactio, quam reſpicit, Deum immediatè reſpiciat tanquam objectum, *cui*, non tamen Deus eſt objectum formale illius, ut dictum eſt ſupra *num.*4. Sicut Religio non eſt virtus Theologica : quia licet cultus, quem reſpicit, Deum immediatè reſpiciat tanquam objectum *cui*, non tamen Deus eſt objectum formale illius. Neque etiam Pœnitentia eſt ſpecialis virtus moralis : quia virtus moralis in medio conſiſtit : Pœnitentiæ autem non eſt aſſignare medium in dolore de peccatis, inquantum ſunt Dei offenſa : cum enim peccatum inquantum Dei offenſa irroget ex parte affectûs peccatoris Deo malum infinitum, poteſt homo de illo magis, ac magis dolere uſque in infinitum.

Solutio. 63. Nec valet, ſi dicas, quod licet ex parte objecti Pœnitentia non habet medium ; habet tamen illud ex parte ſubjecti : poteſt enim ita creſcere dolor, & afflictio in pœnitente pro peccato commiſſo, ut ſit ei nociva, & teneatur ab ea ceſſare, vel poteſt eſſe peccatum per exceſſum ex parte noſtra, ſi quis : v.g. ut vacet dolori, & afflictioni, quando non adeſt obligatio, omittat alia, ad quæ tenetur. Nam contra hoc eſt, primò : quia idipſum de charitate dici poteſt, cum quis poſſit ita ad charitatem conari, quod teneatur ab illo conatu ceſſare ob damnum ſanitati inferendum, vel ex parte noſtra poſſit eſſe peccatum per exceſſum, ſi quis : v.g. ut vacet amoris actibus, quando non adeſt obligatio, omittat alia, ad quæ tenetur. Secundò : quia virtutis medium non per ordinem ad ſubjectum eſt deſumendum, ſed per ordinem ad objectum : ergo, &c.

Authoritas D.Thomæ. 64. Sed contra : quia ſpecies habituum, ut docet D.Th.3.*part. q.*85. *art.*2. *in corpore*, diſtinguuntur ſecundum ſpecies actuum, & ideo ubi occurrit ſpecialis actus laudabilis, ibi neceſſe eſt ponere ſpecialem habitum virtutis : manifeſtum eſt autem, quod in Pœnitentia invenitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicet operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quantum eſt Dei offenſa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.

Concluſio. 65. Reſpondetur dicendum, pœnitentiam eſſe virtutem ſpecialem à reliquis omnibus diſtinctam. Ita D.Thom. *loc. cit.* & *in* 4. *diſt.* 14. *q.*1. *art.*1. *quæſt.*3. Albertus, *in* 4. *diſt.* 14. *art.*4. D.Bonavent. ibidem *art.*2. *quæſt.*2. Ricardus, Scotus, Gabriel, Paludan. & Argentinus, ibid. Sotus, *eadem diſtinctione*, *q.*2. *art.*2. Dionyſ. Carthuſianus, *quæſt.*1. Joannes Medina, Petrus de Soto, Canus, Viguerius, Valentia, Nuñus, Vaſquez, quos refert, & ſequitur Araujo, *quæſt.*85. *art.*2. *dub.*1. Gonet *diſp.*3. *art.*2. Wiggers, 3.*p.* *q.*85. *art.*1. Franciſc. B. S. *diſp.*1. *n.*7. Philip. à SS. Trinit. *diſp.*3. *dub.*2. Gabr. à S.V. *diſp.*1. *q.*2. Antonius à Spiritu S. *diſp.* 1. *ſect.*3. & eſt communis.

Probatur. 66. Probatur : quia licet unaquæque virtus habeat deteſtari peccatum, & malum ſibi oppoſitum : cum in hoc non ſpecialis honeſtatis ratio, ſed generalis ad unamquamque virtutem pertinens in propria cujuſcumque materia inveniatur ; veruntamen deteſtari peccatum ex motivo delendi offenſam ex eo illatam per compenſationem, & emendandi vitam in quacumque materia virtutum, ſpecialis virtutis eſt : quod nulla alia virtus præſtare poteſt præter Pœnitentiam : ergo pœnitentia ſpecialis virtus eſt, à cæteris condiſtincta.

67. Ad primum dicendum ; Pœnitentiam reſpicere quidem omne peccatum præteritum, ſed ſub ſpeciali ratione formali, nimirum ut eſt offenſa Dei expiabilis per pœnalem ſatiſfactionem hominis cooperantis Deo : ſub qua ratione formali à nulla alia virtute reſpicitur. *Solvitur prima ratio dubitandi.*

68. Ad ſecundum reſpondetur, Pœnitentiam habere quidem realiter generalem materiam, inquantum reſpicit omnia peccata, ſed ſub ratione ſpeciali, ut dictum eſt. *Diluitur 2.*

69. Tertium diluitur à D. Thom. *art.* 2. *citato in ſolutione ad* 3 : & *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in ſolutione ad* 1. ubi reſpondet : *Quod quælibet virtus ſpecialis formaliter expellit habitum vitii oppoſiti : ſicut albedo expellit nigredinem ab eodem ſubjecto. Sed pœnitentia expellit omne peccatum non formaliter, ſed effectivè, in quantum operatur ad deſtructionem peccati, prout eſt remiſſibile ex divina gratia homine cooperante. Unde non ſequitur quod ſit virtus generalis.* *Satisfit 3.*

70. Ad quartum dicendum, quod licet unaquæque virtus triſtetur de malo oppoſito præcisè, ut opponitur proprio bono virtutis, ut optimè D. Thomas docet ; non tamen unaquæque virtus triſtatur de malo oppoſito ſub ratione offenſæ divinæ expiabilis per ſatiſfactionem : quod eſt proprium pœnitentiæ, & in quo diſcriminatur ab aliis virtutibus, ut dictum eſt. *Occurritur 4.*

71. Quintò occurrit Angelicus Doctor *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 1. *in ſolut. ad* 4. his verbis : *Ad quartum dicendum, quod hæc virtus reducitur ad aliquam Cardinalium virtutum (ſcilicet juſtitiam) ut dictum : tamen Philoſophi de hac virtute ideo mentionem non fecerunt ; quia remiſſio peccati, ſivè expiatio pertinet ad providentiam Dei de humanis actibus, in quantum culpa offenditur, & Pœnitentia placatur ; Philoſophi autem non conſideraverunt virtutes dirigentes in actibus humanis, prout ordinantur ad Dei providentiam, ſed prout ordinantur ad bonum humanum : & ideò de Pœnitentia mentionem non fecerunt.* *Enodatur 5.*

72. Ad ſextum reſpondetur, Pœnitentiam non eſſe virtutem Theologicam, ſed moralem. Et ad impugnationem dicendum ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 5. *ad* 2. quod in virtutibus Theologicis quia ſunt circa ipſam regulam primam (ſcilicet Deum) non regulatam aliâ regulâ, ſicut circa proprium objectum, non convenit illis eſſe in medio ſecundum ſe, & ſecundum proprium objectum. Unde licet poſſit homo ſuis actibus non ita accedere ad Deum, amando, credendo, vel ſperando, ſicut oportet, & ſic peccare per defectum contra Charitatem, Fidem, vel Spem, non autem poteſt nimis accedere, amare, nimis ei credere, vel in ejus miſericordia, vel auxilio ſperare, quod eſſet peccare per exceſſum, cum quo tamen ſtat, ut ex parte noſtra poſſit eſſe peccatum per exceſſum, nimirum, ſi ex conatu ad talem amorem *Enervatur 6.*

Digitized by Google

per accidens, nempe ex defectu, & limitatione ſequatur inconveniens, & hic dicitur exceſſus per accidens ex parte ſubjecti, quod nihil refundit in objectum propter infinitatem ipſius, & menſuram, à qua regulatur, quæ eſt ipſa prima regula. Virtus verò moralis Pœnitentiæ cum ſit circa objectum formale, finitum, & limitatum, nempe compenſationem, quæ eſt finita, & limitata, eſt circa ea, quæ regulantur ratione, ſicut circa objectum proprium, & ideò per ſe convenit ei eſſe in medio ex parte proprii objecti, dictatque eſſe ſemper magis, ac magis de peccatis dolendum, taliter tamen, quod dolor, & afflictio, quæ per ſe à Pœnitentia importantur, non ſint nociva; ſed ſint ſecundum quod prudentia dictaverit. Quapropter falſum eſt, quod dolor, & afflictio in Pœnitentia ſe teneant præciſè ex parte ſubjecti, & nocumentum, quod ex illis oriri poteſt; ſed ſe tenent ex parte objecti, tanquam circumſtantiæ illius, & medietas illa, quæ requirebatur in ſubjecto, refunditur in objectum Pœnitentiæ, ita ut jam non præciſè medietas materialis, & ſubjectiva ſit; ſed formalis, & objectiva. Unde optimè notant N. Salmanticenſes, *tom.* 3. *tract.* 12. *diſp.* 3. *num.* 12. & 13. diſcrimen inter objectum charitatis, & moralium virtutum: nam charitas habet pro objecto bonum per eſſentiam, ſeu ipſam rationem boni, cujus conſtitutio à prudentia non dependet. Virtus verò moralis habet pro objecto bonum a prudentia conſtitutum in aliqua materia, conſiſtitque hoc bonum in eo, quod talis materia regulis prudentiæ ſubjaceat, & illis adæquetur; quodque niſi prudentiæ regulis attingatur, non attingetur ut honeſtum. Quarè actus charitatis ſecundum comm unem rationem ex ſe, & antecedenter ad prudentiam, importat honeſtatem, quod ſi actus eliciti à charitate inveniantur dependere à prudentia, non erit per ſe tanquam à conſtituente objectum; ſed per accidens tanquam à removente aliquod prohibens. Et ex his patet manifeſta diſparitas inter virtutem charitatis, & Pœnitentiæ.

Replica. 73. Sed contra adhuc objicies ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 57. *art.* 1. ubi ſic ait: *Juſtum dicitur aliquid, quaſi habens rectitudinem juſtitiæ, ad quod terminatur actio juſtitiæ, etiam non conſiderato qualiter ab agente fiat*: ergo ad conſtituendum objectum Pœnitentiæ, quæ eſt pars potentialis juſtitiæ, non oportet attendere circumſtantias ex parte agentis, & dependentiam à regulis prudentiæ.

Solutio. 74. Reſpondetur cum noſtris Salmanticenſibus 1. 2. *quæſt.* 64. *art.* 2. eo loco, D. Thomam ſolum loqui de juſto, vel objecto juſtitiæ ſumpto in eſſe rei, hoc eſt, ſecundum illud præciſè, quod importatur ex parte ſuæ materiæ, quæ eſt æquale ad alterum, ad quod conſtituendum nihil conducit diſpoſitio agentis. Cum quo tamen ſtat, prædictum objectum formaliter in ratione virtuoſi dependere à circumſtantiis agentis: quia dependet a prudentia omnia regulante, id quod non obſcurè indicat idem Angelicus Doctor in illo eodem loco, ubi paulò ante verba adducta hæc habet: *Rectum verò, quod eſt in ordine juſtitiæ, etiam præter comparationem ad agentem, conſtituitur per comparationem ad aliud.* Ecce qualiter antè comparationem ad aliud, requirit Sanctus Doctor conſiderationem comparationis ad agentem, nimirum, ut ſit objectum formaliter in ratione virtuoſi: quia dependet à prudentia omnia regulante.

75. Nota tamen. quod licet Pœnitentia non ſit virtus theologica, habet tamen aliquam propinquitatem cum illa, ſicut & Religio: ideoque non mirum, quod ſit valdè difficile harum virtutum medium adinvenire. *Notabile.*

DUBIUM II.

An Pœnitentia ſit pars potentialis juſtitiæ commutativæ.

76. ET videtur quod non Primò: quia Pœnitentia eſt quaſi pars ſubjectiva, ſeu ſpecies juſtitiæ commutativæ: ad juſtitiam enim commutativam propriè pertinet reddere unicuique, ſive Deo, ſive homini debitum: ac proinde cum proprius actus Pœnitentiæ ſit reddere Deo pro peccato debitam compenſationem, conſequens eſt, ut ad juſtitiam commutativam, non quaſi pars potentialis reducatur; ſed quaſi pars ſubjectiva, ſeu ſpecies illius ſit. *1. Ratio dubitandi.*

77. Secundò: quia eſto, quod Pœnitentia ad aliquam cardinalem virtutem, ut pars ſubjectiva eſſet reducenda, non ad juſtitiam; ſed ad prudentiam deberet reduci: ſuper illud enim Lucæ 6. *Beati, qui nunc fletis*, dicit Gloſſa, Ecce prudentia, quâ oſtenditur, quam hæc terrena ſint miſera, & quam beata cœleſtia: ſed flere eſt actus Pœnitentiæ: ergo Pœnitentia magis ad prudentiam, quam ad juſtitiam debet reduci. *Secunda.*

78. Tertiò: D. Iſidorus dicit, illa eſt perfecta compunctio, quæ omnes carnalium deſideriorum affectus repellit: compunctio autem eſt pars Pœnitentiæ: cum ergo reprimere carnalia deſideria ſit temperantiæ, videtur, quod Pœnitentia ad temperantiam deberet reduci, non ad juſtitiam. *Tertia.*

79. Quartò virtutes diſtinguuntur penes objecta; ſed idem eſt objectum Pœnitentiæ, & verecundiæ, ſcilicet peccatum: ergo ſunt idem. Cum ergo verecundia ad temperantiam reducatur, videtur, quod ſimiliter Pœnitentia, & non ad juſtitiam. *Quarta.*

80. Quintò: D. Chryſoſtomus dicit, quod Pœnitentia cogit pœnitentem omnia ſuſtinere libenter; ſed hoc eſt actus patientiæ: cum ergo patientia ad fortitudinem reducatur, videtur, quod ſimiliter Pœnitentia, & non ad juſtitiam. *Quinta.*

81. Sextò: quia D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 80. *art.* 1. numerans omnes juſtitiæ partes potentiales, quæ ſunt ſpeciales virtutes. non meminit Pœnitentiæ ergo ſignum eſt, illam ſub nomine alterius virtutis intellexiſſe. *Sexta.*

81. Sed contra: quia D. Thomas, 3. *part.* *quæſt.* 85. *art.* 3. aſſerit, Pœnitentiam eſſe partem quandam, non quidem ſubjectivam juſtitiæ commutativæ; ſed potentialem dumtaxat. *Authoritas D. Thomæ.*

83. Reſ-

Concluſio. 83. Reſpondetur dicendum Pœnitentiam eſſe partem dumtaxat potentialem juſtitię commutativæ. Ita D. Thomas *loco nuper citato*, & *in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncul. 5.* Ricardus ibidem, *art. 2. quæſt. 2.* Capreolus, & Argentinas *quæſt. 1.* Sotus, *quæſt. 2. art. 3.* Ferrara *4. contra gentes, cap. 54.* Bañez *1. p. quæſt. 2. art. 4.* Nuñus *3. p. quæſt 85. art. 3. dub. 2.* Nazarius, *controverſia 2.* & 6. Araujo *dub. 3.* Vaſquez *dub. unico*, Valentia *diſp. 7. quæſt. 2 p. 1. concluſ. 4.* Gonet *diſp. 2. art. 3.* & è N. Carm. Diſc. Philippus à SS. Trinit. *diſp. 3. de pœnitentia dub. 2.* Gabr. à S. V. *diſp. 1. q. 3.* Anton. à Spiritu S. *diſp. 1. de pœnit. ſect. 3.* Salmanticenſes, *tom. 3. in arbore prædicamentali, ſive generali diviſione omnium virtutum*, §. 8.

Obſervatio. 84. Ut autem aſſertio clarè probetur, præmittendum eſt, partes ſubjectivas eſſe ſpecies virtutis, de quibus illa eſſentialiter prædicatur, ſicut animal de homine, equo, leone, &c. Unde totum id, quod eſt de ratione virtutis diviſæ, debet in ſingulis partibus ſubjectivis reperiri, ut v. g. ratio generica juſtitiæ reperitur in partibus ejus ſubjectivis, ſeu ſpeciebus, ſcilicet commutativa, diſtributiva, & legali: quarum prima eſt juſtitia partis ad partem: ſecunda totius ad partes: tertia partium ad ſuum totum. Partes verò potentiales alicujus virtutis illas eſſe, quæ conveniunt in aliquo cum tali virtute, nec tamen ejus rationem plenè participant, ſicut participant ſubjectivæ, ac proinde nec talis virtus de eis quidditativè prædicatur. Hæ alteri principaliori adjunguntur, & cum illa connexionem habent, vel quia ordinantur ad actus minus principales in eadem materia, vel quia in modo procedendi, & moderandi paſſiones, & actus appetitus aſſimilantur modo proprio talis virtutis. Unde quia de ratione juſtitiæ eſt reddere alteri debitum ad æqualitatem, quæcumque virtutes reſpicientes ad alterum, deficiunt, vel ab æqualitate, vel à rigore debiti, inter partes potentiales juſtitiæ numerari debent.

Ratio aſſertionis. 85. His ſic præmiſſis, probatur concluſio. Quia quamvis Pœnitentia ordinetur ad alterum, & recompenſationem faciat, quæ ad materiam juſtitiæ pertinet, quia eſt commutatio quædam: unde manifeſtum eſt, quòd ſecundùm quod eſt virtus, eſt quædam pars commutativæ juſtitiæ; deficit tamen à perfecta juſtitia commutativa: quia id, quod alteri, ſcilicet Deo, reddit, deficit à ratione æqualis: quidquid enim homo illi reddat, reddet minus, quam debet, ac proinde Pœnitentia, quæ tribuit Deo ſatisfactionem pro offenſa, inter partes potentiales juſtitiæ commutativæ dumtaxat numerari debet.

Diluitur ratio in oppoſitum. 86. Ex quo patet ad primum. Ad rationem enim plenam juſtitiæ non ſolum pertinet reddere alteri debitum, ſed reddere ad æqualitatem: quidquid autem Pœnitentia Deo pro offenſa reddit, non reddit æquale, ſed minus quam pœnitens debet: unde licet Pœnitentia in aliquo cum juſtitia conveniat, ejus tamen rationem plenè non participat, ſicut participant partes ſubjectivæ.

Evertitur ſecunda. 87. Ad ſecundum reſpondet D. Thomas, *3. part. quæſt 85. art. 3. ad. 4.* dicens, quod Pœnitentia licèt ſit directè pars potentialis juſtitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea, quæ pertinent ad alias virtutes: inquantum enim eſt virtus moralis participat aliquid prudentiæ, quæ eſt directiva omnium moralium virtutum. Vel dicendum, quod Gloſſa non loquitur de luctu Pœnitentiæ, ſed de luctu, quo ſpretis terrenis, ad cœleſtia ſuſpiramus.

88. Ad tertium dicendum, cum eodem Angelico Doctore ibidem, & in *4. diſt. 14. quæſt. 14. art. 1. quæſtiuncula 5. ad. 3.* Pœnitentiam ex ipſa ratione juſtitiæ non ſolum habere id, quod juſtitiæ eſt, ſed etiam ea, quæ ſunt temperantiæ, in quantum ſcilicet ea, quæ delectationem cauſant ad temperantiam pertinentem in commutationem juſtitiæ veniunt, quatenus nimirum Pœnitentia utitur temperantiâ ad finem ſuum: & ſecundum hoc intelligenda eſt auctoritas D. Iſidori; non quod repellere carnalia deſideria ſit actus elicitus à Pœnitentia. *Enervatur 3.*

89. Ad quartum reſpondetur, quod verecundia eſt in alio genere, quam Pœnitentia: quia verecundia eſt timor, ut dicit Philoſophus 2. & hic *cap. 7.* ſed Pœnitentia eſt dolor, & ideo non ſunt idem, quamvis objectum utriuſque ſit turpis actus. *Enodatur 4.*

90. Ad quintum dicendum cum D. Thoma *loco citato ex 4. ſententiarum in ſolutione ad. 5.* quod pœnitentiæ eſt ſufferre difficilia voluntariè aſſumpta; ſed patientia eſt propriè in ſuſtinendo difficilia ab aliis illata: & ideo non ſunt idem. Vel dicendum cum eodem Angelico Doctore, *3. part. loco citato*, Pœnitentiam ex ipſa ratione juſtitiæ, non ſolum habere id, quòd juſtitiæ eſt; ſed ea, quæ ſunt fortitudinis, in quantum ſcilicet ea, quæ terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in commutationem juſtitiæ veniunt; & ſecundùm hoc ad juſtitiam pertinet ſuſtinere dura, quod pertinet ad fortitudinem, quatenus nimirum Pœnitentia utitur fortitudine ad finem ſuum. *Satisfit quintæ.*

91. Ad ſextum reſpondetur, Angelicum Doctorem non meminiſſe in 2. 2. virtutis Pœnitentiæ: quia illam in tertiam partem reſervabat, ubi acturus erat de Sacramento Pœnitentiæ, & de Pœnitentia ut virtute. *Solvitur 6.*

DUBIUM III.

An Pœnitentia concurrat effectivè ad destructionem peccati.

92. ET videtur quod non. Primò: quia Pœnitentia per ſuum actum concurrit diſpoſitivè, & non effectivè ad infuſionem gratiæ juſtificantis, & ita in Tridentino, *ſeſſ. 6. cap. 6.* actibus Pœnitentiæ attribuitur ſola cauſalitas diſpoſitiva ad gratiam: ergo & ad remiſſionem culpæ concurrit Pœnitentia per ſuum actum diſpoſitivè, & non effectivè: eodem enim genere cauſalitatis concurrit quævis cauſa ad introductionem alicujus formæ, & ad expulſionem contrariæ. *1. Fundamentum partis negativæ.*

93. Secundò: quia ſi Pœnitentia per ſuum actum expelleret peccatum effectivè, cum peccatum non expellatur niſi per introductionem gratiæ, concurreret ad hanc efficienter, quod eſt falſum. *Secundum.*

Nec poteſt verificari de efficientia morali, quæ eſt per modum meriti: quia nullus actus

Pœnitentiæ, aut alterius virtutis poteſt eſſe meritorius juſtificationis, atque adeo neque introductionis gratiæ, & expulſionis peccati.

Auctoritas. 94. Sed contra, quia D. Thomas, 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 2. *ad.* 3. ſic expreſsè ait: *Pœnitentia expellit omne peccatum effectivè, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout eſt remiſſibile ex divina gratia, homine cooperante*: qui concurſus effectivus moralis eſt; non phyſicus: quia nullum agens effectivè phyſicè expellit aliquam formam, niſi introducendo contrariam in ſubjecto, vel effectum aliquem poſitivum phyſicè incompoſſibilem cum illa, ut inductivè conſtat. Pœnitentia autem neque effectivè producit gratiam, neque producit alium effectum poſitivum phyſicè incompoſſibilem cum peccato: unde D. Thomas exponi debet de efficientia morali.

Conclusio. 95. Reſpondetur dicendum, Pœnitentiam concurrere effectivè moraliter ad expulſionem peccati, quoad rationem offenſæ Dei. Ita cum aliis D. Thomæ diſcipuli. Araujo, 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 2. *dub.* 2. Noſtri Salmanticenſes, *tom.* 3. *tract.* 12. *diſp.* 3. *num.* 57. Suarez, *diſp.* 8. *sect.* 3. & alii. Diximus *ad expulſionem peccati*: nam in ipſam ſatisfactionem habet Pœnitentia phyſicam efficientiam: ſicut quælibet virtus in ſuum actum. Probatur autem concluſio: quia tunc dicitur agens effectivè moraliter expellere aliquam formam, quando ponit effectum, aut formam moraliter incompoſſibilem cum contrario præexiſtenti; ſicut tunc effectivè phyſicè expellit, quando ponit formam phyſicè incompoſſibilem cum præexiſtente contraria. Cum ergo Pœnitentiæ virtus producat contritionem per modum ſatisfactionis, & compenſationis (ſupplente divinâ miſericordiâ inæqualitatem ipſius) moraliter incompoſſibilem cum offenſa peccati mortalis, conſequens eſt, ut expellat illam effectivè moraliter.

96. Ad primum dicendum, cauſalitatem diſpoſitionis ad infuſionem gratiæ juſtificantis non excludere Pœnitentiam à morali efficientia reſpectu expulſionis culpæ, quoad rationem offenſæ: efficiendo enim contritionem, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, cauſat ſatisfactionem, & recompenſationem, qua ex gratia Dei, & ejus gratuita acceptatione, malum offenſæ reſarcitur, & compenſatur. Duplex quippe eſt partialis remiſſio culpæ in converſione impii ad Deum. Altera, quæ fit per formam phyſicam immediatè expellentem maculam, quæ eſt malum hominis, & hæc fit per ſolam gratiam habitualem. Altera eſt moralis, quæ fit per contritionem, quæ eſt ſatisfactio immediatè oppoſita offenſæ Dei, quâ ex gratia Dei, & ejus gratuita acceptatione, tollitur ſatisfactoriè, ac per conſequens moraliter malum, & offenſa Dei. Unde Pœnitentia media contritione effectivè moraliter concurrit ad deſtructionem culpæ, quoad rationem mali, & offenſæ Dei. *Evertitur primum fundamentum partis oppoſitæ.*

97. Ad ſecundum optimè reſpondent Noſtri Salmanticenſes *loco citato* his verbis: *Poteſt dici Pœnitentiam expellere effectivè peccatum, non in quantum eſt malum phyſicum, denominatque hominem peccatorem, quo pacto forma immediatè excludens eſt habitus gratia, ſed in quantum malum, & offenſa Dei, ſecundum quam rationem forma immediatè oppoſita eſt ſatisfactio, per quam Deo reſarcitur honor per offenſam ablatus. Hujuſmodi verò efficientia reſpectu expulſionis peccati, ſolum eſt moralis, non meritoria, ſed ſatisfactoria, quatenus oblata ſatisfactione, & acceptata, animus offenſi pacatur, & ejus injuria ceſſat.* Hucuſque Noſtri Salmanticenſes. Plura hic dici poſſent de pœnitentiâ ut virtute ſed latiorem horum omnium diſcuſſionem ſapientiſſimis Noſtris Salmanticenſibus relinquimus: faxit Deus, ut inchoatum feliciſſimè Theologiæ curſum perficiant. *Diluitur ſecundum.*

CAPUT SECUNDUM.

De Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutione, quidditate, & neceſſitate.

CAPUT HOC TRIBUS PUNCTIS ABSOLVITUR.

P. 1. *An Sacramentum Pœnitentiæ fuerit à Chriſto Domino inſtitutum?*

P. 2. *Quid ſit?*

P. 3. *An in lege nova ſit neceſſarium medium ad ſalutem?*

PUNCTUM I.

An Sacramentum Pœnitentiæ fuerit à Chriſto Domino inſtitutum?

Concluſio 1. 1. POEnitentia eſt Sacramentum novæ legi à Chriſto Domino ſecundum eſſentialem ritum inſtitutum, ut definit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 1. & 2. Florentinum *decreto* Eugenii *in litteris unionis.* Et probari poteſt ex univerſali ratione allata *in tract. de Sacramentis in genere cap.* 3. *dub.* 1. quia Sacramentum inſtituere intrinſecè ſecundum eſſentialem ritum pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quam Chriſtus Apoſtolis non communicavit.

2. Inſtituit autem Chriſtus Dominus hoc Sacramentum, cum poſt reſurrectionem (Joannis 20.) Apoſtolis apparuit: *Inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis* (inquit Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *cap.* 1.) *poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis* (in Sacerdotali ordine) *ſucceſſoribus fuiſſe communicatam; univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* In illis namque Chriſti Domini verbis: *Quorum remiſeritis peccata*, habemus externam cæremoniam, ſeu ſenſibile ſignum abſolutionis, ad quam præcedere debet ſufficiens cauſæ cognitio per humilem rei confeſſionem. Et præterea ſecun- *Secunda.*

Digitized by Google

ſecundum illa verba *remittuntur eis*; habemus etiam promiſſionem gratiæ, ſeu remiſſionis peccatorum legitimæ abſolutioni infallibiliter annexam: adeòque habemus propriè dictum Pœnitentiæ Sacramentum, idque non ab aliis, quam à Sacerdotibus per modum judicii adminiſtrandum. Sacramentum namque novæ legis duo ex neceſſitate habere debet, & quod ſit ſymbolum, ſeu ſignum externum, practicè ſignans gratiam, & quod illam practicè cauſet, niſi obex ponatur, ut conſtat ex dictis *de Sacramentis in genere*. Cùmque hic modus viſibilis remittendi peccata, & reconciliandi homines Deo, diſtinctus ſit à reliquis Sacramentis, ut de ſe liquet, conſequens eſt, haberi etiam hoc Sacramentum Pœnitentiæ à reliquis eſſe diſtinctum.

Quæ ſint partes eſſentiales & quæ integrales hujus Sacramenti?

3. Hinc facilè poteſt colligi, quæ ſint partes eſſentiales, & integrales hujus Sacramenti: cùm enim exerceatur per modum judicii, accuſationem rei, & abſolutionem judicis continere debet: accuſatio autem rei duplicem actum requirit, dolorem ſcilicet de peccato commiſſo, & humilem confeſſionem; quos actus ſubſequitur abſolutio judicis, ſatisfactione aliqua impoſita. Unde Pœnitentiæ Sacramentum ex parte quidem pœnitentis triplicem actum quaſi materiam poſtulat, contritionem nimirum, confeſſionem, & ſatisfactionem; contritionem quidem, vel attritionem, & confeſſionem, ut partes eſſentiales: ſatisfactionem verò, non ut partem eſſentialem, ſed integralem, utpotè, quæ ad remiſſionem pœnæ pro culpis debitæ, virtute clavium injuncta, concurrit. Ex parte verò Sacerdotis, abſolutionem tanquam formam expoſcit. Ita Ledeſma *in ſumma de Sacramento Pœnitentiæ, cap.* 5. Nuñus, 3. *p quæſt.* 84. *art.* 1. *dub.* 4. Araujo *quæſtion.* 8. *art.* 1. *dub.* 2. referens Cajetanum, Ferraram, Alenſem, Paludanum, Richardum, & Capreolum, & idem docet Candidus, *diſquiſition.* 24. *dubitatione* 5. Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ, diſputation.* 5. *quæſt.* 3. *p.* 2. *num.* 14. Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica puncto* 4. Gonet *diſp.* 1. *art.* 4. Philippus à SS. Trinit. *diſp.* 1. Gabr. à S. V. *diſp.* 3. Antonius *diſp.* 1. *ſect.* 1. Auguſtinus à V. Maria *de pœnit. q.* 1. & alii paſſim, qui de hoc, & ſequenti puncto latius conſuli poterunt.

PUNCTUM II.

Quid ſit Pœnitentiæ Sacramentum?

Concluſio.

4. RESpondetur dicendum, eſſentialiter: *Eſſe Sacramentum conſiſtens in actibus pœnitentis, & Sacerdotis legitimè abſolventis in modum judicii.* Ita colligitur ex D. Thoma, 3. *p. quæſt.* 84. *art.* 1. *ad.* 3. & ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. & tradunt Auctores ſupra *puncto* 1 *num.* 3. citati. In qua definitione genus explicatur illo verbo *Sacramentum.* Differentia verò continetur illis verbis, *conſiſtens in actibus pœnitentis, & Sacerdotis legitimè abſolventis*, ſcilicet in confeſſione, & dolore rei, quæ ſunt partes eſſentiales per modum materiæ, & in abſolutione miniſtri, quæ eſt pars eſſentialis per modum formæ. Satisfactio enim ſolum eſt pars integralis, & non eſſentialis, ut dictum eſt. Quod ſi omnia cauſarum genera velis exprimere, addere poteris prædictis definitionis verbis, *Significans gratiam remiſſivam peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum.* Cauſa enim materialis conſiſtit in actibus pœnitentis, formalis in forma abſolutionis, efficiens miniſterialis eſt Sacerdos, finalis eſt remiſſio peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum.

Ratione probatur.

5. Quod autem eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ in dolore, & confeſſione pœnitentis, & in abſolutione Sacerdotis ſimul conſiſtat, probatur: quia omne illud componit Sacramentum Pœnitentiæ in ratione Sacramenti intrinſecè, & eſſentialiter, quod conſtituit illud in ratione ſignificativi gratiæ remiſſivæ peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum: ſed non conſtituitur in ratione hujuſmodi ſignificativi, neque per ſolam formam verborum abſolutionis, neque per ſolam materiam doloris, & confeſſionis; ſed per utramque ſimul: non enim ſufficit ſola verborum forma ad ſignificandam gratiam, niſi adſit illa materia, neque ſufficit illa materia, niſi detur prædicta forma: ergo utraque componit Sacramentum intrinſecè, & eſſentialiter: ac proinde prædictum Sacramentum (ſicut omne aliud novæ legis) eſt compoſitum ex rebus ut materiâ, & verbis ut formâ, tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus.

Prima objectio.

6. Sed objicies primò: quod in Sacramento Pœnitentiæ cum proferuntur verba abſolutionis, jam deſinit eſſe materia, vel ſaltem non requiritur, ut permaneat, & ſimul ſit cum forma: ſiquidem confeſſus unâ die, poteſt abſolvi altera; ſi autem eſſet compoſitum ex materia, & forma tanquam ex partibus intrinſecis & eſſentialibus materiâ & formâ eſſent phyſicè ſimul loco, ſuppoſito, & coexiſtentiâ temporis, quando concurrunt ad talem compoſitionem: non ergo eſt compoſitum ex illis tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus.

Secunda.

7. Objicies ſecundò: quia hoc Sacramentum, ſicut & reliqua, eſt res artificioſa, & concretum quoddam accidentale, ut ex ſe patet, ſed in concreto accidentali ſola materia eſt tota ſubſtantia, & eſſentia; forma autem ſolum eſt de perfectione, tamquam importata in obliquo, ut patet in albo, quod non eſt compoſitum ex corpore, & albedine, tamquam ex partibus eſſentialibus; aliàs album eſſet corpus, & albedo, quod eſt falſum, ac proinde forma in his compoſitis non eſt pars eſſentiæ, ſed aliquid importatum in obliquo.

Tertia.

8. Objicies tertiò ex alio extremo: gratia hujus Sacramenti datur ſolum virtute clavium: ſed virtus clavium reſidet in ſolis Sacerdotibus, ad quos ſolos diriguntur verba illa Joannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: ergo gratia iſta confertur à ſolo Sacerdote: ac per conſequens in ſola abſolutione Sacerdotis virtus cauſativa, & ratio ſigni practici reperitur.

Quarta.

9. Objicies quartò: id ſolum ad eſſentiam pertinet hujus Sacramenti, in quo conſiſtit Sacramentum tantum, nimirum, quod ſignificat, & non ſignificatur; & cum hoc per D. Thomam ubi ſupra *in ſolutione ad.* 3. contritioni non conveniat, quia hæc eſt res, & Sacramentum ſimul: quoniam ſignificatur, & ſignificat, ſignificatur quidem per confeſſionem, & abſolutio-

nem:

nem : ſignificat verò peccati remiſſionem , ſequitur, quod ſola confeſſio, & abſolutio , quia hæc ſignificant, & non ſignificantur, ſint eſſentialiter , & in recto Sacramentum ; contritio verò ſolùm ut connotatum requiratur. Hoc argumentum cum aliis latè proſequitur N. Gabr. *diſp.* 3. *q.* 2.

Reſponſio ad 1. objectionem alibi data.

10. Ad primam ex his objectionibus jam reſponſum eſt *in tract. de Sacramentis in genere cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 31 & 32.

2. Ibidem ſoluta.

11. Secundam etiam objectionem diluimus ibidem *num.* 30.

Objectio 3. enervatur.

Ad tertiam diſtinguenda eſt major : *gratia hujus Sacramenti datur ſolùm in virtute clavium* , ſi ly *ſolùm* , excludat à concomitantibus : ſcilicet ab actibus pœnitentis, negamus ; ſi non excludat, concedimus. Et ſimiliter diſtinguenda eſt minor. *Virtus clavium reſidet in ſolo Sacerdote* , ſervatis ſervandis, & cum ordine ad actus pœnitentis, & tamquam in exhibente formam, ſubjiciendo, & ſubordinando materiam , ex quo derivatur virtus clavium ad actus pœnitentis per quandam participationem, concedimus ; aliter negamus: & ſic neganda eſt conſequentia : quia licèt virtus effectiva gratiæ ſanativæ inſit abſolutioni præcipuè , ſeu per ſe primò , tamen totum Sacramentum, ex actibus pœnitentis, ut ex materiâ, & ex verbis ut formâ, compoſitum ratione abſolutionis cauſat gratiam in ſubjecto diſpoſito, ut ex D. Tboma, 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 6. Cajetano, Richardo , Paludano , Capreolo, Soto, Cano, Ferrara, rectè docent Joannes de la Cruz *in ſumma de Sacramento Pœnitentiæ, quæſt.* 1. *dub.* 4. Araujo ubi ſupra, & innuit Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ubi dicitur, quod vis cauſativa gratiæ in Sacramento Pœnitentiæ eſt præcipuè in verbis Sacerdotis, ubi inſinuatur, quod etiam ſit , etſi non ita præcipuè, in actibus pœnitentis.

Replica.

13. Sed urgebis, ex hac doctrina ſequi pœnitentem in hoc Sacramento poſſe appellari miniſtrum : quia efficit quandam partem Sacramenti, quæ virtutem Sacramenti participat; ſicut etiam Sacerdos efficit aliam partem ; ex hoc enim , quod virtus juſtificandi magis præcipuè ſit in forma , quam in materia, ſolum infertur , Sacerdotem , qui efficit formam , eſſe miniſtrum magis præcipuum , quam pœnitentem, qui efficit, & adminiſtrat materiam : conſequens autem videtur abſurdum : ergo, &c.

Enodatur.

14. Reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem dicendum , miniſtrum in Sacramento ſolum illum dici, qui habet auctoritatem efficiendi illam partem, quæ eſt forma , quam, ut patet, pœnitens hic , non efficit , ſed materiam. Sicut cauſa efficiens alicujus veſtimenti non dicitur ille artifex , qui efficit materiam, ſed ille , qui in materiam ab alio præparatam, inducit formam veſtimenti : ſartorem enim dicimus veſtimentum feciſſe , non panni textorem, aut fœminam, quæ lanam nevit. Idque maximè verum eſt in Pœnitentiæ Sacramento , quod conſiſtit in quodam judicio ; in omni namque judicio judex ſolus, qui habet auctoritatem ferendi ſententiam, habere dicitur rationem efficientis miniſtri.

Quarta objectio diluitur.

15. Ad quartam objectionem , dicendum cum Cajetano, & Ferrara, quos refert, & ſequitur Araujo, 3. *p. quæſt.* 84. *art.* 1. *dub.* 5. dolorem internum , qui cum Sacramento in re ſuſcept ſufficit ad gratiam juſtificantem obtinendam, & dicitur attritio : quique cum Sacramento facit de attrito, contritum habitualiter , id eſt , quia cauſat gratiam juſtificantem, quæ eſt habitualiter contritio , ſeu contritio in habitu , vel in radice, eſſe rem Sacramenti , & partem Sacramenti tantùm ſecundum diverſas formalitates : nam, & poteſt conſiderari, prout eſt actus virtuoſus , & diſpoſitio quædam ad gratiam juſtificantem abſolutè , & prout per confeſſionem externam exprimitur, & ab illa informatur, & ſic eſt pars Sacramenti tantùm : atque prout eſt diſpoſitio ſive phyſicè, ſive moraliter, dignior, & congruè diſponens ad gratiam modalem , & propriam hujus Sacramenti , & ſic eſt res , & Sacramentum ſimul.

Replica.

16. Dices, dolorem internum non habere ex conjunctione ad alios actus externos , ſcilicet confeſſionem , & abſolutionem , aliquam formalitatem dignioris diſpoſitionis , ratione cujus , extrahatur à ratione Sacramenti tantùm, ſiquidem ex tali conjunctione habet , quod ſit pars Sacramenti tantum cum aliis compartibus.

Solutio.

17. Reſpondetur , dolorem internum habere duplicem conjunctionem cum aliis partibus, confeſſionis ſcilicet & abſolutionis : unam quidem partis materialis, & ex hac habet eſſe compartem Sacramenti tantùm ; alteram verò effectus ſubordinati ſuæ cauſæ proximæ, & ex hac non habet eſſe compartem ; ſed habet eſſe diſpoſitionem digniorem ad gratiam Sacramentalem ; & hæc ſecunda conditio ſupponit primam , ut radicem ſui : ad eum modum , quo conjunctio humanitatis aſſumptæ ad verbum divinum per gratiam habitualem ſupponit aliam priorem conjunctionem ejuſdem humanitatis ad verbum, ex qua derivatur, nimirum conjunctionem per unionem hypoſtaticam.

PUNCTUM III.

An Pœnitentiæ Sacramentum ſit medium neceſſarium ad ſalutem.

Concluſio.

28. HOc Sacramentum in lege nova in re, vel in voto , eſt neceſſarium neceſſitate medii , ſuppoſito peccato mortali poſt Baptiſmum commiſſo. Ita D. Thomas , 3. *p. quæſt.* 84 *art.* 6. Tridentinum, *ſeſſione* 14. *cap.* 2. &, communis conſenſus Sanctorum Patrum.

Probatur.

19. Ratio eſt : quia illud eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſinè quo ſalus haberi non poteſt ; ideo enim ſolet dici neceſſarium neceſſitate finis, quia finis noſter, id eſt ſalus , ſinè eo obtineri non valet : ſed in lege nova ſinè Pœnitentiæ Sacramento in re, vel in voto, ſuppoſito læthali peccato poſt Baptiſmum commiſſo, nemo poteſt ſalutem conſequi : ergo, &c.

Cur pœnitentia Sacramentum tabula comparetur ?

20. Huc ſpectat metaphora *Tabulæ* , quam poſt Baptiſmi gratiam lapſis , ſeu naufragium paſſis, ad laboriosè emergendum Chriſtus Dominus miſeriocrditer providere dignatus eſt. Comparatur enim tabulæ hujus Sacramenti remedium , vel quia laborioſum eſt, ac difficile ; cum tamen Baptiſmi remedium navi integræ aſſimiletur. Vel ſecunda tabula dicitur, quia

cum

cum hominum genus Adæ lapſu naufragium paſſum ſit, duo nobis in lege gratiæ Sacramentorum remedia veluti tabulas ad emergendum, unam Baptiſmi, alteram Pœnitentiæ, Dominus miſericors largitus eſt. Neque opus eſt tertia, licet enim poſt Baptiſmum homo ſæpè in naufragium relabatur, eandem Pœnitentiæ tabulam valet amplecti.

Enucleatur primò conclusio. 21. Diximus in concluſione eſſe hoc Sacramentum neceſſarium *in re vel in voto*: quia ſolum eſt medium ad ſalutem ſub disjunctione neceſſarium, nempe aut in re, aut in voto contritionis charitate perfectæ. Et ita Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ait: *Contritionem charitate perfectam aliquando reconciliare hominem Deo, priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur*: ſentit ergo hoc Sacramentum determinatè in re ſuſceptum non eſſe medium neceſſarium ad remiſſionem peccatorum. Quod autem loquendo ſub disjunctione, nempe aut in re aut in voto, ſit medium neceſſarium, apertè colligitur ex verbis ejuſdem Concilii aſſerentis, quando juſtificatur homo antè realem ſuſceptionem Sacramenti, *Reconciliationem cum Deo non eſſe adſcribendam contritioni ſinè Sacramenti voto, quod in ipſa includitur*: ergo ſecundum Concilium, ad remiſſionem peccatorum alterutrum eſt neceſſarium, nempe vel Sacramentum in re ſuſceptum, vel in voto contritionis perfectæ; non ſolum quia hæc imbibit in ſe propoſitum recipiendi Pœnitentiæ Sacramentum, quatenus utcumque in præcepto eſt; ſed quatenus eſt medium per ſe, ex divina inſtitutione, & lege, ordinatum in peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum remiſſionem; quod non procedit in aliorum præceptorum obſervatione: cujus votum etiam in contritione continetur: quia non eſt medium per ſe ordinatum in peccatorum remiſſionem. Unde obſervationis eorum votum in contritione contentum, ſolum eſt votum rei præceptæ, non medii per ſe: ac proinde illorum obſervatio non eſt neceſſaria neceſſitate medii in re, vel in voto, ſecus verò votum Pœnitentiæ, quæ per ſe, ut medium ad remiſſionem peccatorum ex lege, & inſtitutione divina ordinatur, eaque de cauſa votum Pœnitentiæ eſt votum medii, & ipſa eſt neceſſaria neceſſitate medii in re, vel in voto.

22. Unde ſicut nondum baptizatis ſufficit ad juſtificationem, & ſalutem votum Baptiſmi, quod dicitur Baptiſmus flaminis, ſeu dilectionis Dei ſuper omnia: ita & baptizatis poſt lapſum, ad conſequendam peccatorum remiſſionem, & ſalutem, ſufficit votum Sacramenti Pœnitentiæ in contritione incluſum; ita tamen ut ſi poſtea Sacramentum ſuſcipi poſſit, omninò neceſſe ſit, ut benè cum aliis obſervat Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 4. & explicant Suarez, *diſp.* 17. *ſect.* 3. *num.* 1. Filliucius, *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 47. exemplo ejus qui emit rem aliquam, & non ſolvit integrum pretium: quia venditor habuit ei fidem de reliquo: hic enim emptor aſſequitur tunc dominium, & poteſtatem rei; ſed ſemper manet obſtrictus ad futuram ſolutionem pretii integram, cum poſſit. Ita ergo in hoc Sacramento datur remiſſio peccati per contritionem ſed in ordine ad futuram confeſſionem, quaſi ad futuram integram ſolutionem. Unde tenetur confiteri, ſi poſtea poſſit. *Enucleatur 2.*

23. Petes. An ejuſmodi votum debeat eſſe explicitum? Affirmat Canus, *p.* 5. *q.* 2. *de Relectione Pœnitentiæ.* Sed contrarium meritò docent Alenſis, Richardus, Adrianus, Suarez, quos refert, & ſequitur Filliucius ubi ſupra, *n.* 49. Sotus, Medina, Navarrus, Scotus, & alii, quos adducit, & cum quibus ſentit Dicaſtil. *tract.* 8. *de Sacramento Pœnitentiæ*, *diſp.* 4. *dub.* 8. *num.* 154. Bonacina, *diſp.* 5. *punct.* 3. *n.* 8. Gonet *art.* 5. N. Philippus à SS. Trinit. *diſp.* 1. *dub.* 5. & eſt jam communis ſententia. Primò: quia Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *c.* 4. aſſerit, votum hoc includi in contritione: quod autem in alio includitur, implicitum eſt, non explicitum. Secundò quia ſi quis careat notitia confeſſionis, habeat autem contritionem, hic juſtificabitur, & tamen abſque voto explicito, quod neceſſariò ſupponit cognitionem: qui autem habuit notitiam confeſſionis, non eſt neceſſe, ut dum conteritur, ejus recordetur: ſufficit ergo votum implicitum. *Quæſitum.*

CAPUT TERTIUM.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

IN HOC CAPITE SUNT QUINQUE PUNCTA.

P. 1. *Quænam ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ?*
P. 2. *Utrum Pœnitentiæ Sacramentum validè miniſtretur interveniente aliqua mutatione in verbis formæ?*
P. 3. *Utrum ſit validum, quandò in forma apponitur aliqua conditio?*
P. 4. *An abſolutio Sacramentalis poſſit abſenti validè impendi.*
P. 5. *An forma hujus Sacramenti neceſſariò, & eſſentialiter in verbis conſiſtat.*

PUNCTUM I.

Quænam ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Concluſio. 1. FOrma hujus Sacramenti eſt hæc: *Ego te abſolvo à peccatis tuis.* Ita Concilium Florentinum in decreto Eugenii; & Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. & habetur ex uſu Eccleſiæ, & traditione perpetua: quæ verba ſunt de eſſentia hujus formæ, vel expreſſa in ſe, vel contenta in aliis: quia ſignificant effectum, ad quem Pœnitentiæ Sacramentum fuit inſtitutum. Unde notant Doctores, ad eſſentiam formæ retinendam ſatis futurum eſſe, ſi ſolum hæ voces *abſolvo te* expreſsè pronuntiarentur: quia reliquæ in illis tacitè intelliguntur. Quod in primis de pronomine *ego* manifeſtum eſt: quia in re nihil addit præter verbum *abſolvo*: nam in illo intrinſecè includitur, ſufficienterque intelligitur; etiamſi non formaliter exprimatur; deinde etiam voculæ illæ *à peccatis tuis* in illis verbis, *abſolvo te*, ſuper hanc confeſſionem prolatis continentur, ſufficienterque intelliguntur;

& hoc modo neceſſariæ ſunt, non verò formaliter, & explicitè prolatæ. Ita D. Thomas, D. Antoninus, Cajetanus, Sylveſter, Navarrus, Sotus quos refert & ſequitur Suarez, *diſp.* 19. *ſect.* 1. *n.* 21. Layman, *c.* 3. *n.* 7. Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica, punct.* 5. Villalobos, *tract.* 9. *de Pœnit. difficult.* 5. Item Valentia, Henriquez, Coninchus, Petr. de Ledeſma, Reginaldus, Nuñus, Vaſquez, Sayrus, Pitigianus, Filliucius, quos adducit, & ſequitur Bonacin. *diſp.* 5. *q.* 4. *punct.* 1. N. Philip. *diſp.* 2. *dub.* 4. Gabr. à S. V. *diſp.* 3. *quæſt.* 4. & alii apud Leandrum, *tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 7.

Particula à peccatis tuis in forma abſolutionis numquam omittenda.

2. Addunt tamen, & benè Suarez, Villalobos, Filliucius, & alii prædictam particulam *à peccatis tuis*, numquam à Confeſſore omittendam, cum rationabiliter omitti non poſſe videatur: quia nec moraliter poteſt accidere cauſa, quæ ad id cogat, neque eſt in eo aliqua utilitas, & aliunde adjungendo illam, vitatur qualecumque periculum: quia oppoſita ſententia Gabrielis *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. Paludani, *diſt.* 22. *q.* 3. Petr. de Soto, *lect.* 4. *de Confeſſione*, aſſerentium expreſſionem peccatorum in abſolutione neceſſariam eſſe, improbabilis non eſt.

Corollarium 1.

3. Ex dictis colligi poteſt primò, contra Durandum *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 20. ad valorem hujus Sacramenti non eſſe neceſſarium adjungere invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis: nam eſſentia formæ ſalvatur in illis verbis *abſolvo te, &c.* Ita D. Thomas, Nuñus, Vaſquez, Suarez, Henriquez, Coninchus, quos citat, & ſequitur Bonacina, ubi ſupra, Navarrus, Cajetanus, Scotus, Hurtado, Granado, Fagundez, Monre. Cardinalis Lugo, Candidus, Petrus de Ledeſma, Gonet *diſp.* 12. *art.* 1. N. Philip. Gabr. à S. V. *loc. cit.* & alii, apud Leandrum, *quæſt.* 10. & alii communiter. Prædictam tamen invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis omittere, abſolutè docent, & bene, eſſe ſaltem peccatum veniale, Bonacina, ubi ſupra, & Nuñus, 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 3. *dub.* 2. *ad* 4. Palaus, *puncto* 5. *num.* 3. Tametſi ſecluſo ſcandalo, & contemptu contrarium cum Soto aſſerat Valentia, *diſp.* 7. *quæſt.* 1. *puncto* 3. Unde eam omiſſionem, ſi cum aliqua rationabili cauſa fiat, à peccato veniali non immeritò cum aliis excuſant Leander *loc. cit. q.* 11. N. Franciſcus *diſp.* 4. *n.* 32.

Corollarium 2.

4. Secundò colligitur, ad valorem hujus Sacramenti non opus eſſe addere in formâ verba illa, *authoritate, vel poteſtate mihi à Chriſto conceſſa*: quia non ſignificant effectum Sacramenti, ſed poteſtatem, quæ ſatis etiam ſignificatur, dum actu exercetur. Ita Suarez ubi ſupra *n.* 18. Bonacina *n.* 4. Filliucius *cap.* 3. *quæſt.* 7. N. Gabr. & alii.

Tertium.

5. Tertio colligitur, pronomen te eſſe neceſſariò exprimendum in forma abſolutionis: quia Concilium Florentinum, & Tridentinum expreſsè apponunt in forma hujus Sacramenti hoc pronomen; & aliàs non continetur in verbo *abſolvo*, ſicut dictum eſt contineri pronomen *ego*. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 3. Filliucius ubi ſupra, *num.* 66. Bonacina, *punct.* 2. *n.* 10. Molfeſius, *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 23. Fagundez, Candidus, Suarez, Ledeſma, Archangelus, Valentia, Cardinalis Lugo, & alii, quos adducit, & ſequitur Leander, *loco citato quæſt.* 4.

Quæſitum primum.

6. Sed rogabis primò: quem ſenſum habeant prædicta verba formæ *abſolvo te, &c.* Ex ratio difficultatis eſt, quia ſi ponamus, nullum omninò vinculum exiſtere in pœnitente afferente ſolùm peccata præteritis confeſſionibus deleta, non videtur formam abſolutionis habere verum ſenſum: quia non abſolvitur tunc ab illis; ſicut verè non dicitur abſolvi ille, qui vincula corporea jam non habet, quibus antea tenebatur.

Enodatur.

7. Reſpondetur, ſufficere, ut verba formæ hujus Sacramenti. *Ego te abſolvo, &c.* Adhuc in caſu poſito verificentur, quod Sacerdos, Sacramentum, & gratia Sacramenti, quantum eſt ex ſe, hominem abſolvant, & ad id totum ſignificandum verba ſint impoſita. Unde quando ideò non remittuntur peccata, quia ſupponuntur remiſſa, ſatis eſt ad hoc, ut remitti verificetur, quod quantum eſt ex ſe, tum Sacramentum, tum miniſter, tum gratia Sacramenti remittant peccata; licet de facto per accidens non remittantur. Quemadmodum verba voti in renovatione, etiamſi explicentur per verba, *obligo me ad faciendum hoc, aut illud*: vera ſunt, quamvis de facto de novo non inducant obligationem, quæ jam præſupponitur per aliud prius votum inducta: vera quippe ſunt, quia vovens, & votum ipſum tale eſt, ut quantum eſt ex ſe, ſi non præſupponatur jam inducta obligatio, obligationem inducit. Neque eſt ſimile de illa propoſitione *ego te abſolvo à vinculis corporeis*, quando quis jam antecedenter eſt ſolutus: quia ex vi talium verborum non ſignificatur aliquid, quod re ipſa exhibeatur, & ſit tale, ut ex vi illius, quantum eſt ex ſe, ſolvi poſſit, & debeat talis homo; ſed immediatè ſignificatur ipſa à vinculis ſolutio. In noſtro autem caſu, in abſolutione Sacramenti ſignificatur ex vi inſtitutionis, & confertur gratia remiſſionis peccatorum, quæ ſit talis, ut ex ſe liberet hominem. Ita plures ex recentioribus ſentire videntur Gonet *diſp.* 12. *n.* 43. Philippus à SS. Trinit. *diſp.* 2. *dub.* 6. Antonius *diſp.* 2. *n.* 32. Herinx, *n.* 33. & alii contra Franciſc. B. Spei, & alios.

Objectio.

8. Sed objicies, ſi verba abſolutionis ad ſui veritatem requirunt, quod de facto tollatur peccatum, ſequitur eſſe poſſe Sacramentum hoc ſinè peccatis veris unquam commiſſis, & tunc etiam erunt vera verba conferendo gratiam, quæ quantum eſt ex ſe ſit remiſſio peccatorum, quod fieri poſſet, doloroſè confitendo ſolùm peccatum exiſtimatum tale, quamvis revera non eſſet commiſſum.

Diluitur.

9. Reſpondetur negando ſequelam. Ratio autem diſcriminis eſt, quod in illo caſu verba eſſent falſa, ex defectu materiæ circa quam, ſeu objecti, & propoſitio eſſet affirmativa, quaſi de ſubjecto non ſupponente, cum diceret, *remitto tibi tale peccatum*, quod peccatum nunquam ſit commiſſum: quando verò peccatum jam fuerat prius remiſſum, adhuc verba verè ſignificant, quod quantum eſt ex ſe, tum Sacramentum, tum gratia Sacramenti, tum miniſter remittat peccatum verè commiſſum ab hoc pœnitente, quod eſt materia circa quam

Sacra-

Sacramenti; etiamſi de facto per accidens ſupponatur remiſſum. Itaque miniſter, Sacramentum, & gratia Sacramenti Pœnitentiæ unum ſupponunt neceſſariò, ſcilicet, quod peccatum ſit commiſſum, & hæc eſt materia circa quam, alterum vero non requirunt, ſcilicet quod peccatum jam prius verè commiſſum, nondum fuerit abolitum, & remiſſum.

Quæſitum 2. 10. Rogabis ſecundò: utrum Sacerdos poſſit his verbis *ego te abſolvo*, validè uti ad abſolvendum à peccatis, & ſimul à cenſuris? Et ratio dubitandi eſt duplex prima, quia formæ Sacramentorum non ex intentione miniſtri ſignificationem determinatam ſortiuntur, ſed ex ſe, & Chriſti inſtitutione: ſi igitur ex ſe illa verba *ego te abſolvo* determinatè abſolutionem à peccatis ſignificant, abſolutioni à cenſuris ex intentione miniſtri non poterunt accommodari. Secunda, quia abſolutio cenſurarum præcedere debet abſolutionem à peccatis: affectus enim cenſura excommunicationis repellitur à ſuſceptione Sacramentorum: non ergo poteſt utraque abſolutio ſub eiſdem verbis impendi.

11. Nihilominus dicendum eſt, poſſe Sacerdotem validè uti his verbis *ego te abſolvo* ad abſolvendum ſimul à cenſuris, & peccatis. Ita Sotus, Navarrus, Covarruvias, Avila, Henriquez, quos refert, & ſequitur Bonacin. *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *punct.* 1. Coninchius, Coriolanus, Granado, quos adducit, & ſequitur Leander, *tract.* 5. *de Pœnitentia*, *diſp.* 2. *quæſt.* 38. Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica*, *punct.* 5. N. Anton. à Spiritu S. *in Direct. Confeſſ. tract.* 5. *n.* 35. Quia nulla eſt implicatio formam materialem Sacramenti ex ſe ad effectum Sacramenti ſignificandum determinatam; ad alium diverſum effectum ex intentione proferentis determinari, intendendo ſimul abſolvere à cenſuris, & à peccatis: in quo caſu abſolutio à cenſuris futura ſit prior naturâ, abſolutione à peccatis. Ex quo patet ad utramque rationem dubitandi. Non tamen hoc licitè poſſe fieri à Sacerdote, & abſque peccato veniali: niſi in caſu neceſſitatis: quia hoc eſt recedere à communi uſu, docent Granados *de Pœnitentia*, *tract.* 1. *diſp.* 6. Leander, *quæſt.* 39. & alii.

PUNCTUM II.

Utrùm Pœnitentiæ Sacramentum validè adminiſtretur, interveniente aliqua mutatione in verbis formæ.

Duplex regula. 12. Duplicem regulam ex communi ſententia aſſignavimus ſupra *tract.* 1. *de Sacramentis in genere*, *cap.* 4. *punct.* 3. quarum prima eſt, mutationem ſubſtantialem formæ nullum reddere Sacramentum; accidentalem verò non obeſſe illius valori. Secunda eſt, ſi facta aliqua mutatione circa verba, non manet idem debitus formæ ſenſus, mutationem eſſe ſubſtantialem; ſi autem manet, eſſe accidentalem. Ad id autem in particulari enodandum, varios mutationis modos, qui poſſunt, contingere, ſigillatim ibidem inveſtigavimus.

Illatio 1. 13. Unde poteſt colligi primò, validum eſſe Pœnitentiæ Sacramentum ſi loco verbi, *abſolvo te*, dicatur *remitto tibi peccata tua*, vel *condono tibi peccata tua*. Ita Cajetanus, Vaſquez, Nuñus, Suarez, Valentia, Navarrus, Henriquez, Filliucius, Molfeſius, quos affert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 5. *q.* 4. *puncto* 2. *num.* 3. Granado, *tract.* 1. *de Pœnit. diſp.* 6. *num.* 29. Cardin. Lugo, *diſp.* 13. *num.* 141. His verò verbis uti, eſſe peccatum mortale: licet efficiatur verum Sacramentum, aſſerunt Fagundez, *præcepto* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 8. & Layman, 4. *part. Methodi*, *cap.* 2. *§.* 1. *in fine*. Non eſſe tamen niſi veniale affirmant Filliucius, *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 67. & apud ipſum, Cajetanus, & Sotus, & cum aliis Leander, *tract.* 5. *de Pœnit. diſp.* 2. *q.* 22.

14. Colligi poteſt ſecundò, valori non nocere, ſi aliquis authoritatis gratiâ dicat, *nos te abſolvimus*, ſicut loqui ſolet Summus Pontifex; vel ſi è contra, reverentiæ gratiâ dicat. *Ego abſolvo veſtram dominationem, aut veſtram majeſtatem*: vel ſi Sacerdos plures urgente neceſſitate, v. g. in periculo naufragii exiſtentes unicâ formâ abſolvat dicens: *vos abſolvo*. Ita Sotus, Henriquez, Vaſquez, Navarrus, Filliucius Molfeſius, quos citat, & ſequitur Bonacina ubi ſupra, *n.* 4. Card. Lugo, *ſect.* 6. *n.* 141. & alii. *Illatio 2.*

15. Colligi poteſt tertiò, validum eſſe Sacramentum, quando conſtructio ex activa in paſſivam mutatur, retento eodem verborum ſenſu, ut ſi dicatur, *tu abſolveris à me*. Ita Bonacina, & apud ipſum Henriq. & alii. Et conſtat ex dictis *de Sacram. in genere loc. cit.* *Illatio 3.*

16. Colligi poteſt quartò, illam formam, *utinam abſolvaris*, non valere: nam per optativum non ſignificatur effectus, ut in actuali executione: ut benè docet Card. Lugo, *n.* 143. *Quarta.*

17. Colligi poteſt quintò, non ſufficere verbum ſub forma tantum depræcativa, ut ſi dicatur, *abſolvat te Deus*. Ita D. Thomas, *opuſc.* 15. Cajetanus, Vaſquez, Suarez, Peſantius, Valentia, Henriquez, Lugo, Paludanus, uterque Sotus, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus, *tr.* 8. *diſp.* 5. *dub.* 2. *num.* 34. Filliucius, Molfeſius, quos refert, & ſequitur Bonacina ubi ſupra, *n.* 8. N. Philip. Gabr. à S. V. *loc. cit.* Anton. à Spir. S. *diſp.* 2. *ſect.* 6. Auguſtin. à V. M. *de Pœnit. q.* 5. Tum, quia in forma hujus Sacramenti actus remittendi debet ſignificari, qui actu depræcativo non ſignificatur. Tum etiam: quia actus ipſe remittendi per actum judicialem commiſſus eſt à Chriſto Domino Sacerdotibus: actui autem judiciario forma depræcandi omninò repugnat. Neque obſtat, quod in Extrema-unctione forma eſt depræcativa: quia illud Sacramentum ordinatur ad obtinendum per modum indulgentiæ, quod in Sacramento Pœnitentiæ obtineri non potuit per modum judicii: & ideò Sacerdos jam non agit in eo, ut judex; ſed ut depræcator illis verbis, *per ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, &c.* *Quinta.*

18 Colligi poteſt ſextò, validum eſſe Sacramentum cum forma modo imperativo prolata; ut ſi dicatur, *abſolvaris à me*: quia non videtur adeſſe mutatio ſubſtantialis. Ita Suar. Vaſquez, Ledeſma, & Filliuc. quos adducit, & ſequitur Bonacina. ubi ſup. *n.* 7. Item Fagundez, Granado, Hurtado, Nuño, & Lugo citati à Leandro, *dict. diſp.* 2. *q.* 28. Diana, *tom.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 34. N. Philippus, *diſp.* 2. *dub.* 5. N. Gabr. *diſp.* 3. *q.* 4. Antonius *loc. cit.* *Sexta.*

 19. Du-

Quæſitum primum. 19. Dubitari autem ſolet primò de hac forma, *placet, quod abſolvaris*, vel *jubeo te abſolvi*? Has formas valere affirmant Scotus, *in 4. diſt. 14. quæſt. 4.* Gabriel, *quæſt. 2. art. 1.* Vaſquez *tom. 4. quæſt. 84. dub. 3.* Suarez, *diſp. 19. ſect. 1.* & favent Lugo *loc. cit. num.* 134. & alii. Quia illæ ſunt formulæ judiciariæ, quibus utuntur judices, ad proferendam ſententiam in aliis materiis. Negant tamen valere uterque Sotus, & Cajetanus apud Dianam *loc. cit.* Henriquez, *lib. 4. cap. 11. num. 4. littera I.* Bonacina ubi ſupra, *num.* 9. Quia videtur adeſſe mutatio ſubſtantialis: eum per iſtum loquendi modum non ſignificetur determinatè actualis liberatio, & abſolutio à peccatis; ſed oſtendi poſſit actus circa abſolutionem faciendam, vel jam factam. Alii verò, ut Leander, *dict. diſp. 2. q.* 20. dicunt, illas formas eſſe dubias. Quapropter meritò Suarez, *d. 19. ſect. 1. n.* 24. ait, eſſe valdè illicitum illis uti: & licet Gaſpar Hurtado, *diſp. 5. diffic. 3. in fine* dicat, eſſe tantum veniale; grave tamen mortale jure optimo docent Fagundez *ſecundo Eccleſiæ præcept. lib. 2. cap. 9. num.* 10. & *lib. 3. cap. 1. num.* 8. Nuñus 3. *p. q. 84. art.* 3. & alios referens Leander, *dict. q.* 20.

Secundum. 20. Dubitari ſolet ſecundò de hac forma, *remittuntur tibi peccata tua*, vel *abſolveris à peccatis tuis*, quas formas, ut validas admittunt Petrus de Soto, Henriquez, & alii apud Cardinalem de Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp. 13. ſect. 6. num.* 144. quia tamen multis videntur inſufficientes, & alii de earum valore dubitant, ut ipſe Cardinalis teſtatur, videntur adhuc dubiæ, ac proinde mortale eſſe peccatum illis uti: miniſter enim omittens formam certam, & utens formâ dubiâ, vel incertâ in Sacramentorum adminiſtratione in univerſum, peccat mortaliter, ut cum Petro de Ledeſma, Bonacina, Suario, Joanne Martinez, & cum Ludovico Monteſinos, tradidimus ſupra *tract. 1. de Sacramentis in genere, cap. 4. punct.* 5. Et idem docet Valentia, Sotus, Henriquez, Reginaldus, Filliucius, & alii apud Bonacina *de Sacrament. Pœnitent. diſp. 5. q. 4. punct. 2. num.* 11.

PUNCTUM III.

Utrùm ſit validum Pœnitentiæ Sacramentum, quando in forma apponitur aliqua conditio?

1. Concluſio. 21. ET quidem ſi conditio ſit de præterito vel de præſenti; conſtat inter Doctores, abſolutionem ſub conditione datam validam eſſe, ſi conditio poſita ſit: quia nec ſuſpendit ſenſum, neque efficit aliud, quod obſtare poſſit valori abſolutionis. Ita Suarez, Vaſquez, Graffius, Peſantius, Reginaldus, Filliucius, Molfeſius, & alii, quos adducit, & ſequitur Bonacina, *q. 4. citata, punct. 3. n.* 1. Cardinal. Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp. 13. ſect. 5. num.* 107. Dicaſtilus, *diſp. 3. dub. 3. num.* 81. N. Gabr. à S. Vincentio *de Sacram. Pœnit. diſp. 3. quæſt.* 4. Antnn. à Spir. S. *n.* 39. & omnes. Imò licebit etiam illam addere, ſive expreſſam verbis, ſive mente conceptam in quibuſdam occaſionibus, in quibus id faciendi rationabilis cauſa eſt.

Quando conditionem de præſenti, aut de præterito addere liceat. 22. Ut contingit, quando Confeſſor dubitat, an verba abſolutionis protulerit, poteſt enim tunc validè, & licitè abſolvere ſub conditione, *ſi jam non ſis abſolutus.* Item ſi dubitat, an puer. vel phreneticus omnino particeps rationis confeſſus fuerit; poteſt apponere conditionem, aut mente concipere; *ſi poſſum*, aut *ſi capax es.* Similiter quando dubitat an ea, quæ pœnitens confitetur, ſint peccata, poteſt validè, & licitè ſub conditione abſolvere, *ſi quæ confeſſus es, peccata ſunt*: & in ſimilibus variis caſibus, qui poſſunt occurrere: Ita Doctores citati.

2. Concluſio. 23. Si verò conditio ſit de futuro, ut *ego te abſolvo, ſi cras reſtituas*, non valet Sacramentum, ut cum Navarro, Sylveſtro, Cajetano, Rodriguez, Henriquez, Reginaldo, Graffio, Suario, Vaſquio, Peſantio, Medina, Tabiena, Coninncho, Ochogavia, Cardinali Lugo, & aliis, docet Dicaſtillus, *n.* 82. è N. Franciſc. Stephanus *n.* 187. Antonius *n.* 40. Gabr. *loc. cit.* & nos ex communi ſententia tradidimus, *tract. 1. de Sacramentis in genere, cap. 7. punct.* 6. Quia in eo caſu neque Sacramentum ponitur in eſſe ante impletam conditionem, quoniam deeſt intentio miniſtri; ſine qua non fit Sacramentum; neque etiam ponitur in eſſe poſtea, quando impletur conditio: quia tunc neque exiſtit forma, neque materia, ſine quibus non poteſt conſtare Sacramentum, neque eſt in poteſtate miniſtri, quod effectus ſuſpendatur uſque ad impletam conditionem.

PUNCTUM IV.

An abſolutio Sacramentalis poſſit abſenti validè impendi?

Concluſio. 24. ABſolutio Sacramentalis collata per nuntium, vel epiſtolam pœnitenti abſenti, non modo illicita, ſed etiam invalida eſt. (De invaliditate verò confeſſionis factæ abſenti per litteras, aut internuntium agemus infra, cum de confeſſione.) Ita Cajetanus *in Summa*, verbo, *Confeſſio*, Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art.* 6. Victoria, Ledeſma, Canus, Toletus, Valentia, Augerius, & alii, quos refert, & ſequitur Araujo, *q. 84. art. 3. dub.* 2. Nuñus *in additionibus, quæſt. 6. art.* 3. Bonacina *de Sacram. Pœnitentiæ, diſp. 5. q. 4. puncto* 5. referens Peſantium, Pitigianum, Reginaldum, Filliucium, Molfeſium, & alios, Vaſquez, *q. 91. art. 4. dub.* 2. Layman, *lib. 5. tract. 6. c.* 3. Lugo, *diſp. 13. ſect.* 6. ita etiam omnes Noſtri Theologi, Franciſcus, Stephanus, Auguſtinus, Philippus, Antonius *num.* 16. Gabriel à S.V. *diſp. 5. q.* 4. & *diſp. 3 q. 4. &c.*

Decretum Clem. VIII. 25. Conſtat ex conſtitutione Papæ Clementis VIII. edita die 20. Junii, Anno 1602. in qua hanc propoſitionem: *Licere per litteras, ſive per internuntium Confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit*: præcepitque ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrendâ, ſibique reſervatâ: *Ne deinceps iſta propoſitio publicis, privatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, nevè unquam tanquam aliquo caſu, probabilis defendatur, imprimatur,*

matur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Ex quibus habetur, abſolutionem abſenti in nullo caſu licitè dari poſſe: ergo non ſolum illicitè, ſed etiam invalidè id fit: quod enim validè, ſed illicitè fit, io aliquo caſu & validè, & licitè neceſſitate urgente fieri poteſt. Nam ſicut leges Eccleſiaſticæ (ut benè inquit Lugo) non obligant cum graviſſimo damno temporali, aut periculo vitæ: ſic multò minus obligare poſſent cum graviſſimo detrimento ſpirituali, & periculo damnationis æternæ. Unde ſi aliquis tentatis omnibus viis non poſſet abſolvi à Confeſſario præſente, prohiberi non poſſet, quod ab abſente abſolveretur jam jam moriturus, ſi hujuſmodi confeſſio valida eſſet: falſum ergo forèt, quod in nullo caſu valida eſſet talis abſolutio. Quare, ut vera ſit Pontificis ſententia, fatendum eſt, in nullo prorſus caſu validam eſſe, & ideò in nullo prorſus caſu eſſe licitam, ut decernit Pontifex.

Rejicitur quædam interpretatio decreti. 26. Nec poteſt ſalvo eodem decreto aliquis adhuc dicere, poſſe abſolutionem abſenti conferri, dummodo confeſſio in præſentia præceſſiſſet: quia hæc interpretatio eſt contra Clementis mentem. Et poſtea Paulus V. die 14. Julii, anno, 1605. in Congregatione ſancti officii, declaravit, eam non ſubſiſtere. Et quidem ex ipſius decreti verbis, & ejus intentione apparet, mentem Pontificis non fuiſſe ſolum copulativam prohibere, nempe: *Licere per literas, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*: quia Pontifex utrumque abuſum voluit de medio tollere.

Ratio à priori. 27. Ratio à priori eſt intentio Chriſti Domini ſic inſtituentis: hæc enim intentio nobis conſtat ex uſu, & conſuetudine Eccleſiæ, cui innixus Clemens VIII. prædictum decretum fecit, & ob eandem cauſam Paulus V. Clementis decretum approbavit, qui etiam declaravit eo decreto Clementis illam particulam *Et*, non ſolum ſumendam eſſe copulativè (ad cujus falſitatem ſufficit falſitas cujuſlibet partis;) ſed etiam ſumendam eſſe diviſivè, ita ut quælibet pars ſeorſim damnata ſit, & ita abſolutio collata abſenti, ſive confeſſio facta ſit Sacerdoti præſenti, ſivè abſenti in nullo caſu liceat, ac proinde in nullo caſu valida ſit.

Objectio. 28. Objicies: aliæ ſententiæ judiciales non indigent reum habere præſentem; ſed interdum rectè feruntur in abſentem: ergo cum abſolutio habeat ſe per modum ſententiæ judicialis, rectè etiam poterit ferri in abſentem, ſi videlicet præſens ſiſti non poſſit.

Solvitur. 29. Reſpondetur, judicem ſubordinatum validè ſententiam non proferre, niſi ſervet formam ſubſtantialem ſibi à ſupremo judice præſcriptam. Quare ſi ponamus etiam in externo foro talem judici judicandi formam aſſignatam eſſe, ut non aliter, quam in reum præſentem ſententiam proferat, tunc alio modo lata ſententia irrita foret; ſed quia io tali externo foro hæc forma ſemper præſcripta non eſt, ideò in eo interdum ſententia io abſentem validè fertur: nunquam tamen in judicio ſacramentali: quia in hoc Sacerdotes ſunt judices ſubordinati Chriſto ſupremo judici, qui ſicut illis poteſtatem judicandi, & pœnitentes à peccatis abſolvendi dedit: ita etiam abſolvendi formam, & modum præſcripſit, qui ſicut ex traditione, & praxi Eccleſiæ colligitur, talis eſt, ut abſolutio non niſi in præſentem unquam proferatur.

PUNCTUM V.

An forma hujus Sacramenti neceſſariò, & eſſentialiter in verbis conſiſtat?

30. FOrma hujus Sacramenti Pœnitentiæ neceſſariò, & eſſentialiter in verbis conſiſtit, neque aliis ſignis, puta, nutu, aut Scriptura exprimi poteſt. Ita D. Thomas, *3. part. quæſt.* 84. *art* 3. *ad.* 3, Nuñus, & Araujo ibidem, Sotus, *diſt.* 3. *art.* 5. Cajetanus, *verbo, Confeſſio, conditione* 11. Suarez, Valentia, Coninchus, Henriq. Pitigianus, Zerola, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *punct.* 6. Layman ubi ſupra, & cum Cardinali Lugo, Dicaſtill. *tract.* 8. *diſp.* 5. *dubit.* 4. *n.* 90. Stephanus à S. P. *n.* 193. Franciſc. *n.* 33. Auguſt. à V. M. *quæſt.* 5. *de pœnit.* Philippus à SS. Trinit. *diſp.* 2. *dub.* 3. Et eſt communis Doctrina Theologorum. Sumitur ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. docente non ſolùm verba neceſſaria eſſe, ſed quæ verba neceſſaria ſint. Et ex Florentino *in decreto* Eugenii ubi generatim affirmat, Sacramenta conſtare verbis tanquam formâ (excepto matrimonio, quod etſi regulariter verbis perficiatur, interdum aliis ſignis conficitur.) *Concluſio.*

31. Ratio vero ſumi debet ex Chriſti voluntate, & inſtitutione, quam Eccleſiæ praxis, & Conciliorum auctoritas nobis oſtendit. Unde ſicut in formis Baptiſmi & Euchariſtiæ conſtat ex uſu Eccleſiæ, neceſſaria eſſe verba, ac proinde neminem mutum baptizare, aut conſecrare poſſe, etiamſi ſcribat verba, quando actu abluit, aut actu habet præſentem panem, & vinum: ita ſimiliter ex uſu Eccleſiæ, & Conciliis ſatis colligimus, Sacerdotem ſinè verbis non poſſe validè abſolvere. *Ratio à priori.*

32. Hinc infertur, etiamſi Sacerdos adſtans infirmo moribundo, & confitenti peccata ſua, repentè uſu linguæ privatus ſit, & abſolutionem non poſſit ore proferre, niſi tantùm ſcripto, aut ſignis, non poſſe talem Sacerdotem ritè, aut validè abſolutionem ſcripto, aut aliis ſignis impendere, præterquam vocalibus verbis; ſed manifeſtè ſacrilegum fore, & invalidam impendere abſolutionem, ſi illam ſcripto, aut aliis nutibus exhibeat. *Illatio.*

CAPUT QUARTUM,

De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

IN HOC CAPITE TRIA SUNT PUNCTA.

P.1. *Quæ ſit materia remota hujus Sacramenti?*

P.2. *Quæ ſit materia neceſſaria, & quæ ſufficiens? Ubi etiam de peccatis ſemel confeſſis.*

P.3. *An peccata dubia ſint materia ſufficiens?*

PUNCTUM I.

Quæ ſit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

Notabile. 1. NOta ex D. Thoma, 3. *part.* *quæſt.* 84. *art.* 2. & *opuſculo* 22. *cap.* 4. triplicem rei diſtingui poſſe materiam unam *ex qua*, alteram *circa quam*, & alteram *in qua*. Materia, *ex qua* eſt, quæ totius ingreditur compoſitionem, & hoc pacto lignum, & æs dicuntur materia reſpectu ſtatuæ. Materia abolenda *circa quam* eſt, circa quam deſtruendam res verſatur, ut ex terminis ipſis patet, & hoc modo infirmitas dicitur materia reſpectu Medici, vulnus reſpectu Chirurgi, & ligna ſunt materia ignis per illum ſcilicet comburenda. Materia *in qua* eſt ſubjectum, in quo res recipitur, & hac ratione infirmus dicitur materia *in qua* reſpectu medicamenti. Conveniunt ergo Theologi, materiam, *ex qua* Sacramentum Pœnitentiæ componitur, eſſe pœnitentis actus, & ſimiliter materiam *in qua* eſſe ſubjectum, in quo recipitur Sacramentum. Solum ergo præſens punctum procedit de materia *circa quam*, ſeu remota hujus Sacramenti. De qua.

1. Concluſio. 2. Dicendum eſt primo: materiam *circa quam*, ſeu remotam eſſe peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa. Ita D. Thomas, *art.* 2. *citato in corpore*, & *in ſolutione ad.* 3. & ibidem omnes interpretes, nec non ſcholaſtici cum Magiſtro *in* 4. *diſtinct.* 14. & eſt omnium Catholicorum ſententia.

Ratio 1. pro illa. 3. Paobatur primò: quia illa eſt materia remota, ſeu *circa quam* hujus Sacramenti, circa quam deſtruendam Sacramentum ipſum verſatur: atqui hoc Sacramentum verſatur circa peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa deſtruenda, quemadmodum ignis circa ligna per illum comburenda: ergo &c.

2. Ratio. 4. Secundò: nam Chriſtus Dominus inſtituit hoc Sacramentum per modum judicii, in quo proinde debet eſſe accuſatio doloroſa ordinata ad obtinendam remiſſionem peccati poſt baptiſmum commiſſi: hujuſmodi ergo peccatum eſt materia remota hujus judicii, id eſt circa quam deſtruendam verſatur, & ſupra quam cadit ſententia abſolutionis.

Objectio 1. 5. Sed objicies primò: hinc ſequi peccata concurrere effectivè, ut inſtrumentum divinæ virtutis ad conferendam gratiam ſanativam, quod eſt abſurdum. Sequela probatur: nam propterea aqua Baptiſmi concurrit effectivè, ut inſtrumentum divinæ virtutis ad conferendam gratiam regenerativam, quia eſt materia remota Baptiſmi, ac proinde dum elevatur ablutio, quæ eſt materia proxima ad talem cauſalitatem, neceſſe eſt, & ipſam aquam elevari, quæ eſt materia remota.

6. Objicies ſecundò: quia ſi peccata eſſent materia remota Pœnitentiæ, ſequeretur, eadem ſemel abſoluta non poſſe iterum abſolvi: ſicut quia panis eſt materia remota Euchariſtiæ, ſequitur eumdem panem jam conſecratum non poſſe iterum conſecrari: conſequens autem eſſe falſum, patet experientia hominum juſtorum, & timoratæ conſcientiæ, qui ſæpius de eiſdem peccatis confitentur. *Objectio 2.*

7. Ad primam ex his objectionibus reſpondetur negando ſequelam: quoniam materia remota deſtruenda per Sacramentum non manet in illo, ut ad ejus elevationem, ipſa poſſit elevari ad rationem ſigni, & cauſæ gratiæ, & talis materia ſunt peccata; benè tamen materia illa remota, quæ manet in ipſo Sacramento inſeparabiliter incluſa in ejus materia proxima, cujuſmodi eſt aqua, quæ intrinſecè, & inſeparabiliter manet incluſa in ablutione, ac per conſequens ad ejus elevationem illa quoque elevatur. *Solvitur prima objectio.*

8. Ad ſecundam neganda eſt etiam ſequela. Et ad probationem dicendum, ideo panem ſemel conſecratum non poſſe iterum conſecrari, quia non apponitur ibi nova materia proxima, ſupra quam cadat nova forma conſecrationis; circa idem tamen peccatum ſecunda vice confeſſum poſſe cadere novam formam abſolutionis: quia apponitur nova materia proxima, ſcilicet nova confeſſiò cum novo dolore, ubi autem iteratur materia proxima, poteſt quoque nova forma iterari, ac repeti: quia jam non eſt actum agere, ſed novum agere, quod nondum actum fuerat. *Diluitur 2.*

9. Dicendum eſt ſecundò, tantùm peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa eſſe materiam remotam hujus Sacramenti. Ita D. Thomas ubi ſupra *art.* 2. *ad.* 3. quem omnes ſequuntur. Et probatur auctoritate, & ratione deſumpta ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. & 2. quia ſola illa peccata, quæ ſunt commiſſa intra januas, & juriſdictionem Eccleſiæ, ſubjectantur clavibus, & abſolutioni illius: ergo illa ſola peccata, quæ ſunt poſt Baptiſmum commiſſa, ſunt materia remota hujus Sacramenti. Conſequentia liquet: ideo enim hoc Sacramentum dicitur communiter Sacramentum clavium; & antecedens probatur. Tum ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de his, qui foris ſunt judicare.* Tum etiam: quia Sacramentum Pœnitentiæ, ut ſæpè dictum eſt, inſtitutum fuit per modum judicii, cujus juriſdictionem exercet Sacerdos: ergo cum circa *2. Concluſio probatur.*

eos,

eos,qui non ſunt baptizati, utpote qui nondum intraverunt per januas Eccleſiæ, nullam habeat juriſdictionem, conſequens eſt, ut nequeat illam circa eos exercere, ac proinde, neque judicare de illis, quæ comiſerunt extra Eccleſiam.

Objectio alibi ſoluta. 10. Quod ſi dicas: aliquando contingere recipienti Baptiſmum non remitti peccatum originale, neque actuale: quia debita diſpoſitione gratiæ recipiendæ caruit; poſtmodum verò contritione, vel Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptione juſtificari: ergo Pœnitentia peccata antè Baptiſmum commiſſa remittit, cum quælibet gratia faciat hominem ſanctum, ac proinde expellat ab illo omnia peccata mortalia. Ad hanc objectionem, jam reſponſum eſt, *in tract. de Sacramentis in genere, cap. 5. punct. 5. num. 64.*

Replica. 11. Verum contra ſolutionem ibi datam urgebis: quia nequit gratia Baptiſmi eſſe poſterior, utpote regenerativa, quam gratia Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt ſanativa: prius enim eſt cauſa generans, quam illa, quæ eſt cauſa ſanans, cum illa det primum eſſe; hæc verò ſupponat illud: non bene ergo *loc. cit.* dictum eſt, eſſe inter Baptiſmum, & Pœnitentiam prioritatem mutuam *a quo* io caſu poſito.

Solutio. 12. Reſpondetur, nullum eſſe inconveniens, quod gratia ſanativa Pœnitentiæ in quantum removens prohibens fictionis impedimentum, ſit prior in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ, quam gratia baptiſmalis, quæ eſt regenerativa: quamvis iſta in genere cauſæ efficientis, & formalis ſit prior. Sicut in generatione naturali, quia diſpoſitiones ſunt priores in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ, quam forma introducenda: ideo quia corruptio formæ præexiſtentis requiritur per modum diſpoſitionis ad introductionem formæ generandæ, propterea in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ eſt prior, quàm generatio formæ introducendæ: licet in genere: cauſæ efficientis, & formalis generatio formæ de novo introducendæ ſit prior: ſic ſimiliter in præſenti philoſophandum eſt proportione ſervata.

Quæſitum. 13. Rogabis: utrum peccata, quæ ſimul tempore cum Baptiſmo, aut in ejus receptione committuntur, ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ?

1. Sententia. Prima ſententia aſſerit, ex peccatis, quæ committuntur in receptione Baptiſmi, ſolam fictionem pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ, & remitti per illud; reliqua verò pertinere ad ipſum Baptiſmum, & per illum remitti. Ita Cajetanus, *3. part. quæſt. 69. art.* 10. Petrus de Soto, *lect. 4. de Baptiſmo*, & Suarez, *diſp. 28. ſect. 1.* N. Gabr. à S. V. *diſp. 8. quæſt. 1.*

Fundamentum pro illa. 14. Et probatur præcipuè ex D. Thoma, *3. p. q. 69. art. 10. ad 2.* ubi ſic ait: *Dicendum, quod fictio non remittitur per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiam ſubſequentem, quâ remotâ, Baptiſmus auſert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo.* Sentit ergo peccata, quæ ſimul tempore cum Baptiſmo, aut in ejus receptione committuntur, non pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ, nec remitti per illud, excepta fictione, quæ eſt indigna ſuſceptio Baptiſmi.

2. Sententia. 15. Secunda ſententia, (& quæ nobis magis placet) aſſerit, non ſolùm fictionem, quæ eſt indigna ſuſceptio Baptiſmi, ſed etiam alia peccata tunc commiſſa, & exiſtentia in illo inſtanti terminativo ſuſceptionis illius, pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ, tamquam materiam remotam, & in confeſſione pandendam. Ita Sotus, *in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1.* Araujo, *q. 84. art. 2. dub. 2. num* 8. Ledeſma *de Pœnitentia, cap.* 2. Idem docent Sotus, *in 4. diſt. 14. q. 5.* Durandus, *diſt. 4. q. 4.* Valentia, *3. p. diſp. 4. quæſt. 4. punct. 2.* Cardinalis Lugo, *de Sacramento Pœnitentiæ, diſp. 16. ſect. 1.* N. Aotonius à Spiritu S. *in direct. confeſſ. tract. 5. diſp. 5. ſect. 1.* Franciſcus B. S. *diſp. 4. n. 28.*

Ratione fulcitur. 16. Et probatur: quia eadem ratio militat de iſtis peccatis exiſtentibus io illo inſtanti terminativo ſuſceptionis Baptiſmi, ac de fictione, quæ eſt indigna ſuſceptio Sacramenti: hæc autem tollitur per Sacramentum Pœnitentiæ, & ad illud pertinet, ut materia remota, ut docet communis ſententia. Et expreſsè traditur à D. Auguſtino, *lib.* 1. contra Donatiſtas, *cap.* 12. & refertur. Capit. *Tunc valere, de conſecratione,* dicente: *Tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus fictè receptus, quando fictio veraci confeſſione recedit.* Et à D. Thoma, *in dict. art.* 10. ergo &c. Major autem probatur tripliciter. Primò: quia illa peccata prout ſunt in illo inſtanti terminativo, etiam habent repugnantiam cum gratia baptiſmali de facto, & eam impediunt, & ideò debent pandi in confeſſione. Secundò: quia ſunt hominis jam exiſtentis intra Eccleſiam, ad cujus ingreſſum janua eſt Baptiſmus, qui in illo inſtanti terminativo eſt extrinſecè terminatus, eo quod deſinit eſſe per primum non eſſe, ita ut ſit verum dicere, ounc non eſt Baptiſmus, & immediatè ante hoc inſtans erat Baptiſmus. Tertiò: quia illa peccata in illo inſtanti terminativo exiſtentia non poſſunt dimitti per talem Baptiſmum, ut manifeſtè liquet: ergo dimitti debent per Sacramentum Pœnitentiæ, & materia ipſius ſunt.

Fundamentum contrariæ ſententiæ enodatur. 17. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, D. Thomam per peccata ſimul exiſtentia cum Baptiſmo, intellexiſſe ea, quæ duratione temporis concomitantur ipſam Baptiſmi ſuſceptionem ante ejus inſtans terminativum, quæ proculdubio tolluntur per Baptiſmum, nomine autem fictionis comprehendiſſe quodcumque aliud peccatum exiſtens intra inſtans terminativum, quod eſt materiale, & ſubſtractum ipſius fictionis: v. g. habet quis accedens ad Baptiſmum io ipſo inſtanti terminativo odium proximi, hoc peccatum eſt in ſpecie odii, & ſimul in ſpecie ſacrilegii, quatenus ponit obicem gratiæ Baptiſmi, & eſt indigna ſuſceptio Sacramenti, reſpectu cujus malitiæ prima dicitur materialiter ſe habere. Dicimus ergo utramque malitiam ab Angelico Doctore fictionis nomine hoc loco fuiſſe comprehenſam, & ideo utramque pandendam eſſe in confeſſione, utpote materiam remotam ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinentem.

Digitized by Google

PUNCTUM II.

Quæ ſit materia neceſſaria, & quæ ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ? Ubi etiam de peccatis ſemel confeſſis.

1. Concluſio. 18. INter peccata actualia, quæ poſt Baptiſmum committuntur, mortalia ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Tridentinum, *ſeſſion.* 14. & *canon.* 7. & Doctores omnes. Ratio eſt: quia illa eſt materia neceſſaria abolenda reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ, quæ ex neceſſitate huic Sacramento ſubjici debet, nec poteſt auferri ſinè ordine ad illud: peccata autem mortalia poſt Baptiſmum commiſſa ex neceſſitate huic Sacramento ſubjici debent, nec poſſunt auferri ſinè ordine ad illud: quia Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituens, voluit, quod ſolùm per illud, vel per ordinem ad illud, peccata mortalia baptizatorum dimitterentur. Unde quando per contritionem perfectam, vel dilectionem dimittuntur, remanet obligatio ſubjiciendi illa huic Sacramento: ergo inter peccata actualia, quæ poſt Baptiſmum committuntur, mortalia ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ.

2. Concluſio. 19. Peccata vero venialia ſunt materia hujus Sacramenti, non neceſſaria ſed ſufficiens, ut tradit idem Concilium, & communiter omnes. Et quidem non ſunt materia neceſſaria: quia poſſunt auferri ſinè ordine ad hoc Sacramentum, & neceſſariò clavibus Eccleſiæ non ſubjiciuntur; ſunt autem materia ſufficiens: quia circa ea tantùm Sacramentum Pœnitentiæ verſari poteſt.

Corollarium 1. 20. Hinc colligitur primò, pœnitentem non teneri in confeſſione manifeſtare peccata venialia: quia non ſunt materia neceſſaria, ſed ſolum ſufficiens. Ita Navarrus, Coninchus, Valentia, Henriquez, Reginaldus, Suarez, Nuñus, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ diſp.* 5. *quæſt.* 3. *punct.* 2. N. Philippus *diſp.* 2. *dub.* 2. & alii communiter.

Corollarium 2. 21. Secundò colligitur, Pœnitentem habentem plura venialia poſſe aliqua confiteri, & alia reticere, ſi voluerit. Ita Sotus, Victoria, Reginaldus, quos adducit, & ſequitur idem Bonacina, & alii communiter.

3. Concluſio. 22. Peccata ſemel confeſſa, etiam non ſunt materia neceſſaria, ſed ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ: ſicuti declaravit Benedictus XI. *in Extravaganti* 1. *de Privilegiis*, & tradit D. Thomas, *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *quæſtiunc.* 5. *ad* 4. & *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 4. Suarez. *diſp.* 18. *ſect.* 4. Filliucius ubi ſupra *num.* 59 Coninchus, & Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica*, *punct.* 6. *num.* 5. N. Anton. à Spir. S. *diſp.* 5. *ſect.* 4. Gabr. à S.V. *diſp.* 8. *q.* 2. & alii paſſim. Et quidem quod non ſint materia neceſſaria, conſtat ex eo, quod Chriſtus non præceperit bis idem peccatum Sacramento Pœnitentiæ ſubjicere. Quod verò ſint materia ſufficiens, probatur primò ex praxi, & uſu piorum hominum, & Catholicorum. Secundò: quia Chriſtus non limitavit poteſtatem ad unum actum remiſſionis. Tertiò: quia de peccatis confeſſis, ſivè venialia ſint, ſivè mortalia, noviter dolere quis poteſt, & accuſationem inſtituere, ac proinde poteſt de illis noviter abſolvi; unde non ſolum conjuncta cum aliis non confeſſis, ſed etiam per ſe ſola ſufficiunt ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ita Cajetanus, *tom.* 1. *opuſcul. tract.* 5. *de Confeſſione*, *q.* 4. Medina, *tract.* 2. *quæſt. de fructu iter. confeſſ.* Filliucius ubi ſupra, & alii. Poteſt tamen pœnitens habens plura mortalia ſemel ritè confeſſa, aliqua confiteri, & aliqua reticere: ut cum Soto, Reginaldo, Victoria, tradunt Bonacina, ubi ſupra. N. Gabr. *loc. cit.* Antonius *ſect.* 5. ubi de his plura habent.

Addunt etiam benè hi Doctores, liberum eſſe pœnitenti, partem peccatorum ſemel ritè confeſſorum manifeſtare hodie, & partem cras in diſtinctis confeſſionibus, ſivè confeſſiones fiant uni, & eidem Sacerdoti, ſive diverſis: quia non ſunt materia neceſſaria, ſed ſufficiens. Quomodo autem forma abſolutionis applicata peccatis jam ritè confeſſis ſit vera, conſtat ex dictis circa formam hujus Sacramenti. Inquirunt hic aliqui an pœnitens, qui confeſſionem facit generalem, teneatur certiorem reddere confeſſarium, an peccata, quæ confitetur, fuerint commiſſa poſt ultimam confeſſionem? Negativè probabiliter reſpondent cum Diana, Dicaſtill. Lugone, & aliis N. Gabriel & Antonius *loc. cit.* quia non tenetur circumſtantiam temporis confiteri per ſe loquendo ſed ſufficit quod verè peccata, ſua confiteatur videantur citati, & N. Stephanus *num.* 165. qui, & benè conſulit partem contrariam utpotè ſecuriorem ad praxim deducendam.

PUNCTUM III.

An peccata dubia ſint materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ.

23. MAteria hujus Sacramenti eſt peccatum, quod in re ſit commiſſum. Unde non apponit quis validè pro materia confeſſionis ſolùm illud peccatum, de quo eſt dubius, quod tamen revera numquam fuit commiſſum, ut ex communi ſententia benè tradit Araujo, 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 2. *dub.* 3. Sicut enim materiæ remotæ aliorum Sacramentorum non ſunt res exiſtimatæ, vel apparenter tales, ſed veræ, & reales, ut in Baptiſmo aqua naturalis, in Euchariſtia panis triticeus, & ſic de aliis: ita & materia remota Sacramenti Pœnitentiæ non eſt peccatum exiſtimatum, vel apparenter tale; ſed illud dumtaxat, quod verè, & realiter commiſſum eſt: neque in re dicitur peccatum dubium; ſed tantum in ordine ad noſtram cognitionem, ex qua non variatur materia Sacramenti. 4. Concluſio.

24. In ordine verò ad nos, cum materia poſſit eſſe dubia, adjungendum eſt aliquod peccatum certum, ſaltem veniale, quoad fieri poſſit, ut ſic evitetur periculum efficiendi Sacramentum invalidum, ut optimè tradunt Suar. *in* 3. *part. diſp.* 18. *ſect.* 1. *num.* 12. Araujo ubi ſupra, & cum N. Franciſco, Stephanus à S.P. *n.* 150. & alii paſſim. Quod utique procedit, quando confitens eſt dubius de facto; ſi enim ſciat ſe commiſiſſe tale peccatum, dubitat tamen Documentum 2.

tamen

men de gravitate illius, an videlicet peccatum ſit mortale, non eſt opus aliam materiam præbere, modò non habeat conſcientiam alterius peccati mortalis: quia jam exhibuit materiam certam ſufficientem, ſive illa ſit peccatum mortale, ſive veniale, uti beoè Thomas Sanchez, *lib.1. ſumma, cap.* 10. *num.*70. Candidus *diſquiſit.*24. *art.*4. & alii docent.

Documentum 2. 25. Monent præterea Doctores, Confeſſarium non debere abſolutè, & ſimpliciter impendere abſolutionem pœnitenti, à quo non poteſt materiam certam extorquere. Si vero de facto pœnitens confiteatur ſolum peccatum dubium, & propter oblivionem, vel inſtantem neceſſitatem, non poſſit aliud certum peccatum pandere, tunc poſſe licitè ſub conditione, qualitate neceſſitatis penſata, abſolvi. Ita Araujo ubi ſupra, & eſt doctrina communis.

Objectio. 26. Sed objicies: Sacramentum Pœnitentiæ poteſt, ac debet extendi ad omnia peccata, ad quæ extenditur virtus Pœnitentiæ: utriuſque enim eadem eſt materia, ſcilicet peccatum hominis commiſſum propria voluntate, quatenus compenſandum, vel abolendum: atqui ſufficiens materia virtutis Pœnitentiæ eſt peccatum exiſtimatum, quod homo probabiliter exiſtimat, ſe commiſiſſe, licet revera non fuerit commiſſum: poteſt enim homo habere verum actum contritionis deteſtando illud propter Deum ſummè dilectum, qui actus eſt proprius, ac perfectus virtutis pœnitentiæ: ergo pariter erit ſufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ.

27. Reſpondetur negando majorem: latius enim patet materia virtutis Pœnitentiæ, quam Sacramenti: quia illa babet pro objecto, & materia circa *quam* peccatum, ſive verè commiſſum, ſive apparens, & exiſtimatum per conſcientiam erroneam: eò quod cum ſit virtus moralis, quæ regulatur per hominis judicium practicum, quod poteſt eſſe verum practicè per conformitatem ad rectam rationem; licet falſum ſpeculativè, poteſt exercere ſuum actum contritionis verè, & realiter circa peccarum exiſtimatum, quod revera non fuit commiſſum. Quemadmodum virtus Religionis poteſt exercere ſuum actum veræ adorationis, & cultus, qui regulatur judicio practico gaudente practica veritate propter conformitatem ad rectam rationem; licet falſo ſpeculativè reſpectu hoſtiæ propoſitæ à Sacerdote, quæ defectu intentiunis non ſir revera conſecrata. Materia verò Sacramenti Pœnitentiæ determinatè eſt peccatum verè commiſſum, eo quod cum ſit inſtrumentum Dei applicatum ab ipſo, qui fallere, aut falli non poteſt, ad medelam veræ infirmitatis, neque debet, neque poteſt validè applicari, niſi ad peccatum, quod fuerit vetè commiſſum. *Diluitur.*

CAPUT QUINTUM.

De dolore, ſeu diſplicentia peccati requiſita ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, & de propoſito non peccandi.

Diximus jam de forma, & de materia remota hujus Sacramenti; reſtat nunc dicamus de tribus illis partibus, quæ ſunt materia proxima, ac primo de dolore, aut diſplicentia peccati, ex qua movetur quis ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum.

Hoc Caput continet unicum Dubium, & quatuor Puncta.

Dub. un. *An ex defectu doloris, quando dolor inculpabiliter non habetur de omnibus peccatis, poſſit dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, id eſt validum abſque effectu?*

P. 1. *An dolor requiſitus abſolutioni, & confeſſioni præmittendus ſit?*

P. 2. *Qualiter peccatum veniale virtute hujus Sacramenti remittatur?*

P. 3. *Qualis dolor ſupernaturalis in confeſſione venialium ſufficiat? Ubi etiam aliquæ circa remiſſionem venialium expediuntur difficultates.*

P. 4. *An propoſitum non peccandi requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ?*

DUBIUM UNICUM.

An ex defectu doloris quando dolor inculpabiliter non habetur de omnibus peccatis, poſſit dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, id eſt validum abſque effectu.

1. Quod inquirimus eſt: An in caſu v. g. quo aliquis qui commiſit duplex peccatum mortale, alterum ſacrilegii, alterum detractionis, confitetur peccatum ſacrilegii, de ipſoque dolet efficaciter, attritione ſupernaturali cum propoſito emendationis prædicto dolori correſpondenti propter ſpecialem turpitudinem, & fœditatem, quam continet contra ſpecialem virtutem infuſam, quod motivum non complectitur, etiam virtualiter peccatum mortale detractionis, de quo pœnitens nec dolet, neque illud confitetur, quia illius invincibiliter eſt oblitus. An ſcilicet in hoc, & ſimilibus caſibus adveniente abſolutione fiat verum, & validum Sacramentum, & tamen non conferatur gratia: quia datur obex peccati detractionis non deteſtati per dolorem aliquem formaliter, aut virtualiter, & ſic Sacramentum ſit validum, & informe?

2. Et videtur quod non. Primò: quia dolor ille de Sacrilegio, ſi attritio ſupernaturalis, & efficax eſt, extenditur virtualiter ad peccatum detractionis: cum detractio etiam ſit offenſa Dei. Quare ſicut actus charitatis virtualiter continet dolorem de peccatis quibuſcumque: ſic attritio illa ſupernaturalis, & efficax virtualiter deteſtatur peccatum, cujus pœnitens

invincibiliter non recordatur: & ſic in caſu poſito Sacramentum non ſolùm erit validum, ſed etiam cum effectu gratiæ.

Secundum. 3. Secundò: quia Sacerdos, ut conſtat, abſolvit tamquam judex ferens ſententiam: illa igitur diſpoſitio, quæ ſufficit ad validè ferendam ſententiam abſolutionis, ſufficit etiam ad effectum gratiæ: atqui attritio in caſu poſito ſufficit ad validè ferendam ſententiam abſolutionis: ergo ſufficit ad effectum gratiæ.

Tertium. 4. Tertiò: quia aut pœnitens, qui confitetur, adhibet ſufficientem diligentiam ad diſponendum ſe ad effectum Sacramenti, aut non adhibet; ſi adhibet, eo ipſo erit ſufficienter diſpoſitus: per adjutorium enim gratiæ in ipſius poteſtate eſt ſufficienter ſe diſponere. Si non adhibet ſufficientem diligentiam, eo ipſo peccat; in quo caſu nequit eſſe validum Sacramentum: ergo numquam erit validum,& informe.

Quartum. 3. Quartò: quia ſi ſufficeret attritio illa ad eſſentiam Sacramenti, quæ non ſufficeret ad ejuſdem effectum, ſequeretur poſſe quem validè ſuſcipere hoc Sacramentum cum actuali affectu peccati mortalis: quia cum talis attritio non extendat ſe virtualiter ad omnia peccata mortalia, poteſt cum actuali peccati mortali conſiſtere; quare ſi ſit ſufficiens materia Sacramenti, nulla erit cauſa, cur ita attritus, qui ſimul affectum habet erga peccatum mortale, non poterit Sacramentum validè ſuſcipere quod tamen non videtur dicendum.

Quintum. 6. Quintò: quia ad eſſentiam, & valorem hujus Sacramenti requiritur dolor, qui tendat ad reconciliationem cum Deo ex cujus reconciliationis deſiderio naſcitur voluntas ipſa confitendi, omnis autem voluntas reconciliationis cum Deo implicitè includit deteſtationem omnium peccatorum mortalium: quia amor boni continet implicitè deteſtationem mali contrarii; ideo enim quilibet actus perfectæ charitatis continet virtualiter deteſtationem omnium peccatorum mortalium, licet homo eorum non recordetur, quia nimirum non poteſt ſtare ille actus cum actuali affectu ad peccatum mortale: ſed neque poteſt ſtare voluntas reconciliationis cum Deo cum affectu ad peccarum mortale: ergo hæc voluntas continet implicitè deteſtationem omnium mortalium: & per conſequens ſufficiet etiam ad effectum Sacramenti ponendum.

Sextum. 7. Sextò: quia actus judicii, quando eſt ex errore intollerabili,& evidenter injuſto,non eſt validus: ergo cum eſſentia hujus Sacramenti conſiſtat, in quodam judicio, quod eo ipſo, quod eſſet circa peccatorem, in quo non foret ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum, eſſet planè, & evidenter injuſtum, conſequens eſt, non poſſe hoc Sacramentum eſſe validum, & informe ex defectu doloris de peccatis. Et ita hanc partem negativam tenent Vaſquez, *quæſt.* 52. *art.* 2. *dub. unico*, Coninchus, *diſp.* 4. *& dub.* 11. Ochogavia, *tract.* 2. *quæſt.* 30. Laymann, *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 9. Palaus, *tract.* 23. *diſp. unic punct.* 7. *num.* 4. Fagundez, *de* 2. *præcepto Eccleſiæ, lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 9. qui affert pro hac parte Scotum, Toletum, & alios, & pro ea referuntur etiam Major *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 5. Gabriel, *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Adrianus, *q.* 5. *de Confeſſione, dub.* 5. Medina, *cap. de Confeſſione*, *q.* 20. *de Confeſſione ficta non iteranda*. Wiggers, Franciſc. B. Spei, *diſp.* 5. *n.* 31. & alii.

Authoritas. 8. Sed contra: quia D. Th. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. docet, poſſe eſſe Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, quod optimè ſalvatur ex defectu doloris, quando dolor inculpabiliter non habetur de omnibus peccatis in caſu poſito, & in aliis ſimilibus.

Concluſio. 9. Reſpondetur dicendum, poſſe dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, id eſt validum abſque effectu, modo *num.* 1. *explicato* Ita Candidus, *diſquiſit.* 24. *art.* 12. *dub.* 8. cum Dominico Soto *diſt.* 18. *q.* 3. *art.* 3. *poſt* 6. *concluſionem*. Item Suarez, *diſp.* 20. *ſect.* 5. *num.* 3. referens D. Thomam, Capreolum, Ricardum, Paludanum, Cajetanum, Petrum Soto, Ledeſmam, Canum, Sylveſtrum, Navarrum, & Covaruviam. Eamdem tradit Dicaſtillus, *diſp.* 6. *dub.* 5. *num.* 84. citans Valentiam, Filliucium, Henriquez, & Dianam. Et ipſam latè docent Card. Lugo, *diſp.* 14. *per totam ſect.* 6. & 7. quibus ſubſcribunt Noſter Gabriel à S. Vincentio *de Sacramento Pœnitentiæ diſp.* 7. *quæſt.* 23. Averſa *quæſt.* 14. *ſect.* 6. N. Philippus à SS. Trinitat. *diſp.* 12. *dub.* 1. Antonius à Spir. S. *diſp.* 3. *ſect.* 4. Gonet *diſp.* 10. *n.* 12.

Probatur. 10. Et ratio eſt: quia in caſu poſito, & ſimilibus, ex una parte pœnitens gratiam percipere nequit, cum peccatum mortale, v. g. detractionis nec confiteatur neque formaliter, nec virtualiter deteſtetur: nullumque peccatum remittatur, niſi ſuppoſita formali, vel virtuali deteſtatione illius; & ex alia parte ob ignorantiam à novo excuſetur peccato, nec non habeat ſufficientem dolorem ſupernaturalem, confiteatur ſacramentaliter, adſit Sacerdotis abſolutio, ac ſubinde omnia neceſſaria ad Pœnitentiæ Sacramentum, quoad eſſentiam ponendum: ergo in eo, & ſimilibus caſibus erit Sacramentum informe hoc eſt, validum ſine effectu gratiæ: Confirmatur: quia in eo caſu, ſi non adeſſet aliud peccatum, Sacramentum conferret etiam gratiam: ergo dum adeſt, impeditur quidem à conferendo effectu, ſed non redditur irritum.

Primum fundamentum contrariæ ſententiæ evertitur. 11. Ad primum dicendum, nos non loqui in caſu, quo quis habeat attritionem de ſacrilegio ex ea ratione formali communi omnibus peccatis, ſed ex ſpeciali ratione deformitatis, quæ eſt in illo contra virtutem infuſam, quæ ratio dolendi non reperitur in aliis peccatis, atque adeo dolor ex ea ratione, ſeu motivo ſuſceptus, non ſe extendit ad detractionem in eo caſu. Imò etiamſi dolor eſſet de ſacrilegio, ut activè offenſivo Dei, non fieret ex hoc, quòd extenderetur virtualiter ad detractionem, vel ad alia ſimilia inferiora peccata. Poſſet enim aliquis dolere efficaciter de peccato ſacrilegii propter ſpecialem ejus fœditatem, & graviorem offenſam activam quam continet, quod motivum non extenditur etiam virtualiter ad detractionem, vel ad alia inferiora peccata, in quibus illa ſpecialis turpitudo, & major gravitas talis offenſæ activæ minimè reperitur.

Secundum diluitur. 12. Ad ſecundum reſpondetur, eam doloroſam confeſſionem factam in caſu poſito ſufficere quidem, ut tanquam judex Confeſſor abſolvat,

abſolvat, non verò, ut ſequatur effectus gratiæ; utrumque autem probat ratio noſtræ ſententiæ: quia pœnitens ex una parte præbet materiam abſolutionis, & concurrunt omnia requiſita ad eſſentiam Sacramenti; & ex alia parte, nec formaliter, nec virtualiter deteſtatur mortale peccatum detractionis, de quo invincibiliter oblitus eſt.

Tertium diſſolvitur. 13. Ad tertium dicendum, pœnitentem interdum adhibere ſufficientem diligentiam tantùm ad hoc, ut ipſe à peccato excuſetur; non verò ut in re ipſa ſit diſpoſitus ad recipiendum gratiæ effectum, nimirum, quando ex uno capite putat ſe jam habere ſufficientem diſpoſitionem, & ita non peccat; & ex alio re ipſa nun habet: quia nec formaliter, nec virtualiter deteſtatur aliquod mortale peccatum, cujus invincibiliter memoriam non habet; & ita tuuc Sacramentum ſimul eſt validum, & informa.

Enervatur quartum. 24. Ad quartum reſpondetur, negando ſequelam: nam licet ad valorem Sacramenti dumtaxat non requiratur dolor univerſalis de omnibus peccatis; requiritur tamen carentia propoſiti actualis peccandi, quam carentiam non habet, qui actu afficitur alicui peccato mortali: ille enim affectus peccatum quoddam eſt, ut ex ſe patet, ac proinde non habet id quod requiritur ad valorem Sacramenti, qui excludit propoſitum actuale peccandi. Adde, quod nunc agimus de eo caſu, in quo, quis invincibilitet immemor, aut ignarus unius peccati, quod commiſerat, & memor alterius, hujus tantùm dolorem habet, non illius. & ita bona fide accedit; quando autem quis actualem affectum habet ad peccatum, & conſequenter actu peccat, non poteſt ignorare, aut vix quod tale peccatum habeat, & quod illud amore, non deteſtatione proſequatur, atque adeò mala fide accedit.

Enodatur quintum. 15. Ad quintum dicendum, quod voluntas reconciliandi ſe cum Deo, in caſu poſito non haberet aliam efficaciam, quam eam, quæ reperitur in dolore attritionis; atque ita ſicut dolor ille in eo caſu non haberet efficaciam ad deteſtandum peccatum detractionis, ſed ſolum peccatum ſacrilegii: ita nec illa voluntas reconciliandi ſe cum Deo haberet tunc efficaciam ad deteſtandum peccatum detractionis; ſed ſolum peccatum ſacrilegii. Et idem dicendum eſt de propoſito, quod haberet tunc ille pœnitens non peccandi de cætero. Secus vero eſt de actu dilectionis Dei ſuper omnia, qui verſatur efficaciter circa omnem offenſam Dei deteſtandam: quia vult efficaciter amico bonum, quatenus bonum illius eſt; & odio habet efficaciter malum offenſæ, quatenus malum illius eſt.

Sati-fit ſexto. 16. Ad ſextum dicendum, quod licet quando indiſpoſitio hominis recipientis pœnitentiæ Sacramentum eſt illi nota, judicium abſolutionis in tali caſu ita ſit injuſtum, ut planè ſit nullum: quia eſt evidenter injuſtum; quando autem bona fide ipſe pœnitens putat ſe habere diſpoſitionem ſufficientem, atque hac ratione ſe ſubjicit Confeſſori, tunc judicium abſolutionis nec eſt evidenter injuſtum, neque habet intolerabilem errorem, ſed potius eſt prudens ſecundum formam judicii, id eſt ſecundum allegata, & probata, ac proinde eſt validum jodicium, quantum eſt ex parte ſua ad cauſandam remiſſionem peccatorum, atque adeo, ut primum tollitur obex, ſeu indiſpoſitio ſuſcipientis, ſuum habet effectum.

27. Sed inquires primò: An attritio naturalis credita invincibiliter ſupernaturalis ſit ſufficiens ad validitatem hujus Sacramenti? Reſpondetur negativè. Et ratio eſt primò: quia dolor de peccatis, qui eſt materia, ſivè pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, teſte Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *&* 4. debet eſſe donum Spiritus Sancti: ergo cum attritio, de qua loquimur, utpote merè naturalis, non ſit donum Spiritus Sancti, non ſufficit ad validationem Sacramenti, quamtumvis invincibiliter putetur ſupernaturalis; ſicut quia vinum eſt materia Euchariſtiæ, non poteſt acetum invincibiliter putatum vinum aliquando ſufficere. Secundò: quia ſicut abſque vera exteriori confeſſione peccati, non poteſt fieri hoc Sacramentum: ita nec ſinè vera attritione interiori procedente ex inſpiratione Dei interius operantis, ut docet D. Thom. 3. *p.* *q.* 84. *art.* 1. *&* 2. ergo ſicut illa non ſuppletur per exiſtimationem: ita neque hæc. Tertiò: quia ad hoc, ut ſit verum Sacramentum Pœnitentię quoad ſubſtantiam, neceſſarium eſt, quod pœnitens ex fide, & ſpe obtinendi veniam ſe clavibus Eccleſiæ ſubjiciat, & iſti actus ſe teneant ex parte actuum pœnitentis, qui ſunt materia neceſſaria: ergo cum iſti motus non poſſint eſſe ex viribus naturæ, ut conſtat, quia procedunt ex fide, & ſpe ſupernaturali, conſequens eſt, quod actus qui ſe tenent ex parte pœnitentis, quique ſunt materia neceſſaria, non poſſint eſſe ex viribus naturæ, quamvis invincibiliter putentur ſupernaturales. Quartò: inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ in lege gratiæ nihil aliud fuit, quam quædam determinatio, quantum ad modum ipſius pœnitentiæ, quæ pœnitentia proculdubio eſt ordinis ſupernaturalis, ut docent D. Th. *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 2. Alenſem 4. *p.* *q.* 1. *membr.* 1. *art.* 1. Albert. Magn. *in* 4. *d.* 19. *art.* 3. Ricardus *eadem diſt.* *q.* 1. D. Bonav. *in* 4. *d.* 1. *q.* 2. *art.* 2. Canus *relect. de Pœnit.* *p.* 2. Cajetan. 3. *p.* *q.* 85. *art.* 3. & omnes diſcipuli D. Thom. & moderni Theologi, teſte Petr. de Ledeſm. *art.* 2. *dub.* 2. Ergo convenientiſſimum fuit, quod ipſum Sacramentum Pœnitentiæ inſtitueretur in actibus ſupernaturalibus, qui quidem haberent aliquam rationem Pœnitentiæ ſupernaturalis. Et ita contra Bonacinam *tom.* 1. *tract. de Sacram.* *diſp.* 5. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 11. tenent non ſolum omnes qui negant, Sacramentum pœnitentiæ dari poſſe validum, & informe, ſed etiam ex illis, qui illud nobiſcum concedunt Suar. Lugo, Dicaſtill. Candidus, Araujo *q.* 84. *art.* 1 *dub. ult.* *n.* 48 ubi eam efficaciter probat Ledeſm. *in manu ſcript.* ubi ſupra, & alii paſſim. *Quæſitum primum.*

18. Inquires ſecundò: An quando pœniteus habet ſufficientem dolorem, & confitetur omnia peccata, quæ occurrunt memoriæ, ad quod fecit aliqualem diligentiam examinis conſcientiæ ſed non tantam, quanta erat neceſſaria, ita ut ex ignorantia mortaliter culpabili, & non affectata, craſſa, vel ſupina, judicaverit talem diligentiam ſufficientem eſſe, confeſſio ſit informis, & valida? Negant probabiliter multi. Affirmant tamen Sotus, Canus, Cajetanus, Joannes de la Cruz, Petrus Fay, Simplicianus, *Quæſitum 2.*

Digitized by Google

Nuñus, Petrus de Ledeſma, Martinus de Ledeſma, Covarruvias, quos refert Diana, *tom.2. tract.* 17. *reſol.* 31. dicens eſſe probabile. Et idem aſſerunt Gerſon, *tract.*34. littera I. ubi diſtinguit quadruplicem fictionem. Prima eſt perniciosè mentiens; ſecunda dolosè dimidians; tertia patenter inficians; quarta inſufficienter diſcuriens. In tribus primis dicit, confeſſionem eſſe repetendam: Illa enim æquivalet ignorantiæ craſſæ, affectatæ, & ſupinæ. In quarta verò non eſt neceſſitas repetendi, ac propterea valida erit. Eandem diviſionem approbat Adrianus, *quæſt.* 1. *de Confeſſione, dub.*5. & Comit. *lib.*1.*quæſt.*19. *num.*8. Et alii etiam ſunt ejuſdem opinionis, quos refert, & ſequitur Henriquez, *lib.*2. *de Pœnit. cap.* 11. quibus etiam ſubſcribunt Filliucius, *tract.*7. *de Confeſſione, c.* 6. *num.* 132. Reginaldus, *lib.*5. *num.* 169. N. Gabriel à S. Vincent. *de Sacram. Pœnit. diſp.* 6. *quæſt.* 1. Moventur tum: quia talis confeſſio fuit ex intentione dicentis integra: nihil enim pœnitens omiſit ſcienter, & habuit voluntatem dicendi omnia, quæ commiſit, adhibuit etiam aliquam diligentiam, etſi non omnem, quam deberet, habuit ſufficientem dolorem ſuorum peccatorum: & omnia confeſſus eſt, quæ memoriæ occurrerunt: fuit ergo confeſſio illa ſcienter integra formaliter, & proindè valida; quia tamen fuit culpabilis mortaliter, ut ſupponimus, non fuit ſufficiens ad gratiam, & ideo informis. Tum etiam: quia alioqui plurimæ confeſſiones repetendæ forent; conſtat enim experientia (inquit Filliucius) apud eos, qui annuas ſæcularium confeſſiones excipiunt, rarò non omitti multa peccata, & non adhiberi omnem eam diligentiam, quæ opus eſſet, & ſæpè omiſſionem eſſe culpabilem mortaliter; ſed quia non agnoſcunt hujuſmodi negligentiam, tales confeſſiones reputantur validæ, & ſatis eſt, quod de negligentia, ac de peccatis oblitis, quorum facto diligenti, & prudenti exâmine recordantur, ſe accuſent: quare ſi contraria ſententia practicanda foret, redderetut confeſſionis onus valde grave.

Objectio 1. 19. Si autem adverſus hanc partem objicias. Primò Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.*5. ubi dicit, neceſſarium eſſe adhiberi diligentem examinationem conſcientiæ, & tunc peccata oblita contineri virtute in his, quæ dicuntur. Reſpondent, examinationem debere eſſe diligentem ex intentione, & ita ut non agnoſcatur negligentia ſaltem directè, quod hic fit. Vel loqui Concilium de diligentia requiſita etiam ad fructum non ad ſolum valorem Sacramenti.

Objectio 2. 20. Si objicias ſecundò, quod licet integritas materialis non ſit de ſubſtantia, tamen obligatio integrè confitendi eſt de ſubſtantia Sacramenti: ergo niſi ſatisfiat huic obligationi, non erit confeſſio integra formaliter: qui autem omittit confiteri peccata ex ignorantia culpabili mortaliter, non adimplet hanc obligationem: talis ergo non facit confeſſionem formaliter integram, ideoque invalidam.

Reſponſio. 21. Dicunt obligationem integrè confitendi ſcienter eſſe de ſubſtantia, non autem ignoranter. Hanc igitur affirmativam ſententiam ſic explicatam, & tantorum diſcipulorum Angelici Magiſtri, ac Præceptoris noſtri D. Thomæ, nec non eruditorum Theologorum auctoritate firmatam, omni probabilitate carere affirmare non poſſumus, quamvis in oppoſitam inclinemur.

PUNCTUM I.

An dolor neceſſariò requiſitus abſolutioni, & confeſſioni præmittendus ſit?

22. ET quidem abſolutionem proculdubio præcedere debet: quia abſolutionis forma in modum ſententiæ judicii reconciliativi profertur, atque adeo ſicut in judicio reconciliativo antequam judicis ſententia profeſratur, præmitti debet cognitio cauſæ cum accuſatione rei: ita in Sacramento Pœnitentiæ ante ſententiam Sacerdotis, id eſt ante abſolutionem præcedere debet cognitio cauſæ cum accuſatione rei, quæ fit per confeſſionem pœnitentis cum deteſtatione, & dolore requiſito. Ita Suarez, *diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 30. Bonacina, *diſp.*5. *quæſt.*3. *punct.*2. *num* 20. Palaus, *tract.*23. *diſp. unica, punct.*7. *num.* 10 N. Gabriel à Sancto Vincentio, *de Sacramento Pœnitentiæ, diſp.* 4. *q.* 1. Candidus, *diſquiſitione* 24. *art.* 6. *dubit.* 2. & alii communiter. *Primum hujus puncti quæſitum reſolvitur.*

23. Quod verò dolor, de quo loquimur, quique eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ etiam præcedere debeat confeſſionem, affirmant Coninchus, *de Pœnit. diſp.*4. *dub.*4. *num.*44. Layman, *lib.* 5. *ſummæ, tract.* 6. *cap.* 4. *num.*3. Palaus, ubi proximè, *num.* 11. Moventur primò: quia dolor de quo loquimur ideo in præſenti requiritur, ut confeſſio ſit legitima accuſatio ad reconciliationem tendens, ad hoc autem neceſſe eſt, ut dolor iſte confeſſionem præcedat. Secundò: quia dolor, qui eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, debet eſſe ſenſibilis: ſed ſi non eliciatur antè confeſſionem, non fit ſenſibilis, cum fiat ſenſibilis per confeſſionem, quatenus actus internus fit ſenſibilis per externum: ergo dolor, qui eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, debet elici antè confeſſionem. *Prima circa ſecundum quæſitum ſententia cum duplici fundamento.*

24. Negant autem plures alii aſſerentes neceſſe non eſſe, ut dolor antecedat ipſam confeſſionem, ſed ſufficere, ut eliciatur in ipſamet confeſſione, vel etiam facta confeſſione antequam pœnitens abſolvatur. Ita Navarrus *in manuali, cap.*1. *num.*22. Suarez, *diſp.*20. *ſect.*4. *n* 31. Vaſquez, *quæſt.* 92. *art.* 2. *dub. unico, num.* 17. Henriquez, *lib.*4. *cap* 28. *num.*3. Bonacina, *diſp.*5. *q.*3. *punct.*2. *num.*18. Fagundez *de ſecundo præcepto, lib.* 2. *cap.*6. *num.* 10. Cardinalis Lugo *diſp.* 14. *num.*13. Candidus, *diſquiſitione* 24. *art.*6. N. Gabr. à Sancto Vincentio *diſp.* 4. *quæſt.* 1. Toletus, Medina, Major, Hurtado, Filliucius, & alii quos refert, & ſequitur Leander, *de Pœnit. diſp.*17. *q.* 3. Item Dicaſtillus, *de Sacramento Pœnit. diſp.* 6 *dubitatione* 9. N. Antonius, *num.* 95. Stephanus, *num.* 162. *2. Sententia.*

25. Et probari ſolet ex praxi fidelium: hi enim ſi fortè peccata abſque dolore confeſſi ſunt, & poſtea confeſſoris exhortatione permoti excitantur ad dolorem habendum de peccatis, putant ſe ſufficienter ſatisfacere, ſi tunc doleant, & ſigna doloris exhibeant antè abſolutionem; imò ad hunc finem confeſſores ſo- *Ratio illius*

lent

by Google

lent pœnitentes tunc potiſſimum ad dolorem movere, & ad exhibenda ſigna ejuſdem doloris, ut ſe diſponant ad abſolutionem validam ſuſcipiendam, idque cenſetur ex hac parte ſufficiens, ut ritè, & rectè detur abſolutio, ſive dolor antea præceſſerit, ſive non.

Quo ſenſu ſecunda ſententia primæ non repugnet?

26. Verum hæc ſecunda ſententia in ſenſu quo Pater Suarez, & Dicaſtillus eam rectè explicant, à prima ſententia, verbis, non ſenſu diſcrepat. Conveniunt enim hi Authores cum Authoribus primæ ſententiæ, omninò neceſſarium eſſe, ut dolor animi poſt narrationem peccatorum habitus externo aliquo ſigno declaretur, ſaltem per ſuſpiria, lachrymas, tunſionem pectoris, vel humiliando ſe coram Sacerdote, & abſolutionem petendo, ſeu expectando: tale autem ſignum relatum ad peccata paulo antè explicata, à quibus pœnitens abſolutionem petit, veram rationem accuſationis ſacramentalis habet, dolorque animi per illam fit ſenſibilis. Hinc non immeritò Layman, & Palaus pro prima ſententia relati aſſerunt, Suarium ab ipſorum ſententia non diſſentire. Hinc etiam duo illa primæ ſententiæ ſundamenta contra ſecundam ſic explicatam (ut intuenti patebit) nihil convincunt. Ad ſedandos verò ſcrupulos ſolent prudentes Confeſſarii ſi de interna pœnitentis diſpoſitione dubitent, excitare eum ad dolorem de peccatis paulò ante explicatis concipiendum, & ore profitendum, quod facilè fit, ſi dicatur, *de peccatis narratis doleo, & me accuſo.*

Impugnatur doctrina quadam quorundam recentiorum.

27. Non placet autem id, quod docent quidam recentiores, dolorem nimirum poſſe reddi ſenſibilem per confeſſionem antecedentem præcisè, & ſatis eſſe, quod illa confeſſio facta in ordine ad abſolutionem, oſtendat, quod pœnitens ſaltem dolebit antè abſolutionem: unde ſi poſt confeſſionem factam, inquiunt, excitetur à Confeſſario ad dolorem, & interim diſcedente Confeſſario ad conſulendum amicum, vel ad aliud breve negotium, pœnitens tunc internè doleat de peccatis, & rediens Confeſſarius inveniat illum carentem uſu rationis, ſufficienter erit talis pœnitens diſpoſitus ad validam abſolutionem, tametſi nullo externo ſigno dolorem manifeſtaverit. Hæc itaque doctrina nobis non placet, imò non parum diſplicet. Primo, quia dolor internus numquam fuit ſenſibilis, ut præſens per illam confeſſionem, quæ, ut hi recentiores dicunt, ſignificat dolorem futurum ſuo tempore, non adhuc præſentem: ergo niſi adſit ſignum doloris, ut ſenſibiliter præſentis, non poterit cenſeri moraliter, & ſenſibiliter præſens, & perſeverans tempore abſolutionis, ac proinde nec poterit eſſe pars eſſentialis Sacramenti, quæ debet eſſe actu ſenſibilis, & perſeverans moraliter, ut ſenſibilis. Secundò: quia illa confeſſio ſi eſt ſignum, non eſt ſignum exiſtentis doloris, ſed ejus, quæ tunc adeſt, voluntatis habendi illum poſtea, quæ voluntas non eſt ipſe dolor nec formaliter, nec æquivalenter. Tertiò: quia quando eſt ſignum, per quod dolor poſſet ſentiri, nondum eſt dolor, quando vero jam eſt dolor in caſu poſito, jam non eſt ſignum, per quod poſſit ſentiri: ergo numquam in eo caſu eſt dolor ſenſibilis per aliquod ſignum: ac proinde ſi dari poſſet talis caſus, non eſſet in eo valida confeſſio defectu doloris ſenſibilis per aliquod ſignum.

PUNCTUM II.

Qualiter peccatum veniale virtute hujus Sacramenti remittatur?

Supponitur 1.

28. Supponendum eſt primò ex communi doctrina, remiſſionem peccatorum venialium ſupponere in ſubjecto gratiam ſanctificantem, vel quæ tunc fiat, ut cum quis juſtificatur per Sacramentum, vel extra per contritionem; vel quæ præceſſerit, & maneat quando remittuntur. Ita D. Thom. 3. *p. quæſt.* 87. *art.* 4. Alenſ. 3. *p. quæſt.* 65. *membro* 3. §. 4. Ricardus, Paludanus, Adrianus, quos refert, & ſequitur Layman, *de Sacram. Pœnit. cap.* 4. *num.* 16. cum Abulenſi, & Ricardo de Sancto Victore, Suarez, *diſp.* 11. *ſect.* 2. D. Bonaventura, Sotus, Vaſquez, Nuñus, quos citat, & ſequitur Araujo, *quæſt.* 87. *art.* 2. *dub.* 1. Filliucius, *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 104. N. Gabriel à Sancto Vincentio, *de Sacramento Pœnitent. diſp.* 2 *quæſt* 9. N. Philippus a SS. Trinit. *diſp.* 5. *dub.* 5. & communiter Doctores contra Durandum, *in* 4. *diſtinct.* 16. *quæſt.* 2. Et ratio eſt; quia opus peccatoris nec ſufficit ad remiſſionem venialium ex juſtitia, cum non habeat valorem moralem ad ullam ſatisfactionem de condigno juxta illud 1. Corinth. 3. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et Eccleſiaſt. 34. *Dona iniquorum non probat altiſſimus.* Nec etiam ſufficit ex gratia, & liberalitate Dei, cum non poſſit aſſignari lex, aut promiſſio de hac re, & qui in peccato mortali permanet, indignus ſit tali beneficio.

Corollarium 1.

29. Ex quo ſequitur primò, peccatum veniale conjunctum cum mortali numquam remitti, non remiſſo mortali: quia peccatum veniale conjunctum cum mortali numquam remittitur ſinè infuſione gratiæ ſanctificantis: gratia autem ſanctificans cum peccato mortali conſiſtere non poteſt. Ita Doctores citati.

Corollarium 2.

30. Sequitur ſecundò, ſolam attritionem in peccatore non ſufficere extra Sacramentum ad remittenda peccata venialia. Ita iidem Doctores contra Durandum.

Supponitur 2.

31. Supponendum eſt ſecundò, per quemcumque perfectæ contritionis actum tolli reſpectivè omnia peccata venialia, id eſt illa, ad quæ deteſtanda ſe extendit talis actus. Unde ſi univerſaliter ad omnia deteſtanda ſe extendat, quatenus omnia Deo diſplicent, omnia tollentur ſecundum culpæ reatum. Ita Cajetanus, 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. Suarez, *diſp.* 11. *ſect.* 3. *num.* 7. Coninchus, *num.* 123. Filliucius, *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 112 Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap* 4. *n.* 13. & favet D. Thomas, *quæſt.* 7. *de malo, art.* 11. *ad* 4. & *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiuncula* 4. *ad.* 3. Et ratio eſt: quia majorem proportionem habet actus perfectæ contritionis ad tollenda venialia, quam mortalia reſpectivè: ſed actus perfectæ contritionis, qui ſe extendit univerſaliter ad deteſtanda omnia mortalia, omnia illa tollit ſecundum culpæ reatum: ergo qui ſe extendit ad deteſtanda omnia venialia, omnia etiam illa tollet ſecundum culpæ reatum: maximè cum in perſona operante ſupponatur gratia, a qua

ille actus habet valorem. Unde & eſt proportionata diſpoſitio ad illum effectum tollendi venialia quoad culpæ reatum, & eſt ſufficiens ad meritum, & ſatisfactionem pro tali culpa veniali: quia ad hujuſmodi condignitatem ſufficit proportio actionis, & dignitas perſonæ operantis. Diximus autem, *omnia peccata venialia tolli per contritionis perfectæ actum reſpectivè*, id eſt illa, ad quæ deteſtanda ſe extendit talis actus: quia hoc eſt diſcrimen inter peccata mortalia, & venialia, quod verus perfectæ contritionis actus ad mortalium omnium deteſtationem neceſſariò ſe extendit: quia ſingula eorum privant gratiâ, & amicitiâ Dei, quam eliciens talem actum rebus omnibus anteponit. At verò fieri poteſt, ut cum vera contritione, & hominis juſtificatione venialia aliqua peccata conſiſtant, & aliqua ex illis deteſtari, aut retractari poſſint, aliis venialibus non deteſtatis, aut retractatis.

Supponitur 3. 32. Supponendum eſt tertiò ex communi ſententia, nullum peccatum veniale remitti, cum de eo voluntas actu ſibi formaliter, vel virtualiter complacet. Ita D. Thomas, *q.* 87. *art.* 1. *ad.* 2. Nuñus ibidem, Candidus, *diſquiſitione* 24. *art.* 34. *dubitatione* 3. Noſter Gabriel à Sancto Vincentio, *de Sacrament. Pœnit. diſp.* 2. *quæſt.* 9. *difficultate* 2. Filliucius ubi ſupra *num.* 108. & alii paſſim.

Supponitur 4. 33. Supponendum eſt, quartò, actum dilectionis ſufficere ad remiſſionem eorum venialium, quorum contritio in eo actu virtualiter continetur, talis eſt actus, qui ita eſt fervidus, ut ſi peccata venialia memoriæ occurrerent, ad expreſſam illorum Pœnitentiam moveret. Ita D. Thomas, 3. *p. quæſt.* 87. *art.* 1. *in corpore*, & *ad.* 3. Vaſquez ibidem, *dub.* 1. Dicaſtillus, *tract.* 8. *diſp.* 2. *dubit.* 16. *num.* 398. Filliucius *loco cit. num.* 111. Et eſt communis ſententia.

Supponitur 5. 34. Supponendum eſt quintò, eſſe probabile veram attritionem efficacem, & ſupernaturalem in juſtis ſufficere, etiam ſine Sacramento ad remiſſionem venialis, de quo talis attritio habetur; & etiam eſſe probabile oppoſitum. Eſſe quidem probabile ſufficere: quia ita docent Suarez *de Pœnitentia, diſp.* 11. *ſect.* 3. *num.* 11. adjunctis his, quæ dixerat, *num.* 2. referens D. Bonaventuram, & Paludanum. Item Gabriel, Henriquez, Azor, Conınchus, Major, Medina, Marianus, Victor, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 2. *dubitatione* 17. *num.* 400. & 402. Villalobos *in ſumma, tomo* 1. *tract.* 9. *difficultate* 16. *num.* 5. Filliucius *loco citato, num.* 116. N. Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacram. Pœnitent. diſp.* 2. *quæſtion.* 9. Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica, punct.* 2. *n.* 9. & alii. Quorum auctoritas hujus partis probabilitatem ſatis probat, cui etiam opitulantur probabiles rationes, in quibus prædicti Doctores præcipuè fundantur, nimirum. Tum: quia hæc venialia ſunt leves offenſiones, & ſæpe ſunt imperfectè voluntariæ, & aliunde gratia, quæ in perſona ſupponitur, dat magnum valorem his actibus, qui etiam aliquo modo mutant voluntatem, & avertunt illam à priori defectu: ergo veriſimile eſt, hoc ſatis eſſe ad conſequendam hujuſmodi remiſſionem. Tum etiam: quia ille actus attritionis in homine juſto eſt opus bonum ſupernaturale, & ſecundum rationem attritionis eſt eſſentialiter retractatio peccati venialis, de quo talis attritio habetur, & meretur augmentum gratiæ, quæ augetur, ſaltem in eſſe gratiæ, atque eo ipſo habet reſpectum ad peccatum veniale retractatum, ſeu ad retractionem illius, & ex conſequenti oppoſitionem quodammodo cum tali peccato. Eſſe vero probabile non ſufficere attritionem in homine juſto ad remiſſionem venialium, de quibus habetur. Probatur. Tum: quia ita docent Vaſquez *in* 3. *p. tom.* 4. *diſp.* 87. *art.* 1. *dub.* 1. *num.* 6. Layman, *cap.* 4. *citato num.* 14. Araujo, *quæſt.* 87 *art.* 2. *dub.* 2. Bonacina, *diſp* 5. *q.* 6. *ſect.* 2. *punct.* 3. referens Petrum Sotum, *de Pœnit. lect.* 18 & alios. Tum etiam: quia probabiles ſunt rationes, quibus fundantur, quæ apud ipſos videri poſſunt.

35. His ſuppoſitis, ad quæſitum hujus puncti reſpondetur vel juxta primam ſententiam dicendum, peccata venialia virtute Sacramenti Pœnitentiæ remitti, cum fit confeſſio eorum ſimul cum aliquo mortali, & tantum adeſt vera attritio: quando verò homo eſt juſtus, ſatis eſſe, quod conferatur per Sacramentum nova gratia remiſſiva peccati, ſi eſſet, & de ſe præſervativa à peccatis. Ita Suarez ubi ſupra, *ſect.* 3. *num.* 18. Filliucius, *num.* 117. Dicaſtillus, *n.* 408. Palaus, *num.* 8. quia tolli peccata venialia per abſolutionem, quando tolluntur ſimul cum aliquo mortali in homine tantùm attrito, eſt effectus ſatis oſtendens, claves per ſe habere vim ad tollenda peccata venialia, quando diſpoſitio pœnitentis per ſe ſola non ſufficit. Unde, quod in homine juſto ſemper ſupponantur ablata antè abſolutionem per condignam ſatisfactionem, eſt accidentarium ad virtutem clavium, & non tollit veritatem formæ. Neque verò inde fit, ut ſit ſuperflua: quia licet non conferat ad majorem certitudinem de remiſſione ipſorum; ſicut confert in mortalibus, & in venialibus, quæ cum aliquo mortali ſimul remittuntur, confert tamen ad pleniorem remiſſionem quoad pœnam, & quod præcipuum eſt, ad ſpecialem gratiam remiſſivam, imò, & de ſe præſervativam obtinendam. Vel juxta ſecundam ſententiam dicendum, peccata venialia etiam ſinè mortali remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, quoties præcedit abſolutionem ſola vera attritio de illis. *Quæſitum præſentis puncti reſolvitur.*

PUNCTUM III.

Qualis dolor ſupernaturalis in confeſſione venialium ſufficiat? ubi etiam aliquæ circa remiſſionem venialium expenduntur difficultates.

36. SUpponimus quidem, actum ſolius liberi arbitrii per naturales vires ejus numquam eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad remiſſionem peccati venialis, etiam in Sacramento, ut rectè docent Suarez, *diſp.* 11. *ſect.* 3. *num.* 15. Palaus, *tract.* 23 *diſp. unica puncto* 7. *num.* 13. Layman, *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 13. Petrus Sotus, *lect.* 18. *de Pœnitentia*, N. Gabriel à Sancto Vincentio, *diſp.* 2. *quæſt.* 9. & alii. Probatur primò: quia ſufficiens, diſpoſitio ad ſupernaturale donum, etiam in Sacramento, debet eſſe ſupernaturalis: remiſſio autem peccati venialis eſt ſupernaturale donum, quod viribus ſolius naturæ comparari *Actus doloris è licitus per ſolas naturales vires non. ſufficit ad remiſſionem venialium in Sacramento.*

rum

non poteſt, ſicuti colligitur ex Concilio Arauſicano, *canon.* 7. & docet Angelicus Doctor D. Thomas, *quæſtion.* 87. *art.* 4. ergo actus ſolius liberi arbitrii per naturales vires ejus numquam eſt ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem peccati venialis, etiam in Sacramento. Secundò: quia peccatum veniale de facto aliquam deordinationem includit à fine ſupernaturali, & ideo proportionata diſpoſitio ad remiſſionem ejus debet eſſe ſupernaturalis. Tertiò: quia ex parte intellectus ſemper requiritur diſpoſitio ſupernaturalis, debet enim totum hoc negotium in fide fundari: ergo ex parte etiam voluntatis aliquis motus ſupernaturalis eſt neceſſarius. Quartò: ſpecialiter in Sacramento Pœnitentiæ: quia juxta Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. dolor ex Spiritus Sancti dono eſt pars eſſentialis hujus Sacramenti.

Concluſio. 37. Hoc ſuppoſito, ad hujus puncti quæſitum reſpondetur, ſufficere in confeſſione venialium dolorem ſupernaturalem efficacem ex turpitudine ſpeciali peccati, cum propoſito etiam ſpeciali vitandi illud: quia cum unum peccatum veniale ſinè alio in confeſſione pandi, & remitti poſſit, non videtur ad peccati venialis confeſſionem neceſſario requiſitus dolor ad omnia venialia ſe extendens. Ita cum Suario, Palaus *loc. cit. num.* 13. Gaſpar Hurtado, *diſp.* 6. *de Pœnitentia*, *difficultate* 10. Diana, *tomo* 4. *tract.* 4. *reſolution.* 193. Candidus, *diſquiſit.* 24. *art.* 5. *dubit.* 3. & alii numero ſequenti pro ſecunda ſolutione referendi.

Objectio. 38. Quod ſi objicias, inde ſequi te non peccaturum graviter, tametſi aliquod veniale fatearis abſque dolore, cum tamen aliorum, quæ fateris, ex ſpeciali motivo legitimè doleas: ſiquidem horum remiſſionem obtinere poteris, non obtenta remiſſione illius, de quo nullum

1. Solutio. dolorem habes. Reſpondent primò non pauci negando ſequelam, ut teſtatur Suarez, *diſp.* 20. *ſect.* 6. *num.* 7. Nam eo ipſo, quod vis peccatum aliquod veniale fateri, ſub gravi culpa obligatus videris, dolorem illius habere, ne formæ abſolutionis ineptam materiam ſubjicias. Quarè ſicut peccaret graviter, qui apponeret Sacerdoti conſecrandas duas hoſtias, quarum una non eſſet triticea; licet apponeret aliam triticeam: ſic videtur graviter peccare, qui offert Sacerdoti pro materia abſolutionis peccata venialia, quorum aliquod ex defectu doloris non eſt

2. Solutio. materia abſolutionis validæ. Secundò: Reſpondent alii admittendo ſequelam, aſſerentes confiteri aliquod veniale abſque ullo dolore in ea confeſſione, in qua alia peccata cum legitimo dolore quis confitetur, non eſſe peccatum mortale. Ita graves, & multi Auctores, quorum auctoritate, ſententia hæc eſt ſatis probabilis. Ita Suarez ſupra, Henriquez, Hurtado, Fagundez, Vaſquez, Cardinalis Lugo, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus, *tract.* 8. *de Sacram. Pœnit. diſp.* 6. *dub.* 15. *cap* 4. Palaus, ubi ſupra, Candidus, & Diana, quos refert, & ſequitur Leander *tract.* 5 *de Pœnit. diſp* 7. *quæſt.* 26. Et ratio ſumitur ex principiis quaſi extrinſecis, quæ utcumque involvunt aliquid ſpectans ad principia intrinſeca, nimirum, quia eſſe gravem vel levem aliquam materiam, ex æſtimatione prudentum, & ſapientum judicio pendet, cum ergo tot ſint prudentes, & ſapientes viri, qui grave non putent confiteri veniale ſinè dolore in ea confeſſione, in qua alia peccata cum legitimo dolore dicuntur, licet grave negotium cenſeant, hoſtiam non triticeam cum alia triticea Sacerdoti apponere conſecrandam, & tot prudentum, & ſapientum æſtimatio poteſt ſufficere, ut in noſtro caſu leve, ſeu veniale peccatum, & in caſu hoſtiæ non triticeæ, grave, ſeu mortale puremus.

39. Tertiò: admittendo etiam ſequelam, *3. Solutio.* reſpondet Palaus, nullum ſequi inconveniens: nam venialium abſolutione videtur ex intentione Sacerdotis forma abſolutionis dirigi ad peccata, quæ ritè fuerint confeſſa, quorumque pœnitens abſolutioni recipiendæ diſpoſitus ſit.

40. Reſtant adhuc circa remiſſionem venia- *1. Difficultas.* lium quatuor difficultates breviter enodandæ. Prima eſt: An alia opera bona juſti diſtincta à contritione, dilectione Dei, & attritione, ſufficiant ad remiſſionem venialium? In qua difficultate, qui negant attritionem juſti ſufficere ad remiſſionem venialium, potiori ratione negabunt alia opera, quæ non tam expreſſam retractionem continent, poſſe id præſtare, ideo Auctores relati pro parte negativa *puncto præcedenti numero* 34. etiam in hoc negant, & quidem probabiliter, ſed loquendo de operibus illis bonis juſti, quæ habent oppoſitionem cum ipſa voluntate peccandi, ſive formalem, ſive virtualem, ut ſunt jejunium, eleëmoſyna; humiliatio, ſi pro impetranda venialium remiſſione fiant, & alia ſimilia opera. Oppoſita ſententia affirmativa probabilis etiam eſt, quam ſequuntur Suarez, *diſp.* 11. *ſect.* 3. *aſſertione* 3. Filliucius, *tract.* 6. *cap.* 5. D. Bonaventura, *in* 4. *diſt.* 21. *art.* 1. *quæſt.* 2. Palaus, *puncto* 2. *num.* 10. & Dicaſtillus, *tract.* 8. *diſp.* 2. *dub.* 17. *num.* 416. referens Paludanum, Scotum, Gabrielem, Majorem, Abulenſem, & Medinam, & ratio eſt: quia hujuſmodi opera in homine juſto ſunt bona, & meritoria augmenti gratiæ, & habent oppoſitionem virtualem cum voluntate peccandi venialiter, quæ præceſſit.

41. Hine probabiliter infertur primò, ve- *Corollarium 1.* nialia remitti per actum orationis, quo juſtus petit veniam de venialibus, ex affectu carendi illis: tunc enim habet voluntatem aliquo modo oppoſitam, & intuitu hujus actionis cum ea voluntate, augetur ſaltem moraliter gratia, quæ reſpectum habet ad diſplicentiam peccati, ex cujus affectu oratio procedit, & gratia, ſaltem moraliter, augetur. Ita Suarez, *diſp.* 11. *ſect.* 3. *n.* 19. & Vega, Filliuc. Dicaſt. & Palaus citati.

42. Infertur probabiliter ſecundò cum his *Corollarium 2.* Doctoribus, remitti etiam veniale in juſto per propoſitum formale abſolutum non committendi deinceps tale peccatum: quia hujuſmodi propoſitum meretur etiam augmentum gratiæ, & habet oppoſitionem aliquam cum voluntate peccandi.

43. Infertur probabiliter tertiò cum eiſdem, *Corollarium 3.* remitti etiam veniale per actum virtutis oppoſitæ priori peccato veniali provenientem ex affectu illius virtutis: quia ibi eſt repugnantia aliqua cum voluntate peccandi, eſt meritum gratiæ, & cætera omnia, quæ in actu orationis, & propoſiti concurrunt.

44. In-

Corollarium 4.

44. Infertur probabiliter quartò, quemlibet actum meritorium ſufficere ad remiſſionem venialis, dummodo ab operante referatur ad obtinendam remiſſionem talis peccati: tunc enim ille actus ſub ea intentione virtualem includit diſplicentiam venialis. Ita Scotus *in 4. diſt. 21. quæſt. 1.* Suarez, ubi ſupra, *num. 21.* & Dicaſtillus, *num. 418.* Et ſpecialiter D. Bonaventura *loco* ſupra *relato* hoc dixit de operibus juſti factis ex quadam animi ſubjectione ad Deum, quâ ſe agnoſcit peccatorem, & Deo ſubjicitur, ut ab eo ſanetur, & Palaus ex Coninchο, ſi ex deſiderio fiant impetrandæ remiſſionis venialium: non enim poſſumus ſeriò deſiderare liberari à peccatis, quin ea peccata nobis diſpliceant.

Secunda difficultas. Primus modus remittendi peccata venialia in Sacramentis.

45. Secunda difficultas eſt: Qua ratione peccata venialia remittantur in Sacramentis? Et quidem in primis veniale conjunctum cum mortali remittitur per Sacramenta ex opere operato: quia tunc non remittitur per ſolam attritionem præcedentem, etiamſi illa ad veniale extendatur, non enim poteſt tolli ſinè mortali, quod per ſolam attritionem non tollitur, & ita in Sacramento Pœnitentiæ ſicut per poteſtatem clavium remittuntur peccata mortalia ex opere operato: ita etiam venialia illis conjuncta cum proportionali attritione, & diſpoſitione. Similiter in Baptiſmo, per quem non ſolùm omnis culpa, ſed etiam omnis pœna remittitur homini ſufficienter attrito. De aliis vero Sacramentis, ſuppoſita noſtra ſententia affirmante illa aliquando per accidens dare primam gratiam, ſi bona fide & cum ſufficienti attritione ſuſcipiantur, conſequenter videtur dicendum auferre peccata venialia, quæ inveniunt cum mortalibus conjuncta, ſi attritio ad illa etiam extendatur. Ita Suarez, Filliucius citati, & alii paſſim.

Secundus modus.

46. Alius peccati venialis remittendi modus in omnibus Sacramentis facilè explicari poteſt in probabili ſententia illorum, qui ſentiunt, peccatum veniale numquam tolli per ſolam attritionem, etiamſi perſona ſit grata, dicendo, Sacramenta facere hominem ex attrito contritum, (ut ſic dicamus) reſpectu venialium.

Tertius modus.

47. Tertius remittendi veniale modus, qui facilè in omnibus Sacramentis reperiri poteſt, eſt conferendo auxilia, quæ excitent hominem ad eliciendos actus qui ſunt incompoſſibiles cum peccato veniali, intuitu quorum augetur gratia, quem modum aſſignant Petrus Soto, alii moderni, Alenſis, & D. Bonaventura, teſte Suario, *diſp. 12. ſect. 1. num. 6.* & tenet Dicaſtillus *de Sacramento Pœnitentiæ, diſput. 2. dubitatione 19. num. 450.*

3. Difficultas.

48. Tertia difficultas eſt: An ea, quæ dicuntur ſacramentalia, deleant peccata venialia ex opere operato? Sacramentalia ſunt res, vel actiones ſacræ, quibus effectus remittendi peccata venialia tribui ſolet, & communiter enumerantur, quæ illo carmine continentur. *Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens. Orans*, nempe oratio dominica, vel oratio facta in Eccleſia conſecrata, aut illa, quæ fit cum tunſione pectoris. *Tinctus*, id eſt aqua benedicta, item unctio cæremonialis Epiſcoporum, & Regum. *Edens*, id eſt uſus panis benedicti. *Confeſſus*, id eſt confeſſio illa generalis, quæ dici ſolet in principio Miſſæ. *Dans*, id eſt elargitio eleëmoſynæ *Benedicens*, id eſt benedictio Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati. De his ergo quæritur, quam vim habeant ad remittenda peccata venialia: nam quod habeant aliquam, videtur receptum communi ſenſu Eccleſiæ.

49. Prima ſententia docet, ſacramentalia, modo reverenter uſurpentur cum aliqua affectione ad divina, ex opere operato habere remittere venialia immediatè, ſicut in Sacramentis. Ita Victoria *in ſumma, quæſt. 109.* Sotus, *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 3.* Canus, *lib. 12. de locis, cap. 13. ad. 9.* Cajetanus, Valentia, & Henriquez, quos refert, & ſequitur Candidus, *diſquiſit. 24. art. 35. dubitat. 3.* Major, *in 4. diſt. 23. quæſt. 2.* Ledeſma, *1. p. 4. q. 28. art. 3.* Et ſatis probabilem cenſent Filliucius, *tract. 6. cap. 5. num. 129.* Fagundez, *de primo Eccleſiæ præcepto, lib 4. cap. 4. n. 7.* & alii.

2. Sententia, & verior.

50. Secunda ſententia communis, & verior, quam ſatis indicare videtur D. Thomas, *quæſt. 87. art. 3.* & *quæſt. 7. de malo, art. 2* clariuſque *in 4. diſt 16. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 4.* negat habere eum effectum immediatè, ſed ad ſummum excitando aliquem motum, vel impetrando à Deo auxilia, quibus homo moveatur ad venialium pœnitentiam: quia tamen non ſemper excitant efficaciter ad id, non dicuntur remittere venialia infallibiter. Ita Alexander, Paludanus, Durandus, D. Bonaventura, Ricardus, Abulenſis, Turrechremata, Vaſquez, Suarez, Cardinalis Lugo, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp. 2. dub. 18. num.* 430. Coninchus, Layman, quos citat & ſequitur Palaus, *diſp. unica, punct. 2. num. 14.* Zerola, Peſantius, & alii, quos adducit, & ſequitur Bonacina *de Pœnit. Sacram. diſp. 5. quæſt. 6. ſect. 2. puncto 3. num. 4.* N. Philippus à SS. Trinitat. *diſp. 5. de pœnit. dub. 4.* Et ratio eſt: quia nullum eſt firmum fundamentum, ut dicamus hæc ſacramentalia inſtituta eſſe ad tollendas culpas veniales ex opere operato, & immediatè. Tribuitur tamen illis remiſſio venialium potius quam aliis bonis operibus, & honeſtis, quibus etiam remiſſionem venialium impetrare ſolemus, vel quia ex impetratione Eccleſiæ dat Deus ſæpè utentibus aqua benedictâ, pane benedicto, oratione facta in Eccleſia conſecrata, benedictione Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati, & aliis hujuſmodi, quibus oratio Eccleſiæ adjuncta eſt, aliquem pium motum contra venialia, quem aliàs fortaſſe non daret, vel quia ſacramentalibus aliquibus peculiariter petitur venia peccatorum, ut oratione dominica, tunſione pectoris, & confeſſione generali, vel denique quia aliquibus ſpecialiter promiſſa eſt à Deo venia peccatorum, ut eleëmoſynæ. Dicuntur autem remiſſiva venialium, & non mortalium, quia licet aliqua ex his operibus poſſint conducere aliquo modo ad remiſſionem mortalium, non tamen ita faciliter, ac frequenter, ſicuti ad remiſſionem venialium. Primò: quia Deus non ita facile placatur ad unum, quam ad aliud. Secundò: quia homo non ita facilè concipit motum ſufficientem contra mortalia. Tertiò: quia Eccleſia fortaſſe non ita applicat ex primaria intentione hæc remedia contra mortalia, ſicut contra venialia, habet enim contra mortalia efficaciora alia remedia lætalibus vulneribus applicanda.

51. Quarta

4. Difficultas. 51. Quarta difficultas eſt: Qua ratione remittantur venialia in altera vita? ſupponit difficultas, poſſe aliquem mori in gratia, & cum peccato veniali, de quo numquam doluit, imò in cujus actuali complacentia erat tempore, quo de hac vita ſublatus eſt, ut ſi: v. g. de repente caſu aliquo moriatur, vel interficiatur; ſic enim etiam juſto complacentiam habenti de aliquo veniali mors evenire poteſt. Supponit etiam illam culpam debere remitti, priuſquam ille homo beatitudine perfruatur. Quibus ſuppoſitis, difficultas eſt: quomodo hujuſmodi peccatum remittatur quoad culpam, nam quoad pœnam non remittitur, ſed per condignam ſatispaſſionem punitur? Reſpondetur hujuſmodi peccatum veniale quoad culpam tolli poſt hanc vitam per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commiſſis. Ita D. Thomas, *quæſt. 7. de Malo, art. 11.* verſus corporis finem, ubi ſic loquitur. *Quandoque contingit, quod aliqui in ipſis actibus peccatorum venialium, vel in propoſito venialiter peccandi, occupentur ſomno, vel aliqua paſſione auferente uſum rationis, quibus manifeſtum eſt, quod in hac vita peccata venialia non dimittuntur, & tamen propterea non impediuntur perpetuò à vita æterna, ad quam nullo modo pervenient, niſi omninò immunes ab omni culpa effecti; & ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur eis poſt hanc vitam, etiam quantum ad culpam: eo modo, quo remittuntur in hac vita, ſcilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commiſſis; quia tamen poſt hanc vitam non eſt ſtatus merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ; non tamen meretur abſolutionem, vel diminutionem pœnæ, ſicut in hac vita.* Hucuſque Angelicus Doctor, quem communiter ſequuntur Theologi, Suarez, Vaſquez, Valentia, Coninchus, Cardinalis Lugo, quos citat, & quibus ſubſcribit Dicaſtillus, *dicta diſp. 2. dub. 20. num. 461.* Gonet *diſp. 4. art. 4.* N. Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacrament. Pœnitent. diſp. 2. q. 9. diffic. 7.* & alii. N. Philippus *dub. 6.*

PUNCTUM IV.

An propropoſitum peccandi requiratur, ad Sacramentum Pœnitentiæ.

1. Concluſio. 52. PRopoſitum non peccandi formale vel virtuale eſt neceſſarium ad Pœnitentię Sacramentum: quia ſinè propoſito formali, vel virtuali haberi nequit ſeria deteſtatio voluntatem, & affectum peccandi excludens, requiſita a Tridentino, *ſeſſ. 14. cap. 4.* Ita Vega, *in Tridentin. cap. 21.* Petrus Soto *de Pœnitentia ſect. 17.* Suarez, Hurtado, Lugó, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp. 6. dub. 14. n. 207.* Gerſon, *part. 2. tract. de Diverſis effectibus Peccati Venialis.* Layman. *tract. 6. cap. 4. concluſ. 8.* Palaus, *tract. 25. diſp. unica, puncto 2. num. 15.* & eſt communis.

Obſervatio quædam. 53. Poteſt tamen ſæpe fieri, ut licet aliquis abſolutum, & ſufficiens propoſitum habèat vitandi ſive veniale, ſive mortale, nihilominus timeat, vel etiam exiſtimet, ſe non vitaturum: quia hoc judicium, & timor conſiſtere poteſt cum efficaci voluntate actuali id peccatum pro viribus fugiendi, uti rectè notarunt Sylveſter, Lopez, Navarrus, Henriquez, Coninchus, Vega, quos refert, & ſequitur Layman, *cap. 4. num. 8.* Palaus, *dict. num. 15.* Diana, *3. part. tract. 4. reſol. 117.* & cum Suario Dicaſtillus, *diſp. 6. dub. 14. num. 246.* Quamvis autem id locum habeat, non in venialibus tantum, ſed etiam in mortalibus; pro confeſſione tamen venialium id frequentius poteſt accidere.

2. Concluſio. 54. Sufficit ad Pœnitentiæ Sacramentum propoſitum virtuale, quo, quis ita deteſtatur peccare, ut ſi menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propoſitum illa præcavendi in futurum: nam aliquis poteſt efficaciter dolere de peccatis cum propoſito virtuali, non advertens ad peccata in futurum. Ita Cajetanus, Navarrus, Vega, Pitigianus, Suarez, Filliucius, quos refert, & ſequitur Bonacina, *de Pœnitentiæ Sacramento, diſp. 5. quæſt. 5. punct. 3. num. 9.* N. Gabriel à Sancto Vincentio, *diſp. 4. quæſt. 3.* Sylvius, *in addit. ad 3. part. quæſt. 1.* Villalobos, *in Summa tom. 2. tract. 9. difficult. 19. num. 8.* Layman, *tract. 6. cap. 4. num. 6.* & alios referens Diana, *p. 3. tract. 4. reſol. 119.* N. Anton. à Spir. S. *de Pœnit. n. 119.* & alii paſſim. Advertit tamen Villalobos: *Que quando el penitente ſe acuerda de los pecados futuros, tiene obligacion de tener propoſito actual de evitarlos, que de otra manera no le tondria virtual; mas quando por trifteza, y dolor de pecados no ſe acuerda de los futuros, eſto baſta como le baſtò à David.* Et Bonacina, *quæſt. 5. ſect. 1. punct. 8. num. 2.* docet, in praxi conſulendum eſſe propoſitum actuale, cum hoc ſit tutius, & ſecurius remedium, uſuque magis receptum, quamquam non videatur exiſtimandum invalidum Sacramentum ſuſceptum ab eo, qui bona fide deteſtatur peccatum.

Triplex diſcrimen inter propoſitum vitandi venialia, & propoſitum vitandi mortalia. 55. Et tamen obſervandum triplex diſcrimen inter propoſitum vitandi venialia, & vitandi mortalia. Primum eſt, quod cum peccatum mortale non poſſit unum remitti ſinè alio, benè tamen veniale, propoſitum requiſitum ad remiſſionem mortalis non compatitur cum actuali, aut habituali affectu ad aliud mortale: quippe cui gratia juſtiſicans per ſe, & formaliter repugnat, ut docet D. Thomas *quæſt. 86. art. 3.* At verò propoſitum requiſitum ad unius venialis remiſſionem, compatitur cum habituali, & non retractata voluntate alterius venialis, vel etiam cum actuali affectu, vel propoſito illius. Ita Coninchus *diſp. 2. de Pœnitentia dub. 14. num. 130.* Palaus, *tract. 23. diſp. unica, punct. 2. num. 16.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 19.* Secundum eſt, quod, quia mortalia omnia etiam collectivè ſumpta, divina adjuvante gratia, vitari poſſunt; venialia autem ſingula quidem vitari poſſunt, ſed non omnia, ut docet D. Thomas, *3. p. q. 87. art. 1. ad primum,* & *1. 2. q. 109. art. 8.* ideò propoſitum vitandi venialia non eſt ita abſolutum, ſicut propoſitum vitandi mortalia, ſed eſt propoſitum vitandi venialia omnia, prout fragilitas humana permiſerit, & ſingula abſolutè: quia aliter vitare, ſpectatâ gratiâ, quæ communiter concedi ſolet, impoſſibile eſt. Ita Doctores citati. Tertium eſt, propoſitum vitandi venialia neceſſariò non eſſe ita firmum, & efficax, ſicuti propoſitum vitandi mortalia, neque ita efficaciter animum movere ad fu-

giendas peccati venialis occaſiones ſicut movet propoſitum vitandi mortale: hoc enim longè gravius animæ malum eſt, difficiliuſque incurritur, & non ita paſſim occaſiones illud committendi contingunt, ex quo ulterius rectè inferunt prædicti Doctores facilius poſſe abſolvi ſæpius relabentes in eadem peccata venialia, quam in mortalia, quod ille relapſus non ita ſit indicium defectus doloris, ac propoſiti ad eorum remiſſionem neceſſarii: quia provenire poteſt ex frequentia occaſionum, à quibus removendis facilius excuſari poteſt, quam à remotione occaſionum ducentium ad peccatum mortale.

Quæſitum primum.

56. Sed rogabis primò: An dolor, & propoſitum circa venialia ex motivo univerſali divinæ offenſæ cenſeantur retractari, aut deſeri per admiſſionem unius venialis leviſſimi, ita ut ſi poſt dolorem, & propoſitum debitum, ſed antequam quis abſolvatur, incidat in veniale minimum, & unicum, videatur carere jam debita diſpoſitione, ad abſolutionem, & denuò debere concipere dolorem? Ratio dubitandi eſt, quia in caſu poſito ſi peccatum admittitur etiam leviſſimum, ſignum eſt, illam deteſtationem, & propoſitum ex motivo univerſali divinæ offenſæ per actum oppoſitum admiſſum non amplius moraliter durare, ſed eſſe revocatum: ſicut cenſetur revocatum propoſitum non peccandi propter pœnas inferni, quod eſt motivum univerſale, eo ipſo quod unicum mortale admittatur. Difficultas hæc ſpeculativè loquendo non parum urget propter exemplum peccati mortalis novi, ut doctè notant Cardinalis Lugo *diſp.* 14. *num.* 144. & Dicaſtillus *diſp.* 6. *dub.* 18. *num.* 322. Idcirco meritò advertunt oportere ad majorem ſecuritatem, quod quis doleat ſeorſim de peccatis venialibus, quæ confitetur, vel de aliquibus eorum, propter ſpecialem eorum gravitatem, & ſpecialem offenſam divinam, quam continent, cui dolori non opponitur aliud peccatum veniale novum, quod non participat illam ſpecialem turpitudinem, quam per priorem dolorem pœnitens deteſtatus eſt.

Nihilominus practicè probabiliter reſpondent prædicti Doctores per admiſſionem unius venialis ſolùm tunc cenſeri revocatum dolorem, & propoſitum aliorum, quæ ſunt æqualia, vel minora, quàm ſit illud de novo admiſſum, non verò graviorum venialium, quæ cenſentur magis deteſtando reſpui, quam leviora. Et quod attinet ad exemplum de mortalibus dicunt perſeverare etiam dolorem, & propoſitum circa graviora, etiamſi admittatur mortale levius, ſed deficere tunc diſpoſitionem ſufficientem ad abſolutionem obtinendam: quia per peccatum mortale levius, cui homo de novo adhæret, ponit obicem, & deficit diſpoſitio requiſita, pro abſolutione tamen à ſolis venialibus ſatis erit, ſi dolor graviorum maneat; quæ dantur pro materia abſolutionis, etiamſi dolor peccati levioris, vel æqualis ceſſaverit per novi etiam venialis admiſſionem.

Quæſitum ſecundum.

57. Rogabis ſecundò. An cenſeatur carere propoſito non peccandi, qui non dimittit occaſionem peccati? Pro cujus quæſiti reſolutione ſupponendum eſt, occaſionem peccati eſſe duplicem, alteram remotam, alteram proximam. Proxima dicitur, vel quâ pœnitens credit, aut debet credere numquam, vel rarò ſe uſurum ſinè peccato mortali, ut docet Navarrus *in Manuali cap.* 3. *num.* 14. Petrus de Ledeſmo *de Sacramento Pœnitentiæ cap.* 7. Bonacina *diſp.* 4. *punct.* 14. *num.* 11. & alii: Vel quando ex ſuo genere talis eſt, ut frequenter homines ſimilis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento conſtet, in hoc homine talem effectum habere; Remota vero appellatur ea, quæ talis non eſt, ut cum aliis tradit Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum, cap.* 8. Cardinalis Lugo. *de Sacramento pœnitentiæ diſp.* 14. *num.* 149. Candidus *diſquiſit.* 24. *art.* 27. *dub.* 1.

Aliqua in quibus communiter authores conveniunt.

58. Hoc ſuppoſito, ſunt aliqua, in quibus Doctores communiter conveniunt. Primum eſt, poſſe pœnitentem perſiſtere in occaſione ſolùm remota peccati, & habere verum propoſitum non peccandi. Secundum: eum, qui eſt in occaſione proxima, & cum poſſit ſinè gravi detrimento, eam non vult deſerere, non videri habere propoſitum efficax non peccandi: quia vult manere in illo periculo morali labendi. Tertium: quando occaſio peccandi, vel phyſicè non poteſt relinqui, vel moraliter ſinè ſcandalo, gravi infamia, aut magno, & gravi detrimento, non teneri pœnitentem illam omnino relinquere, teneri tamen poſtulare divinum auxilium, & alia adhibere media, quæ vera pœnitentia, & chriſtiana prudentia dictant, vel prudens Confeſſor præſcripſerit ex quibus attentè conſideratis deciſio plurium caſuum pendet.

Ad quid teneatur, qui ob magnum graveque detrimentum periculum peccandi permittit?

59. Sit exemplum in uno pro multis, nempe, ſi occaſio ſit filiiſfamilias, qui ſui juris non eſt, cum ancilla, non tenetur domum paternam deſerere, debet tamen ſuppliciter divinum implorare auxilium. diligenter curare non amplius ſolùm cum ſola verſari, longos cum illa non miſcere ſermones, & nec leviter jocari &c. Debet etiam ſi vera prudentia exegerit, vel ſi prudens Confeſſor præceperit, tam in hoc, quam in aliis ſimilibus peccandi periculis, vel certam aliquam pœnitentiam ſubire, quoties peccaverit, vel antè abſolutionem, & etiam poſtea ſæpius per diem coram Crucifixo orare, & proponere omnino tale peccatum vitare, vel frequentius, & ſæpè eidem Sacerdoti confiteri, vel his, aut aliis mediis uti, quæ maturè penſatis omnibus, prudentia exegerit, vel prudens Confeſſor juſſerit, cui pœnitens parere ſtudens, non dicetur amare periculum, ſed ſemper poterit, & debebit ſperare de divina bonitate fore, ut qui paratus alioquin eſſet ſeparare & ita ob magnum, & grave detrimentum non præſtat, enixè orat, & quæ vera prudentia dictat, remedia adhibere curat, præveniendus ſit gratiæ auxiliis, ne labatur. Unde his duobus, non altero tantùm inventis, magno nimirum & gravi detrimento ex una parte, orationis recurſu, & aliorum mediorum, quæ à prudente Confeſſario deſcribuntur, firmo propoſito, & cura ex aliâ occaſio, quæ aliàs erat proxima, id eſt quâ poſita, pœnitens credebat, vel credere tenebatur, numquam, vel raró ſe uſurum ſinè peccato mortali, proxima jam non erit, cum prudenter

credere

credere poſſit, illis duobus, non altero tantum, intervenientibus, divina præveniente gratia ſe non lapſurum. Ita Joannes Martinez *tom.* 1. *Operis Moralis cap.* 15. §. 3. Cardin. Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 10. *num.* 152. & in hoc ſenſu intelligendi ſunt Doctores, quos referunt, & ſequuntur Thomas Sanchez, *in Summa lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 3. Palaus *tract.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 8. Dicaſtillus *diſp.* 6. *dub.* 19. *num.* 340. & alii quando dicunt, quod urgente neceſſitate poteſt quis licitè peccati periculum permittere, ut eos legenti conſtabit. Ex doctrina autem tradita plura facilè reſolvuntur.

Corollarium primum. 60. Primò: non eſt abſolvendus, qui eſt in occaſione proxima concupiſcendi fœminam, quam occaſionem ſinè gravi detrimento poteſt, & non vult deſerere; neque enim neceſſe eſt peccatum eſſe opere conſummatum, ſed ſufficit eſſe ſolùm in voluntate, ut teneatur quis occaſionem illius proximam, & liberam vitare: Ita Graffius, Navarrus, Chapeauvilla, quos referunt, & ſequuntur Palaus *loco citato num.* 2. & Thomas Hurtado, *de Abſolutione Sacramentali*, *tract.* 1. *cap.* 6. *reſol.* 24.

Corollarium ſecundum. 61. Secundum: ſimiliter abſolutio illi impendenda non eſt, qui occaſionem proximam faciendi ſcienter opus dubium, an ſit illicitum mortaliter, non vult relinquere voluntariè: quia hoc modo exponere ſe periculo peccandi eſt peccatum mortale, & voluntariè in eo permanere vult. Colligitur ex Cajetanò *in Summa* verbo *Periculum*, ubi ſic ait: *Periculo peccandi ſe exponere dupliciter evenit; Primò faciendo ſcienter opus dubium, an ſit licitum, vel illicitum, & hoc modo exponere ſe periculo peccandi eſt peccatum, & ſi agitur de licito, aut illicito mortaliter, eſt peccatum mortale.* Sic etiam Lopez 1. *parte. Inſtructorii Conſcientiæ cap.* 19. Sanctius *in Selectis diſp.* 1. *num* 14. & Leander *tract.* 5. *de Pœnitent. diſp.* 7. *quæſt.* 33. dicens eſſe communem ſententiam.

Corollarium tertium. 62. Tertium: Idem quod dictum eſt de eo, qui ſinè gravi detrimento poteſt & non vult deſerere occaſionem proximam peccandi, dicendum eſt de eo, qui ita eſt in hominum opinione ob ſcandalum: quilibet enim tenetur non ſolum à ſe repellere occaſionem peccandi, ſed quæ talis exiſtimatur eſſe ob ſcandalum. Ita Sylveſter verbo *Concubinarius*, *quæſt.* 2. Navarrus, Graffius, Chapeauvilla, & alii, quos refert, & ſequitur Palaus ubi ſupra *num.* 19. Bonacina *diſputatione* 4. *puncto* 14. *num.* 12. Lopez 1. *parte cap.* 78. Candidus *diſquiſitione* 24. *art.* 27. *dub.* 6.

Corollarium quartum. 63. Quartum: Si res ſint mutatæ, ita ut verè ceſſet peccati periculum, & non ſit ſcandalum, ſinè dubio pœnitens capax abſolutionis eſt, ut cum Navarro, Alcozer, Corduba, & aliis docet Thomas Sanchez ubi ſupra, & Palaus *loco citato num* 16. & 19. Villalobos *in Summa tract.* 9. *diffic.* 25. *num.* 4.

Corollarium quintum. 64. Quintum: Non poteſt abſolvi, Concubinarius, qui non vult dimittere concubinam nimis utilem ad oblectamenta, etiam licita: hic enim præfert utilitatem, & commoditatem corporis divinis mandatis. Ita Thomas Hurtado ubi ſupra *reſol.* 11. Joannes Martinez *loco cit.* §. 5. & planè ſequitur ex doctrina communi *num.* 58. tradita.

65. Sextum: Abſolvi poteſt, qui non ſeparatur ab occaſione peccandi, quando occaſio, vel phyſicè non poteſt relinqui, vel moraliter ſinè ſcandalo, gravi infamia, aut magno, & gravi detrimento, & pœnitens prudenter creditur accedere cum legitimo dolore, & propoſito non peccandi, paratus ea omnia adhibere media, quæ prudens Confeſſor præſcribit, & quibus penſatis omnibus, prudenter credi, & ſperari poteſt, non caſurum. Ita Bonacina *de Matrimonio diſp.* 4. *punct.* 14. Sotus, Navarrus, Corduba, Suarez, Henriquez, Cajetanus, Armilla Caſtro, quos refert & ſequitur Thomas Sanchez ubi ſupra *num.* 3. Salas, Baſilius Legionenſis, Emanuel Sa, quos adducit, & ſequitur Palaus *tractat* 2. *diſp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 8. & cum aliis pluribus Thomas Hurtado, Dicaſtillus, & Candidus ſupra relati, & ex Franciſc. B. Spei, Stephanus *num.* 114. Ut autem Confeſſarius poſſit prudenter credere, illum accedere ſic legitimè diſpoſitum, non parum juvat, ſi peculiaria ſigna doloris oſtendat, uti ſunt lacrymæ, planctus, ſi jejunia præmiſerit, orationes, eleëmoſynas, & ſimilia, ſi diligentiam in remedium pravæ conſuetudinis adhibuerit, ſi promptè admittat conſilia, & paratus ſit, media, quæ illi præſcribuntur, eatenus nondum tentata exequi. *Corollarium ſextum.*

66. Quod ſi poſtea non appareat emendatio, ſi de firmo propoſito probabiliter conſtat, utile interdum fore, differre ad tempus abſolutionem, tum ut appareat aliqua correptio, & firmitudo propoſiti; tum etiam ut inde occaſionem ſumant attentius conſiderandi miſerum ſtatum, in quo ſunt, cenſent communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decalogum*, *cap.* 33. *num.* 45. & *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 18. Suarez, Reginaldus, Henriquez, quos affert, & ſequitur Cardinalis Lugo, *diſp.* 14. *num.* 166. Dicaſtillus *loco citato num.* 365. & cum pluribus Thomas Hurtado *tract.* 1. *reſolut.* 21. Villalobos ubi ſupra *num.* 6. & cum Henriquez, & Coninck, Bonacina *loc. cit. num.* 14. *Utile interdum differre ad tempus abſolutionem.*

67. Qua etiam in re ſunt aliqua communiter recepta. Primum poſſe ex conſenſu pœnitentis differri in caſu nuper poſito abſolutionem. Secundum, quando dilatio neceſſaria eſt ad explorandum firmum propoſitum confitentis, de quo non ſatis conſtat, poſſe & debere differri. Tertium, ſi ex circumſtantiis Confeſſarius prudenter judicet confitentem non habere veram averſionem à peccato, quantumvis aſſeveret, ſe dolere, & verum habere propoſitum, negandam eſſe abſolutionem. Si enim Sacerdos id prudenter non credit, non habet judicium requiſitum, ut poſſit abſolutionem impendere. Ita Lugo, Palaus, & Dicaſtillus citati. Quartum, quando pœnitens eſt ſufficienter diſpoſitus, & ex dilatione abſolutionis timetur damnum potius ſpirituale, quam ſperetur utilitas pœnitentis, ut puta, quod tædio affectus non redibit, vel in deſperationem actus habenas vitiis laxabit, &c. non poſſe licitè differri, Quintum, ſi Confeſſarius prudenter timeat, ſemel abſolutum pœnitentem non amplius curaturum data ſervare promiſſa, & adhibere *Aliqua communiter recepta.*

remedia, niſi ob dilatam abſolutionem deterritus melius gravitatem peccatorum, & periculoſum ſtatum, in quo eſt, agnoſcat ipſam prudentiam, & charitatem exigere talis remedii uſum. Ita Dicaſtillus *loco citato num.* 374. & cum multis Thomas Hurtado *dicta reſolut.* 21. *num.* 266.

Tota controverſia in quo tandem ſit.

68. Tota jam controverſia devolvitur: An abſque pœnitentis conſenſu, quamvis hic, & nunc probabiliter putetur diſpoſitus, abſolutionem differre liceat, vel expediat cum aliquibus ex ſupra dictis mediis tentatis adhuc miſerè reincidat? Et quidem ſi prudenter, attentis omnibus circumſtantiis, judicetur, hoc remedium differendi abſolutionem profuturum, non nociturum licere quidem, imò expedire non dubitamus: cum Confeſſarius non ſolum judicis, verum etiam medeci munus exerceat: ut benè tradunt Dicaſtillus, Cardinalis Lugo, Thomas Hurtado citati, & alii paſſim. Expedire verò hic, & nunc abſtrahendo à circumſtantiis; certò determinare non poſſumus, cum ex pluribus pendeat, quæ facilè pro ſubjectorum varietate variantur; unde illis maturè penſatis, ad prudentum ſpectabit arbitrium, hic, & nunc, abſolutionem impendere, vel ad tempus differre, prout expediens judicaverint. Et quamvis abſolutè remedium differendi abſolutionem valdè placeat Thomæ Hurtado *loco citato à num.* 506. & deinceps, ubi inter alia ſic ait: *Neque ad hoc requiritur pœnitentis conſenſus ſi enim ſua voluntate abſolutio differtur, non erit ita efficax remedium, ſiquidem non mordet acriter: acre enim remedium exigit infirmitas radicata, ut evellatur. Quare hic, & nunc aptius, & efficacius remedium eſt negata abſolutionis, quo veluti ſcalpro, & ligone eradicatur mala conſuetudo, quam ſuave beneficium abſolutionis, etiam impendentis gratiam, & ſanctitatem, quæ à vepribus, & ſpinis malæ conſuetudinis, & occaſionis peccandi, citò areſcit, ac ſuffocatur, at timore negatæ abſolutionis paulatim eradicatur mala conſuetudo, non creſcunt vepres peccatorum, & ſic diutius gratia, & ſanctitas conſervantur; vel non ita citius relabuntur. Etenim natura corrupta efficacius emendatur, & ad Deum convertitur timore, quam ſuavitate, & indulgentia.* Econtrà verò Dicaſtillus *de Sacramento Pœnitentiæ*, *diſp.* 50. *dub.* 29. aſſerit, hoc acre remedium experientia compertum eſſe, non rarò nocere, niſi fiat interim ad horam, vel tempus, dum melius pœnitens inſtruitur, vel aliquid juxta prudentiæ regulas præſcribitur, magiſque ſæpius prodeſſe non immeritò cenſet frequentiam confeſſionis, & frequens beneficium abſolutionis, ſicut in peccatis, in quibus nec phyſicè poteſt occaſio penitùs tolli, ut contingit in peccato molliciei, potius Doctores, & uſus Confeſſariorum habet injungere frequentiam confeſſionis apud eundem Confeſſarium, quam venientem abſolutione privare: ſic in his peccatis, in quibus ſi non phyſica, ſaltem moralis impoſſibilitas avertendæ occaſionis reperitur, frequentia potius quam dilatio ſæpius juvabit ægrotum alioqui remedii abſolutionis capacem, cum Chriſtus Sacramenta inſtituerit non ſolùm ad delenda peccata præterita, ſed ad præcavenda futura. Præterea cur de peccatore tantum attrito, atque adeo non habente gratiam, & amicitiam Dei ante collatam abſolutionem, quam de illo ipſo jam conſtituto in amicitia Dei per abſolutionem collatam, & Sacramenta frequentante perſæpe melius ſperandum eſt?

Aliud quæſitum.

69. Petes: An quando pœnitens tenetur deſerere occaſionem peccandi, poſſit ter, & quater abſolvi, antequam de facto deſerat? Joannes Sanchez, *diſp.* 10. *num.* 4. id affirmavit, quod nequaquam admittimus; etenim in oppoſitum. D. Antoninus, 2. *part. tit.* 2. *cap.* 8. Cajetanus, verbo *Reſtitutio*, *cap.* 6. Navarrus, *cap.* 17. *num.* 54. Suarez *de Pœnitentia*, *diſp.* 32. *ſect.* 3. *num.* 3. quos refert & ſequitur Joannes Martinez, *diſt. quæſt.* 55. §. 4. *num.* 26. notant oportere Confeſſores in hoc eſſe cautos, & conſtantes, ne graventur alienis peccatis, & ita Palaus, *tract.* 2. *diſp.* 2. *puncto* 9. §. 3. *num.* 18. Diana, *tom.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 107. docent, quod quando pœnitens tenetur deſerere occaſionem peccandi, etſi poſſit Confeſſarius ſemel, aut iterum abſolutionem concedere, antequam de facto expellat, eo quod fidit expulſurum; rarò tamen illam concedere debet, ſed potius cogere pœnitentem, ut à ſe peccati periculum expellat, & ſic liberum velit abſolvi: quia experientia teſtatur, quod ferè numquam occaſionem expellit jam abſolutus, ſed iterum eiſdem, & gravioribus peccatis ſe implicat: Imò concubinarium nec prima vice poſſe abſolvi, quatumvis proponat concubinam expellere, niſi prius illam expellat, docuerunt Margarita Confeſſorum *titulo de Scientia Requiſita in Confeſſore*, Joannes Chapeauville *de Caſibus Reſervatis, in fine tituli de Examine Confeſſariorum*, Rodriguez, Navarrus, Antonius Fernandez, Sylveſter, quos citat idem Palaus ibidem, & D. Auguſtin. *in cap. Satisfactio de Pœnit. diſt.* 3. *Satisfactio* (inquit) *pœnitentiæ eſt peccatorum cauſas excidere; neque earum ſuggeſtionibus aditum indulgere.* At de his omnibus legi latius poterit N. Antonius à Spiritu S. *in Direct. Confeſſariorum tract.* 5. *diſp.* 3. *ſect.* 1. 2. 3. & 4. plures & notabiles pro praxi caſus referens in quibus abſolvi vel non abſolvi pœnitens poteſt in occaſione proximâ conſtitutus.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

De confeſſione proxima Sacramenti materia, quæ ſit, & quæ illius conditiones, & de examine conſcientiæ prærequiſito ad illam.

CAPUT ISTUD DUO HABET PUNCTA.

P. 1. *Quid ſit confeſſio proxima Sacramenti materia, & quæ illius conditiones?*

P. 2. *De examine conſcientiæ ad illam prærequiſito.*

PUNCTUM I.

Quid ſit confeſſio proxima Sacramenti materia? Et quæ illius conditiones?

Sacramentalis confeſſionis definitio.

1. Confeſſio, quæ pars Sacramenti Pœnitentiæ eſt, rectè definitur quod ſit. *Legitima, & Sacramentalis accuſatio de peccatis propriis facta Sacerdoti, ad eorum veniam per abſolutionem virtute clavium obtinendam.* Ita D. Thomas, *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 2.* Sotus, *diſt.* 18 Nuñus, Reginaldus, Valentia, Suarez, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punct. 1.* Palaus, *tract. 23. diſp. unica, punct.* 8. N. Gabriel à S. V. & alii communiter.

Quænam conditiones requirantur ad confeſſionem?

2. Sexdecim autem conditiones ad confeſſionem ſolent à Doctoribus aſſignari ſub his verſibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens verecunda.
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata.
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Simplex erit confeſſio, ſi ex debita intentione procedat, ſi ea nihil ex obligatione manifeſtandum celetur, illaque ſola explicentur, quæ ad peccati gravitatem intelligendam pertinent, reſectis aliis ſuperfluis. *Humilis*: ſi procedat ex humili ſui recognitione, propriique peccati dolore, reſplendeat autem hæc humilitas in habitu etiam externo, & geſtu pœnitentis. *Pura*: ſi fiat ex pura intentione placandi Deum, obediendi Eccleſiæ, fugiendi animæ periculum, &c. *Diſcreta*: ſi cum debita diſcretione, & prudentia peccata referat propria. *Fidelis*: ſi vera dicat. *Nuda*: ſi ſit abſque ſimulatione, & palliatione. *Frequens*: ſi ſæpè fiat. *Libens*: ſi voluntariè, & non coactè. *Verecunda*: ſi interiorem confeſſionem, quam de peccato concepit, exterius manifeſtet. *Integra* ſi nihil ex neceſſariò dicendis omittat. *Secreta*: ſi ſoli Sacerdoti fiat. *Lachrymabilis* ſi plena lacrymis, & dolore ſit. *Accelerata*: ſi poſt peccatum commiſſum non multum differatur. *Fortis*: ſi difficultates, & impedimenta, quæ ſolent occurrere, vincat. *Accuſans*: ſi pœnitens ſibi imputet peccata, non alteri, nec dicat ſub conditione. *Si feciſſem*: ſed ſi certò novit. *Feci*: ſi dubius eſt. *Dubito. Parere parata*: ut ſcilicet obediat monitis confeſſarii, acceptet Pœnitentiam, & perfectè ceſſet à peccato. Ex his autem conditionibus non omnes ſunt de neceſſitate Sacramenti; ſed vel ad majorem reverentiam, vel ad uberiorem fructum ex confeſſione percipiendum ſpectant: ut optimè notavit D. Thom. *in 4. diſt. 17 q. 3. art. 4. quæſtiuncul. 4.* Eaſque ad tria capita aliqui reducunt: Ad *veritatem*: quod ſit *ſimplex*, *pura*, *fidelis*, *nuda*, *diſcreta*, *accuſans*. Ad *integritatem*, quod ſit *frequens*, *integra*, *ſecreta*, & *fortis*. Ad *dolorem*, quod ſit *humilis*, *libens*, *verecunda*, *lachrymabilis*, *accelerata*, & *parere parata*; & quidem de dolore per ſe ad confeſſionem requiſito, ſufficienter huc uſque egimus. De aliis verò, quæ ad eamdem neceſſariò deſiderantur, tribus ſequentibus capitibus ſatis etiam acturi ſumus, ubi de obligatione ad confeſſionem Sacramentalem, de illius integritate; & de confeſſione invalida copioſus erit nobis ſermo.

PUNCTUM II.

De examine conſcientiæ ad confeſſionem prærequiſito.

3. Pœnitens tenetur facere diligentem conſcientiæ examinationem de peccatis mortalibus commiſſis: cum enim ex præcepto obligetur omnia peccata mortalia confiteri, conſequenter adſtringitur, ea in memoriam revocare, ut judicio confeſſionis ſiſtere poſſit, uti ſupponit Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* illis verbis: *Poſt diligentem inquiſitionem*, & illis: *Poſtquam quis diligentius ſe excuſſerit.* Et tradunt communiter Doctores, Suarez *de Pœnit. diſp. 12. ſect. 11.* Sotus, *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4.* Navarr. Henriq. Filliuc. quos refert, & ſequitur Palaus, *tract. 23. diſp. unic. punct.* 10. Petrus de Ledeſma *de Pœnitent. cap. 16. concluſ. 6.* Bonacina, *diſput. 5. quæſt. 5. punct. 2.* *1. Concluſio.*

Qualis examinatio requiratur?

4. Quænam autem ſufficiens conſcientiæ examinatio cenſeri debeat, ne peccatorum oblivio culpæ tribuatur, ex qualitate perſonæ confitentis, numero, & ſpeciebus peccatorum, diuturnitate temporis, conſuetudine peccandi, & aliis circumſtantiis pendet. Unde certâ regulâ definiri non poteſt, ſed arbitrio prudentis remittendum eſt. Generaliter verò minori examine indigent qui frequenter, quam qui rarò confitentur, majori verò, qui multis negotiis, aut commerciis cum peccandi occaſione junctis impliciti ſunt, quam hi qui vitam quietam agunt. Denique homines rudes non ſunt cogendi ad tam exactum examen, quam alii ingenioſiores, quia illi non ſunt illius capaces, & quamtamcumque adhiberent operam, non poſ-

ſent id exactè perficere. Quarè confeſſarii examine, & induſtria adjuvare debent, eorumque defectus ſupplere, ut benè obſervant Henriq. *lib.* 5. *cap.* 5. Coninchus, *diſp.* 7. *de integritate confeſſionis, dub.* 9. *num.* 71. Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 5. & alii. Semper tamen præmittenda eſt aliqua diligentia moralis pro captu pœnitentis, quæ ſi non ſufficiat, tunc adhibenda eſt induſtria, & labor confeſſoris ut rectè notat Filliucius, *tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 115. Generaliter etiam dici poteſt, eam diligentiam, & inquiſitionem ab unoquoque adhibendam eſſe, quam faceret circa negotium arduum, quod ipſi multum cordi eſſet, ut explicuit Scotus *in* 4. *diſt.* 17. *q. unica art.* 2. vel quam adhiberet in aliis rebus magni momenti diſcutiendis. Ita docet Coninchus *loco citato*, vel quæ viro prudenti humano modo rem exiſtimanti neceſſaria videbitur: ut cum Navarro, Vaſquio, Henriquez, Granado, & & Card. Lugo, tradit Leand *de Pœnit. diſp.* 7. *q.* 63.

Non exigitur ſumma diligentia. 5. Non requiritur tamen ſumma diligentia, ut tradunt Navarrus, Reginaldus, & alii, quos citat, & ſequitur Bonacina, *dict. punct.* 2. §. 1. *n.* 3. Filliucius, *dict. num.* 115. Ex quo cum aliis infert Bonacina, eum, qui mediocrem & prudentem præſtitit diligentiam, in indagandis, & inquirendis propriis peccatis, non teneri majorem inquiſitionem adhibere, etiamſi probabiliter conjiciat fore, ut facta prolixiſſima inquiſitione, occurrerent aliqua peccata ejuſdem rationis cum his, quæ tunc in mentem venerunt.

Non eſt neceſſarium peccata ſcribere ut ſuo tempore confiteantur. 6. Nec etiam tenetur propria peccata ſcribere, qui lubricam habet memoriam, ut ſuo tempore confiteatur, tametſi probabiliter credat, ſe obliturum illorum: quia hæc eſt extraordinaria diligentia, & non levibus periculis expoſita: ut tradunt Vaſquez, Suarez, Coninch. quos adducit, & ſequitur Palaus ubi ſupra, *punct.* 10. *num.* 3. Henriquez, *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. Reginaldus, *lib.* 6. Tabiena, *verbo, Confeſſio, n.* 45. Zerola *de Pœnit. cap.* 14. *q.* 2. Filliucius, *quæſtio* 10. *num.* 115. & alii. Sicut neque tenetur ſtatim confiteri, ſi prævideat fore, ut niſi ſtatim confiteatur, peccatorum obliturus ſit, ut cum multis tradit Bonacina *loco citato*, *num.* 4. Qui etiam addit, quod ſi confeſſarius advertat, pœnitentem notabiliter defeciſſe circa examen conſcientiæ, & ipſe confeſſarius non poſſit defectum examinis per interrogationes ſupplere, remittat pœnitentem, eique imperet, ut debitam præſtet diligentiam, eâque præſtitâ, redeat, modo non adſit periculum, vel articulus mortis: in tali enim periculo debet confeſſarius eam diligentiam adhibere: quam ipſe pro circumſtantia temporis, & qualitate perſonæ judicaverit expedire, eâque adhibitâ, beneficium abſolutionis impendere.

Qui ſolum recordatur tantum in genere ſe mortaliter peccaſſe debet hoc ipſum in confeſſione explicare. 7. Sufficienti autem diligentia examinis appoſita, ſi pœnitens non recordetur ſpeciem peccati, ſed tantùm in genere ſe mortaliter peccaſſe: v.g. in pravam cogitationem conſentiendo, noxium aliquid loquendo, debet hoc ipſum confeſſario explicare, cum hoc ſit ſufficiens, imò neceſſaria materia Sacramentalis confeſſionis. Ita D. Thomas *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 1. *ad.* 1. & *art.* 2. Navarrus, *cap.* 10. *num.* 7. Suarez, *diſp.* 23. *sect.* 1. *num.* 8. Coninch. *dub.* 10. *num.* 97. Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 7. Palaus ubi ſupra *dict. n.* 3.

CAPUT SEPTIMUM.

De obligatione ad confeſſionem.

CAPUT HOC SEX COMPLECTITUR PUNCTA.

P.1. *De præcepto confeſſionis, quatenus divinum eſt, quas perſonas, & quo tempore obliget?*

P.2. *Utrum ex præcepto Eccleſiaſtico vel divino obligetur pœnitens ad confitendum per interpretem, vel ſcripto, aut nutibus, qui alio modo non poteſt?*

P.3. *De præcepto confeſſionis, quatenus eſt Eccleſiaſticum, & quos obliget?*

P.4. *Quo tempore obliget?*

P.5. *Per quam confeſſionem impleatur?*

P.6. *Quæ cauſæ excuſent à præcepto annuæ confeſſionis?*

PUNCTUM I.

De præcepto Sacramentalis confeſſionis quatenus divinum eſt, quas perſonas, & quo tempore obliget?

1. Concluſio. 1. SAcramentalis confeſſio non ſolùm fuit à Chriſto Domino inſtituta; ſed etiam præcepta, adeoque de illa eſt præceptum divinum. Ita difinitum eſt in Concilio Conſtantienſi, *ſeſſ.* 8. & in Florentino, *in decreto unionis*, & in Bulla Martini V. quam affert Caſtro: verbo, *Confeſſio*, & habetur in Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. & *canone* 6. 7. & 8. & *in cap.* 4. & 5. *ejuſdem ſeſſionis*, & *ſeſſion.* 6. *cap.* 14. expreſsè definitur contra Petrum de Oſma, confeſſionem jure divino eſſe neceſſariam lapſis in mortale poſt Baptiſmum, etiam contritis. Hoc autem divinum præceptum colligitur ex illis verbis Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ut docet Tridentinum, *dict. ſeſſione* 14 *cap.* 5. retinendi enim poteſtas eſſe non potuit ſinè neceſſitate judicii ipſorum Sacerdotum ad remiſſionem, & abſolutionem, ac proinde quando Chriſtus ſignificavit in Sacerdotibus eſſe poteſtatem retinendi peccata, etiam ſignificavit, ipſorum judicium eſſe neceſſarium ad abſolutionem, & conſequenter peccata mortalia nunquam remitti ſinè ordine ad hujuſmodi judicium. Ita Dicaſtillus, *diſp.* 4. *dub.* 7. & Theologi apud Bellarminum, *lib.* 3. *de Pœnitentia*, & apud Granad. *tract.* 1. *diſp.* 8. Suarez, & alii quos refert, & ſequitur Leander *de Pœnitent. diſp.* 3. *q.* 6.

N. Phi-

N. Philippus à SS. Trinit. *diſp.* 10. *dub.* 2. Gabriel à S. Vinc. *diſp.* 5. *q.* 1. Gonet, *diſp.* 8. Herinx, *diſp.* 3. & omnes.

2. Concluſio. 2. Non obligantur hoc præcepto, qui poſt Baptiſmum peccata aut non commiſerunt, aut non mortalia, ut ſunt infantes, & adulti perſeverantes in gratia, quam ſuſceperunt in Baptiſmo: quia ut dicitur in Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. 2. & 5. Sacramentum Pœnitentiæ, tantum eſt neceſſarium lapſis in mortale poſt Baptiſmum. Ita Suarez, *diſp.* 35. *ſect.* 2. Dicaſtillus, *diſp.* 7. *dub.* 2. *num* 8. Azor, 1. *part. cap.* 2. *quæſito* 3. Henriquez, Reginaldus, Coninchus, Pitigianus, Vaſquez, Filliucius, quos refert; & ſequitur Bonacina *de Pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 5 *punct.* 4 *n.* 8. Gonet, *loc. cit. art* 1.

3. Concluſio. 3. Neque etiam obligantur hoc divino præcepto non baptizati: quia præceptum divinum confeſſionis non obligat abſolutè, ſed ſuppoſito mortali commiſſo poſt Baptiſmum, atque adeo nulla eſt materia confeſſionis in talibus non baptizatis. Ita contra Ricardum *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 2. *quæſt.* 4. docent communiter Doctores, Suarez, Vaſquez, Hurtado, Granado, Lugo, Villalobos, Petrus de Ledeſma, & alii quos adducit, & ſequitur Leander, *diſp.* 3. *q.* 9. Item Major, & Almainus, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, ubi ſupra *num.* 13. Henriquez, Nuñus, Medina, Reginaldus, Zerola, Thomas Sanchez, Filliucius, quos refert, & ſequitur Bonacina ubi ſupra, *num.* 5. N. Philippus *dub.* 3. N. Antonius *num.* 209.

4. Concluſio. 4. Tenentur autem præcepto divino confeſſionis, omnes baptizati, etiam impuberes, & Romanus Pontifex, dummodo habeant peccatum mortale poſt Baptiſmum; quia nullum eſt fundamentum excipiendi tales. Ita de pueris baptizatis, qui ſunt compotes uſus rationis, quod communiter accidere conſuevit completo ſeptennio. Navarrus, *cap.* 21. *num.* 88 Sotus, Henriquez, Coninchus, Nuñus, Vaſquez, Valentia, Pitigianus, Peſantius, Filliucius, Molfeſius, quos adducit, & ſequitur Bonacina *loco citato, num.* 2. Gabriel à S. Vinc. *diſp. cit. q.* 3. Item Dicaſtillus, *num.* 10. De Romano verò Pontifice cum pluribus Bonacina, *num.* 4. Dicaſtill. *dict. num.* 10. Leander, *diſp.* 3. *q.* 9.

5. Concluſio. 5. Circa id, quod in hoc puncto quæritur, de tempore quo obligat divinum confeſſionis præceptum, imprimis non obligat confiteri ſtatim, ac quis mortaliter peccat, etiamſi commodiſſimè poſſit, & etiamſi non juſtificetur media contritione: quia oppoſita obligatio abſque ſufficienti fundamento aſſeritur. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *quæſtiunc.* 4. Canus *de Pœnitent. p.* 5. Petrus de Ledeſma *cap.* 9. *concl.* 2. Suarez, Lugo, & plures alii, quos adducit, & ſequitur Leander *diſp.* 3. *q.* 14. N. Philippus à SS. Trinitat. *diſp.* 10. *dub.* 5. Et contra Guilielm. Pariſienſ. docent communiter omnes Theologi, ut teſtatur Dicaſtillus, *dicto num.* 8.

6. Concluſio. 6. Per ſe autem obligat hoc divinum jus, ſeu præceptum ad confeſſionem peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi incerto, vel probabili periculo mortis, quatenus niſi tunc confeſſio fiat, exponit ſe homo certo, vel probabili periculo peccatum mortale nunquam confitendi: cum tamen Sacramentalis confeſſio neceſſarium lapſorum poſt Baptiſmum remedium à Chriſto inſtitutum, atque præceptum ſit. Ita conceditur ab omnibus, teſte Dicaſtillo, & N. Philippo, ubi ſupra, & plurimos congerit Leander, *diſp.* 3. *q.* 10. ut inſtante prælio, in morbo gravi, in periculoſa navigatione, graſſante peſte, imminente naufragio, & quando fœmina primo paritura eſt, aut quæ partus difficiles habere ſolet.

7. Hinc ſequitur primò, infirmum, qui perſeverans in periculo mortis, iterum peccavit mortaliter poſt confeſſionem tunc factam, teneri iterum confiteri: quia tunc eſt periculum decedendi ſinè illius peccati confeſſione niſi tunc confeſſio fiat. Ita Bonac. *diſp* 5. *q.* 5. *punct.* 4. *num.* 15. Dicaſtillus, *num.* 21. *Corollarium 1.*

8. Sequitur ſecundò, teneri confiteri propter eamdem rationem eum, qui nunc habet copiam confeſſarii, quam probabiliter timet, poſtea non habiturum per totam vitam, ut contra aliquos, quorum ſententiam probabilem putat Joannes de la Cruz, *in directorio part.* 2. *de Pœnit. quæſt.* 3 *dub.* 3. & Leander, *diſp.* 3 *quæſt.* 11. rectè notarunt Lugo, *diſp.* 15. *num.* 37. & Dicaſtillus, *diſp.* 7. *dubit.* 2. *num.* 21. & docent Navarrus *in ſumma, cap.* 2. *num.* 8. Suarez, Azor, Sylveſter, Tabiena, Reginaldus, Naldus, Coninchus, Nuñus, Vaſquez, Pitigianus, Zerola, Filliucius, quos refert, & ſequitur Bonacina *punct.* 4. *n.* 21. Fagundez, Layman, Gaſpar Hurtado, quos adducit, & ſequitur Diana, 3. *part. tract.* 4. *reſ.* 69. Molfeſius, *tract.* 7. *cap.* 10. Villalobos, *tract.* 9. *difficult.* 27. *num.* 4. & cum aliis Henriquez, *lib.* 1. *de Pœnitentia, cap.* 3. *num.* 3. Canus, *de Pœnitentia, part.* 5. Anton. à Spiritu S. *num.* 215. & eſt communis. *Corollarium 2.*

An obliget præceptum confitendi divinum extra periculum mortis? 9. An vero extrà dictum mortis periculum divini præcepti obligatio urgeat? non conſentiunt Auctores. Alii dicunt obligare, quoties morale periculum eſt excidendi peccata ex memoria, niſi ſtatim quis ea confiteatur. Ita aliqui apud Dianam, 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 155. Verum propter hujuſmodi periculum non eſſe ex jure divino obligationem, meritò docent Navarrus, Petrus Sotus, Medina, Suarius, Henriquez, Valentia, Azor, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus, *diſput.* 7. *dubitat.* 2. *num.* 25. N. Gabr. à S. V. *diſp.* 5. *quæſt.* 1. & alii multi apud Dianam, *dicta reſolution.* 155. quos ipſe, ſequitur: quia nemo tenetur confiteri, niſi omnia illa peccata, quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occurrerint, ut ſatis colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. & ex Cap. *Omnis utriuſque ſexus, de Pœnitent. & remiſ.* Alii vero docent, non obligare, niſi in articulo mortis: quia majoris obligationis nullum eſt idoneum fundamentum. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *quæſtiuncula* 4. Scotus ibidem *q.* 3 *art* 3. Gabriel, *q.* 1 *art.* 3. quam ſententiam amplectitur Dicaſtillus ubi ſupra, *num.* 34. dicens: præceptum divinum abſolutè ſolùm eſſe confitendi omnia peccata mortalia ſemel in vita; & quia hoc præceptum in aliquo tempore vitæ implendum eſt, inde oriri, ut qui conſtitutus jam in articulo mortis nondum implevit tale præceptum confitendi mortale, teneatur tunc confiteri: quia jam poſitus in periculo, vel articulo

Digitized by Google

articulo mortis, non reſtat juxta moralem exiſtimationem aliud tempus, in quo tale præceptum impleatur. Et hæc ſententia explicari poteſt juxta dicta ſupra *cap. 1. punct. 5.* Henriques, verò *lib. 4. cap. 3. num. 4.* aſſerit, fortè obligare hoc præceptum quolibet quinquennio. Et aliqui, de quorum numero eſt N. Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacrament. Pœnit. diſp. 5. quæſt. 1.* dicunt, teneri hominem confiteri tertio, vel quarto quoque anno, dum in mortali exiſtit, ſi Eccleſia divinum non determinaſſet præceptum. Alii multi obligare inquiunt quolibet anno, ita ut ſi quis per integrum annum in peccato mortali exiſtens differret confeſſionem, delinqueret contra præceptum divinum confitendi. Ita Petrus de Ledeſma, *cap. 9. de confeſſione, concluſ. 6.* Victoria, Nuñus, Granados, Raineus, & Reginaldus, quos affert, & ſequitur Leander, *diſp. 3. q. 3.* In quam ſententiam, & nos inclinamur ut in ſimili diximus ſupra *dicto cap. 1. punct. 5. num. 49.* videantur ibi dicta *num. 50.* Alii tandem dicunt, tempus pro quo obligat non fuiſſe à Chriſto Domino determinatum, ſed reliquiſſe Eccleſiæ determinandum. Ita Vaſquez, *q. 90. art. 1. dub. 4.* Suarez, *diſp. 35. ſect. 3.* Coninchus, *diſp. 5. dub. 2.* Filliucius, *tract. 7. cap. 2. num. 38.* & alii multi.

PUNCTUM II.

Utrùm ex præcepto Eccleſiæ, vel divino obligetur pœnitens ad confitendum per interpretem? vel ſcripto? aut nutibus, qui alio modo non poteſt?

Supponitur 1. 10. Quatuor hoc in puncto ſupponimus. Primum: confeſſionem Sacramentalem voce humana exprimi non eſſe de neceſſitate Sacramenti: quia certiſſimum eſt, quando peccator non poteſt per voces confiteri, illius confeſſionem per ſcriptum, vel alia ſigna coram præſente Sacerdote, eſſe ſufficientem ad hujus Sacramenti eſſentiam; ut ſumitur ex praxi, & uſu Eccleſiæ abſolventis mutos, qui nutibus peccata Sacerdoti confitentur: itemque morituros, qui aliter quam nutibus peccata declarare non poſſunt, cumque ſubſtantia ſigni ſenſibilis materiæ ſufficientis ad Sacramenta non varietur ex potentia, vel in potentia recipientis Sacramentum (neque enim ex eo, quod non poſſit quis aquâ elementari baptizari, poteſt ad ablutionem ſubſtitui alia materia) conſequens eſt, exſpectata ſolum neceſſitate ſubſtantiæ Sacramenti, confeſſionem per voces non eſſe de illius neceſſitate: Ita D. Thomas *quodlibeto 1. art. 10.* Sotus, Vaſquez, Canus, Suarez, Henriquez, Coninchus, Lugo, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *diſp. 8. dub. 1. num. 19.*

Supponitur 2. 11. Secundum: confeſſionem per voces eſſe neceſſariam ex Eccleſiæ præcepto deſumpto ex uſu, & praxi Eccleſiæ. Quapropter grave peccatum committeret, qui nutibus, vel ſcripturâ tantùm abſque ulla vocis prolatione peccata fateretur, cum tamen facilè poſſet ore proferre. Sic expreſsè D. Th. *quodlibeto 1. art. 10.* Canus *5. p. relectionis de pœnitentia §. At exiſtet,* Sylvius *in addit. ad. 3. p. q. 9. art. 3. concluſio 2.* Suarez *diſp. 21. ſect. 3. num. 6.* Vaſquez, *q. 91. art. 4. dub. 4.* Coninchus *diſp. 6. dub. 1. concl. 3. num. 3.* Fagundez, & Filliucius apud Dianam *3. p. tract. 4. reſ. 127.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 7. num. 3.* Palaus *tract. 23. diſp. unica, punct. 8. num. 8.* Verum ſi quis ob angorem gutturis, & impedimentum linguæ, aut puella ſupra modum verecunda in explicandis verbo peccatis valdè gravem difficultatem ſentiant, poſſe per ſcriptum Sacerdoti præſenti confiteri, addendo voce *de his me accuſo* advertunt Canus, Vaſquez, Coninchus, & alii, quos citat, & ſequitur Palaus dicto *num. 8.* & plures apud Dianam ubi ſupra, & N. Gabrielem *diſp. 5. q. 3.*

12. Tertium: certum eſſe apud Catholicos, confeſſionem ſacramentalem eſſe licitam, & honeſtam, uti definit Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5.* & Innocentius III. *in cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſionibus,* & ex Patribus comprobat Suarez, *diſp. 21. ſect. 2.* *Supponitur 3.*

13. Quartum: non eſſe contra valorem Sacramenti, quod confeſſio publicè fiat, ut contra Scotum, Gabrielem, Angelum, & alios docent communiter Theologi, quos referunt, & ſequuntur Suarez *diſp. 21. ſect. 2.* Vaſquez *q. 91. art. 4. dub. 1.* Bonacina *dicto §. 2. num. 23.* Cardinalis Lugo, & Palaus citati, & probatur. Tum ex Tridentino illo *cap. 5.* ubi apertè dicitur, non eſſe à Chriſto prohibitum, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit. Tum etiam ratione: quia valida eſt confeſſio per interpretem, ut teſte Cardinali Lugo, omnes docent, & uſus fidelium id probat: & ſimiliter valida eſt confeſſio facta ab exiſtentibus in periculo naufragii, vel incendii, qui publicè confitentur, quando non poſſunt ſecretò confiteri, ut conſtat ex uſu. *Supponitur 4.*

14. His ſuppoſitis, loquendo de manifeſtatione peccatorum per nutus, quando voce manifeſtari non poſſunt, dubium non eſt, quin obligetur quis in articulo mortis, peccata ſic manifeſtare, ut docent Palaus *diſp. unica, punct. 8. num. 10.* N. Gabr. *loc. cit.* & conſtat: tum ex praxi, tum etiam ex eo, quod eo tempore ſpecialiter urgeat confitendi præceptum, illudque abſque gravi difficultate poſſit pœnitens in magnam ſuæ conſcientiæ utilitatem exſequi, ac nulla proinde adſit ratio, quæ illum excuſet. *Prima concluſio.*

15. Mutus etiam, qui non ſperat brevi tempore loquelam recuperaturus, tenetur tempore, quo urget Eccleſiæ præceptum, peccata manifeſtare per nutus: quia cum hic modus manifeſtandi peccata ſecretus ſit, illoque utantur homines ad alias res minus ſibi utiles explicandas, non debet pro ſuſcipiendo Sacramento illis eſſe gravis, & difficilis. Ita Cajetanus, verbo *Confeſſio, condit. 11.* Navarrus, *cap. Fratres de pœnitentia diſt. 5. num. 89.* Sotus *in 4 diſt. 18. q. 2. art. 6.* Toletus *lib. 3. cap. 6.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 6. num. 4.* Sà verbo, *Confeſſio num. 13.* Palaus, *diſp. unica punct. 8. num. 10.* N. Gabriel *quæſt. cit.* *Secunda Concluſ.*

16. Quoad confeſſionem per ſcripturam eſt duplex ſententia. Prima aſſerit, pœnitentem Eccleſiaſtica lege obligatum eſſe ad annuam confeſſionem per ſcripturam præſente Confeſſario, *Quid quoad confeſſionem per ſcripturam.*

ſario, quando aliter fieri non poteſt. Ita Vaſquez *quæſt.*91. *art.*4. *dub.*5. *num.*2. ubi ait, non obſtare ſcriptum perdi poſſe: quia abſoluta confeſſione poteſt ſtatim rumpi: & paulo antè confeſſionem ita ſcribi, & cuſtodiri, ut non perdatur. Et hanc etiam ſententiam tenent Nuñus *in additionibus ad* 3.*p.q.*9.*art.*3. Turrianus, Gaſpar Hurtado, Becanus, & alii apud Dianam 3.*part. tract.*4. *reſol.*128. Item Petrus Fay, Fagund. Megala, Henriquez, Granad. Alfonſ. de Leone, apud eundem Dianam *tom.*5. *tract.* 6. *reſol.* 4. N. Philippus *dub.*7. Franciſc. B. S. *n.*99. Et pro ea plures alios referunt, & ſequuntur, Cardinalis Lugo, *diſp.*5. *num.* 87. & Leander *diſp.*6. *quæſt.*17.

Secunda verò dicit ſententia, pœnitentem prædicta obligatione non adſtringi: quia confitendi modus per ſcripturam de ſe eſt expoſitus periculo. Ita Naldus *in Summa* verbo, *Mutus. num.*2. Martinus de Ledeſma, Victoria, Dominicus Soto, Navarrus, Barboſa, Valentia apud Dianam *dict. reſol.*4. & alii plures apud Leandrum *loc. cit.* Item Palaus *dict. punct.* 8. *n.*11. & utramque ſententiam probabilem eſſe, docet Fagundez *præcepto* 2.*l.*1.*c.*6. & Diana *loc. cit.* Verum diſtinguere poſſumus cum Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ diſp.*5.*ſect.*2.*punct. ultimo*, & cum Dicaſtillo *diſp.*6. *dub.*14.*n.*240. vel enim pœnitens commodè poteſt per ſcripturam confiteri, & ſinè periculo in hac, vel illa occaſione, vel non? Si commodè, & ſinè periculo non poteſt, non tenetur confiteri per ſcripturam, & hoc pacto adhæremus ſecundæ ſententiæ. Si verò commodè, & ſinè periculo poteſt, tenetur confiteri, quoties inſtat præceptum confitendi, ut docet prima ſententia; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non graviter incommoda, & ſinè periculo conducentia ad finem: poteſt enim peccata ſcribere coram Sacerdote, & ſtatim poſt confeſſionem perfringere, vel comburere chartam, aut aliquid ſimile præſtare, ut prudentia dictare poteſt, & ſolet. Hæc autem obligatio ſic confitendi intelligenda eſt tam comparatione præcepti Eccleſiaſtici confeſſionis annuæ, quam præcepti divini tempore, quo obligat, ut notat Dicaſtillus *num.* 241. cum Sylveſtro; Suario, Petro Soto, Majore, & Cajetano.

Quid de præcepto ſeu obligatione naturali?

17. Comparatione vero præcepti naturalis, quo homo in articulo mortis tenetur reconciliari cum Deo, ſi quis conſtitutus in eo articulo non ſit ſecurus moraliter loquendo de habenda contritione, & videat non ſupereſſe aliud medium ad eam reconciliationem præter confeſſionem ſcriptam: etiam cum quovis revelationis periculo, ad id tenebitur: quia obligatio reconciliandi ſe Deo in articulo mortis, & proſpiciendi ſuæ ſaluti æternæ, adeò ſtricta eſt, ut cæteris quibuſcumque jacturis temporalibus præferenda ſit. Ita ex communi ſententia tradunt Vaſquez, Suarez, Layman, quos affert, & ſequitur Palaus ubi ſupra *n.*13. & Dicaſtillus *num.*242. Gabriel à S. Vinc. *diſp.*5. *quæſt.* 3.

Tertia concluſio.

18. Modus autem confitendi per interpretem præter articulum mortis inprimis obligatorius non eſt præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis, ut docet communis ſententia: ſive quia præcepta Eccleſiaſtica non cenſentur obligare cum tanto onere, & rigore; ſive quia licet illud præceptum, ut multi dicunt, ſit quoad ſubſtantiam divinum, & quoad annuam determinationem Eccleſiaſticum, Eccleſia non determinavit illud ad confitendum etiam per interpretem, ſed ſoli confeſſario, ut conſtat ex textu in cap. *Omnis utriuſque ſexus, de Pœnitent. & Remiſſionibus*, ubi expreſſè habetur, quod omnis fidelis teneatur *Solus* confiteri ſua peccata proprio Sacerdoti ſemel in anno: non confitetur autem ſolus, qui ſimul cum interprete confitetur, ut videre eſt apud Palaum *de Pœnitent.* N. Gabr. à S. Vinc. *diſp* 5. *quæſt.* 3.

4. Concluſio.

19. Neque etiam tenetur quis ad confeſſionem per interpretem faciendam jure divino extra mortis articulum, ut contra Sylveſtrum, verb. *Confeſſio* 1. *num.*15. contra Canum, *relect. de Pœnit. part.* 5. & contra alios docent Cajetanus, verbo *Confeſſio, condit.* 11. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.*2.*art.*6. Ledeſma, Victoria, Petrus Sotus, Medina, Major, Paludanus, quos refert, & ſequitur Suarez, *diſp.*36.*ſect.* 6 Palaus, *punct.*8. *num.* 12. & plurimos congerit, & ſequitur Leander *de Pœnitent. diſp.* 6. *quæſt.* 9. Ratio eſt: quia jure divino nullus ſaltem extra mortis articulum obligatur ad confeſſionem, quæ non ſit ſecreta, ſeu auricularis, quæ ſolius ſoli Sacerdoti ſit, ut colligitur ex Trident. *ſeſſ.*14. *cap.* 15.

Quid in mortis articulo.

20. In mortis verò articulo non obligari adhuc pœnitentem confiteri per interpretem, quantum eſt ex vi præcepti divini confeſſionis, contra N. Philippum, Sylveſtrum, Canum, & alios docent Cajetanus, Sotus, Ledeſma, Victoria, Petrus Sotus, Mediná, Major, Paludanus nuper citati, & alios referens Palaus, *dict. n.*12. & Leander, *diſp.*6. *q.*10. N. Anton. *num.*223. Gabriel a S. Vinc. *loc. cit.* Franciſcus B S. *n.*96. Quia confeſſio, quæ fit per interpretem, ſecretæ confeſſionis limites excedit in hoc foro, & Chriſtus Dominus ſolùm voluit obligare ad confeſſionem ſecretam in hoc foro. Et ita hanc ſententiam practicè probabilem cenſet Suarez, & loquendo de confeſſione per interpretem plena; & materialiter integra, eamdem ſequitur Dicaſtillus ubi ſup. *num.*222.

Quid de ſtrictiſſima lege charitatis, erga ſe ipſum?

21. Verum in eo articulo pœnitens, qui de vera contritione dubitat, non ſolùm per interpretem, ſed etiam publicè, ſi aliter fieri non poteſt, confiteri tenetur, lege ſtrictiſſima charitatis erga ſe ipſum, qua quis obligatur in ultimo vitæ reconciliari cum Deo, ne ſe exponat periculo æternæ damnationis quæ præ omnibus aliis incommodis vitanda eſt. Ita Suarez, Dicaſtillus, Palaus Anton. Gabr. à S. V. citati, Vaſquez, Cajetanus, Coninchus, Layman, Diana, Hurtado, Bonacina, Fagundez, apud Leandrum, Henriquez, *lib.*4. *cap.* 4. *num* 4. & alii paſſim.

Quæſitum 1.

22. Sed petes primò: An teneatur pœnitens, qui de vera contritione dubitat, in articulo mortis confiteri per interpretem omnia, quæ habet mortalia? Reſpondetur, eo caſu non eſſe obligatum confiteri omnia, ſed ſufficere confiteri ea peccata, quæ cum minori in-

infamia explicare poſſet. Ita Suarez, *diſp.* 36. *ſect.* 6. *num.* 5. Et cum multis Diana, 3. *part.* *tract.* 4. *reſol.* 129. Philippus *diſp.* 10. *dub.* 7. & Palaus, *punct.* 8. *num.* 13. inquit: Quælibet confiteri poſſe, aliis relictis: quia ſolum obligatur ſuſcipere Sacramentum, & ejus effectum, quem ſuſcipere poteſt, quolibet peccato confeſſo; tametſi alia relinquat, cum abſolutè à confeſſione omnium ſit excuſatus. Item Coninchus *de Sacramentis, diſp.* 5. *dub.* 10. *num.* 77. Molfeſius *in Summa, tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 11. *num.* 12. N. Antonius à Spir. S. *num.* 223. putant in rigore in tali eum poſſe confiteri aliqua peccata venialia & generatim omnia mortalia dicendo ſe confiteri alia omnia peccata, quibus Deum offenderit: atque ita conſequenter dicendum eſſe fatentur Lugo *diſp.* 15. *num.* 63. & Dicaſtillus, *diſp.* 7. *dub.* 14. *num.* 222. N. Franciſcus, *n.* 97. N. Gabriel *loc. cit.* Herinx, *diſp.* 3. *n.* 91.

Quæſitum 2. · 23. Petes ſecundò: An qui poſt ultimam confeſſionem recordatur alicujus peccati mortalis, cujus in ultima fuit oblitus, & à quo indirectè fuit abſolutus, teneatur in articulo mortis illud confiteri publicè, vel per interpretem? Reſpondetur negativè. Ita Vaſquez, *quæſt.* 91. *art.* 4. *dub.* 3. *num.* 6. Diana, 3. *part.* *tract.* 4. *reſol.* 129. Medulla Theologiæ Moralis, *lib.* 6. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 3. *art.* 3. Et in communi, & probabiliſſima ſententia conſequenter dicendum eſſe fatetur Lugo, *diſp.* 15. *ſect.* 5. *num.* 63. quia nec ad reconciliandum cum Deo, cum jam per confeſſionem ultimam fuerit reconciliatus, neque ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis id requiritur, cum hoc præceptum non obliget ad confeſſionem per interpretem, ut dictum eſt.

PUNCTUM III.

De præcepto confeſſionis quatenus eſt Eccleſiaſticum, & quos obliget?

1. *Concluſio.* 24. DAtur præceptum Eccleſiæ obligans omnes fideles ad confeſſionem, ſemel ſaltem in anno, ſuorum peccatorum, editum in Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. & relatum in cap. *Omnis utriuſque ſexus de Pœnitentiis, & Remiſſionibus*, illis verbis: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſemel ſaltem in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti*: de quo præcepto dubitari non poteſt, cum apertè conſtet ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *canon.* 8. dari tale præceptum obligans, nec ſolum fuiſſe concilium confeſſionis annuæ.

2. *Concluſio.* 25. Hoc Eccleſiaſticum præceptum obligat per ſe, & ex vi proprii præcepti diſtincti à præcepto communionis, conſtat ex cap. *Omnis utriuſque ſexus*; & ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. & *canone* 8. & ex ſenſu omnium fidelium: nihil enim magis tritum, & vulgare inter fideles, quam eſſe quinque præcepta Eccleſiæ, ex quibus duo ſunt confeſſionis, & communionis. Unde qui excuſantur à communione, vel propter ætatem, ut pueri, vel propter aliud impedimentum, non cenſentur excuſari à præcepto confeſſionis: & conſequenter qui omittit confeſſionem, & communionem, duo peccata committit, & utrumque tanquam diſtinctum tenetur confiteri, eſt communis Theologorum ſententia *in* 4. *diſt.* 17. ita Paludanus, Gabriel, Cajetanus, Sotus, Petrus Sotus, Medina, Suarez, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *tract.* 8. *diſp.* 7. *dub.* 3. *num.* 62. Petrus de Ledeſma, Molteſius, Azor, Reginaldus, quos affert, & ſequitur Leander *de Pœnit. diſp.* 3. *q.* 23. Gonet, *diſp.* 8. *art.* 2.

26. Dictum præceptum eſt divinum quoad ſubſtantiam; quoad determinationem verò temporis Eccleſiaſticum. Ita contra Adrianum, *in* 4. *quæſt.* 1. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 4. Vaſquez, *quæſt.* 90. *art.* 1. *dub.* 4. Suarez, Fagundez, Villalobos, Archangelus, Petrus de Ledeſma, Becanus, apud Leandrum, *diſp.* 3. *quæſt.* 24. Canus, *in relect. de Pœnitentia*, Gabriel à S. Vinc. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. & alii paſſim. Probatur ex Tridentino, *cap.* 5. citato dicente, Eccleſiam tantum ſtatuiſſe, ut divinum præceptum confeſſionis ſingulis annis impleretur. 3. *Concluſio.*

27. Omnes homines baptizati habentes conſcientiam peccati mortalis, etiamſi ſint hæretici, comprehenduntur hoc præcepto eſt communis Theologorum conſpiratio; & ratio convincit: quia hoc præcepto omnes baptizati comprehenduntur, quotquot peccatum mortale poſt Baptiſmum commiſerunt: tales autem ſunt, non ſolum Catholici, ſed hæretici validè baptizati, ac proindè illi quoque comprehenduntur. 4. *Concluſio.*

28. Tenentur hoc annuæ confeſſionis præcepto etiam qui tantum habent peccata interna, ut colligitur ex dict. Cap. *Omnis utriuſque ſexus de Pœnitent. & remiſſionibus.* Conſtat ex uſu, & conſenſu Eccleſiæ hoc modo dictum præceptum intelligentis; & probatur ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *canon.* 7. & *cap.* 5. ubi ſic habetur. *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.* Ita Navarrus cum multis, quos refert in Cap. *de Pœnitent. diſtinct.* 5. *num.* 59. Azor, *lib.* 7. *cap.* 40. *quæſt.* 8. Henriquez, *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. Suarez, *diſp.* 36. *ſect.* 2. *num.* 2. Vaſquez, Reginaldus, Valentia, Coninchus, Filliucius, Molfeſius, quos citat, & ſequitur Bonacina *de Sacram. Pœnitent. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. *num.* 6. Petrus de Ledeſma *de Sacram. Pœnitent. cap.* 8. poſt 6. concluſionem ubi ait: *Eſta verdad enſeñan todos los Doctores, aſi Theologos como Juriſtas.* 5. *Concluſio.*

29. Habens ſolùm peccata venialia, non tenetur ad illorum confeſſionem ex vi præcepti annuæ confeſſionis. Eſt communis ſententia Theologorum in 4. *diſt.* 17. quos referunt, & ſequuntur Suarez *diſp.* 36. *ſect.* 2. *n.* 7. & 8. Azor, *cap.* 39. *quæſt.* 3. Henriquez, Reginaldus, Coninchus, Pitigianus, Vaſquez, Lugo, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 6. *dub.* 6. *num.* 109. N. Philippus *diſp.* 10. *dub.* 4. Item Layman, Fagundez, Gaſpar Hurtado, apud Dianam 3. *p. tract.* 4. *reſolut.* 125. Item Petrus de Ledeſma, cum D. Thoma, Cajetano, Cano, Medina, Complutenſi, Soto, & Durando, quos refert *cap.* 8. *poſt* 6. *concluſionem.* Item 28. Doctores congerens Leander *diſp.* 3. *quæſt.* 21. Et probatur primò: quia Eccleſia in annuæ confeſſionis 6. *Concluſio.*

præ-

Digitized by Google

præcepto tantùm loquitur de mortalibus: nam in eo cap. *Omnis utriuſque ſexus* jubemur confiteri omnia, & ſingula noſtra peccata quotannis, quod non poteſt intelligi de omnibus, & ſingulis venialibus, ut omnes fatentur, ac proinde de mortalibus tantum intelligitur præceptum. Secundò: quia, ut ſæpè diximus, & habetur ex Tridentino, præceptum Eccleſiaſticum eſt determinatio præcepti divini: præceptum autem divinum non ubligat confiteri venialia ut docet idem Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. ubi ait: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & utiliter circa omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, &c. Taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari, &c.* ergo Eccleſia non præcipit confeſſionem venialium, ad quam præceptum non obligat divinum.

Illatio. 30. Hinc contra nonnullos alios inſerunt Suarez, *diſp.* 36. *ſect.* 6. Diana *tom* 3. *tract.* 4. *reſol.* 75. *&* 125. Cardinalis Lugo, *diſp.* 15. *ſect.* 7. *num.* 175. Archangelus *diſt.* 17. *pag.* 188. *&* 189. Leander *diſp* 3. *quæſt* 32. Et Noſter Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacrament. Pœnitent. diſp* 5. *quæſt.* 2. Bonacina *de Pœnitent. diſp.* 5. *q* 5. *ſect.* 2. *puncto ultimo, num.* 3. N. Antonio à Spir. S. *num.* 243. & apud ipſum Henriquez & alii, non teneri confiteri venialia eum, qui habet aliud mortale, quod ex juſta aliqua cauſa non debet aperire confeſſario præcisè ex vi pręcepti annuæ confeſſionis: quia præcisè ex vi dicti præcepti, non tenetur quis confiteri venialia.

Quæſitum primum. 31. Sed rogabis primò: An Eccleſia præcipere poſſit confeſſionem ſacramentalem de venialibus, ſaltem de aliquibus? Non poſſe aſſerunt Sotus, & Paludanus apud Dianam, *tom.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 125. Leander *tract.* 5. *de Pœnitentia diſp.* 3. *quæſt.* 36. referens Archangelum *diſt.* 17. *pag.* 19. Et pro hac ſententia refert Diana *tom.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 15. Valhoam, & Bordonum. Moventur: quia Eccleſia immutare nequit materias, & formas Sacramentorum, & eas aliter quam à Chriſto inſtitutæ ſunt, conſtituere: Chriſtus autem inſtituit, ut peccata venialia eſſent materia libera confeſſionis: ergo Eccleſia nequit iſta efficere materiam neceſſariam, & ſub obligatione. Verùm reſpondetur dicendum, id ab Eccleſia præcipi poſſe. Tum: quia ſi ad confeſſionem faciendam ſingulis menſibus, etiamſi mortalibus gravatus non ſit, voto obligari quis poteſt, cur non lege, aut præcepto? Tum etiam: quia ex una parte aliquorum venialium confeſſio eſt actus exterior, & honeſtus, ac valdè utilis profectui ſpirituali, nec ita difficilis, ut ſit lex intollerabilis: & ex altera parte ſic præcipere confeſſionem, non eſt mutare materiam Sacramenti Pœnitentię aliam inſtituendo, ſed tantùm ipſam materiam præcipere, quam Chriſtus liberam, & abſque præcepto reliquit: non eſt ergo caput, ex quo dicamus, non poſſe præcipi ab Eccleſia. Et ita hanc noſtram ſententiam tuentur Canus, Navarrus, Suarius, Diana cum aliis, Vaſquez, Layman, quos refert & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 6. *dub.* 7. *num.* 115. Ita etiam Candidus, *diſq.* 24. *art.* 5. *dub.* 2. Azor 1. *part. lib* 7. *cap.* 39. *dub.* 4. Reginaldus *lib* 6. *num.* 47. Anton. *num.* 229. Gabr. à S. V. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. & alii.

Quæſitum ſecundum. 32. Rogabis ſecundo: An de facto in Clementina ne in agro Dominico §. *Sane, de Statu Monachorum*, ibi: *Ut in ſingulis menſibus, tam in monaſteriis, quam extra ad confeſſionem ſaltem ſemel accedant omnes, & ſinguli*: Benedictinis, quando non habent niſi peccata venialia, menſtrua confeſſio, ſtricto præcepto ſub mortali ubligante, præcipiatur; ita tamen, ut quando mortalibus carent, non teneantur confiteri omnia venialia, ſed ſufficiat coofiteri unum, aut alterum, veniale, vel mortale aliquod, vel veniale jam rectè confeſſum? Affirmant Vaſquez, Azorius, Ochagavia, Hurtado apud Dianam *tom.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 16. At verò Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 4, Cajetanus, Canus, Navarrus, & alii non pauci apud Dian. 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 125. putant ſolùm ſub veniali obligare. Alii denique credunt potius ſub conſilio, & directione, quam ſub rigoroſo præcepro prædictam confeſſionem ſtatutam eſſe. Ita Palaus *de Sacram. Pœnit. tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 20. *num.* 6. referens Barboſam, Henriquez, Rodriguez, & Canum. Item Joannes Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 2. *de Confeſſione dub.* 10. *n.* 62. Item Vivaldius, Fagundez, Villalobos, & alii quos citat, & ſequitur Leander *de Pœnitent. diſp.* 3. *quæſt.* 49.

Quæſitum tertium. 33. Rogabis tertio: An ſit neceſſarium confiteri venialia pœnitenti, qui mortali caret, ſi vult lucrari Jubilæum, quando in illo requiritur confeſſio? Affirmant Sotus *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 3. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 15. *n.* 99. Vivaldus *de Confeſſione, num.* 53. Cajetanus, Villalobos, Granados, & alii apud Leandrum, *de Pœnitent. diſp.* 3. *quæſt.* 35. Fagundez *Præcept.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 20. Lavotius, Fernandez, Homobonus, Floronus, Nuñus, apud Dianam, *tom.* 5. *tract.* 12. *reſolut.* 30. Et hæc ſententia tutior in praxi conſulenda eſt, quia ut communiter Doctores dicere ſolent, indulgentiæ tantùm valent, quantum ſonant: quando in Jubilæo confeſſio requiritur, verba neceſſitatem confeſſionis ſonant, à quibus in dubio non eſt recedendum. Tametſi contrarium, nimirum confeſſionem Sacramentalem non eſſe neceſſariam ad lucrandum Jubilæum, ſi quis peccata mortalia non habeat, probabile ſit: quod tenent Suarez, Henriquez, Coninckus, Filliucius, Layman, Portel, Zerola, Villalobos, Reginaldus, Comitolus, Ludovicus à Cruce, Zenardus, Benconius, Fabrinus, Santarelus, Bottonus, Fauſtus, Graſſius, quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 30. *citata*, & *tom.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 126.

PUNCTUM IV.

Quo tempore anni obliget Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis præceptum? & quomodo ſit computandus annus?

Prima concluſio. 34. PRæceptum hoc Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis per ſe, ſeu ratione ſui, non obligat determinatè in Quadrageſima, vel in Paſchate, ſed illi poteſt ſatisfieri confeſſione facta in qualibet anni parte: quia in cap. *Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſionibus*; non limitatur tempus confeſſionis ad aliquam anni partem determinatè, ſed ſolùm dicitur, quod quis teneatur ſemel in anno confiteri.

Ita D. Antoninus, Sylveſter, Sotus, Canus, Victoria, Ledeſma, Navarrus, Suarius, Henriquez, Valentia, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.6. dub.*8. *num.* 119. Item Vaſquez, Emanuel Sa, Coninchus, Layman, Bonacina, qnos refert, & ſequitur Palaus *tract.* 23. *diſp. unica*, *punct.* 20. *num.*8. & cum aliis multis Leander *diſp.*3. *quæſt.* 39. Gonet *art.* 2. Stephanus à S. P. *num.*237. N. Philippus à SS.Trin. *diſp.* 10. *dub.*6.

Objectio. 35. Sed objiciunt Petrus Soto, *lect.* 5. *de Confeſſione.* Medina cap. *de Pœnit. quæſt.* 18. *de Confeſſione ſemel in anno.* Azor *lib.*7. *cap.* 39. *q.* 7. Megala *in* 1. *lib.* 5. *cap.*3. *num.*3. ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine legitimè jam præſcripta teneri fideles ad confitendum in quadrageſima determinatè, præſertim tempore Paſchatis, quod videtur affirmare Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *in fine.*

Reſponſio. 36. Reſpondetur cum Valentia, Henriqnez, Suario, & Vaſquio apud Dicaſtillum ubi ſupra *num.*121. illam conſuetudinem non habere vim legis: quia non eſt introducta ex obligatione per ſe, ſed vel ex devotione, vel obligatione per accidens: quia ſcilicet tempore Paſchatis ſunt communicaturi fideles, & tunc vel neceſſe habent quamplurimi confeſſionem præmittere, vel ſi neceſſe non habent, id faciunt ex devotione, minimè tamen inficiandum eſt, pro illlus temporis ſanctitate morem eſſe pium, ac laudabilem, tempore Paſchatis confiteri, quem morem laudat Tridentinum, & approbat *cap. illo* 5. *citato*; non tamen aliud circa id tempus decernit, ut cum aliis notant Dicaſtillus ibidem, & Diana, *tom.*2.*tract.*17. *reſol.*54. N. Philippus *loc. cit.*

Qualiter annus computetur. 37. Annum pro impletione dicti præcepti computandum, eſſe à Januario in Januarium: quia annus abſolutè dictus communiter ſic computatur, aſſerunt Vaſquez, *quæſt.*90. *art.*3. *dub.* 1. *num.* 15. Diana, *tom.*4. *tract.*4. *reſol.*206. Hurtado, Ochogavia, & Lugo, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, & Franciſc. B. Spei, *diſp.*5. *de Pœnit. num.* 63. Verùm modus computandi annum communi Doctorum authoritate receptus eſt ab uno tempore Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ; in aliud Paſcha Reſurrectionis: quia hic cenſetur annus Eccleſiaſticus, & conſuetudini Eccleſiæ magis conformis. Ita Henriquez *de Pœnit. li.*. 1. *cap.*14. *num.* 2. Victoria, *num.*126. *alias* 137. Ledeſma, 2.*part.* 4. *quæſt.* 6. *art.* 5. *dub.*6. Suarez, *diſp.*36. *ſect.*3. *num.*8. Azor, *lib.*7. *cap.* 38. *qu.*6. Cuninchus, *diſp.* 5. *dub.*6. *concluſ.*2. *num.* 56. Reginaldus, *lib.*6. *num.*35. & 37. Sà, verbo *Confeſſio*, *num.* 4. Filliucius, *tract.*7. *cap.*3. Layman, *tract.*6. *cap.*5. Bonacina, *diſp.*5. *quæſt.*5. *ſect.*2. *punct.*4. *num.* 19. referens Nuñum, Sylveſtrum, & alios. Item Mercerus, & Fagundez, quos refert, & ſequitur Leander, *diſp.*3. *quæſt.* 40. N. Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacramento Pœnitentiæ*, *diſp.*5. *quæſt.*2. Antonius à Spit. S. *num.*239. & apud Palaum, *tract.*23. *diſp. unica*, *punct.*20. *num.* 10. Navarrus, Sotus, & Medina.

1. Difficultas. 38. Sunt tamen aliqnæ difficultates breviter expediendæ. Prima eſt; An qui confeſſionem integro anno omiſit, teneatur ſtatim cum primum poſſit confiteri? Negant Sylveſter: verbo *Euchariſtia*, 3. *quæſt.* 15. Ledeſma, 2.*part.* 4. *quæſt.*6. *art.*5. *dub.* 7. Herinx, Marchantius apud N. Franciſcum *num.* 72. & alii apud Dianam, *tom.*3. *tract.*4. *reſol.* 130. & apud Dicaſtillum, *diſp.*6. *dub.*9. *num.* 146. & alii. Moventur argumento deſumpto ex aliis præceptis, quæ tempore deſignato alligata ſunt, ut jejunandi, recitandi horas, audiendi ſacrum, &c. quorum obligatio ceſſat, tranſacto tempore obligationis executioni deſignato. Aſſerendum tamen, & in praxi conſulendum eſt, eum, qui ſive juſtè, ſive injuſtè confeſſionem annualem omiſit, obligatum eſſe initio ſequentis anni, cum primum poſſit confiteri: quia tempus unius anni non aſſignatur, ut terminus finiens obligationem, ſed ne ultra confeſſio differatur: quando autem terminus non aſſignatur ad finiendam obligarionem, ſed ne ultra debeat differri opus præſcriptum, qui tunc omittit, obligatus manet, cum primum poteſt argumento textus in lege *Celſus*, §. *ſed ipſe*, *ff. de receptis arbitr.* Ubi obligatus certo die pecuniam ſolvere, ſi tunc omittit, obligatus manet, cum primum poſſit: quia terminus ille non ad finiendam obligationem, ſed ne ultra differretur, ſignatus eſt. Sic ergo dicendum eſt in hac lege annuæ confeſſionis. Ex quo oppoſitæ ſententiæ fundamentum ruit: noſtram autem docent Sotus, Medina, Navarrus, Victoria, Suarez, Coninchus, quos refert, & ſequitur Layman, *tract.*6. *cap.* 5. *num.*9. Nuñus *in addit*, *quæſt.*6. *art.*5. *diffic.* 6. Valentia, Fagundez, Villalobos, Gaſpar Hurtado, apud Dianam ubi ſupra, Zerola, Peſantius, Vaſquez, Nuñus, Filliucius, Molfeſius, quos citat, & ſequitur Bonacina *de Pœnitent. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. *num.* 26. Luyſius, Turrianus, Becanus, Lugo, Reginaldus, apud Leandrum, *diſp.*3. *quæſt.*41. Major, Toletus, Paludanus, Bartholomæus à Medina, Rodriguez, Angles; apud Dicaſtillum ubi ſupra *num.* 147. è Noſtris Anton. à Spir. S. *num.* 247. Franciſcus *loc. cit.* Philippus *dub.*6. Urbanus quem refert & ſeq. Stephanus à S. P. *num.* 241. & verè probabilem & in praxi conſulendam aſſerit Gabr. à S. Vinc. *quæſt.* 2. & alii.

39. Secunda difficultas eſt: An is qui ineunte jam anno prævidet ſe non habiturum copiam Confeſſoris, vel alia via à confeſſione impediendum in toto reliquo anni tempore, teneatur anticipare confeſſionem antè anni finem? Negant aliqui, quos ſuppreſſo nomine refert Ludovicus de S. Juan, *quæſt.* 5. *de Pœnit.* *art.*6. *dub.*7. *pag.*399. Sed reſpondendum eſt affirmativè ex communi Doctorum ſententia, quam tradunt Snarez, Vaſquez, Coninch. Henriquez, Reginaldus, Bonacina, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *punct.*20. *n.*11. Item Navarrus, Fagundez, Diana, Lugo, Villalobos, apud Leandrum, *diſp.*3. *quæſt.* 47. Sylveſter, Tabiena, Azor, Pitigianus, Zerola, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *dub.*9. *num.* 144. N. Philippus & Stephanus citati. Antonius à Spir. S. *num.* 250. Ratiu eſt: quia jam præſenti anno incipit obligari præcepto confeſſionis intra latitudinem illius: unde ſi ſequenti tempore non poteſt, & poteſt in præſenti, *2. Difficultas.*

ſenti, tunc tenetur implere, ſicuti is, qui cum manè hora ſeptima: v.g. dominico diè Miſſam audire poteſt, & prævidet, fore, ut poſteà non ſit copia Miſſæ audiendæ, is ſtatim audire debet, ut impleat præceptum.

3. Difficultas. 40. Tertia difficultas eſt: An qui in anno ſemel ſaltem confeſſus eſt peccata venialia, ſi poſteâ ante finem anni committat aliquod mortale, teneatur ex præcepto annuæ confeſſionis confiteri intra illum annum dictum peccatum mortale? Reſpondetur affirmativè: quia eo præcepto tantum præcipitur confeſſio mortalium: unde per ſolam confeſſionem venialium intra annum factam non eſt impletum præceptum Eccleſiaſticum pro illo anno, ſi poſtea intra eumdem annum adſit aliquod mortale de novo commiſſum: quia confeſſio jam eſt actus præceptus pro illo anno. Ita Vaſquez, Suarez, & Lugo, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp. 6. dub.* 8. *num.* 131. cum Zerola, & Reginaldo, Bonacina, ubi ſupra, *num.* 33. Item Becanus, Diana, Mercerus, Hurtado, Luyſius, Turrianus, quos citat, & ſequitur Leander, *diſp. 3. quæſt.* 37. Layman, *lib. 5. Summæ, tract. 6. cap. 5. num.* 10. Palaus, *tract. 22. diſp. unica, punct.* 20. §. 3. *num.* 1. Addunt etiam bene Lugo, *diſp.* 15. *num.* 173. & Dicaſtillus *loc. cit.* idem dicendum eſſe de illo, qui habens aliquod peccatum mortale, cujus non recordatur, confitetur ſola venialia, nempe quod teneatur poſtea dum recordatur, illud eodem anno confiteri propter rationem allatam, ut bene notat N. Antonius à Spirit. S. *de pœnit. num.* 246.

4. Difficultas. 41. Quarta difficultas: An qui intra annum confeſſus eſt peccata mortalia, ſi ante finem anni peccet iterum mortaliter, teneatur illo anno iterum confiteri, ut ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis, quo præcipitur omnia peccata confiteri? Affirmant Mercerus *de Sacramentis, in 3. p. quæſt. 6 art. 5 num.* 3. & alii apud Bonacinam, *diſp. 5. quæſt. 5 ſect. 2. punct. 4. num.* 33. Verum ex vi ſolius præcepti annuæ confeſſionis non dari talem obligationem ſed poſſe ea nova peccata ſervari ad confeſſionem anni ſequentis: quia præceptum ſolùm eſt confitendi ſemel peccata mortalia, quæ poſt diligentem inquiſitionem memoriæ occurrunt tempore confeſſionis, niſi periculum mortis adfuerit, vel Euchariſtiam ex præcepto ſuſcepturus ſit, vel ad Euchariſtiam voluntariè acceſſurus, docent communiter Doctores, Cardinalis Lugo, *diſp. 15. ſect. 7. num.* 164. Gaſpar Hurtado *de Sacramentis, diſp. 7. de Pœnitentia, difficultate* 11. Diana, *4. part. tract. 4. reſolut.* 206. Victoria; Ledeſma, Reginaldus, quos citat, & ſequitur Bonacina *loco citato*, Vaſquez, Luyſius, Archangelus, quos adducit, & cum quibus ſentit Leander, *diſp. 3. quæſt.* 38. Coninchus, & Layman, quos citat, & ſequitur Palaus *loco citato num.* 3. Addit etiam Lugo, *num.* 169. idem dicendum eſſe, de eo, qui hoc annò confeſſus eſt ſæpe venialia, atque etiam aliquod mortale dubium, poſteà vero incidit in aliquod mortale certum: hic enim non obligatur ad confitendum hoc peccatum novum, ante finem anni: quia verè implevit jam ſemel præceptum Eccleſiæ, & Chriſti hoc eodem anno: nam Chriſti præceptum licet non ſit confitendi ſolùm venialia, eſt tamen confitendi non ſolùm peccata gravia certa, ſed etiam dubia: illud ergo præceptum impletum eſt confitendo ea peccata dubia, quæ tunc habebat, & idem docent Dicaſtillus, *diſput. 6. dub.* 8. *num* 134. & N. Anton. *num.* 245.

42. Quinta difficultas: Utrum qui adhibita *5. Difficultas.* ſufficienti diligentia confitetur mortalia, quorum nunc recordatur, & poſt confeſſionem memoriæ occurrit alterum peccatum mortale oblitum, debeat illud hoc eodem anno confiteri, ut compleat confeſſionem præcedentem? Affirmat Medina *in ſumma, lib.* 10. *cap.* 14. §. 41. Sed communis, & verior ſententia negat, quam docent Suarez, *tomo 4 diſput. 36. ſect. 4. num.* 6. Bonacina, *diſput. 5. q. 5. ſect. 2. puncto 4. num.* 32. & apud ipſum Navarrus, Reginaldus, Coninchus, Valentia, Nuñus, Filliucius, & Molfeſius. Item Villalobos, Sylvius, Joannes de la Cruz, Layman, Victoria, Fagundez, Toletus, Sylveſter, Gaſpar Hurtado, quos citat, & ſequitur Diana, *tom. 3. tract. 4. reſolut.* 124. Granados, *tract. 1. de Pœnitentia, diſp 9. num.* 1. Ludovicus, *quæſt. 5. art. 6. dub* 5. Dicaſtillus, *diſp 6. dub. 8. num.* 133. N. Gabriel à S. V. *diſp. 5. q.* 2. Antonius *num.* 242. Et ratio eſt: quia Eccleſia ſolum præcipit, quod ſemel in anno ſatisfiat Chriſti præcepto: ſed per illam primam confeſſionem ſatisfactum eſt Chriſti præcepto, quod eſt confitendi omnia mortalia, quæ tunc memoriæ occurrunt, diligenti examine præmiſſo: ergo per illam primam confeſſionem ſatisfactum eſt Eccleſiæ præcepto; per ſecundam autem confeſſionem, non ſolum impleretur ſemel, ſed bis præceptum Chriſti, ad quod tamen Eccleſia non obligat. Cur autem antè communionem non ſufficiat ſemel confiteri, ſed oporteat confiteri peccata non ſolum nova, ſed etiam quæ de novo memoriæ occurrunt, diximus *in tract. 4. de Sacramento Euchariſtiæ, cap. 7. punct. 3. num.* 30.

43. Sexta difficultas eſt: An quando aliquis *6. Difficultas.* in confeſſione propter juſtam cauſam ſcienter dictis aliis peccatis mortalibus, tacuit aliquod mortale, teneatur illud intra eumdem annum confiteri, quando jam commodè poteſt? Affirmant Sotus, *diſt. 18. quæſtion. 2. art. 5. antè ſolutionem quarti*, Corduba, *in ſumma, caſu primo in principio*, & alii. Sed probabilius negant Cardinalis Lugo ubi ſupra, *num.* 167. N. Gabriel *citatus*, & in ſimili Dicaſtillus, *diſput. 6. dub.* 8. *num.* 138. & alios referens Leander, *diſput. 3. quæſt.* 45. aſſerentes poſſe illius peccati confeſſionem differre, uſque ad alium annum, niſi prius ratione periculi mortis, aut Euchariſtiæ ſuſcipiendæ oporteat confiteri: quia jam hic pœnitens præſentavit ſe ſuo Sacerdoti, & dixit illi omnia peccata mortalia, quæ illius memoriæ, facto diligenti examine, occurrebant, & quæ tunc poterat dicere, quod videtur ſatis ad implendum Chriſti præceptum, & ad obſervandum præceptum Eccleſiæ. Quod idem dicendum putant Lugo, & Dicaſtillus citati, ſi aliquis in mortis periculo confeſſus eſt aliquod mortale, etiamſi alia, quia non potuit, omiſerit: poſteà nimirum convaleſcentem non teneri eo anno confiteri: quia illa confeſſione implevit præceptum.

7. Difficultas.

44. Septima difficultas eſt: utrum qui elapſo toto anno præcedeoti abſque confeſſione, poſtea confitetur inchoato jam hoc anno præſenti, debeat iterum hoc anno confiteri? Prima ſententia abſolutè aſſarit, prædictam confeſſionem ſufficere pro hoc etiam anno currenti: quia jam hoc anno confitetur mortalia, quorum conſcientiam habet, quando confitetur. Ita Cardinalis Lugo, *diſput.* 15. *num.* 180. Dicaſtillus ubi ſupra, *num.* 142. N. Antonius, *num.* 249. & favet cum Herinx, Franciſcus B. S. *num.* 77. Secunda ſententia ex diametro oppoſita docet, pœniteotem unica confeſſione noo ſatisfacere utrique obligationi, cum ad unam confeſſionem teneatur ratione anni præteriti, & ad aliam ratione præſentis anoi. Sicut enim qui tenetur ſingulis anois ſolvere nummum aureum; ſi anno præterito non ſolvit, non ſatisfaciet ſuo muneri, & obligationi, ſi hoc anno unum tantummodo nummum ſolvat: ita præcepto confeſſionis non ſatisfaciet unica confeſſione, qui anno præterito non eſt cooſeſſus, ſed ad duas tenetur confeſſiones, ut ſatisfaciat obligationi præteriti, & præſentis anni: conſequenter ſi unam tantummodo fecit cooſeſſionem, & iterum nolit pro anni præſentis obligatione confiteri, poteſt per cenſuras ab Epiſcopo compelli ad confitendum. Ita Suarez, *diſput.* 36. *ſect.* 4. *numer.* 5. Coniochus, *diſput.* 5. *dub.* 8. *num.* 65. Bonacina, *diſput.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. *num* 31. referens Nunum, & Filliucium, Becanus, *cap.* 36. *quæſt.* 8. *conclus.* 5. & apud ipſum Medina, *Cod. de confeſſione*, *quæſt.* 14. Sotus, & Navarrus, apud Leandrum, *diſput.* 3 *quæſt.* 44. Verum tertia ſententia, veluti inter duas præcedentes media, non levi rationis fundamento ſic io hunc modum diſtinguit, vel pœnitens ea dilatione mortaliter peccavit, & peccatum modo in confeſſione aperit, aut aliod mortale commiſit, & nunc in cooſeſſione manifeſtat, & ſic hujuſmodi confeſſionem pro hoc etiam anno currenti ſufficere, aſſerit cum prima ſententia: cum verè per talem confeſſionem ſubjiciat clavibus etiam materiam oeceſſariam, in quam præſenti anno incidit, vel neque ea dilatione mortaliter peccavit, neque eo anno aliud mortale commiſit, & ſic cum ſecunda ſenteotia fatetur, non ſatisfacere obligationi anno præſenti confitendi. Unde ſi poſtmodum incidat in mortale, tenebitur illud intra eumdem annum clavibus Eccleſiæ ſubjicere. Ita Præpoſitus, *in* 3. *part. quæſt.* 3. *de confeſsione*, *dub.* 8. *num.* 52. Gaſpar Hurtado, *diſput.* 7. *difficultate* 12. Diana, 4. *part. tract.* 4. *reſolution.* 206. Leander, *dict. quæſt.* 44. & huic ſententiæ non parum favet Palaus, *punct.* 20. §. 2. *num.* 15.

PUNCTUM V.

Per quam confeſſionem impleatur Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis præceptum.

Per Sacramentum validum, informe impletur

45. ALiqua ſunt circa præſens punctum communiter recepta, de quibus jam egimus *puncto præcedenti.* Prætereà etiam valdè receptum eſt caſu, quo in ſatis probabili ſeotentia detur cooſeſſio valida, ſed informis, juxta ea quæ ſupra tradidimus, per hujuſmodi confeſſiooem præcepto ſatisfactum eſſe. Nam eſto fini præcepti, qui eſt reconciliari cum Deo, ſatisfactum non ſit, materiæ tamen præcepti, quæ eſt confeſſio valida, veraque Sacramenti ſuſceptio, ſatisfactum eſt. Ita Suarez, *diſp.* 35. *ſect.* 4. Henriquez, Nuños, Valentia, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 5. *quæſt* 5. *ſect.* 6. *puncto* 4. Granado, *tract.* 1. *diſput.* 8. *num.* 10. Cardinalis Lugo, *diſput.* 15. *ſect.* 6. *num* 137. Hurtado, *diſput.* 7. *difficultate* 14. Faguodez, *præcepto* 2. *lib.* 1. *cap* 4. *num* 13. Palaus *loco citato*, §. 3. *num.* 4. Graffius, Pitigianus, Peſantius, Zerola, Nuñus, Durandus, Adrianus, Sotus & alii, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 7. *dub.* 12. *num.* 195. N. Philippus, *diſp.* 10. *de pœnit. dub.* 6. Gabriel à S. Vioc. *diſput.* 5. *q.* 2. Antonius *num.* 232.

ſufficienter hoc præceptum.

46. Non parvæ controverſiæ quæſtio eſt: An ſatisfiat Eccleſiæ præcepto annuæ confeſſionis per confeſſionem nullam ob defectum omninò internum: eo quod non habeat quis internum dolorem, aut non confiteatur peccata cordis? Affirmat enim per talem confeſſionem ſatisfieri præcepto illi, quod ſolum eſt ab Eccleſia, Dicaſtillus *num.* 199. citans pro ſe Vaſquium, *quæſt.* 90. *art.* 1. *dub.* 4 *num.* 45. & hanc ſententiam probabilem eſſe cenſuit Diana, *tom.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 120. & *tom.* 8. *tract.* 1. *reſolut.* 50. cum Fagundez, *præcepto* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. *in fine*, referens Paludanum, Gabrielem, Sylveſtrum, Victoriam, & Alenſem. Moventur præcipuè: quia dolor internus ſeu peccata merè interna non caduot ſub præcepto Eccleſiæ, quæ ſolum externum confeſſionis actum præcipere poteſt: de occulto autem defectu non judicat.

An impleatur per confeſſionem nullam ob defectum omnino internum.

Concluſio.

47. Verum negativa ſententia nobis omninò tenenda eſt, quam pluribus relatis firmat Suarez, *diſput.* 36. *ſect.* 7. *num.* 3. & 8. Sotus, *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 3. Medina *in ſumma*, *lib.* 1. *cap.* 14. §. 41. Nuños *in additionibus*, *ad.* 3, *part. q.* 6. *art.* 5. *difficultate* 6. Navarrus, *cap.* 10. *num.* 4. Bonacina, *punct.* 4. *num.* 23. & apud ipſum Henriquez, Azorius, Reginaldus, Pitigianus, Molfeſius, Filliucius. Item Palaus *tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 20. *num.* 4. & apud ipſum Comitolus, Coninchus, & Layman. Item Granados, *controverſ.* 7. *diſput.* 9. *num.* 24. Cardinalis Lugo, *diſput.* 15. *num.* 136. & 138. Leander, *diſput* 3. *quæſt.* 53. Sylvius *in* 3. *p. quæſt.* 6. *art.* 5. Faber *de Pœnit. in* 4. *ſent. diſt.* 17. *quæſt.* 1. *diſput.* 30. *cap.* 3. *num.* 55. Sà, verb. *confeſsio*, *num.* 1. Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 3. *de confeſſ. dub* 9. *num.* 55. Amicus *in curſu Theologico*, *tom.* 8. *diſp.* 18. *ſect.* 8. *per totam*, Gonet, *diſp.* 8. *art.* 2. & è Noſtris eandem tenent Gabriel à S. Vinc. & Philippus a SS. Trinit. *loc. cit.* Antonius à Spirit. S. *num.* 231. Urbanus *tract.* 1. *cap.* 36. Franciſcus *diſp.* 5. *num.* 66. Stephanus à S. Paulo *num.* 242.

Probatur.

48. Probatur primò: quia Eccleſia præcipit peccatoribus Sacramentum Pœnitentiæ recipere ſemel io anno, quod Chriſtus Dominus ſimpliciter præcepit aliquando recipere: atqui per confeſſionem ſinè interno dolore, vel ſinè propoſito emendationis, aut ſinè animo confitendi, vel tacendo peccata cordis, non recipitur verum Sacramentum, ut conſtat: ergo

per

per talem confeſſionem non impletur Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis præceptum. Secundò: quia præcepto divino de confeſſione facienda non fit ſatis per confeſſionem invalidam ob defectum internum, ut adverſarii etiam fatentur: ergo neque fit ſatis Eccleſiæ præcepto; hoc enim non aliam confeſſionem præcipit, quam Chriſtus præcepit, & ſolùm eſt præcepti divini determinatio, ut dixit Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *cap.* 15. & *can.* 8. Tertiò: quia, ut idem Tridentinum, eodem canone 8. docet: *Ad confeſsionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, tenentur omnes, & ſinguli utriuſque ſexus Chriſti fideles, juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem ſemel in anno*: ſed qui peccata confitetur ſinè dolore interno, aut non pandit peccata cordis, non facit confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, ad quam ſinguli fideles tenentur, juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem ſemel in anno: ergo non adimplet annuæ confeſſionis Eccleſiaſticam conſtitutionem, ſeu præceptum. Quartù: quia Eccleſia poteſt præcipere actum internum, ſinè quo non ſtat actus externus præceptus: ergo poteſt præcipere actum internum doloris, intentionis, propoſiti, & manifeſtationem peccatorum cordis, ſinè quibus eſſe non poteſt actus externus præceptus, nimirum receptio Sacramenti Pœnitentiæ: quippe cum illi actus ſint requiſiti ad Sacramenti valorem. Quintò: quia quamvis actus interior per ſe præcipi non poſſit, tamen quatenus eſt veluti forma actus exterioris, præcipi optimè poteſt præcepto ipſo Sacramento: ſicuti præcipiendo vocalem orationem, præcipit Eccleſia interiorem attentionem, quæ eſt veluti forma talis orationis. Et per hæc expeditum manet fundamentum contrariæ ſententiæ. Sextò: quia Eccleſia in Cap. *Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & remiſsionibus*, præcipit ſemel in anno omnes fideles omnia ſua peccata mortalia fideliter confiteri: at ſi abſque dolore, intentione, &c. vel tacendo mortalia peccata cordis quis fateatur, non verè, & fideliter, ſed infideliter, & fictè, peccata fatetur: non igitur Eccleſiæ præcepto ſatisfacit. Septimò: quia qui nullam facit confeſſionem, verè confeſſionem omittit, cum idem ſit actum non fieri, ac fieri nullum. Lege *Duo ſunt Titii*, ff. *de teſtam. tutela.* Octavò: quia nomine confeſſionis præceptæ confeſſio valida intelligi debet, ſub appellatione enim actus regulariter ſolus validus comprehenditur: ut pluribus firmat Tyraquellus de *retract. lignag.* §. 1. *Gloſ.* 2. *num.* 5. & Leg. *Boves*, §. *Hoc ſermone, tota limit.* 1. ff. *de verbor. ſignificat.* Seraphin. *de privileg. juram. privilegio* 71. *in fine.* Nonò ſpecialiter probatur: per confeſſionem, in qua reticentur peccata interna cordis, quæ memoriæ occurrunt, non impleri præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis. Tum, quia Concilium Tridentin, *ſeſſ.* 14. *can.* 7. & *cap.* 5. expreſsè poſtulat confeſſionem omnium mortalium, etiamſi occultiſſima ſint, quæ poſt diligentem diſcuſſionem memoriæ occurrunt. Tum etiam: quia Eccleſia in Cap. *Omnis utriuſque ſexus de Pœnitent. & remiſsionibus*, præcipit univerſaliter, & ſinè ulla reſtrictione, omnes fideles poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, *Omnis ſua peccata*, ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti fideliter confiteri. Quarè meritò Alexander VII. damnavit ſequentem opinionem. *Qui facit confeſsionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ* atque ita omnis probabilitas illi ſententiæ ablata eſt. Vide N. Gabr. *de remediis ignor. diſp.* 12.

49. Ex his infertur primò, invalidè confitentem, etiam ob defectum omnino internum: v. g. doloris, aut quia non confitetur peccata cordis, incurrere excommunicationem Synodalem, quæ ipſo facto, omnibus omittentibus confeſſionem ſemel in anno præceptam in pluribus Diœceſibus impoſita eſt: quia verè confeſſionem præceptam omittit, & cenſetur contumax, contra Eccleſiam, cum non adimpleat præceptum, ob cujus tranſgreſſionem excommunicatio latæ ſententiæ impoſita eſt. Ita Suarez, & Fagundez, quos refert, & ſequitur Palaus, *dict. punct.* 20. *num.* 5. N. Gabriel à Sancto Vincentio, *de Pœnitentia, diſput.* 5. *quæſt.* 2. Cardinalis Lugo, *diſput.* 15. *ſect.* 6. *num.* 138 Bonacina, *punct.* 4. *num.* 25. & apud ipſum, Nuñus, & Corduba, Præpoſitus, & Amicus ubi ſupra, rametſi contrarium ſentiant Navarrus, *cap.* 10. *num.* 4. Henriquez, *lib* 4. *cap.* 4. *num.* 1. & apud ipſum Canus, Medina, Ledeſma, & alii: propterea, quod probari non poſſit confeſſionis defectus. Sed Reſpondetur, id neceſſarium non eſſe cum non delicto probato; ſed actui malæ confeſſionis, & peccato non purè mentali, ſed externo omiſſionis ſusceptionis Sacramenti ſenſibilis præceptæ, etiamſi per accidens probari non poſſit in judicio, excommunicatio Synodalis annectatur, ut optimè notant Suarez, Fagundez, & Palaus citati. Secus verò eſt de privatione ſepulturæ, & ingreſſu Eccleſiæ per ſententiam judicis imponendis, quæ cum probationem delicti requirant, & hæc fieri nequeat, imponi non poſſunt, ut benè ex Corduba, & Fagundez, obſervavit Palaus *loco citato*. *Illatio* 1.

50. Infertur ſecundò, ea confeſſione non ſatisfieri Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis præcepto, qua vel ex ſolâ malitiâ, vel inadvertentia confeſſarii abſolutio non ſequitur. Tum quia, Eccleſia re ipſa præcipit, ut Sacramentum Pœnitentiæ quotannis ab iis ſuſcipiatur, qui peccati mortalis conſcii ſunt; Sacramentum autem non conſiſtit ſinè abſolutione Sacerdotis. Tum etiam: quia per eam confeſſionem non ſatisfit præcepto divino: ſiquidem peccata ſoluta non ſunt, ſed adhuc retinentur, ut abſolutioni directè ſubjiciantur: ergo neque ſatisfit Eccleſiæ præcepto, quod eſt divini determinativum. Et explicari poteſt exemplo Euchariſtiæ: cum enim quis credens, ſe Euchariſtiam recipere, hoſtiam inconſecratam loco conſecratæ, vel ex malitia, vel ex inadvertentia Sacerdotis recipit, præcepto communicandi non ſatisfacit, ſed errore detecto, obligatus eſt communicare: quia præcedentis hoſtiæ ſumptio non fuit Sacramentalis communio: ergo pariformiter cum confeſſione, quam abſolutio non ſequitur, neque ſit pars Sacramenti, neque peccata ſolvat, aut remittat, non eſt confeſſio, qua ſatisfiat præcepto. Ita docent Navarrus, Suarez, Coninchus, Fagundez, *Illatio* 2.

dez, Layman, quos citat, & ſequitur Palaus *loco citato*, *num.* 7. & plures referens Leander *de Pœnitent. diſp.* 3. *quæſt.* 55. Contrarium tamen ſentit Azor, *lib.*7. *cap.*29. *quæſt.* 4. & alii apud Palaum, *dicto num.*7. Et moventur primò: quia culpa confeſſarii pœnitenti nocere non debet. Secundò: quia præceptum non eſt impoſitum pœnitenti, nec imponi poteſt de actione, quæ non eſt in ſua poteſtate; ſed ab alterius poteſtate pendet, qualis eſt abſolutio. Sed reſpondetur, ad primum quidem non obſtare non pœnitentis, ſed Sacerdotis culpâ defectum abſolutionis contingere: id enim probat, pœnitentem excuſatum eſſe à præcepto, & à pœnis ei annexis, dum bona fide exiſtimat ſe abſolutum eſſe; ſecus verò eſt, ſi bona fides ceſſet, & defectum agnoverit, ſicuti benè docent Corduba, Suarez, Fagundez, quos citat, & ſequitur Palaus. Ad ſecundum verò dicendum, abſolutionem aliquo modo eſſe in poteſtate pœnitentis; quia eſto ab ipſo proximè non pendeat, ab ipſo tamen pendet, abſolutionem procurare, eique confiteri, qui abſolutionem concedat; ſi tamen aliquando id præſtare non poſſit, à præcepto excuſabitur, tametſi illud non impleat.

PUNCTUM VI.

Quæ cauſæ excuſent à præcepto annuæ confeſſionis?

Conclusio. 51. Fideles excuſantur ab hujus præcepti tranſgreſſione, quoties abſolutè, vel ſinè gravi detrimento nequeunt ſua peccata confiteri: nam Eccleſia non obligat cum tanto diſpendio. Ita Suarez, *diſp.* 36. *ſect.*6. Nuñus, *in addit. quæſt.*6. *art.*6. Palaus, *tract.*23. *diſp. unica*, *punct.*20. *num.*8. Bonacina, *diſp.*5. *quæſt.* 5. *ſect.*2. *punct. ultimo.* Villalobos, *tract.* 9. *difficultat.* 29. Henriquez, Reginaldus, Coninchus, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp* 7. *dub.*13. *n.*214. N. Gab. *diſp.*5. *q* 2. Stephan. *num.*243. & communis.

52. Hinc ſequitur primò, te eſſe excuſatum, ſi immineat tibi, vel alteri grave damnum vitæ, honoris, vel fortunæ licet ordinariè hæc cauſa tantùm excuſet à confeſſione alicujus peccati in particulari, ex cujus manifeſtatione ſolet ſequi illud inconveniens. Ita Filliucius, *tract.*7. *cap.*3. *quæſito* 8. Dicaſtillus, Palaus, & alii citati. Illud verò detrimentum honoris, quod ex confeſſione ipſa ſubſequitur, ut quod confiteri valdè erubeſcas, vel apud Confeſſarium minus habearis, opinionemque ſanctitatis, quam de te conceperat, amittas, non te poteſt à præcepto excuſare, ut benè notarunt Coninchus, *diſp.*5. *dub.* 10. *num.*73. & Palaus, *dicto num.*8. *Corollarium 1.*

53. Sequitur ſecundò, te etiam excuſari, ſi non potes habere confeſſarium, niſi longum iter conficias cum gravi incommodo judicio prudentis viri, neque enim cogendus es propter ſolum præceptum Eccleſiaſticum, quando non urget periculum ſalutis. Ita Bonacina, Dicaſtillus, Filliucius, Noſter Gabriel, & alii. *Secundum.*

54. Sequitur tertiò, illum excuſari, qui non poteſt ſua peccata confiteri ſub ſecreto ſigilli confeſſionis, ut ſi confeſſarius vitio ſurditatis laboret, vel talis anguſtia loci ſit, quæ non patiatur confeſſionem fieri, niſi alii audiant: ut cum Suario, Henriquez, Filliucio, & Vaſquio, docent Bonacina, *dicto puncto ultimo*, *num.* 4. & Dicaſtillus *loco citato*, *num.* 215. An verò excuſetur quis à confeſſionis præcepto, ſi aliâ viâ, quam per interpretem, vel ſcripturam, vel nutus declarare peccata non poſſet? Superius *puncto* 2. cum de præcepto divino confeſſionis ſermonem fecimus, deciſum reliquimus. *Tertium.*

Videri interim poterunt latius hìc N. Gab. à S. Vincentio, Ant. à Spirit. S. *in directorio confeſſariorum de Pœnit.* & brevius Stephanus à Paulo *loc. cit.*

CAPUT OCTAVUM.

De integritate confeſſionis Sacramentalis, & de circumſtantiis tam in communi, quam in particulari.

IN HOC CAPITE SUNT SEX PUNCTA.

P. 1. *Quid nomine integritatis hic intelligatur, & an debeat eſſe circa omnia mortalia quoad ſpeciem, & numerum?*

P. 2. *An circumſtantiæ notabiliter aggravantes intra eamdem ſpeciem ſint neceſſariò explicandæ in confeſſione?*

P. 3. *An peccata mortalia dubia ſint neceſſariò in confeſſione aperienda?*

P. 4. *De circumſtantiis in particulari, quæ in confeſſione debent explicari?*

P. 5. *Quæ cauſæ excuſent ab integritate materiali confeſſionis?*

P. 6. *De ſufficienti confeſſione pro caſu neceſſitatis moribundi?*

PUNC-

PUNCTUM I.

Quid nomine integritatis hic intelligatur, & an debeat eſſe circa omnia mortalia, quoad ſpeciem, & numerum?

In quo conſiſtat ea integritas.

1. INtegritas confeſſionis conſiſtit in hoc quod omnia peccata mortalia poſt baptiſmũ commiſſa, & alias non confeſſa, quorum habet pœnitens conſcientiã, in confeſſione aperiat; quæ verò non ſunt in ipſius conſcientia, non fingat, aut falsò dicat. Hæc integritas duplex eſt, una materialis, cũ quis abſolutè loquendo confitetur omnia peccata mortalia, etiã occulta, & interna memoriæ occurrentia nondum confeſſa, eorumq; numerum & circumſtantias, quæ ſpeciẽ mutant. Altera formalis cũ pœnitens de his, quę hic, & nunc poteſt, & debet, & de quibus nulla intercedit excuſatio ea omittendi, confitetur, nec non ſi ob moralẽ impoſſibilitatẽ unum, vel plura mortalia particulatim, non explicarit, debeat poſteà ceſſante impedimento ea explicare. Hæc integritas formalis per accidens, & extraordinariè ſufficit. Materialis vero per ſe, & ordinariè requiritur, ut conſtat ea Trid. *ſeſ.* 14. *cap.* 5. illis verbis: *Verum cum univerſa peccata mortalia, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confeſſione à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt. Qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.*

Omnia mortalia quoad ſpeciem, numerum, quatenus moraliter poſſibile eſt, fateri debes.

2. Nec ſatis erit ea omnia peccata mortalia fateri in genere, ſed tenetur quis ſecundum numerum, & ſpeciem, quatenus moraliter poſſibile eſt, confiteri, ut ſatis indicat idẽ Trident. eodem *cap.* 5. cum dicit, omnia peccata non ſolùm in genere, ſed in ſpecie, & ſigillatim declaranda eſſe. Rationẽ hujus veritatis reddit Concilium, quia Sacerdotes à Chriſto judices conſtituti ſunt in pœnitentiæ foro: hoc autem judicium rectè exercere non poſſunt, neque æquitatem in pœnis injungendis ſervare, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ipſis declarentur. Confirmatur ex uſu Eccleſiæ, & conſenſu omniũ, ut teſtantur Suar. *diſp.* 22. *ſect.* 5. *n.* 2 Navar. *in cap. Conſideret, de pœnit. diſt.* 5. *n.* 18. & alij.

Peccatorum numerus qualiter explicandus?

3. Diximus autem primò, *ſecundum numerum*, intellige certum, ſi conſtet, ſi non conſtet, dicatur numerus probabilis, plus, minuſve, quod ſi quis dicat, v.g. decies peccavi plus, vel minus, & poſteà advertat fuiſſe 12. non eſt neceſsè illa duo amplius confiteri, ut docent Suar. *diſp.* 22. *ſect.* 5. *n.* 38. Vazq. *quæſt.* 91 *art.* 1. *dub.* 6. Coninch. *diſp.* 7. *dub.* 7. *n.* 62. Granado, *tract.* 9. *diſp.* 10. *n.* 3. Bonacina *de pœnit. diſp.* 5. *quæſt* 5 *ſect* 2 *puncto* 2. §. 3 *difficult* 2. *n.* 6. Et apud ipſum Nuñ. Pitigianus, & alij. Idem etiam tradunt Sot. P. de Ledeſma, Filliuc, Reginald. Vega, Sylveſt. Saà, Toletus, Villalob. Sylvius apud Dian. *t.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 94. N. Gabr. *diſp.* 8 *q.* 5. Anton. à Spir. S. *n* 676. contrà Franciſc. B. S. *de pœnit. diſp* 6. *n.* 13. Quando autẽ exceſſus, vel defectus per ordinẽ ad majorem, vel minorem numerum ſit parvus, vel magnus, ita ut intelligi, vel non intelligi debeat verbis illis, *plus, minuſve*, arbitrio prudentis in particulari diſcernendum relinquitur, ut benè tradit Vazq. *n.* 2. Fagund. apud Dian. *loco cit.* Leand. *diſp.* 5. *de pœnit. q.* 10. Anton. Gabr. à S. V. *loc cit.* Quod ſi nec probabilis numerus haberi poteſt, dicenda eſt conſuetudo peccandi, tempus, & frequentia in die, vel ſeptimana, quoad fieri poſſit, quod facilius erit in actibus externis, qui non tam frequenter committuntur: interni verò declarari poſſunt, dicendo ſe fuiſſe paratum ad committendum, vel deſiderandum tale peccatum, quoties occaſio, vel memoria illius occurrebat, vel aliquid ſimile: ut ex communi ſententia docet Suar. *n.* 39. Cajetan. *quæſt.* 3. *de confeſſione*, P. de Ledeſma *de pœnit. cap.* 17. *concl.* 3. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 4 Navar. *in manuali, cap* 6. *n.* 15. Filliuc. *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 82. N. Anton. à Spirit. S. *n.* 677. & alij. Nec in tali caſu debet confeſſor urgere pœnitentem, ut aliquem certum numerum proferat: id enim ſæpè eſt moraliter impoſſibile, vel ita incertum, ut nulla fides illi adhiberi poſſit, ut benè notat idem Suarez *ibid.*

Confeſſio debet eſſe de omnibus ſpeciebus, & quomodo hoc intelligendum.

4. Diximus ſecundò, *ſecundum ſpeciem*: quia in confeſſione omnes ſpecies peccatorum, & omnes circumſtantiæ ſpeciem mutantes debent explicari, ut abſolutè nulla adhibita exceptione, docet Trident. *cit. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7 Hoc autem debet intelligi de omnibus ſpeciebus moraliter, non phyſicè tantum diverſis: quia confeſſor debet ferre judicium de moribus, & conſequenter de peccatis, quatenus ſunt diſtincta in genere moris, non in genere naturæ. Undè ſivè divinatio fiat, ut per ignem, ſive per aquam, ſive homicidium fiat gladio, ſive veneno, ſemper eſt ejuſdem ſpeciei moralis, quamvis phyſicè differat. Econtra verò duæ occiſiones hominum poſſunt in genere phyſico ejuſdem ſpeciei, in genere autem moris habere rationes ſpecificas longè diverſas, ut ſi una, v.g. ſit occiſio proprij patris, altera Sacerdotis, in illa enim præter rationem homicidij reperitur ratio parricidij contra pietatẽ erga proprium parentem; in hac verò præter rationem homicidij invenitur deformitas ſacrilegij contra reverentiam debitam Ordini. Ita Navar. *cap. conſideret, de pœnit. diſt.* 5. *n.* 18. & Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 4. *n* 76. & apud ipſum Canus, Cajetan. & Suar. item P. Sotus, *lect.* 9. *de confeſſ.* Dominic. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt* 2. *art* 4. Dicaſt. *tr* 8. *diſp* 9. *dub.* 1. *n.* 12 & communit. DD.

Item de omnibus peccatis ſecundum numerum, quatenus ſunt diſtincta in genere moris, non in genere naturæ.

5. Idẽ etiã proportione ſervata de diſtinctione numerica peccatorum, quæ ſigillatim in confeſſione aperienda ſunt, debet intelligi. Undè, qui eundẽ hominẽ tribus ictibus interimit, non committit moraliter niſi unum numero peccatum, quia tres illi ictus ſunt partes ejuſdẽ numero homicidij. Econtrà verò, qui tres homines, vel uno ictu occidit, vel uno verbo infamat, vel ad peccandum inducit, tria numero peccata moraliter loquendo ſecundum acceptionem moralem committit, quia licet plures malitię numero tantum diſtinctæ non poſſint phyſicè eſſe in eodẽ actu ſimul, juxta ea, quę de principio individuationis tradunt N. Salmantic. *t.* 1. *tract.* 5. Ille tamen actus, quo plures homines ſimul occiduntur, & alij ſimiles, quamvis ſit unus actus materialiter, & phyſicè, ſunt plura peccata numero diſtincta moraliter loquendo ſecundum acceptionẽ moralem, quia habet plures malitias

numero diſtinctas ſecundum hanc acceptionẽ, propter plurea reſpectus ad plura objecta numero diſtincta adæquata, & completa, ut inter alios docet optimè eruditiſſ. Pet. de Tapia, *in catena morali, tom. 1 lib. 3. de vitijs, & peccat q. 4. art. 3.*

Eadem doctrina ad actus internos applicanda eſt.

6. Quod idem de peccatis internis proportionabiliter intelligendum eſt. Sic velle tribus ictibus inceſſanter hominem occidere, 'eſt unicum peccatum moraliter internum, & uno actu interno velle occidete tres homines, ſive unico, ſive pluribus ictibus exterioribus, ſunt plura peccata interna diſtincta numero moraliter ſecundum acceptionem moralem, ut dictum ẽſt de externis, & ſic in ſimilibus. Quæ tota doctrina valdè notanda eſt, ex qua plurium caſuum moralium reſolutio pendet.

Objectio.

7. Sed objicies: juxta Angelici Præceptoris noſtri D. Thomæ ſententiã: plura numero accidentia non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto, ergò plures numero malitiæ non poſſunt eſſe in eodem actu, ac ſubindè unus, & idem actus, etiamſi verſetur circa plura objecta mala numero dumtaxat diſtincta, non poterit plures habere malitias, ac proindè nec plura peccata erunt in confeſſione aperienda. Antecedens optimè probant N. Salmantic. *dict. t. 1. tract. de princip. individuat.* Conſequentia benè ſequi videtur ex antecedenti. Malitia namq; eſt verum ens morale reale habens ſuum genus, ſuas ſpecies, & ſua individua, ac proindè ſi ſemel plura accidentia phyſica ſolo numero diſtincta nequeunt eſſe in eodẽ ſubjecto, neq; plura accidentia moralia propter eandẽ rationẽ. Undè ſicut in eſſe phyſico una, & eadẽ actio poteſt in plura tendere (unica namq; viſione plura videntur, unica intellectione plura cognoſcuntur, &c.) & tunc illa plura materialiter unicũ formale terminativũ conſtituunt, ita & in genere moris. Et ſic quando quis unico voluntatis actu plures deſiderat occidere, unicum peccatũ erit, quia illa plura unum totale, & formale illius actus terminativum conſtituunt.

Solutio.

8. Reſpondetur cum illuſtriſſ. Archiepiſ. Tapia *cit.* malitias morales poſſe adhuc dupliciter accipi: primò phyſicè, ſeu metaphyſicè ſecundò moraliter. In unico igitur actu, ſeu ſubjecto non poſſunt numero tantùm multiplicari, ſi phyſicè, vel metaphyſicè accipiantur, ut multiplicari putant Vazq. Hurtado, Navar. Adrian. quos citat, & ſeq. Granad. *tract. 9 de pœnit. diſp. 9. n. 21.* & alij, quos citat, & ſequitur Diana, *1. p. tract. 7. reſol. 17. & 3. part. tract 4. reſol. 164.* Item Ochagavia, Palaus, Trullenc. Fœlix apud Leandrum *diſp 8 quæſt. 19.* necnon Dicaſt. *diſp. 9. dubio 4.* quia phyſicè, vel metaphyſicè acceptæ ſolùm numero diſtinguuntur ex diſtinctione ſubjecti: & hoc eſt, quod benè ſumitur ex doctrina D. Thomę, & N. Salmanticenſium. At vero plures malitiæ morales, non phyſicè, vel metaphyſicè, ſed moraliter acceptæ in eodem actu tam interno, quam externo optimè poſſunt ſolo numero multiplicari: quia in eſſe morali moraliter accepto diſtinguntur numero ex diſtinctione objectorum, quotieſcumque peccatur circa plura objecta materialia integrè, & completè numero diverſa, ad quæ in individuo intra eandem ſpeciẽ intimã ordinantur, ut *n. 5.* dictũ eſt.

Quæſitum.

9. Petes: quæ interruptio requiratur, & ſufficiat ad diſtinctionem numericam peccatorum? Reſpondetur illam interruptionem requiri, & ſufficere, quâ aliquis nec formaliter, nec virtualiter perſiſtit in priori voluntate. Formaliter autem perſiſtere quis dicitur in priori voluntate, quamdiù intendit, & vult aliquid facere: virtualiter verò, quamdiù aliquid facit virtute illius voluntatis, ſeu intentionis præcedentis, quamvis illa prior intentio, ſeu voluntas non amplius formaliter perſeveret. Undè ſi quis elicito ſemel actu odij, & deindè aliquâ morâ interpoſitâ, novum actum odij eliciat, dicitur novum odij peccatum committere, quia prior actus odij nullo modo perſeverat formaliter, aut virtualiter. Qui verò intendit inimicum occidere, & ob id præparat enſem, ſuſcipit iter ad illum occidendum, &c. unum numero peccatum committit, quamvis ſæpius in via repetat intentionem occidendi, quia prior intentio non fuit revocata, ſed virtualiter perſeverat in illa actione externa itineris ſuſcepti ad occidendum inimicum. Sed de hoc agemus iterum, ex profeſſo *in tractatu de peccatis*, cum de numerica diſtinctione peccatorum erit nobis ſermo.

PUNCTUM II.

An ſit neceſſarium confiteri circumſtantias, quę notabiliter aggravant intra eandẽ ſpeciem.

Aliqua ſupponuntur. Primò.

10. ALiqua in hac parte ſunt apud omnes recepta. Primum, licet circumſtantia non mutet ſpeciem peccati ex parte objecti ſumptam, ſi tamen mutat ſpeciem reatus, ſcilicet de veniali in mortale, talis circumſtantia quando mortale reddit peccatum, confitenda eſt.

Supponitur ſecundò.

11. Secundum: obligantur fideles ad confitendum peccatum externè commiſſum, & perpetratum, nec ſufficit interiorem actum confiteri: quia exterior actus non eſt peccatum tamquam circumſtantia, ſed tamquam ſubſtantia ipſa, & conſummatio peccati.

Supponitur tertiò.

12. Tertium: ſi circumſtantia quantitatis, v. g. furti invehat cenſuram, vel reſervationem, aperienda eſt in confeſſione. Et idem eſt, ſi ad arbitrium ferendum circa reſtitutionem faciendam ſit neceſſarium, vel ut innoteſcat Confeſſario diſpoſitio pœnitentis, quæ diſpoſitio debet eſſe illi cognita, quia judex eſt.

Supponitur quartò.

13. Quartum: ſi in eodem actu conjungantur duæ malitiæ peccati mortalis, utraque debet explicari in confeſſione; licèt non utraq; conſtituat ſpeciem eſſentialem actus moralis peccaminoſi, ſed altera ſolũm accidentalem v. g. ſi quis committat furtum in loco ſacro, ex quo actus ille habet duplicatam malitiam furti, & ſacrilegij, utraque debet aperiri in confeſſione, licet hæc ſecunda accidentalis ſit reſpectu primæ.

Supponitur quintò.

14. Quintum, quando duratio actus peccaminoſi fuiſſet diuturna, explicanda erit propter numerum peccatorum, quæ in illa diuturna dilatione poſſent intervenire.

In quo controverſia ſit

15. Reducitur ergo difficultas ad illas circumſtantias, quæ nec mutant de veniali in mortale, neq; invehunt cenſuram, vel reſervationem, vel aliquid aliud habent ex prænotatis, ſed ſunt purè aggravantes intra eamdẽ ſpeciem: an tales circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſint neceſſariò confitendæ? & ſunt duæ ſententiæ.

16. Pri-

Prima ſententia.

16. Prima docet eas debere confiteri. Ita Nuñus, *de Sacram q.9. art. 2. dub* 2. Petrus de Ledeſma *de Sacram. pœnitent. cap.*19. citans Alexandrum de Ales, Ricardum, Majorem, Marſilium, Cajetanum, Victoriam, Canum, Catheciſmum Pij V. Eamdem docet Joannes à Sancto Thoma 1.2.q.28. *diſp.*10. *art.*3. dicens eam ſibi certiſſimam videri, & quod oppoſitam non auderet conſulere, qui etiam eam regulam in bac parte tradit, ut quando circumſtantia intra eamdem ſpeciem ponitur, ſeu apponitur actui, ſi id, quod ſuperaddit, & aggravat ſuper ſpeciem peccati, eſt talis naturæ, quod id ſufficiat ad peccatum mortale, talis aggravatio circumſtantiæ debeat confiteri de neceſſitate, alias non. Eam etiam tradunt Suarez, Thomas Sanch. Henriq. Fagund. Llamas, Coninch. Ioan. de la Cruz, Carrill. Fabrus, P. Fay, Sylvius apud Dian. *tom* 1. *tract. de circumſtantijs aggravantibus reſol* 1. Item Laborius, Eſtius, Rebellus Gutier. Maldonatus apud Dian. *tom.*3 *tract.* 4. *reſol.*67. Moure, Candid. Franciſc. Fœlix apud Leandr. *tract.*5. *de pœnit. diſp* 8. *q* 4. Araujo q. 84 *art.* 5. *dub.*3. N. Philip. à SS. Trinit. *diſp.*12. *dub.*3. Gonet *diſp* 10. *art* 3. Wiggers *in ſupplem q.*9. *n.*19. & alij.

Fundamentum primum illius

17. Probatur primò ex Rituali Romano approbato à Paulo V. *in rubrica de Sacramento pœnit.* ubi inter alia dicit. *Quod ſi pœnitens numerum, ſpeciem, & circumſtantias explicatu neceſſarias non expreſſerit, Sacerdos eum interrogет.* Cenſet ergo Pontifex iſta tria exprimenda eſſe. Neque poteſt explicari, quod loquatur de circumſtantijs mutantibus ſpeciem: quia circumſtantiæ ſpeciem mutantes pertinent ad ſpeciem peccatorum. Diſtinguit autē Pontifex circumſtantias à ſpecie, dum dixit, quod ſpeciem, numerum, & circumſtantias exprimat, ergo loquitur de aggravantibus, & non ſolum ſpeciem mutantibus.

Secundum fundamentum.

18. Secundò, quia unum furtum, v.g. mille aureorum æquivalet, & ſuperat plura furta minora, quorum quodlibet ſit peccatum mortale, ergò ſi tenetur quis cōfiteri plura furta minora, quorū quodlibet eſt peccatū mortale, à fortiori tenebitur confiteri illā aggravationē unius furti, quæ æquivalet, & ſuperat omnia illa minora.

Tertium fundamentum.

19. Tertium: quia ratio, quam reddit Concilium Tridentinum, ita videtur convincere de circumſtantijs notabiliter aggravantibus, ac de mutantibus ſpeciem. Nam ſicut Confeſſor non poteſt juſtam proferre ſententiam, æquitatemque in pœnis infligendis ſervare, niſi habeat notitiam circumſtantiarum mutantium ſpeciem: ita neque id præſtare poterit ſinè cognitione circumſtantiarum notabiliter aggravantium: quomodo enim poteſt proportionatam pœnam imponere ei, qui furatus eſt ſex aureos, & ei, qui furatus eſt ſex millia, ſi uterque ſolùm dicat, ſe furatum eſſe quantitatem notabilem ſufficientem ad peccatum mortale, taceatque quantitates furatas? Cùm tamen ille, qui ſex millia furatus eſt, ſinè dubio audaciorem, injuſtiorem, & perniciosiorem animum habeat, cùm ad tantum proximo inferendum damnum proruperit: Et ſic longè efficaciori remedio, ac majori indigeat pœnitentià.

Quartum fundamentum.

20. Quartum: quia qui uno ictu occidit tres homines, debet explicare illam circumſtantiam, nec ſufficit dicere, feci homicidium, ſed debet dicere, occidi tres homines: & tamen illa ſolum eſt circumſtantia aggravans intra eandem ſpeciem, ſicut major, vel minor quantitas in furto: quemadmodum enim ſingulæ partes pecuniæ furtivæ ſufficientes ad mortale, non multiplicant numero malitias in peccato furti, ſed augent unam numero peccati malitiam: ſic diſtincti homines, quos aliquis uno ictu occidit, non refundent diverſas numero malitias in illum actū, ſed augebunt dumtaxat unā numero malitiā

Quintum fundamentum.

21. Quintò: quia non ſatisfacit, qui in confeſſione dicit, ſe inceſtuoſam copulam commiſiſſe, quin perſonam, quacum commiſit, manifeſtet, an nimirùm fuerit affinis, vel conſanguinea? An in primo, vel ſecundo gradu: & tamen hæc ſolùm eſt circumſtantia aggravans, ut docet Cajetanus 2.2. *q.*154. *art.* 9.

Sextum fundamentum.

22. Sextò: quia Confeſſarius poteſt de circumſtantijs notabiliter aggravantibus interrogare: ergò pœnitens tenetur eas dicere, quia quod Judex juſtè interrogat, tenetur reus reſpondere, & in hoc judicio, quod ſpontaneum eſt, tenetur dicere ſuà ſpontè idipſum, quod interrogatus declarare debet. Et hęc ſententia, tum propter tantorum Doctorum authoritatē, tum propter allata fundamenta, ſatis probabilis eſt.

Secunda ſententia.

23. Secunda tamen ſententia aſſerit, quod licèt ſit perfectius, non tamen eſt neceſſarium hujuſmodi circumſtantias aggravantes confiteri. Ita Dian. *loco cit.* adducens ultra 47. Authores. Eandem etiam docent Card. Lugo, *diſp.*16. *ſect.*3. Dicaſt. *diſp.* 9. *dub.*3. *n* 180. Pal. *tr.*23 *diſp unica, punct.* 9. N. Gab. à S. Vinc. *de Sacram. Pœnit. diſp.* 8. *q.* 5. Anto. Spir. S. *de pœnit. n.*350. Herinx *diſp* 3. *q.* 3. Et probabilem vocant etiam aliqui ex adverſarijs, ut Henriq. Fagund. Pirigian. Fabrus apud Dian. *dictà reſol.* 1. *de circumſtantijs aggravantibus* Et Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 9. *dub.* 36. ſic ait: *Si alguno quiſiere ſeguir la opinion contraria de nueſtra concluſion, no le podremos condenar, pues tiene tam buenos padrinos.* Nec non Suarez, *diſp* 22. *ſect.* 3. *n.*13 ſic cautè inquit: *Licèt dixerim, priorem ſententiam* (ſcilicet de qua nunc loquimur) *eſſe probabilem, tamen in uſu ejus cavendum eſt, ne miſceantur opiniones, & ex his, quæ ſigillatim ſumptæ probabiles ſunt, aliquid improbabile inferatur.* Eandem ut probabiliorem tenet Stephanus à S. P. *de pœnit. n.*140. quamvis cum Franciſco B S *tract* 2. *de actib. human. diſp.* 4. *n.* 67. admittere videatur circumſtantias notabiliter aggravantes mortalis peccati ſpeciem mutare, atquè ita duplicem peccati mortalis ſpeciem moraliter committere, qui duos florenos furatur, caſu quo unus ad peccatum mortale ſufficiat. Secunda hæc ſententia ſatis etiam probabiliter ſuſtineri poteſt primò: quia illam tenent tot, tamque graves Doctores, & Theologi, ut viſum eſt.

Suadetur ſecundò.

24. Secundò: quia videtur expreſſa ſententia Angelici Doctoris D. Thomæ *in* 4. *diſt* 16. *q.*3. *art.*2. *quæſtiuncula* 5. ubi ſic ait: *Dicendum, quod omnes circumſtantias confiteri eſt impoſſibile, quaſdam autem confitere eſt neceſſitatis. Sed in hoc eſt differentia opinionum. Quidam enim dicunt, quod omnes circumſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrant. Alij vero dicunt, quod non ſint de neceſſitate confitendæ, niſi circumſtantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt: & hoc probabilius eſt, &c.* Nec vide-

tur exponi poſſe Angelicum Doctorem de circumſtantijs, quæ ſolùm aggravant, & ſuperaddunt ſuper ſpeciem peccati id, quod non ſufficiat ad peccatum mortale, ſed dumtaxat ad veniale, cum expreſsè loquatur de circumſtantijs, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt: peccatum autem tantùm veniale furti, v. g. non dicitur notabilis quantitas.

Tertiò.

25. Tertiò: quia obligatio ſatendi peccata ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ à Chriſto Domino facta provenit: atqui hanc inſtitutionem declarans Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. ſolùm expreſſit peccata quoad ſpeciem, & numerum, & conſequenter quoad circumſtantias mutantes ſpeciem, ergo abſque fundamento obligantur fideles, circumſtantias intra eamdem ſpeciem manifeſtare, alias diminutè proceſſiſſet Concilium in ſua declaratione. Quod ſi dicas, Concilium circumſtantias notabiliter aggravantes non declaraſſe, ut locum opinionibus concederet, ſolumque declaraſſe, quæ certò ſervanda erant: indè non leviter deducitur, nullam per ſe loquendo eſſe obligationem has circumſtantias fatendi: non enim certò, & cum effectu adſtringi quis debet ad onus grave ſubeundum ob obligationem dubiam, & incertam: nec lez in dubio legis latæ obligat, ut cum alijs tradit Thomas Sanchez *l.* 1. *in decalog. c.* 10. *n.* 32. Card. Lugo & Dicaſt. citati.

Quartò.

26. Quartò: quia induci non debet neceſſitas adeò onéroſa & difficilis, qualis eſt confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes, niſi ex aliquo capite conſtet, à Chriſto Dom. requiſita.

Solutio primi argumenti.

27. Nec oppoſitæ ſententiæ fundamenta nimis in contrarium urgent. Ad primum enim deſumptum ex auctoritate Ritualis Romani aſſerentis ſpeciem, numerum, & circumſtantias explicatu neceſſarias interrogandas eſſe. Reſponderi poteſt, intelligendum eſſe de circumſtantijs aggravantibus, vel quæ addunt ſpeciem accidentalem actui, vel ſi non addunt, inducunt tamen cenſuram, vel reſervationem, vel ad judicium ferendum circa reſtitutionem faciendam, neceſſarium eſt illas aperire, vel ut innoteſcat confeſſario diſpoſitio pœnitentis.

Enodatio ſecundi.

28. Ad ſecundum dicendum, quod licet unum peccatum in quantitate aliquando æquivaleat, aut ſuperet plura peccata minora, atque adeò potuiſſet Chriſtus, ſi voluiſſet obligare ad hæc, nobiſque deberet conſtare ex aliquo capite: tamen quia præceptum Chriſti, & voluntas ejus hucuſque nota, & explicata ſolùm eſt confitendi ſpecies, & numerum peccatorum; non verò explicandi gravitatem illam, quæ eſt intrà eamdem ſpeciem, & circumſtantia quantitatis ſpeciem non mutat, ideò non eſt per ſe loquendo neceſſariò explicanda. Cur autem Chriſtus Dominus de facto non exegerit, circumſtantias aggravantes intra eamdem ſpeciem in confeſſione explicari (quamvis eis non explicatis nequeat confeſſarius judicare de ea gravitate accidentali intra ſpeciem, & intra rationem mortalis, & quamvis aliquando mortalia ob circumſtantias notabiliter aggravantes intra eamdem ſpeciem, gravius ſaucient animum, & periculoſiora fiant) variæ rationes, ſeu congruentiæ ſolent afferri. Certè maxima difficultas, aut ſærè moralis impoſſibilitas, quæ eſſet in explicandis his omnibus circumſtantijs, movere potuit Chriſtum Dominum, ut horum neceſſitatem non induceret, nam licet una, vel altera poſſet explicari, aliæ ſærè omnes difficillimè explicarentur. Lex autem univerſalis debet attendere ad ea, quæ frequentius contingunt, non ad unum, vel alterum caſum. Potuit etiam Chriſtus Dominus non requirere eas circumſtantias explicari ob multum minorem, ut in plurimum, neceſſitatem notitiæ illarum ad judicium variandum ex parte confeſſarij: Tum circa pœnitentiam imponendam, tum circa curationem animi, & ad præcavendum impoſterum, ſatiſque nobis ſubditis eſt, quod Princeps noſter Chriſtus ad id noluerit nos adſtringere.

Enervatio 3.

29. Ad tertium dicendum, Concilium Tridentinum judicaſſe confeſſionis judicium ſatis ritè exerceri poſſe, æquitatemque in pœnis injungendis ſervari, declaratis peccatis quoad ſpecies, & numerum; non verò æqualitatem exactè neceſſariò ſervandam eſſe in judicio, & pœnis injungendis cum gravitate circumſtantiæ criminis intra eamdem ſpeciem, & ita eum eam æqualitatem non ita exactè, ſed cum minori proportione ſervare, & juxta hunc modum judicium exercere ſufficiat, intulit Tridentinum, ſpecies, & numerum eſſe explicanda. Neque ratio æquè probat de circumſtantijs notabiliter aggravantibus, ac de mutantibus ſpeciem? quia abſque explicatione circumſtantiæ non mutantis ſpeciem, verè, & propriè declaratur peccatum. Nam quidditas peccati ſumitur ex ratione ſpecifica ipſius, ac proindè declarando ſpeciem, declaratur quidditas, & eſſentia talis peccati. Circumſtantia ſolùm aggravans eſt extra eſſentiam peccati, reputaturque quaſi ejus accidens. Undè ratio adducta à Concilio ad obligationem confitendi ſpecies, ex eo quod alias Sacerdos non poſſit cenſere de gravitate criminis, non æquè procedit in ordine ad explicandas alias circumſtantias aggravantes intra eamdem ſpeciem: nam ſinè harum explicatione, cognita ſpecie peccati mortalis, jam cognoſcitur ejus gravitas ſpecifica, & eſſentialis. Si autem ſpecies non explicetur, jam ignorabitur ejus peccati gravitas, quia ſicut ignorata ſpecie, ignoratur ſimpliciter peccatum, ſic ignoratur ſimpliciter ejus gravitas. Noluit autem Chriſtus exigere talem omninò notitiam, qua Sacerdos cenſere poſſit de gravitate, etiam circumſtantiarum intra eamdem ſpeciem propter rationes num. præcedenti aſſignatas, & propter alias, quæ videri poſſunt apud Card. Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 3. *à n.* 120. & deinceps.

Diſſolutio 4.

30. Ad quartum conceſſa majori, neganda eſt minor. Etenim qui uno ictu occidit tres homines in eſſe morali, moraliter accepto, tria peccata committit, quæ in acceptione morali multiplicantur numero propter tria objecta adæquata, & completa, ad quæ terminantur, quorum unum ſimul cum alijs non conſtituit partialiter unicum totale majus objectum, atque adeò debent explicari in confeſſione, ut ſupra *Puncto præcedenti* dictum eſt. Secus verò ſingulæ partes pecuniæ furtivæ ſufficientes ad mortale, quæ componunt unum quid numero majus in ratione furti, & ſolùm augent unam numero peccati malitiam.

31. Ad

Objectio 5 31. Ad quintum ſimiliter conceſſa majori, neganda eſt minor. Quoniam primò: inceſtus cum conſanguinea ſpecie differt ab inceſtu cum affine: quia modus conjunctionis eſt diverſus, nam conſanguinei ab eadem ſtipite deſcendunt; affines verò non. Ita Leſsius, Vazquez, & Suarez, quos refert, & ſequitur Palaus *tractat. 23. diſput. unica, puncto 9. numero* 8. Granados, Trullencbus, Ochagavia, Hurtado, Fagundez, Navarrus, Filliucius, Valentia, & Azor, apud Leandrum, *diſp.* 8. *q.* 35. Dicaſtillus, *diſp. 9. dub. 6. num.* 272. Ac proindè neceſſariò eſt in confeſſione explicandus. Et licèt omnes prædicti inceſtus ſint adverſus eandem pietatis virtutem, quia diverſo modo eam violant, ſpecificè diſtinguntur; ſicuti ſacrilegium ex copula cum perſona ſacra, & ſacrilegium ex illius percuſſione, ſpecie diverſa ſunt, quamvis ſint adverſus eandem virtutem. Secundò: differunt ſpecie inceſtus cum conſanguinea in linea recta, & tranſverſali: quia altior reverentia debita eſt conſanguineis in linea recta, ut docent Henriquez, & Lugo, apud Leandrum, *q.* 41. Leſſius, *lib 4. de juſtitia, cap 3. dub.* 11. *num* 79. Palaus, & alij. Tertiò: differt inceſtus in primo gradu conſanguinitatis lateralis à reliquis, & inceſtus in primo gradu affinitatis lineæ rectæ à reliquis, præſertim lineæ tranſverſæ, ut cum Leſſio, Palaus ubi ſupra, & cum alijs Leander, *diſp.* 8. *q.* 36. Quoad reliquos gradus admittimus, copulam inceſtuoſam inter ipſos non differre ſpecie, ac proindè non eſſe neceſſariò fatendam eam diverſitatem, ut docent Leſſius, Vazquez, Dicaſtillus, & Palaus citati, & cum multis Leander, *dictâ q.* 36.

Reſponſio ad 6. 32. Ad ſextum dicendum, quod quando Confeſſarius vult cognoſcere diſpoſitionem pœnitentis, quia hæc debet eſſe illi cognita, eò quod judex eſt, tunc ſi illam diſpoſitionem non poteſt cognoſcere, niſi ſciat aliquid pertinens ad circumſtantias aggravantes, tenetur quidem pœnitens id dicere, non tamen præcisè, ut integra ſit confeſſio ex parte circumſtantiæ, ſed, ut innoteſcat Confeſſario diſpoſitio pœnitentis, ut benè cum Vazquio, docet Dicaſtillus, *diſp. 9. dub. 3. num.* 195.

PUNCTUM III.

An peccata mortalia dubia, ſint neceſſariò in confeſſione aperienda?

Explicatur titulus. 33. Loquimur in præſenti de puro dubio, quando quis ſcilicet poſt diligentem examinationem anceps eſt, an peccatum commiſſum ſit mortale, vel an illud commiſerit, vel an confeſſus fuerit, atque ita ſuſpenſus manet, ut neque affirmativæ, neque negativæ parti probabiliter adhæreat.

1. Aſſertio. 34. Et quidem in primis quando quis certus eſt de delicto mortali, dubius autem, an illud faſſus fuerit, manifeſtum eſt, eſſe obligatum fateri: quia eo caſu poſſidet confeſsionis præceptum, certaque illius obligatio, à qua ob dubiam impletionem, & ſolutionem liberari non debet: non enim impletur certa obligatio, & certum debitum per dubiam impletionem, & ſolutionem. Et ita docent Navarrus, cap. *Si quis autem*; *num. 77. de pœnitent. diſt.* 7. Suarez, & Salas, quos citat, & ſequitur Sanchez, *lib. 1. ſumma, cap.* 10. *num.* 71. Dicaſtillus, *diſp. 9. dub. 7. n.* 291. & communiter Doctores.

35. Deindè, in dubio, an peccatum, quod quis commiſit, ſit mortale, vel an illud commiſerit, etiam conſtanter aſſerendum eſt, eſſe obligationem explicandi hoc dubium in confeſsione. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 21. quæſt. 2. art 3. ad* 3. è Noſtris Philippus à SS. Trin. Gabriel à S. V. *diſp. 8. q* 3. Anton. à Spir. S. *n.* 269. Urbanus *tract. 1 cap.* 10. Stephanus à S. P. *n.* 146. Franciſcus B. S. contrà Caramuelem *de act. hum diſp 6. à n.* 180. ex extraneis Suarez, Henriquez, Valentia, Saà, Azor, Salas, Reginaldus, & alij, quos refert, & ſeq. Dicaſtillus *num.* 278. Palaus *tract. 23. diſp. unica, punct. 9. num* 16. Thomas Sanchez *n.* 66. aſſerens 40. Doctores, & cum alijs Diana *tom. 10. tract. 2 reſol.* 2. dicens, eſſe praxim omnium fidelium, & totius Eccleſiæ, cujus initium credendum eſt ab Apoſtolis emanaſſe, Cardinalis Lugo, *diſp. 16. ſect. 2.* § 3. & cum alijs Bardi, *diſcept. 6. de conſcientia c. 11. par. 4.* § 1. *3. Aſſertio.*

36. Probatur primò: quia Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 14. c.* 5. solùm excludit ab obligatione confeſſionis peccata venialia: ergò includit ſub obligatione omnia reliqua, quæ ſunt peccata, & non venialia, qualia ſunt peccata mortalia, ſivè certa, ſivè dubia: excluſio enim unius, eſt alterius incluſio, ut Juriſtæ affirmant, loquendo de his rebus, quæ poſſunt includi, & excludi. *1. Illuſtratio.*

37. Secundò probatur ex univerſali fidelium ſenſu, & praxi, cujus initium in Lege nova ignoramus: etenim ſolùm paucis abhinc annis ab uno, aut altero Authore punctum hoc in controverſiam revocatum eſt, ab antiquis verò tanquam certum ſuppoſitum, & abſolutè probatum fuit, peccata iſta dubia eo modo, quo in conſcientia habentur (ſcilicet ut dubia) eſſe neceſſariò in confeſsione aperienda: ergo ita conſtanter aſſerendum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum cum hoc præcepto, & ſub hac obligatione: eſt namque optimus interpres legum modus, quo ab omnibus fuerunt intellectæ, & exercitæ. *2. Ratio.*

38. Tertiò probatur ratione, quam innuere videtur D. Thomas *loco* ſupra *cit.* Nam in articulo mortis conſtitutus, ſi decedat cum tali dubio, exponit ſe periculo damnationis æternæ, ſi de eo non conteratur ſub dubio, poſſet enim fuiſſe mortale, & admiſiſſe mortale: tenetur ergo de eo confiteri, ſaltem ſub dubio: atqui contritio non poteſt eſſe perfecta, niſi cum voto confeſsionis, ut ſumitur ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap.* 5. ubi docet, contritionem perfectam, quæ peccata habet dimittere, etiam extra confeſsionem non aliter id preſtare, niſi quatenus eſt votum confeſsionis: ergò omnino tenetur illud confiteri, ſi habet opportunitatem, quia tenetur accipere illud mediū, ut ſuæ ſaluti, quæ in articulo mortis periclitatur, irreparabiliter, conſulat: hoc autē eſt peccatum dubium, ut dubium eſt, confiteri: quod autem eſt neceſſariò confitendum in articulo mortis, eſt neceſſariò ſemper confitendum: quia præſupponitur materia neceſſaria confeſſionis: ergò, &c. *3. Ratio.*

39. Objicies primò cum Joanne Caramuel, *in ſua morali Theologia, lib. 3. diſp. 4. art.* 1. In Tribunali *1. Objectio.*

bunali forenſi non admittuntur delicta dubia : ergò in Tribunali Sacramentali pœnitentiæ non ſunt ſub obligatione admittenda : eadem enim in utroque Tribunali, quantùm ad hoc videtur ratio.

Solvitur. 40. Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam ob manifeſtum diſcrimen inter utrumque Tribunal : forenſe enim primò, & per ſe inſtitutum eſt ad puniendum reum, qui delictum patravit, & hoc in bonum commune totius Reipublicæ, vel etiam privatæ perſonæ viodictam petentis de offenſâ receptâ. Tribunal verò Sacramentale non eſt inſtitutum ad puniendum, ſed ad liberandum reum, ſi delicta commiſſa fateatur, proindè hoc Tribunal potiùs eſt inſtitutum in favorem perſonæ offendentis, quàm offenſæ. Deindè in Tribunali fori externi, negatio delicti favet reo, cùm ex vi illius libertatem obtineat; in Tribunali pœnitentiæ confeſſio delicti favet reo, ut liberationem conſequatur. Deniquè in foro externo ex confeſſione delicti punitur reus; eximitur tamen in foro Pœnitentiæ.

2. Objectio. 41. Objicies ſecundò : Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. & *Can.* 7. agens de obligatione confitendi, loquitur de peccatis, quorum homo conſcius eſt, & memoriam habet : ſed de peccato mortali dubio nemo habet conſcientiam, aut memoriam, ſed dubitat, an peccaverit : ergò non tenetur illud confiteri.

Diluitur. 42. Reſpondetur de peccatis dubijs aliquam eſſe memoriam, ut benè notavit cum Cardinali Lugo, Bardi, *dicto* §. 1. *num.* 21. & quamvis pœnitens de illis, ſi rigoroſè loquamur, ſcientiam non habeat, ea tamen retinet in ſua conſcientia : quia conſcientiæ nomine comprehenditur etiam notitia illa, ſeu reminiſcentia dubia. Communiter enim dividi ſolet conſcientia, in conſcientiam certam, dubiam, erroneam, probabilem, &c. Conſcientia ergò dubia conſcientia eſt, undè qui habet dubium de peccato commiſſo, dicitur habere remorſum conſcientiæ : ergò jam illud peccatum dicitur eſſe in conſcientia pœnitentis, non ut certum, ſed ut dubium, quod ſufficit, ut non poſſit talis pœnitens abſolutè dicere, nihil mihi conſcius ſum, cùm remorſum habeat. Adde, à Tridentino mentem ſuam declarari, cùm per ſubſequentia verba excludit ſolùm intra genus peccati lethalis, peccata oblita; non peccata dubia.

3. Objectio. 43. Objicies tertiò : In dubijs nemo præſumitur delictum commiſiſſe, nequè ob id adſtringi poteſt, & obligari judicio, ut ſumitur ex L. *Merito*, ff. *Pro ſocio*, & communiter affirmant Juriſperiti : ergò cùm non conſtat, an Petrus v. g. peccatum mortale commiſerit, non poterit adſtringi, & obligari Sacramentali judicio.

Enervatur. 44. Reſpondetur. Antecedens eſſe verum in foro externo, de quo ſolùm loquitur ille textus in lege *Merito* : quia in illo foro ſolùm punitio rei intenditur, ut ſuprà explicatum eſt; non verò in foro Sacramentali, & interno Pœnitentiæ, in quo intenditur liberatio rei, ſi delicta commiſſa fateatur, & totum in favorem animæ fit, ut medicinam ſcilicet recipiat ſalutarem.

4. Objectio. 45. Objicies quartò : Dubius de voto, vel de obligatione reſtituendi, non tenetur ad obſervantiam voti, nequè ad reſtitutionem, ſi poſt diligens examen remaneat dubius : ergò etiam dubius, an admiſerit peccatum, vel an ſit mortale, non tenetur ad confitendum tale dubium.

46. Reſpondetur negando paritatem : quia *Enodatur.* in caſibus adductis in antecedenti, poſſeſſio eſt pro dubitante; ſecùs in caſu noſtro, quia Lex divina præcipit confeſſionem Sacramentalem omnium peccatorum, excluſis ſolùm venialibus, proindè manente dubio de peccato mortali commiſſo, lex locum habet, & poſſidet.

47. Obſervandum verò eſt primò : mortale *Quædam obſervanda 1.* dubium confitendum eſſe, ut dubium, & nullo modo ut abſolutè certum : id enim poſtulat veritas confeſſionis, naturaque judicij. Si autem poſt confeſſionem peccati ſub dubio : an illud commiſerit, noverit quis, aut meminerit, ſe certò peccaſſe, tenetur illud poſteà iterùm certò confiteri : debet enim peccatum explicare prout eſt in conſcientia; quando ergò jam eſt certò cognitum, ſic debet explicari, ut benè docent Thomas Sanchez ubi ſuprà, *n.* 67. & Dicaſtillus, *n.* 286. & cum Diana, 3. *part. tract.* 4. *reſ.* 91. N. Gabriel à S. Vicentio, *diſp.* 8. *quæſt.* 4. Stephanus à S. P. *n.* 151. contra Caramuel, & alios.

48. Obſervandum eſt ſecundò : cum Thoma *2. obſervandum.* Sanchez, & Dicaſtillo, fatendas quoquè eſſe circumſtantias ejus peccati dubij, ut ſi quis dubitet : an deſiderio fœminæ conſenſerit, tenetur explicare ſuum, ac illius ſtatum, nam eæ ſimiliter ei dubio ſubjiciuntur, & proindè his tacitis, non explicaretur plenè peccatum dubium.

49. Obſervandum eſt tertiò : Idem judicium *3. obſervandum.* eſſe de peccato mortali dubio in genere : atquè in ſpecie, ſi quis enim dubius ſit, an peccatum mortale commiſerit, & neſcit, cujus ſpeciei, id etiam debet fateri : quia eadem eſt ratio de peccato certo confitendo, tanquam certo, & de dubio, tanquam dubio, ut optimè docet Major *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *columnâ penultimâ, in ſolutione ad* 4. Thomas Sanchez, & Dicaſtillus citati. Si autem recordetur poſteà ſpeciei, tenetur iterùm eam fateri : quia id peccatum nondùm plenè in confeſſione expreſſum erat, ut tradit idem Thomas Sanchez.

50. Obſervandum eſt quartò : Quando con- *4. obſervandum.* fitens ſimul dubius eſt de facto; & de jure, quia nempè tantùm fatetur, *ſe dubium eſſe, an aliquod mortale admiſerit, aut tale peccatum*, adjungendum eſſe aliquod peccatum certum, ut cum Suario, *diſp* 22 *ſect* 9. *num.* 3. tradit Thomas Sanchez, ubi ſuprà, *num.* 70. quia aliàs nullam certam confeſſionis præſtaret materiam. Si verò certus eſſet de facto, dubius autem de jure, ut cùm certus eſſet, ſe feciſſe opus, & in illo peccaſſe, ſaltem venialiter, & ſolùm dubitat, an ſit mortale, tunc non opus eſſe aliam materiam præbere, benè advertit cum dicto Thoma Sanchez, Dicaſtillus, *num.* 290.

PUNCTUM IV.

De circumſtantijs in particulari, quæ in confeſſione debent explicari.

51. SEptem circumſtantiæ enumerantur com- *7. celebres circumſtantiæ, ad quas alia reducuntur.* muniter à Doctoribus, illo verſiculo comprehenſæ. *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur,*

quomodò, quando, ad quas, aliæ ſi occurrant, facilè poſſunt revocari.

Circumſtantia quis denotat qualitatem peccantis.

52. Prima circumſtantia, *quis*, qualitatem denotat perſonæ peccantis, quæ cùm mutat ſpeciem, neceſſariò fatenda eſt, ut ſi perſona ſacra, conjugata, vel habens votum caſtitatis fornicationem commiſerit: transfert enim actionem intemperantiæ, in vitium ſacrilegij, vel Injuſtitiæ. Similiter ſi ſit perſona publica, ſæpè ratione officij, contra juſtitiam delinquit, aliàs ſolùm contra miſericordiam peccaturus.

Non eſt opus explicare, an ſemel tantùm, vel ſæpius promiſſa fuerit res per votum.

53. Non tamen eſt neceſſarium dicere in confeſſione: an pluries, vel ſemel ſolùm fuerit promiſſio rei facta, & renovata, ſi res promiſſa non ſervetur: quia, qui ſemel factum à ſe votum repetit, nullam in ſe obligationem diſtinctam ſuſcipit, ut benè docet Thomas Sanchez, *lib. 7. de Matrim. diſp. 27. n. 27.* Dicaſtillus *de Sacram. Pœnit. diſp. 9. dub. 8. n. 305.* & alij

Solemnitas voti an ſit neceſſariò explicanda?

54. An verò ſolemnitas voti ſit neceſſariò explicanda, ita ut non ſufficiat dicere peccaſſe contra votum caſtitatis, qui violavit votum illius ſolemne? Variant Doctores. Multi docent debere explicari, tum ex parte ipſius habentis tale votum, tum ex parte complicis peccantis cum illo, ita ut uterque dum confitetur, teneatur diſtinguere, an votum eſſet ſimplex, vel ſolemne. Ita Sotus, Medina, Azor, Petrus de Ledeſma, apud Leandrum, *diſp. 8 quæſt. 8.* Nuñus *in add. ad 3 p. quæſt. 9 art. 2. dub. 3 concl. 5.* Palacius, Rodriguez, Layman, Petrus Fay, Aragon, Fagundez, Coninchus, & alij apud Dianam, *tom. 1. tract. 7. reſol. 4* Sed contrariam ſententiam etiam probabiliter tenent Megala, Filliucius, Thomas Sanchez, apud eumdem Dianam, *dictâ reſol. 4.* Item Molfeſius, *tom. 1. tract. 7. cap. 12 num. 66. & 68.* Leander *q. 8.* Et probabilem dicunt Villalobos, Fagundez, Henriquez, & Caraffa, apud eumdem Dianam *locis citatis.* Eamdem docet Palaus *tract 23. diſp. unica, punct. 9. num. 6.* his verbis: *Si hujus circumſtantiæ aggravatio intra limites hujus ſpeciei continetur, ſicutì contingit in ligato voto caſtitatis ſolemni, vel ſimplici, aut provenienti ex Ordine ſacro, vel Religione, nulla eſt obligatio declarandi.* Eamdem etiam defendit N. Antonius à Spir. S. *n.* 374 Dicaſtillus, *diſp. 9. num.* 323. dicens, non eſſe neceſſarium explicare: an votum fuerit ſolemne, vel ſimplex caſtitis, vel alterius materiæ: quia nec variat ſpeciem, nec multiplicat malitias numero, etiamſi quis primò ſimplex votum emiſerit, & poſteà ſolemne ſacri Ordinis, ac tandem ſolemne in Religione. Ex quo ulterius infert, quod eſſe Sacerdotem, aut ſolùm Subdiaconum, non ſit explicandum neceſſariò in confeſſione: quia major conſecratio non addit circumſtantiam ſpecie diſtinctam, ut poſt Thomam Sanchez, & Dianam, docet Cardinalis Lugo: additque idem quoque in prædictis eſſe judicium de eo, qui licèt ipſe non habeat votum caſtitatis, peccat cum habente votum, in quo pro ſecundaria illa obligatione eodem modo philoſophandum eſt in ſententia utraque, ſivè quæ docet, vota diſtingui, ſivè quæ negat, quidquid enim in unô dicâtur, dicendum eſt in alio, atquè ita ſentiunt, cum alijs Sanchez, Diana, N. Antonius, & Lugo citati; & hanc etiam ſententiam, ſaltem per principia extrinſeca, meritò probabilem eſſe, aſſerit N. Gabriël à S. Vincentio, *diſp. 8. de Pœnitent. quæſt. 6.*

Quæſitum primum.

55. Petes primò: An Novicius, aut peccans cum Novicio, vel Novicia teneatur hanc circumſtantiam in materia caſtitatis fateri? Affirmat Llmas *in ſumma, part. 3. cap. 8. §. 14.* ſed ſatis probabiliter multi negant: quia cùm non habeant votum caſtitatis, etiam privatè emiſſum, (ut ſupponimus) non additur malitia ſpecie diverſa. Ita Megala, Diana, Lugo, Salas, Palacius, quos refert, & ſequitur Leander *q. 9.* Antonius à Spir. S. *n.* 379. Dicaſtillus ubi ſuprà, *n.* 325. Et idem docent de Clericis minorum Ordinum, etiam habentibus beneficium, & de peccantibus cum illis, quorum omnium eadem eſt ratio.

Quæſitum ſecundum.

56. Petes ſecundò: An Sponſus, & Sponſa de futuro carnaliter ſe commiſcentes, vel alij cum eiſdem, teneantur talem fateri circumſtantiam? Tres ſunt ſententiæ. Prima eſt affirmativa. Hanc tenent Naldus, *in ſumma*, verbo *ſponſalia, n. 12.* Sarmiento, Lopez, & Ledeſma apud Thomam Sanchez, *lib. 1. de Matrimonio, diſp. 5. num. 5* Homobonus, Sylvius, Pitigianus, Molina, Rebellus, Gutierrez, & alij apud Dianam, *tom 1. tract. 7. reſ. 5. & 3. part. tract 4 reſol. 67.* Secunda affirmat de Sponſa, vel de peccante cum Sponſa; negat de Sponſo, vel de illa, quæ peccat cum ipſo. Hanc tuentur Thomas Sanchez *loco cit* Villalobos, *tom 1. tract 9. diffic. 36. n. 16.* Fagundez, Candidus, & Filliucius, apud Leandrum *quæſt. 12.* & in hanc inclinamur Tertia tamen abſolutè de omnibus negat: quia ratio ſponſalium non ſufficit, ut ſit adulterium. Hanc defendunt Megala, *in 1. p. lib 5. cap. 11. quæſt. 5. num. 9.* Covarruvias, Vivaldus, Baſilius Legionenſis, Henriquez, & alij, quos referunt, & ſequuntur Leander, *dict. q. 12* & Diana, *1. part. tract. 7. reſol. 5.* Gabr. à S. Vinc. *loco cit.* & benè Lugo, *diſp. 16. ſect. 4. num. 178.* *Omnes iſtæ tres ſententiæ* (inquit) *ſunt probabiles*, nec facilè aliquam ex ijs, efficaci argumento impugnari.

Quæſitum tertium.

57. Petes tertiò: An virgo quando ſpontè primò fornicatur, teneatur in confeſſione iſtam circumſtantiam explicare? Affirmant Bonacina *de Matrim. quæſt. 4. punct. 17. n. 2.* Fagundez, Villalobos, Azor, Filliucius, Archangelus, Turreblanca, Nuñus, Sylvius, Angelus, Tabiena, Lopez, Petrus de Ledeſma, Granados, & alij apud Leandrum *q. 16.* Item Candidus *diſq 24. art. 23. dub. 7.* referens pro ea Valentiam & Cajetanum, & probabiliorem reputat N. Philippus à SS. Trinit. *diſp. 12. dub. 3.* Negant verò probabiliter Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 4. num. 5.* Vazquez, Coninchus, Navarra, Suarez, Megala, quos refert, & ſequitur Diana, *tom. 1. tract. 7. reſol. 11. & tom. 3. tract. 4. reſol. 67.* & cum alijs Leander, *dict. quæſt. 16.* & cum Cardinali Lugo, Dicaſtillus, *num.* 433 Anton. à Spir. S. *n.* 428. & alij. Notat tamen benè Leſſius, *lib. 2. de juſtitia, cap. 10. dub. 1.* Quod ſi puella poteſtati parentum ſubjecta, abſquè illorum conſenſu patiatur ſe violari, poteſt interdùm ſpecialem, & gravem culpam continere ratione mæroris, & infamiæ, quam affert parentibus, & familiæ contra charitatem, & pietatem illis debitam: & ſæpè ex eo, graviſſima mala, ut inimicitiæ, & cædes ſequuntur, aliaque plura incom-

commoda, ut conſideranti patebit. Id ita communiter eſſe, inquit Salas, *tom. 2. in 1. 2. tract. 13 diſp. 6. num.* 59. quod ſcilicet ob ea, vel ſimilia damna ſit ibi ſpecies culpæ contra charitatem, ſeu pietatem, quod etiam placet Dicaſtillo ubi ſuprà, *n.* 443.

Quæſitum quartum.

58. Petes quartò: An Confeſſarius, qui peccavit cum pœnitente, teneatur hanc circumſtantiam fateri? Et non eſt quæſtio primò, quando Confeſſor abuſus eſt ipsâ confeſſione, tanquàm medio, ut ſi in confeſſione ſolicitavit pœnitentem, vel cùm proximè accederet, aut proximè poſt confeſſionem, tunc enim proculdubio eſſet ſpeciale peccatum neceſſariò in confeſſione explicandum: quia interveniret graviſſima malitia ſacrilegij, quam meritò graviſſimis pœnis punit Eccleſia. Nequè etiam eſt quæſtio ſecundò, quando prætextu, quod quis habeat curam gubernandi pœnitentem, frequenter eam inviſat, & peccet, aut ſi occaſione confeſſionis præteritæ, eam poſteà alloquatur, nam hæc omnia reddunt odioſum Sacramentum pœnitentiæ, & ſuſpectum apud maritos, aut cognatos, timentes, ne ſuis uxoribus, aut filiabus à Confeſſarijs quid mali proveniat. Et ita invenitur ibi, jure ipſo naturali circumſtantia gravis, ſpecie diverſa explicanda in eo peccato, quæ quidem non eſt malitia inceſtus, ſed ſacrilegij, & irreverentiæ ſpecialis contra Sacramentum, ut benè tradunt Lugo, *ſect. 6. n.* 355. & Dicaſtillus, *n.* 595. Solum ergò dubium procedit de Confeſſario, qui omninò extrà actum confeſſionis, & procul ab illo actu, nullis utendo ejuſmodi dictis medijs, technis, vel aſtutijs, ſed oblatâ occaſione libidinis, peccavit cum pœnitente, quæ fortaſsè aliquando, aut etiam ſæpius eum ipſo confeſſa eſt: an debeat explicare in confeſſione eam circumſtantiam peccati cum pœnitente.

Prima affirmans ſententia.

59. Duæ ſunt ſententiæ probabiles, & oppoſitæ. Prima, & ſatis communis affirmat, eſſe circumſtantiam neceſſariò explicandam in confeſſione. Ita Sotus, Viguerius, Turrechremata, Supplementum Gabriëlis, Navarrus, Gallego, Alexander de Nevo, Tabiena, Armilla, Vivaldus, Ludovicus Lopez, & alij, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez, *lib. 7. de Matrim. diſp.* 55. Candidus, *art. 33. dub.* 28. Nuños, Coninchus, Fagundez, & alij apud Dianam, *tom. 1. tract. 7 reſ.* 11. Horum autem aliqui dicunt, circumſtantiam illam addere malitiam inceſtus; alij, non eſſe inceſtum, ſed ſacrilegium, putant. Et fundatur hæc ſententia præcipuè: quia hanc deformitatem Eccleſia ſeveriſſimè punit Canone *Omnes*, & Canone *Non debet*, 30. *quæſt.* 1.

Secunda ſententia.

60. Seconda ſententia negat eſſe ibi ſpecialem malitiam, & ita aſſerit, non eſſe obligationem explicandi prædictam circumſtantiam. Sic Bonacina, Ochagavia, Baſilius Ponrius, Gaſpar Hurtado, Diana, Cardinalis Lugo, & alij, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *dictâ dub.* 8. *n.* 603. Eamdem docent N. Gabriël à S. Vincentio *de pœnit. diſp. 8. q. 6 diffic.* 5. Villalobos *de pœnit. difficul.* 36. ubi ſic ait: *Si acontece eſto muchos dias deſpues de averla confeſſado, aunque el derecho le caſtiga gravemente por ello, no me parece, que es neceſſario declararlo en la confeſſion, como dice el P. Ledeſma de pœnit. cap. 19. poſt 6. concluſionem, que en el Sacramento de la confeſſion no ſe contrahe parenteſco ſpiritual, como en el Baptiſmo, o Confirmacion.* Et ideò dictus Petrus Ledeſma citatus à Villalobo, ſic meritò concludit. *Digo, que qualquiera deſtas ſentencias es bien probable, y ſe puede muy bien ſeguir, por los Doctores, y raçones que ay por ambas ſentencias.*

Quæſitum quintum.

61. Petes quintò: An debeat explicari in confeſſione perſonæ peccantis dignitas? v. g. ſi pœnitens eſt Epiſcopus Generalis, Prælatus, &c. Et non eſt quæſtio quando fornicatio, v. g. ab Epiſcopo, aut à Religionis Prælato admiſſa, ita publica eſſet, ut ſcandalum pareret, tunc enim adverſus ſpecialem officij obligationem delinquerent, quâ tenentur ſubditos, non ſolùm verbo, ſed exemplo paſcere, atquè adeò ſpecialis malitia ex ſtatûs, ac officij circumſtantia contraheretur, eaque neceſſariò fatenda, ut benè docent Thomas Sanchez, *lib. 7. de Matrim. diſp.* 27. *n.* 33. & alij. Sed dubium ſolùm procedit per ſe loquendo, & in univerſum, ſecluſo ſcandalo. Affirmant Nuñus *q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 2. & 3.* Fagundez, *præcepto 2. lib. 4. cap. 3. n.* 8. ſed non videtur neceſsè in omni peccato mortali etiam interno, vel occulto, eam circumſtantiam explicare. Ita Thomas Sanchez *loco citato.* Ubi in peccato fornicationis Epiſcopi præter circumſtantiam voti, quod in Subdiaconatu emiſit, non agnoſcit aliam obligationem explicandi dignitatem; ſicut nequè in Prælato Religionis. Idem docent Coninchus, Filliucius, Villalobos, Henriquez, quos citat, & ſequitur Diana, *tom. 1. tract. 7. reſol.* 6. Cardinalis Lugo, *ſect. 4. num.* 179. Dicaſtillus *n.* 278. N. Gabriël à S. Vincentio, *diſp. 8. q. 6. diffic* 9. Quia ex eo præcisè capite, non transfert circumſtantia illa peccatum ad aliam ſpeciem, licèt illud aggravet, ob majorem obligationem perfectionis in tali perſona.

Quid ſi Paſtor cooperator ſit in ſuæ ovis peccato?

62. Advertendum tamen eſt, quod ſi Epiſcopus, Prælatus, vel Parochus incitatores, & cooperatores ſint in ſuarum ovium peccatis, tunc proprij Paſtoralis officij munus in confeſſione aperire tenentur, eò quod ſpeciali obligatione adſtricti ſunt impedire peccata ſuarum ovium, earumque ſalutem procurare, atquè adeò peccent ſpecialiter contra ſuum officium, ſi non modo à peccato non retrahant, ſed etiam poſitivè maculare conentur animas illas, pro quibus ſpecialiter invigilare debent, quod peccatum non ſolùm pertinet ad ſpeciem ſcandali, verùm etiam eſt ſpecialiter contra debitum ſatisfaciendi proprio officio Epiſcopi, Parochi, vel Paſtoris, &c. Ita docet Cardinalis Lugo, *n.* 356. & antè illum notavit Bonacina, *q. 4. de Matrim. p. 16. n 9. in fine.*

Quid de Gubernatore civitatis, aut obligato ex officio peccatum impedire?

63. Gubernator verò civitatis, vel alius ſimilis, qui tenetur ex juſtitia furta v. g. impedire, ſi ipſe furetur, non tenetur illam circumſtantiam in confeſſione declarare, ſed ſolùm quando aliena furta non impedit: quia licèt conſtituatur ad hoc, ut impediat furta, & delicta aliorum; non tamen, ut impediat ſua. Sicut Fiſcalis debet ex munere ſuo denunciare delicta contra bonum publicum, non tamen ſua, ſed aliorum. Et cuſtos vineæ debet manifeſtare fures, non tamen ſeipſum: quia hi omnes conſtituuntur in ordine ad alios in officio continendos, non in ordine ad ipſorummet delicta impedienda.

Ita contra utrumque Medinam apud Dianam *tom.1. tractat. 7. reſol.* 36. tenent Henriquez, Diana, & Lugo, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *num.* 381. N. Gabriel à Sancto Vincentio, *dict. quæſt.6 difficult.* 9. Leander *diſp.* 8. *q.* 57. referens Fagund. & Palac. Anton. *n.* 412.

Sacerdos laici percuſſor, an ſtatum ſuum debeat in confeſſione explicare?

64. Nec ſi Sacerdos percutiat Laicum, etiam cum ſanguinis effuſione, tenetur dicere in confeſſione, ſe eſſe Sacerdotem, nam licet magis indecens ſit Sacerdoti percuſſio illa, id tameo non videtur continere ſpeciem malitiæ diverſam ex eo capire, ultra malitiam percuſſionis, ut coorrà Nuôum ubi ſupra *concluſ.* 5. docent Diana *tom.1. tractat.* 7 *reſol.* 8. Lugo, *num.* 181. Dicaſtillus ubi ſupra *num* 382. N. Gabriel à ſancto Vincentio *dicta difficultate* 9. & cum Archangelo, Leander *quæſt.* 58. N. Antonius *num.* 413

Quæſitum ſextum.

65. Petes ſextò: An frigidus, vel ennuchus accuſans ſe de fornicatione, debeat explicare circumſtantiam impotentiæ ad copulam naturalem? Quâ in re, quidquid dubitare videatur Fillincius, reſpondendum eſt affirmativè: eſt enim tale peccatum contra naturam, ac deficit à naturali copula: ideò diſtinctæ ſpeciei ab illa. Ita communiter Doctores. Ita Thomas Sanchez, Henriquez, Leſſius, quos refert Diana 3 *p. tract.* 4. *reſol.* 139. & ſequuntur Lugo *num.* 175. Dicaſtillus, *num.* 374. N. Gabriel à ſancto Viuceotio *difficult.* 8. Anton. à Spir. S. *n.* 407.

Quæſitum ſeptimum.

66. Petes ſeptimò: An ſit neceſſarium explicare quempiam in confeſſione an ſcienter, an potius ignorantiâ culpabili peccarit, quando noritia ſolùm præcipitur in ordine ad opus, & ita ignorantia noo conſtituit ſpeciale peccatum? Aliqui affirmant eſſe neceſſarium explicare peccatum fuiſſe ſcienter admiſſum, quod diſtinctam ſpecie malitiam importet. Ita Adrianus, & Metina Complutenſis, apud Thomam Sanchez, *lib. 1. in decalogum cap.* 17. *num.* 22. At melius Navarrus *cap. Conſideret, in principio à num.* 52. *uſque ad* 79. *de pœnit. diſt.* 5. Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 4. *num.* 14. Vazquez *in* 1. 2. *diſp.* 11. Salas, *diſp.* 8. *ſect.* 8. Thomas Sanchez *loco citato num.* 23. Cardinalis Lugo *num.* 182. Gaſpar Hurtado, & Valentia, quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 14. Item Quintana Dueñas *ad* 2 *Eccleſiæ præceptum, tract.* 3. *ſingul* 23. Antonius à Spir. S. à *n.* 414. & alij, negant id eſſe neceſſarium: quippè ejuſdem ſpecici, & malitiæ moralis eſt peccatum cum ignorantia culpabili, & cum ſcientia admiſſum: quia ſolùm differunt in modo voluntarij. Advertunt tamen Thomas Sanchez, & alij, explicandam eſſe ignorantiam. 1. quando ea excuſat ab incurrenda cenſura impoſita violanti ſolum ſcienter præceptum. Secundò, quando ignorantia vincibilis excuſaret à mortali tranſgreſſionem humaoi præcepti: quia circumſtantia ita minuens ut ex mortali efficiat veniale, eſt neceſſarium explicare. Tertiò, quando exponitur quis periculo peccandi in alia ſpecie, v. g. cum peccat cum fœmina, cujus ſtatum ignorat, an ſcilicet ſit ſoluta, vel conjugata, ſub voto caſtitatis, vel ſine illo. Addunt etiam alij, explicandam ignoranriam, quando eſt affectata ad finem liberius peccandi. Hoc tamen Diana, Lugo, & Dicaſtillus ſolùm putant verum, quando ſubeſt iodè periculum peccandi in alia ſpecie, & meritò: quia quando in tale periculum non ſubeſt, oon videtur ea circumſtantia neceſſario explicanda, quia noo mutat ſpeciem.

Quæſitum octavum.

67. Petes octavo: An pœnitens teneatur aperire io confeſſione conſuetudinem peccandi? Affirmant Henriquez, Fagundez, & alij apud Dian., *tom. 1. tract.* 7. *reſol.* 15. juxta quam ſententiam, qui ex inveterata conſuetudine hodiè fornicatur, v.g. non ſatisfacit confitendo peccatum hodiernum ſolùm, niſi dicat etiam cooſuetúdinem præteritam, licet illa priora peccata jam fuerit confeſſus. Verum dicendum eſt per ſe loquendo conſuetudinem peccati, non eſſe neceſſario explicandam in confeſſione. Ita docent communiter Theologi Canus, Suarez, Vazquez, Saà, quos citat, & ſequitur Pal. *punct.* 9. *num.* 11. Reginaldus, Diana, Lugo, apud Dicaſtillum *dub* 8. *num.* 409. Sotus, Zerola, quos affert, & ſequitur Booacina *diſp.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *difficultatem* 3. *num.* 22. N. Gabriel à S. Vioc. *diſp.* 8. *q.* 6. *difficultat.* 11. Anton. à Spir. S. *n* 424. & alij: alias quodammodò per ſe loquendo obligaretur pœnitens ad confitendum ſæpius eadem peccata: cum tamen nulla ſufficiens ratio hujus oeceſsitatis appareat.

Quando per accidens obligetur quis conſuetudinem peccandi explicare.

68. Diximus *per ſe loquendo*: quia per accidens obligari poteſt pœnitens explicare conſuetudinem, vel diuturnitatem alicujus peccati, vel occaſionis ejus. Primò, ſi neceſſarium ſit confeſſario, ut pœniteotis diſpoſitionem, & obligationem perſpectam habeat. Secundò, pœnitens conſuetudinem, v.g. pejerandi explicare tenetur, quando advertit antè illam acquiſitam, quod per ſeqoentia perjuria conſtituatur in proxima occaſiooe peccandi, & poteſt præcavere, vel poſtquam jam illam acquiſivit, non eſt conatus expellere adhibendo ad id media, & diligentiá: quia peccat, tum, dum in eam ſe conijcit, tum, dum eam non tollit, & tale peccatum debet explicare, & conſuetudinem fateri, ut explicet periculum motale, cui ſe expoſuit, ut benè ootavit Dicaſt. *loco cit.* à *n.* 413. & deinceps, ſed ea de re latius *in tractatu de juramento.*

Si plures materiæ furti domini ſint, an numerus dominorum ſit neceſſario explicandus in confeſſione?

69. Secunda circumſtantia, *quid*, indicat materiam peccati, quoad conditiones ejus. Et quidem de materia furti: an ſit neceſſariò fatenda ſi ab uno domino ſublata ſit, ſatis conſtat ex dictis ſupra *punct.* 2. Si autem materiæ furti domini plures ſint, non teneri pœnitentem numerum dominorum in confeſſione declarare, tenent Salas 1. 2. *tom.* 2. *quæſt.* 73. *tract.* 13. *diſp.* 5 *ſect.* 6. *n.* 65. & Vazq. *de pœnit. q.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *nu.* 5. Affirmant tamen & meritò alij: ſi res ſit tanti valoris, ut quilibet dominus per ſe ſcorſim ceoſeatur graviter læſus ſufficienter ad mortale. Ita Dicaſtill. *diſp.* 9. *dub.* 4. *n.* 244. & Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica, punct.* 9. *n.* 7. Molin. Bonac. Dian. Fagund. apud Leaod. *diſp.* 8. *quæſt.* 26. non quia ibi ſint plures numero tantú diſtinctæ malitiæ phyſicè, vel metaphyſicè acceptæ, ut putant plures ex his Auctoribus: accidentia enim ſolo numero diſtincta phyſicè, vel metaphyſicè nequeunt eſſe in eodem ſubjecto, ut ſæpè dictum eſt; ſed quia in eodem illo furto multiplicatur numeto moraliter in acceptio-

ne morali malitiâ injuſtæ damnificationis unius perſonæ in bonis fortunæ à malitia injuſtæ damnificationis alterius. Sicut in unico actu detractionis, vel occiſionis plurium perſonarum multiplicatur numero moraliter in acceptione morali malitia injuſtæ damnificationis unius perſonæ in bonis honoris, vel vitæ à damnificatione alterius: Et ita ſicut neceſſarium eſt confiteri numerum perſonarum damnificatarum eodem actu in bonis honoris., & vitæ, ut ſupra *punct.* 1. dictum eſt, & etiam concedit Vazquez: ita ſimiliter opus eſt in confeſſione exprimere numerum perſonarum in eodem furto damnificatarum, ſi res ſit tanti valoris, ut quilibet dominorum per ſe ſeorſim cenſeatur graviter læſus.

Ad circumſtantia, quid, re*ducitur illa quæ dicitur,* circa quid.

70. Ad hanc circumſtantiam *quid*, reducitur illa quæ vocatur à Theologis *circa quid*, quæque denotat qualitatem perſonæ, cum qua eſt peccatum: ut ſi quis commiſit fornicationem cum conjugata, vel occidit Clericum, & de his non eſt dubium: cum ſint circumſtantiæ mutantes ſpeciem. Sunt tamen circa hanc circumſtantiam plures difficultates.

1. *Difficultas.*

71. Prima eſt: An vir votum habens caſtitatis ſi peccet cum fœmina habente ſimiliter votum caſtitatis, debeat uterque explicare in confeſſione votum utriuſque? Et ſimiliter ſi conjugatus habuit copulam cum conjugata, debeant in confeſſione explicare, utriuſque conjugium? Et quidem in hoc ſecundo caſu explicandum eſſe utriuſque conjugium in confeſſione, eſt doctrina communis inter Doctores, ut teſtatur Diana *tom* 11. *tract.* 5. *reſol.* 51. ubi etiam addit. *Sciant Lectores, quod in editione Romana correcta, & impreſſa ex ordine Reverendiſſimi Magiſtri Sacri Palatij opinio contraria in Codice Emanuelis Saà, fuit deleta, & expuncta. Unde cum in prioribus editionibus haberentur verba addicta à Patre Ferrantino in editione Romana, hæc fuerunt appoſita. Cum uterque peccans eſt conjugatus, id exprimendum.* Idem etiam docent Vazquez, Salas, Navarrus, quos citat, & ſequitur Palaus, *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 3. *punct.* 3. *num.* 9. Manuel, Petrus de Ledeſma, & Lopez, quos refert, & ſequitur Thom. Sanchez *lib* 9. *de matrim. diſp.* 15 *num.* 6. Suar. Lugo, Fagundez, Coninch. Leſſius, Candidus, Bonacina, Trullench. apud Leand. *tract.* 5. *de pœnit. diſp.* 8. *quæſt.* 54. Dicaſtillus *diſp* 9. *dub.* 5. *n.* 270. Anton. à Spir. S. *n.* 470. quia ibi eſt duplex injuſtitia reſpectu utriuſque conjugis peccantium, ac proindè in utroque eſt duplex malitia moraliter in acceptione morali numero diverſa, ut cum quis duos eodem ictu percutit. Eridem communiter docent prædicti Doctores in primo caſu explicandum, ſcilicet eſſe in confeſſione utriuſq; caſtitatis votum: quia ibi reperitur violatio duplicis caſtitatis Deo per votum ſacræ: ac proindè duplex malitia moraliter in acceptione morali diverſa numero.

2. *Difficultas.*

72. Secunda difficultas eſt: ſi quis non ſervet votum, quod juramento firmaverat, etiam juramenti circumſtantiam debeat explicare? reſpondetur affirmativè. Ita Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 5. *n.* 6. Lugo, *diſp.* 16. *n.* 169. Thomas Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 27. Dicaſt. *diſp.* 9. *dub.* 8. *num.* 356. Anton. à Spir. S. *n.* 398. & alij paſſim. Quia diverſa ratione formali, ſeu ſpecifica pertinet juramentum ad religionis virtutem, quam votum: quia voti obſervatio præcipitur, ut fides debita Deo ſervetur; juramenti autem, ne Deus in falſum teſtem invocetur.

73. Tertia difficultas eſt: an qui eodem actu, vel omiſſione peccat contra plura præcepta, id debeat in confeſſione explicare? Reſpondetur, non teneri illa plura præcepta explicare, quando ea ſub eadem ratione formali obligant, intuitu ejuſdem virtutis. Undè ſi quis, v.g. non audivit ſacrum in die Dominico, in quo incidit feſtum alicujus ſancti, vel non jejunavit in aliqua vigilia ſancti alicujus in quadrageſima, ſufficienter fatetur, dicens, ſe jejunium, aut feſtum violaſſe: quia præcepta illa duo ſub eâdem ratione formali obligant intuitu ejuſdem virtutis, ut ſi eſt feſtum, intuitu Religionis, ſi jejunium, intuitu temperantiæ. Ita contra Navarrum, Ludovicum Lopez, Manuelem, docet vera, & communis ſententia, Thomas Sanchez, *loco citato, num.* 6. & apud ipſum Alexander, Henriquez, Vazquez, Emanuel Saà, & Petrus de Ledeſma, item Noſter Gabriel à ſancto Vincentio, *diſp.* 8. *quæſt.* 7. *difficult.* 2. Salas 12. *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 3. *ſect.* 2. Lugo *diſp* 16. *num.* 245. Dicaſt. *diſp* 9. *dub.* 8. *num.* 471. Anton. à Spir. S. *n.* 470. & alij. 3. *Difficultas.*

74. Quarta difficultas eſt: An qui abſque morali interruptione temporis pluries appellat aliquem ebrium, vel ad aliquam rem confirmandam pluries juramentum falſum profert, vel in eadem rixa pluribus plagis inimicum afficit, tunc plura peccata numero diſtincta efficiat neceſſariò confitenda? Reſpondetur negativè: quia illa non reputantur moraliter peccata diſtincta, ſed idem peccatum numero. Ita Azor, Navarrus, Henriquez, Simancas, Covarruvias, Salas, & alij, quos citat, & ſequitur Palaus, *t.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 3. *punct.* 3. *num.* 5. Fagundez, Diana, Hurtado, apud Leandrum, *diſp.* 8. *de pœnitent. quæſt.* 9. Et eſt communis ſententia, quam firmat textus *in cap. Cum pro cauſa, de ſententia excommunicationis*, ubi ob verberationem Clerici factam in dormitorio, & continuatam per clauſtrum, unica excommunicatio contrahitur ratione verberationis, eſto pluries, quam ſemel percuſſus ſit: quia omnes illæ percuſſiones reputantur una. Ita etiam Joannes Andreas, regula *Delictum, column. pænultima de regulis juris, lib.* 6. Affirmat, eum, qui ter pugione Clericum percuſſit, continuatis vulneribus, unam tantum excommunicationem contraxiſſe: quia reputatur una percuſſio. Probat etiam textus in cap. *Lotharius, adjuncta Gloſſa, verbo, Appellavit* 31. *quæſt* 2. ubi is qui uno & continuo impetu appellavit bis, vel ter à ſententia, ſemel appellaſſe dicitur. Et textus in lege *Cum quæſtio, C. de legatis, §. Sed, & alia*, juxta quem, qui eamdem rem cuipiam in teſtamento bis, aut ter legavit, perindè eſt, ac ſi ſemel legaverit. 4. *Difficultas.*

75. Quinta difficultas eſt: An in contumelijs, detractionibus, judicijs temerarijs, debeant in confeſſione explicari vitia, vel defectus diverſi contrà proximum? ut ſi dixiſti, vel temerè judicaſti eſſe furem, adulterum, homicidam? Affirmant Salas, Suarez, Navarrus, apud Palaum, *tom.* 1. *tra-* 5. *Difficultas.*

Ctat. 2.

*ctat.*2. *diſp.*3. *punct.* 3. *num* 6: Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 9. *num.* 322. Layman, *lib.* 1. *tract.*3. *cap.* 3. *num.* 5. & multi apud Dianam, *tom.* 1. *tract.*7. *reſolut.* 28. *& tom.* 3. *tract.* 4. *reſol.*67. & apud Leandrum *diſp.*8.*q.*10. Et de hac ſententia benè inquit Dicaſtillus, *tract.*8. *diſp.*9. *dub.*8. *quæſito* 7. *num.* 504. ſe non poſſe non videre probabilitatem illius, tantamque diverſitatem inter infamias, & detractiones, ſeu exiſtimationes, ut cenſeantur in multorum æſtimatione longè diverſæ ſpeciei, non ſolum in genere phyſico, ſed in genere moris. Contrariam tamen, & negativam ſententiam tenent Cajetanus, Reginaldus, Saà, & alij apud Cardinalem Lugo *diſp.*16.*ſect.*5.*num.*269. quos ipſe Cardinalis ſequitur. Item alij, quos citat Diana, & ſequitur Dicaſtillus, *dicto quæſito* 7. *num.*502. Molina *de juſtitia, & jure*, *tom.*5. *tractat.*4. *diſp.*19. *num.*3. Anton. *n.* 475. & hanc ſententiam probabiliter ſuſtineri poſſe, docet Palaus *loco citato*, & apud ipſum Bonacina. Rationem reddunt Molina, & ex illo Lugo, Anton. & Dicaſtillus: quia omnes contumeliæ, detractationes, judicia temeraria ſpeciem accipiunt malitiæ, ex eo, quod lædant honorem, famam, exiſtimationem, ſicut furta lædunt fortunas, ergò ſicut furta ſunt ejuſdem ſpeciei in ratione furti, ſivè per hoc, ſivè per aliud medium, aut viam fiant: ita prædictæ læſiones proximi in ratione talium læſionum: quia omnis fama, honor, exiſtimatio in quacumque materia ſunt ejuſdem ſpeciei in genere moris, & non habet quis in hoc genere diverſos ſpecie honores, famas, & exiſtimationes apud alios, ſed unum honorem, famam, & exiſtimationem, aut integram, aut læſam in totum, vel in partem. Ex his duabus ſententijs, licet prima ſit ſatis probabilis, quia videtur, quod ſint ita diverſi honores, famæ, & exiſtimationes, ut non habeant communem aliquam menſuram, ſecundum quam cenſeantur ejuſdem rationis, & ſpeciei, non ſolùm in genere phyſico, ſed etiam in genere moris, & ex conſequenti non videatur ſatisfieri, niſi in confeſſione dicatur quodnam genus honoris, famæ, & exiſtimationis læſum ſit. Quia tamen ſecunda ſententia habet pro ſe tot, tamque graves Doctores, qui ſentiunt, non eſſe diverſos ſpecie honores, famas, & exiſtimationes apud alios in genere moris, & exiſtimatio rerum in eo genere pendet à multorum, & prudentum judicio, qui ita ſentiunt, ideò non poſſumus probabilitatem hujus ſecundæ ſententiæ non fateri, & ita putamus probabiliter ſatisfieri, quantum eſt ex parte obligationis explicandi ſpecies peccatorum in eo quod ſpecificetur hæc, vel illa materia quamvis diverſorum vitiorum, & ita ex hac parte etiam probabile putat Averſa *q.*10.*ſect.*7.

Sexta difficultas.

76. Sexta difficultas eſt: An in peccato jactantiæ, quo aliquis ſe de peccato aliquo læthali jactavit, & laudavit, teneatur in confeſſione explicare ſpeciem peccati, de quo fuit jactantia, ſi fuit nimirum de furto, vel de fornicatione? Et quidem ſupponendum eſt primò cum Thomas Sanchez, *lib.*1. *in decalogum cap.* 3. cum Leſſio, *lib.*2.*cap* 47.*num.*42. cum Cardinali Lugo *diſp.* 16.*num.*266. N. Anton. *n.*476. & cum alijs, non eſſe peccatum mortale per ſe loquendo, laudare ſe, vel alium de dexteritate, viribus, aut arte, quam oſtendit in peccato aliquo, ſi appareat, non de opere ipſo, ſed de illa circumſtantia laudati, & abſit approbatio, vel affectus ipſius operis, aut ſcandalum, & anſa faciendi quid ſimile.

Suppoſitio 1.

Suppoſitio 2.

77. Supponendum eſt ſecundò, ſi jactantia ſit cum gaudio, & complacentia de peccato mortali commiſſo, eſſe obligationem explicandi ſpeciem peccati à quo gaudium illud, & complacentia tanquam ab objecto ſpecificatur, nec infrequenter hujuſmodi complacentiam reperiri in jactando, & laudando ſe de peccatis, præſertim de vindicta, aut lapſu libidinis, in quibus, vel ſola recogitatio, nedum jactantia excitat ad ſimiles affectus. Ita docent communiter Doctores Palaus *tom* 1.*tract* 2.*diſp.*2 *punct.*11. *n.*5. Diana *tom.*3. *tract* 4 *reſol.* 161. Baſſæus *tom.*2. verbo, *jactantia*, Thomas Sanch. Card. Lugo, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.*9.*dub.*8. *quæſito* 8. & alij.

In quo ſit controverſia.

78. Difficultas ergò eſt: An ſecluſis damnis, ſi ſola ſit jactantia, & laudatio de peccato mortali commiſſo abſque complacentia ipſius, debeat in confeſſione explicari ſpecies peccati, de quo quis ſe jactavit, & laudavit? Prima ſententia affirmat. Ita Thomas Sanchez *lib.* 1 *ſumma*, *cap.*3 *n* 13. cum Rodriguez, Ludovico Lopez, quos refert. Item Candidus, *diſquiſit.*24 *dub.*31. & favet Dicaſtillus, *diſput.* 9. *dub.* 8. *quæſito* 8. *à num.* 509. & deinceps. Moventur: quia hoc peccatum jactantiæ ad eam ſpeciem reducitur, cujus eſt opus mortiferum, de quo eſt jactantia: virtus enim contraria non tantùm peccatum contrarium, ſed etiam jactantiam, & laudationem, qua id peccatum tanquam bonum approbatur, cohibet.

1. Sententia.

2. Sententia.

79. Secunda ſententia in caſu poſito negat, variari malitiam ex varietate peccati, de quo eſt jactantia, & laudatio, ac proindè aſſerit, non eſſe obligationem declarandi ſpeciem peccati, cujus ſit jactantia, ſed ſufficienter ſatisfieri dicendo de mortali culpa me jactavi. Pro hac ſententia refertur Navarrus, *in ſumma*, *prælud.* 9. & eam tuentur Palaus, & Diana nuper *citati*. Item Leander, *diſp.*8. *de pœnit.* *q.* 12. Baſſæus, *tom.* 2. *verbo jactantia*, *num.* 2. Pellizarius, apud Dianam, *tom.* 9. *tractat.*9. *reſol.* 20. N. Gabriel à Sancto Vincentio, *diſp.*8. *de pœnitentia*, *q.*7. *difficult.*4. N. Antonius *n.* 477. ducuntur: quia tota jactantiæ malitia conſiſtit in caſu poſito in captanda gloria ex malefactis, quod verò malefacta ſint latrocinia, homicidia, aut fornicationes, materiale quid eſt, & per accidens ad jactantiæ malitiam; undè ratio offenſæ mortalis ejuſdem rationis eſt in omnibus mortalibus, ſicut in contumelia, quando objiciuntur proximo defectus diverſæ ſpeciei, non ſunt verba illa contumeliæ ſpecie diſtincta: quia aſſumuntur tantùm ad honorem proximi lædendum: quod verò ſint hæc, vel illa verba contumelia, materialiter ſe habet.

Neq; verum eſſe addit Pal. quamlibet virtutẽ prohibere jactantiã de peccato ſibi contrario, ſicut prohibet delectationẽ gaudium, & deſideriũ illius: quia jactantia de peccato, quodcumque ſit, per ſe prohibetur à virtute contraria inanis gloriæ, eſt enim jactantia filia inanis gloriæ,

 ut

ut dicit D. Gregorius *lib.* 31. *moralium, cap.* 31. & tradunt D. Thomss 2.2 *quæſt.* 132. *art.* 5. ac communiter Theologi. Delectatio verò, gaudium, & deſiderium de peccato, ſolùm ab ea virtute prohibetur, quâ prohibetur ipſum peccatum. Utramque ex his duabus ſententijs probabilem putat Card. Lugo, *diſp.* 16 *n.* 268.

Eligitur 1. ſententia.

80. Verùm prima ſententia nobis tenenda eſt, quia jactantia, & laudatio de re mala. (Ut benè ſpecialiter advertunt Leſſius, *lib.* 2. *de juſtitia, & jure cap* 47. *num.* 42. & Thomas Sanchez, *dict. cap.* 3. *num* 4.) ejus approbationem continet (niſi ſolùm jactator narret opus perpétratum, ut indè appareat ejus dexteritas, ingenium, virilitas abſque approbatione, vel affectu ipſius operis, & ſecluſo ſcandalo, tunc enim non erit mortale) Et id ipſum probatur à ſigno. Nam qui ſic jactantem & laudentem ſe de peccato fornicationis v.g. audiunt, jactatorem, & landatorem peccatum fornicationis approbare eo ipſo concipiunt, ac proindè jactantia, & laudatio illa aperit illis aditum, ut ſcandalizentur: atqui approbario peccati mortalis non poteſt non ad eam ſpeciem reduci, ad quam pertinet ipſum peccatum mortale, quod approbatur, cum ab illo approbario, ſicuti & affectus, procul dubio ſpecificetur: ergò præter malitiam inanis gloriæ, quæ reperiiur in jactantia illa, quâ graviter peccatur contrà reverentiam legis divinæ, eſt etiam alia diſtincta malitia neceſſariò explicanda in confeſſione, quæ reducitur ad ſpeciem peccati fornicationis, quatenus per illam jactantiam, & laudationem de fornicatione, peccatum ipſum fornicationis approbatur. Undè negari debet 1. totam jactantiæ malitiam conſiſtere in captanda gloria ex malefactis, ut contendebat 2. ſententia. Nam præter malitiam, quæ eſt in jactantia de fornicatione, v.g. pertinentem ad ſpeciem inanis gloriæ, eſt & alia, quæ reducitur ad ſpeciem fornicationis, ad quam non eſt materialiter, & per accidens, ſed per ſe, quod ſit de fornicatione. Negari etiam debet ſecundò id, quod addebat Palaus, quamlibet ſcilicet virtutem non prohibere prædictam jactantiam de peccato ſibi contrario, eò quod per ſe prohibeatur à virtute contraria inani gloriæ: nam cum ibi interveniat duplex malitia ſpecie diverſa, licet una à dicta virtute inani gloriæ contraria prohibeatur; altera tamen à virtute oppoſita peccato fornicationis: v.g. cobibetur.

7. Difficultas.

81. Septima difficultas eſt: An in peccato conſilij de opere illicito debeat explicari in confeſſione ſpecies peccati, de quo patrando, datum fuit in conſilium. An verò ſufficiat dicere, conſilium dedi de peccato mortali faciendo? Reſpondetur, boc ultimum non ſufficere, ſed eſſe obligationem explicandi ſpecies peccati, de quo faciendo, datum fuit conſilium: quia verè conſilium reducitur ad ſpeciem peccati, quod conſulitur. Ita Medina, 1.2. q. 14. *artic* 6. Salas in 1.2. *tract.* 13 *diſp.* 5. *ſect.* 15. *num.* 158. Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 5. *num.* 275. Dicaſtillus, *diſp* 9. *dub.* 8. q. 9. *num.* 530. & alij communiter tamquam veriſſimum, aut docent, aut ſupponunt. Undè in conſilio de opere illicito duplex eſt malitia, altera contra charitatem proximi, quâ quis tenetur non dare ſcandalum, & occaſionem ruinæ proximi; altera, quæ reducitur ad ſpeciem peccati, de quo eſt conſilium, ut benè notavit Lugo *loco citato*, nec diſſentit Dicaſtillus.

8. Difficultas. circumſtantia odij erga perſonas conjunctas.

82. Octava difficultas eſt. An in peccatis odij, vèl injuriæ ſit declaranda conjunctio perſonæ, quæ odio habetur, vel injuriâ afficitur, ut ſi ſit parens, conjux, Prælatus, inſignis benefactor, Sacerdos, Princeps ſæcularis, aut perſona aliquo modo conjuncta lædenti? Et quidem circa odium ſi fuerit in parentes, eſſe circumſtantiam, ob ſpecialem impietatis malitiam neceſſariò confitendam, communis eſt, & recepta ſententia. Ita Navarrus *in ſumma, cap* 14. *n.* 11. Azor *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. cum alijs, quos refert. Item Saà, verbo *Confeſſio, num.* 23. Filliucius, *tract.* 28. 2 *part. cap.* 1. Lugo, *diſp.* 16. *ſect.* 6. Dicaſtillus, *diſp.* 9. *dub.* 8 *quæſ* 12. *num* 563. Antonius à Spir. S. *num.* 497. & alij. Id benè extendunt primò Cardinalis Lugo, & Dicaſtillus, ſi odium ſit parentis in filium: quia præter communem rationem odij erga proximum, involvit circúmſtantiam contra pietatem explicandam in confeſſione: quia opponitur amori filijs debito. Secundò, ſi odium ſit in avos, & nepotes, & alioſque aſcendentes, & deſcendentes, quibus etiam debemus amorem, & computantur in numerum parentum, & filiorum. Tertiò, ſi odium ſit conjugis contra alterum conſortem: quia opponitur amori, qui debetur conſorti. Quartò, ſi odium ſit in fratres, aut ſorores, quo deſideratur fratricidium, mutilatio, aut vulnus grave, notabilis infamatio, aut depauperatio, aut ſimilia mala. Quintò: hoc, quod dictum eſt de odio erga fratres, aut ſorores, ſi ſit etiam erga inſignem benefactorem, qui in gratiam amici, ut illi benefaceret, periculo ſe expoſuerit, & labori, & ſumptibus non pepercerit, eò quod bunc magis debeamus diligere, quam fratrem carnalem: ut cum Bañez, docet Turrianus, *diſp.* 80. *de charitate dub* 2. & Coninchus, *diſp.* 25. *de charitate, dub* 9. *num.* 156. N. Anton. *n.* 503. His adde, etiam declarandum in confeſſione odium ſubditorum erga ſuos ſuperiores Eccleſiaſticos, quatenus opponitur amori, ad quem tenentur tanquam filij ad patres ſpirituales, ut colligitur ex Filliucio, *tract.* 28. *part.* 2 *cap.* 5. Et expreſſè tenet Bonacina, *circa* 4. *decalogi præceptum, diſp.* 6 *q. unica, punct.* 3.

Circumſtantia injuriæ erga parentes.

83. Circa injuriam verò ſi ſit erga parentes, Bonacina, *de pœnitent. diſp.* 5. *q.* 5. *punct.* 2. §. 3. *diffic.* 3 *num.* 15. putat omnem eſſe in confeſſione declarandam. Alij verò, de quorum numero eſt Corduba *in ſumma, quæſt.* 14. dicunt, non omnem injuriam, detractionem, vel odium in parentes habere circumſtantiam gravem neceſſariò explicandam, licet ſit peccatum mortale. Verum in hac re diſtinguere oportet eum Dicaſtillo, à *num.* 576. & deinceps inter peccata in parentes. Et quidem ſi ex illis ſint, quibus, filius nocet patri in honore, famâ, membris, vitâ, & alijs, quæ ſunt contra obſequium & cultum, quod debet parenti, peccat profectò non ſolùm contra juſtitiam, ſed etiam contra pietatem, idque debet in confeſſione explicare ob adjunctam impietatis malitiam, præter injuriam, quam erga quemvis alium commiſiſſet ſimilibus actionibus. Peccatum verò furandi, & no-

cendi

cendi parenti in pecunia, niſi ob ſummam furto acceptam pater redigatur in paupertatem, ſeu ſeclufis alijs circumſtantijs, non habet Impietatis malitiam in confeſſione neceſſariò exprimendam: quia nocere in pecunia, ſeclufis alijs circumſtannijs, neque eſt contra id, quod debetur patri à filio per ſe, ſcilicet reverentia, & obſequium: cum nemo ex eo præcisè, quod accipiat bona alterius perſonæ, ſeclufis alijs circumſtantijs, cenſeatur irreverens comparatione illius. Neque etiam eſt contra id, quod debetur patri per accidens, ideſt ſecundum aliquid, quod ei accidit. Supponimus enim, quod ob eam ſnmmam furto acceptam pater non redigatur ad egeſtatem, neque ſit alia ſpecialis circumſtantia mutans ſpeciem maliniæ: ſi verò per furtum illud ſic parens depauperaretur, ut filins deberet ex pietate patrem pauperem ſuſtentare, etiam ex pietate non deberet redigere illum ad hujuſmodi miſeriam, ac proindè non ſolùm tunc contra juſtitiam, ſed contra pietatem peccaret, & teneretur id in confeſſione declarare. In peccato autem detractionis gravis in parentem ſemper videtur explicanda ea circumſtantia, ut expreſsè tenet Sotus, *in 4. diſt. 18. q. 2 art. 5. columna antè penultima*, quem approbat Lugo ubi ſupra *n* 301. N. Gabriel à Sancto Vincentio, *diſp 8. de pœnit quæſt.* 8. N. Antonius *n.* 498. Quia per illam læditur graviter pater in bona exiſtimatione: atque ideò non ſtat amor debitus filij erga parentem, cujus exiſtimationem bonam non ſolùm uon procurat, ſed poſitivè deſtruit.

Quid erga liberos.

84. Idem ferè, quod dictum eſt de peccatis filiorum in parentes. 1. intelligendum eſt de peccatis parentum contra filios, niſi quando ipſa diſparitas ſuperioris, & inferioris ſecum afferat diſcrimen, ut cum Cardin. Lugo, notavit Dicaſtillus *n.* 579. Sunt tamen duo præcipuè conſideranda diſcrimina, 1. circa curam, ad quam magis tenetur pater erga filium, quam filius erga patrem. Per ſe enim, & abſolutè ſpectat ad parentes curare de alimentis, & ſubſidijs vitæ filiorum, eorumque convenienti inſtitutione; ad filios vero per accidens, ſi parentes aliquando indigeant. 2. quoad obſervantiam, obſequia, & honorem, & quoad abſtinere ab his, quæ contra hæc ſunt, & circa hæc major ſtrictior, & magis propria eſt obligatio ex parte filiorum erga parentes. Quapropter ſi filius contumelioſa verba in patrem proferat, graviſſimè peccat, & ſi patrem percutiat, etiamſi percuſſio levis ſit in ratione nocumenti, vel etiamſi tantùm attollat deliberatè manum ad percutiendum, nec ſequatur percuſſio, irreverentia tamen non levis, ſed gravis eſt: ut benè docent Filliucius, *tract. 28. part. 2. cap. 1. n. 17.* & cum Reginaldo, Hermanus Buſembaum, *lib. 3. tractat 3 cap. 2. dubio* 1. Item graviter peccat, ſi parentes torvis oculis ferè ſemper intueatur, & ita aſperè alloquatur, ac ſi eos odio haberet, quamvis fortè interius diligat, ut cum Sylveſtro, Graffio, & alijs, docet Bonacina *in 4. decalog. præceptum*, & cum Angelo, & Navarro, Villalobos, *tract. 41. de præcept. decalogi, difficult. 6.* Econtrà verò licet pater aſperis verbis, aut contumelijs afficiat filium, aut etiam percutiat, multo levius erit peccatum, aut ſæpè nullum, propter auctoritatem paternam, & poteſtatem corrigendi. Undè in communi æſtimatione talia verba, vel facta ſæpè aut nullum, aut leve nocumentum afferunt filio: imò aliquando juſtæ increpationes, correctiones, & caſtigationes cenſentur.

Quid erga avos, & nepotes aliiſque aſcendentes, & deſcendentes.

85. Secundò: ea, quæ dicta ſunt de parentibus, & filijs, ſuo modo ſunt intelligenda de avis, & nepotibus, alijſque aſcendentibus, & deſcendentibus, quibus etiam debemus amorem: & hi omnes conſiderantur quaſi patres, & filij. Ita Lugo, *n.* 305. & Dicaſtillus, *n.* 582.

Quid de conjuge in conjugem ſuum.

86. Tertiò: Doctrina data ſuo modo, habet locum in circumſtantia injuriæ conjugis contra alterum conſortem, ut benè docent citati Doctores. Ideoque etiam pœna parricidij extenſa fuit ad occidentem ſuum conjugem, in L. 1. ff. *Ad Legem Pompeiam de Parricidijs*, & ita in praxi obſervari teſtatur Molina, *tomo 4. de juſtitia & jure, tract. 3. diſp. 26. n. 5.*

Quid de fratre in fratrem, vel ſororem carnalem.

87. Si loquamur verò de fratre offendente fratrem, vel ſororem carnalem, non ſufficit omne illud malum, quod ſufficeret ad dandam ſpeciem contra patrem; ſed exigitur malum multò gravius, ut det peculiarem ſpeciem contra amorem fratri debitum, quale proculdubio eſſet fratricidium, mutilatio, aut vulnus grave, notabilis infamatio, depauperatio, &c. Non verò ſi unus alterum pugno percuteret, modò non ſequeretur graviſſima dehonoratio, etiamſi eſſet mortalis, & ſufficiens ad incurrendam excommunicationem Canonis: neque etiam detractio quælibet in re gravi, niſi maxima infamia ſequeretur, & alia ſimilia, ut docet Cardinalis Lugo, *num.* 307. & approbat Dicaſtillus, *num.* 584. N. Anton. à Spir. S. *n.* 500. & meritò: quia etſi magna quædam conjunctio ſit inter fratres, ſed non quanta inter parentes, & filios, atquè ideò fratres videntur habere ſtatum medium, inter parentes, & extraneos.

Quid de offenſa benefactoru.

88. Ex quo inferunt primò Lugo, & Dicaſtillus citati, aliquando, licèt non ſemper, circumſtantiam benefactoris poſſe requirere, ut declaretur injuria: nempè ſi quis inſignem lædat benefactorem ſuum, qui, ut benefaceret, nec periculis, nec laboribus, nec ſumptibus pepercerit: nam ut docent Cajetanus, Bañez-Turrianus, Coninchus, apud Dicaſtillum, *n.* 585. aliquando debemus nos plus benefactorem inſignem diligere, quàm fratrem carnalem: cùm ergò aliquando injuria differat ſpecie morali, ex eo quod fiat in fratrem, vel ſororem carnalem, ut dictum eſt: etiam aliquando læſio benefactoris inſignis habebit ſpecialem malitiam ingratitudinis, prudenti æſtimatione, gravem aperiendam in confeſſione, ut ſi quis injuſtè occiderit inſignem benefactorem ſuum.

De cognatis & conſanguineis magis remotis.

89. Inferunt 2. hi Doctores cum Bonacina, *diſp. 5. de Pœnit. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. n* 15. injuriam illatam cognato, aut conſanguineo magis remoto, non habere circumſtantiam neceſſariò explicandam in confeſſione: quia nimirùm conjunctio illa eſt magis remota; non quia non ſit circumſtantia addens diſtinctam ſpeciem, ſed quia non gravem, ut docet Dicaſtillus, *n.* 586.

Quid ſi offenſus ſit Princeps?

90. Infertur 3. Si perſona offenſa ſit Princeps ſæcularis, poſſe aliquando committi pec-

Digitized by Google

catum ſpecie diverſum, ut ſi quis occidat illum: quapropter crimina læſæ majeſtatis habent pœnas graviſſimas; imò, ut rectè advertit Molina, *tom. 3. de juſtitia & jure, diſp.* 658. licèt Eccleſiaſticus alioqui exemptus ſit à juriſdictione Principis ſæcularis, à quo puniri non poteſt, ſi tamen Principem ſuum ſæcularem occideret, licèt à poteſtate ſæculari non poſſet puniri, adhuc diceretur reus læſæ majeſtatis, & deberet, ut talis, judicari à ſuo ſuperiori Eccleſiaſtico: quia in ordine ad contrahendam malitiam intelligitur ſufficienter ſubditus, dum eſt pars illius communitatis, & Reipublicæ, quæ eſt ſub tali Principe.

De circumſtantia Sacerdotis qui offenditur.

91. Sed rogabis: An circumſtantia Sacerdotis, qui offenditur, debeat explicari in confeſſione? Bonacina *de Pœnit. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 15. videtur univerſaliter affirmare, dum ait, illatam Sacerdoti injuriam eſſe explicandam. At quia non ſemper injuria facta Sacerdoti redundat in Sacerdotalem dignitatem, ut ſæpè contingit in furto: nequè enim qui furatur: v.g. ex bonis patrimonialibus Sacerdotis in gravi quantitate, ex eo præcisè gravem irreverentiam committit. Imò etiamſi furetur à Sacerdote ex bonis mobilibus beneficij, ut benè docet Petrus de Ledeſma *de Pœnit. c.* 19. *Porque por el miſmo caſo, que ſe aplican à los miniſtros, parece que dexan de ſer comunes, y Eccleſiaſticos, y ſacros: porque ya ſon deſta perſona en particular*: & ſic cum Pitigiano, docet Diana, *tom.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 27. & cum Ludovico Leander, *tract.* 5. *de Pœnit. diſp.* 8. *quæſt.* 20. hanc circumſtantiam furti non eſſe neceſſariò confitendam. Ideò aſſerendum eſt cum Cardinali Lugo, N. Antonio, & Dicaſtillo citatis, non omnia peccata, quæ fiunt contra Sacerdotem, afferre ſecum malitiam ſpecie diverſam, & neceſſariò explicandam in confeſſione; aperienda tamen eſſe ea, quæ ex materia, & circumſtantijs prudenter penſatis, redundant in gravem irreverentiam, ut contingit in percuſſione Clerici, vel in furto bonorum immobilium beneficij.

9. difficultas.

92. Nona difficultas eſt: An debeant in confeſſione explicari qualitates, & numerus perſonarum, coram quibus aliquis turpia locutus eſt, aut ſcandalum præbuit? ¶ Reſpondendum eſt affirmativè. Ita Diana, Filliucius, Sylvius, Thomas Sanchez, Layman, Bonacina, Palaus, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 9. *dub.* 8 *n.* 350. Candidus, *diſq.* 24. *art.* 23. *dub.* 47. N. Anton. à Spir. S. *num.* 391. Et ratio eſt: quia ſicut in ſimilibus ſæpè diximus, multiplicitas peccatorum non ſolùm ſpecifica, ſed etiam numerica in eſſe morali moraliter accepta, etiamſi ſit in eodem actu per reſpectum ad diverſa, non ſolùm in ſpecie, ſed in individuo, objecta, debent in confeſſione aperiri, ac proindè non ſolùm qualitates perſonarum, ſed earumdem numerus, coram quibus ſcandalum fuit datum, quando verè ſcandali periculum fuit, declarari debet, ut ſi peccata, in quibus ſcandalizantur, ſint numero, vel ſpecie diſtincta, & perſonæ plures ſunt, & diverſarum qualitatum: v.g. perſonæ ſcandalizatæ in materia caſtitatis ſunt plures, una habet votum, altera eſt conjugata, &c. id totum debet explicari.

10. difficultas.

93. Decima difficultas eſt: An in peccato blaſphemiæ debeat explicare pœnitens qualitatem blaſphemiæ: & an immediatè contra Deum, vel contra Beatam Virginem, vel contra Sanctos fuerit? Supponendum eſt ex his, quæ tradunt Noſtri Salmanticenſes, *tomo* 3. *in arbore prædicamentali, num.* 17. blaſphemiam aliam eſſe communiter dictam, quæ eſt derogatio alicujus excellentis bonitatis, de qua D. Thomas, 2. 2. *quæſt.* 13. Aliam eſſe blaſphemiam, quæ dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, eò quod per illud peccatum ponitur directè obſtaculum remiſſioni, & gratiæ, quæ Spiritui Sancto appropriantur; & ſi de hac poſteriori blaſphemia loquamur, continentur ſub illa plures ſpecies in confeſſione declarandæ, nimirùm deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis cognitæ, & invidia fraternæ gratiæ.

Blaſphemia quæ dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, habet plures ſpecies in confeſſione declarandas.

Blaſphemia communiter dicta ſi ſit hæreticalis explicanda eſt in confeſſione.

94. De blaſphemia verò priori modo accepta, & communiter dicta ſi ſermo ſit, hæc eſt declaranda in confeſſione, primò, ſi ſit hæreticalis tamquam ſpecie diverſa, ut benè docent Thomas Sanchez, Hurtado de Mendoza, Lugo, & alij, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 9. *dub.* 8. *n.* 537. Suarez, *tom* 1. *de Religione, tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 8 *&* 18 N. Anto. *de pœnit. n.* 485. Nam ea, quæ continet hæreſim, manifeſtè differt ſpecie ab illa, quæ non continet ratione hæreſis adjunctæ, & quamvis deficiat aſſenſus internus, hæreticus ſaltem eſt directè, & propriè contra præceptum, quo prohibemur ex vi obligationis confeſſionis fidei, ad nihil dicendum, aut negandum exterius contra veritates fidei.

Item quæ ex odio Dei formali procedit.

95. Secundò, exprimenda eſt in confeſſione tanquam diſtincta ſpecies, blaſphemia ex odio Dei formali procedens, ut benè docent idem Thomas Sanchez, *in ſumma, lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 39. & Anton. *n.* 486. quia ultra ſpeciem blaſphemiæ, eſt ibi formale Dei odium charitati oppoſitum.

Item in deprecativa, ut diſtincta à convitio rei turpis.

96. Tertiò, ſatis probabile eſt, blaſphemiam deprecativam ſpecie differre à convitio rei turpis, ut notat Hurtado de Mendoza, & ex illo Diana, *tom.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 22. & Dicaſtillus, *n.* 538. N. Anton. quia ſunt valdè diverſæ irreverentiæ.

Item ſi ſit contra aliquem Sanctum, & quare?

97. Item explicanda eſt blaſphemia contra Sanctum: quia præter ſpeciem blaſphemiæ, eſt in ea alia ſpecifica malitia (ſivè dicenda ſit blaſphemia, ſivè non) contra cultum duliæ debitum Sanctis ſecundùm ſe, ut benè docent Suarez *loco citato, cap.* 6. *in fine*, & Thomas Sanchez, *dicto num.* 39. Notat etiam benè Suarez *loco citato*, quod licèt in blaſphemia contra Sanctum prolata inveniatur alia malitia ſpecie diverſa à propria malitia blaſphemiæ, quæ eſt contra Deum, nihilominùs facilè ſuſtineri poteſt malitiam blaſphemiæ, quæ eſt in illo actu, quatenùs in Sancto maledicitur Deus, ejuſdem ſpeciei eſſe cum blaſphemia in Deum prolata. Parùmque hoc referre, dummodò intelligamus in convitio contra Sanctum duas ad minus eſſe malitias; unam contra illam perſonam, quæ contumeliâ afficitur: cum ſit per ſe digna honore, quæ malitia propriè eſt contra *Duliam*, & conſequenter eſt diſtincta ſpecie à propria malitia blaſphemiæ; alteram, quatenùs illa contumelia redundat in Deum ipſum, & illi cenſetur principaliter fieri, & per hanc conſtituitur propriè ille actus in ra-

tione

tione blaſphemiæ. Hæc tamen diſtinctio ſufficit, ut ratione alterius malitiæ conjunctæ hæc circumſtantia explicanda ſit in confeſſione: & ita in ordine ad illam, talis differentia quaſi ſpecifica cenſenda eſt, quod eſt obſervandum pro omnibus blaſphemijs, quæ habent adjunctas in ipſis materialibus actibus malitias aliarum rationum.

Item ſi ſit contra B. Virginem. 98. Deniquè explicandum eſt in confeſſione, an blaſphemia fuerit contra Beatam Virginem: quia reperitur in ea ſpecialis quædam malitia contra cultum hyperduliæ, quâ colitur Beata Virgo, diverſæ ſpeciei à *Dulia*, quâ cæteri Sancti coluntur propter diverſitatem maximam excellentiæ cultûs Deiparæ, nempè tituli maternitatis, ex quo rectè inferunt Cardinalis Lugo, N. Anton. & Dicaſtillus citati, malitiam in blaſphemia contra ipſam contentam, eſſe ſpecie diſtinctam à malitia contenta in blaſphemia contra alios Sanctos: & ſic explicandam eſſe in confeſſione.

In Sanctos omnes ejuſdem ſpeciei. 99. Blaſphemiæ tandem in alios Sanctos omnes ſunt ejuſdem ſpeciei, ut tenet communis Doctorum ſententia.

Undecima difficultas. 100. Undecima difficultas eſt: An pœnitens ſatisfaciat confeſſioni, ſi dicat, ſe deſeruiſſe fidem, quin declaret, fueritnè Paganiſmo, Judaiſmo vel hæreſi, poſità ſententià probabili aſſerente, circumſtantias aggravantes intra eamdem ſpeciem non eſſe neceſſariò confitendas? ¶ Reſpondetur, non ſatisfacere: quia adhuc poſità eà probabili ſententià, & admiſſo illas ſectas non diſtingui ſpecie, quatenùs virtuti fidei opponuntur; ſingulæ tamen ex illis amplectuntur aliquas ceremonias, vel ritus involventes malitiam ſpecie diverſam. Sic Judaiſmus habet circumciſionem, quæ habet malitiam ſuperſtitionis; Paganiſmus idololatriam, Hæreſis: v. g. Calviniana uſum invalidi Euchariſtiæ Sacramenti; quas diſtinctas cæremonias vanas, & cultus ſacrilegos eo ipſo expreſsè, vel implicitè voluntate quis amplectitur, amplectendo ſectas ipſas. Oportet ergò ratione harum in confeſſione manifeſtare, deflexeritnè pœnitens ad Paganiſmum, Judaiſmum, vel hæreſim. Ita optimè Palaus, *tom. 1. tract. 4. diſp. 2. punct. 1. n. 6.* & approbant Cardinalis Lugo, *n* 292. & Dicaſtillus, *num.* 556. & idem tenet alios referens Leander *de Pœnit. diſp. 8. q.* 17. N. Antonius *num.* 493.

Aliæ difficultates circa hanc ſecundam circumſtantiam à quibuſdam excitantur, quæ, quia ad tractatum de peccatis magis per ſe ſpectant, ideò nos ibi de illis agemus. Videri interim poterit N. Antonius à Spiritu S. *tract. 5. de pœnit. diſp. 8. ſect. 2. per totam.*

Circumſtantia ubi quæſitum 1. 101. Tertia circumſtantia eſt: *Ubi*, quæ pertinet ad locum delicti, circa quam quæritur primò: An circumſtantia copulæ, aut pollutionis, quæ fiunt in loco ſacro, ſit explicanda in confeſſione, ſi non ſit notorium peccatum? Vazquez, 1. 2. *tomo* 2. *diſp.* 98. *cap.* 3 *num.* 6. putat probabile eſſe; quod aliqui, ut teſtatur, negant eſſe, ſcilicet in tali caſu malitiam ſacrilegij: eò quia per notoriam effuſionem tantùm locus ſacer violatur. Idem ſentit Baſilius Pontius *de Matrim. lib. 10. cap. 10. num.* 15. Diana, 1. *part tract.* 7. *reſol.* 26 Naldus, v. *Sacrilegium* 12. Item Diana, 7 *part tract.* 11. *reſol.* 31. & alij apud ipſum, Graffius, Coninchus, & Toletus apud Palaum, *tomo 2. tract. 11. diſp: unica, punct. 1. n* 3. & hanc ſententiam probabilam eſſe dicit Dicaſtilus, *diſp. 9. dub* 8. *cap. 3. quæſito 1. n.* 651. & *n.* 660.

Contraria tamen ſententia nobis placet, quam tradunt Suarez, *tom 1. de religione, lib* 3. *cap. 7. num.* 4. Raphaël de la Torre, Thomas Sanchez, Bonacina, Cardinalis Lugo, Candidus, Trullenchus, Palaus, Salas, Fagundez, quos citat, & ſequitur Leander *de Pœnit. diſp.* 8. ſ. 4. *q.* 9. N. Gabriël à S. Vinc. *diſp.* 8 *de Pœnit. quæſito* 1. N. Anton. *n.* 563. & alij. Et ratio eſt: quia eò ipſo, quod Eccleſia cenſeat ad cultum loci ſacri pertinere, quod ob reverentiam illius abſtineatur in eo a talibus actionibus, & illas actiones exercere in loco ſacro æſtimet pro actu irreverentiæ, & ſordidationis talis loci, ſufficit, ut prudenti æſtimatione cenſeatur actus gravis irreverentiæ in locum ſacrum, neceſſariò in confeſſione exprimendæ, illas actiones ibi exercere, ſivè publicè fiant, ſivè non: ſivè veniant in publicam notitiam, ſivè non: & idem dicendum eſt de homicidio, & effuſione ſanguinis. Sed de his plura N. Anton. à *n.* 561.

102. Quæritur ſecundò: An furtum factum in loco ſacro, contrahat malitiam ſacrilegij explicandam in confeſſione? Jure Canonico ſacrilegium committitur, non ſolùm ſi ſacrum de loco ſacro quis furetur, ſed etiam ſi non ſacrum de ſacro, ut conſtat ex Cap. *Quiſquis* 17. *q.* 4. & tradunt Menochius *de arbitrar. lib. 2. caſu* 389. à *num.* 10. Cardinalis Tuſcus, *pract* verb. *Sacrilegium, concl.* 6. Decianus, *tract. crimin. lib. 6. cap.* 15 Farinacio *de furtis, quæſt.* 172 & alij innumeri ab ipſis relati; & quidem ſi non ſacrum loco ſacro cuſtodiendum committitur, res eſt certa: tum ob ſupra dictum textum, *quiſquis*, qui ſaltem in hac ſignificatione verificari debet. Tum quia ea, quæ Eccleſiæ cuſtodienda traduntur, Eccleſiæ ſunt, & aliquo modo ſacra, ipſaque Eccleſia, vel potiùs Deus, qui ibidem præeſt, in ſui tutelam ſuſcipit: fit ergò irreverentia Eccleſiæ, & Deo, ſi ab ejus poteſtate ſibi commiſſum, quis eripiat. Quod ſi non Eccleſiæ ſit traditum, ſed caſu ibi exiſtat: ut crumena, vel marſupium divitis alicujus in Templo exiſtentis, non pauci aſſerunt, tale furtum non habere malitiam mortalem ſacrilegij neceſſariò in confeſſione aperiendam: quia hujuſmodi res profanæ accipiuntur quidem materialiter *in loco ſacro*, ſed *non de loco ſacro*: quia ad locum ſacrum nullo modo pertinet. Pro hac ſententia refert, & ſequitur Diana, *tomo 1. tract. 7. reſol.* 27. Sotum, Henriquez, Cruz, Leſſium; eamdem tradit Leander, *diſp.* 8. ſ. 4. *quæſt.* 17. adducens pro ea Coninchum, Fagundez, Cardinalem Lugo, Lopezium, Granadum, Ochagaviam, & Naldum, & probabilem putant Valentia, Azar, Raphaël de la Torre, apud Dicaſtillum, *diſp. 9. dub. 8. cap. 3. quæſito 4. num.* 662. Nihilominùs probabilius cenſemus, ſacrilegium committi ſurripiendo quamcumque rem in loco ſacro, ſivè in cuſtodiam traditam Eccleſiæ, ſivè non: quia textus in cap. *Quiſquis*, abſolutè determinat ſacrilegium eſſe, ſi non ſacrum de ſacro quis furetur: nequè limitat ad non ſacrum depoſitum, & in cuſtodiam traditum: ergò nequè nos limitare debemus: cùm hæc limitatio non augeat honorem *Quæſitum 2.* loci

Digitized by Google

loci ſacri, ſed potiùs diminuat. Item ipſe textus expreſsè videtur loqui de re in Eccleſia exiſtente, etiamſi ibi depoſita non ſit: inquit enim, ſi qui depoſita, vel alia quælibet exindè abſtrahunt, velut ſacrilegi canonicæ ſententiæ ſubjaceant. Ita Palaus, *tom. 2. tract. 11. diſp. unica, punct. 4. num. 4.* & pro hac ſententia refert Dicaſtillus, *num. 661.* Bazquium, Navarrum, Nuñum, Bonacinam, Layman, Rebellum, Raphaëlem de la Torre, Reginaldum, Petrum Ledeſma, & Menochium: & Leander ubi ſuprà citat pro eadem Suarium, Valentiam, Ludovicum, & Graffium. Stando autem adhuc in prima ſententia probabili, benè diſtinguit Cardinalis Lugo, *diſp. 16. num. 470.* cum Zerola *in praxi Pœnit. cap. 12. quæſt. 17.* inter tapeta, & baldachinum, aut ſellam, quæ aliquis Nobilis præmiſit ad Eccleſiam pro ſui commoditate, vel quæ Sacriſta feciſſet ſibi commodari pro Eccleſiæ ornatu, & in ſecundo caſu, dicit fore ſacrilegium eorum furtum, non verò in primo; quæ omnia probabiliter dicta meritò reputat Dicaſtil.

Quæſitum 3. 103. Quæritur tertiò: An ſi quis extra Eccleſiam deſideret habere copulam intra Eccleſiam, inibi ſurare, vel aliquem occidere, &c. teneatur circumſtantiam loci explicare? ¶ Reſpondetur affirmativè: quia ſacrilegus eſſet, eò quod illæ actiones volitæ ſunt, ut exercendæ intra Eccleſiam, & non attenditur locus deſiderij, ſed locus ubi actus ipſe conſummandus eſt, ut benè cum alijs docet Thomas Sanchez, *lib. 9. de Matrim. diſp. 15. n. 18.* Navarrus, N. Thomas à Jeſu, & Archangelus, quos refert, & ſequitur Leander, *diſp. 8. §. 4. q. 23.* & alij.

Quæſitum 4. 104. Quæritur quartò: An pollutio habita in cœllis Religioſorum, ſi Prior Conventùs ſingulis noctibus benedicat dormitorium, & aquâ luſtrali aſpergat, contineat ſpecialem malitiam ſacrilegij in confeſſione aperiendam? ¶ Reſpondetur negativè: quia quamvis Eccleſiaſticâ immunitate gaudeant, minimè tamen dicuntur loca ſacra, quæ ſanguinis, aut ſeminis effuſione violentur, aut reconciliatione indigeant, aut hæc ſacrilega reddant. Ita Navarrus, Corduba, Henriquez, Manuël, Graffis, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez, *lib. 9. de Matrim. diſp. 15. num. 42.* Fagundez, Diana, Azor, Hurtado, Lugo, quos citat, & ſequitur Leander, *diſp. 8. §. 4. q. 26.* Dicaſtillus, *diſp. 9. dub. 8. cap. 3. num. 668.*

Circumſtantia quibus auxilijs. 105. Quarta eſt circumſtantia, *Quibus auxilijs*, ad quam expectant inſtrumenta, quibus peccatum factum eſt, media, & adminicula, quibus peccans abuſus eſt, & etiam concauſæ, à quibus ad peccandum juvatur. Et quidem quantùm ad inſtrumenta, non eſſe neceſsè regulariter explicare ea, quibus ſcelus patratum eſt, ut quod homicidium factum ſit gladio, vel ſcopleto, &c. niſi fortè ſit ſpecialis prohibitio uſus tals inſtrumenti, obligans ſub mortali. Media autem, & adminicula declaranda ſunt, quoties aliundè continent ſpecialem malitiam contra aliam virtutem, ut ſi medijs Sacramentis, aut rebus ſacris abuſus eſt quis ad aliquem pravum finem conſequendum, pacto Dæmonum, aut arte magicâ, quæ omnia ex alijs titulis explicanda ſunt.

Quæſitum unicum. 106. Quantùm verò ad concauſas, à quibus ad peccandum quis juvatur, petes: An circumſtantia poſitivè invitantis, & ſolicitantis ad fornicationem, ſit explicanda in confeſſione: an verò ſufficiat fateri fornicationem? Hoc poſterius ſufficere aſſerunt Vazquez, *quæſt. 91. art. 1. dub. 4. num. 7.* & plures referens Leander, *diſp. 8. de Pœnit. §. 5. q. 5.* Cardinalis Lugo, *diſp. 16. ſect. 3. n. 142.* quia illa malitia habetur, licèt non ita gravis, quando aliquis non ſolicitat, adhuc enim participat cum illa in ſuo peccato, & eſt cauſa cooperans ad ejus ruinam: quare ſolùm videtur aggravari magis hæc malitia intrà eamdem ſpeciem, quando aliquis poſitivè invitat, & ſolicitat; atquè id obſervandum putat Lugo, pro his, qui diebus Feſtis in Miſſa colloquuntur cum alijs, qui non videntur interrogandi in confeſſione, an ipſi procuraverint ſocios ad confabulandum, cùm utrovis modo cooperati ſint ad confabulationem, & peccatum. Sed dicendum nobis eſt, circumſtantiam inductionis manifeſtandam eſſe in confeſſione, quoties talis circumſtantia non cenſetur ſufficienter explicata, explicato actu principali. Ita Lorca, Villalobos, Becanus, Coninchus, Filliucius, Ledeſma, Gaſpar Hurtado, quos citat, & ſequitur Diana, *tom. 3. tract. 4. reſol. 114.* Ochagavia, & apud illum Navarrus, *cap. 6. num. 19.* Palaus, *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punct. 3. num. 4.* & alij plures apud Leandrum, *dict. q. 5.* Quia manifeſtatâ copulâ, non manifeſtatur inductio, cùm fieri poſſit abſquè inductione, ut regulariter in fœmina contingit quæ non inducit, ſed eſt inducta. In viris autem, quia regulariter inducunt, fortè hanc inductionem non erit opus manifeſtare: quia ſubintelligitur, cùm contrarium non exprimitur. Sic Palaus *dicto num. 4.* Et apud ipſum Thomas Sanchez, *lib. 1. in decalogum, cap. 6. num. 14.* Coninchus, *diſp. 32. dub. 5. num. 55.* Inductio autem invitantis, & ſolicitantis ad peccatum, quamvis ruina proximi non intendatur, eſt ſcandalum activum indirectè volitum, cujus malitia ſpecie diſtinguitur à peccato ad quod inducitur, ſivè ſit in ſpecie ſcandali directè, ſivè reductivè, ut docent inter alios Petrus de Ledeſma *in ſumma cap. 19. de pœnit. dub. 7.* Gaſpar Hurtado *de charitate, diſp. 10. differentia 2.* Sylveſter, Petrus Soto, Navarrus, Valentia, & alij apud Joannem Martinez, *cap. 15. q. 10. de ſcandalo. §. 2.* N. Anton. *n. 622.* & Dicaſtillus, *diſp. 9 dub. 4. n. 238.* dicens exhortationem eſſe diſtinctæ ſpeciei peccatum, quam ſit actus, ad quem quis exhortatur alium, & fatetur Lugo *diſp. 16. n. 157.*

107. Quinta eſt circumſtantia *Cur*, per quam denotatur finis extrinſecus, propter quem medium aliquod eligitur. Et circa hanc circumſtantiam interrogabis primò: An quando finis ex ſe malus non eſt, medium autem eſt malum, debeat explicari ipſe finis in confeſſione, ut ſi quis omittat Miſſam propter ſtudium, debeat explicare finem, nempè ſtudium, an ſolam omiſſionem Miſſæ? Pro ſententia aſſerente, non ſufficere explicare omiſſionem, ſed explicandam eſſe cauſam omiſſionis, aliquos ſupreſſo nomine refert Lugo, *diſp. 6 n. 478.* Et ſpeciatim referri ſolent Henriq. *quodlibeto 12. q. 24.* Gabr. *in 2. diſt. 4. q. 1. art. 3. dub. 3.* Ricar. *in 2. diſt. 35. circa primum principale, q. 1.* *Circumſtantia cur.* *Quæſitum primum.*

108. Reſpondetur tamen, ſufficere fateri omiſſionem voluntariam Miſſæ: quia actus, qui *Reſponſio.*

eſt

eſt cauſa omittendi ſacrum, ſi alias ex ſe malus non ſit, ſolum habet unicam malitiam deſumptam ex ordine ad omiſſionem, & ejuſdem rationis cum ipſa, ut eum Medina, Curiel, Zumel, Martinez, Cornejo, Salas, Monteſinus, docent N. Salmanticenſes *tom. 4. diſp. 5. de peccatis, dub. 4. n. 54.* N. Anton. à Spir. S. *n. 626.* & idem etiam tradunt Suarez, Vazquez, Henriquez, Bañez, Valentia, Azor, Hurtado, Tannerus, Diana, Lugo, Caſtro Pal. Bonacina, quos refert, & ſequitur Leander *de pœnit. diſp.* 8. § 6. q. 3. Dicaſtil. *diſp. 9. dub.* 8. *num. 693.* Eamque optimè probant prædicti N. Salmanticenſes *loco citato* ſic. Nam prædictus actus (puta ſtudium) in caſu de quo loquimur, præcisè habet eſſe malus: quia eſt cauſa omittendi ſacrum, v. g. & eſt virtualis volitio hujus omiſſionis: ergò non habet aliam malitiam niſi illam, quam ex ipſa omiſſione deſumit. Antecedens videtur perſpicuum: quia ſtudium ſi non eſſet cauſa omittendi, etiamſi eodem tempore exerceretur, nnn eſſet malum, ut ſupponimus, ergo præcisè eſt malum ex iſto capite. Conſequentia verò liquet, quia voluntas mali objecti præcisè, ut talis, nnn habet aliam malitiam, niſi illam quam deſumit ex objecto volito, ſicut cauſa mali effectus, quæ aliàs mala non eſt, ſolùm habet malitiam ipſius effectus. Confirmatur 1. ſtudium in illo caſu ſolùm eſt contra unicum præceptum Religionis de non omittendo ſacrum; & niſi ſtaret hoc præceptum, non eſſet malum: ergò ſolùm habet unicam malitiam contra virtutem Religionis deſumptam ex tranſgreſſione hujus præcepti. Confirmatur ſecundò, qui omittit ſacrum propter ſtudium non magis peccat, quam peccaret, ſi manendo otioſus abſque tali actu omitteret, ut videtur per ſe notum: ſed qui omitteret ſacrum abſque tali actu, per ſolam otioſitatem, ſolùm committeret unicum peccatum, ſcilicet, contra virtutem Religionis: ergò, &c. Confirmatur tertiò, qui furatur ut det eleemoſynam, non committit dun peccata, unum contra juſtitiam, & aliud contra virtutem miſericordiæ, aliàs pejos eſſet furari ad dandam eleemoſynam, quam ob ſolam avaritiam, vel delectationem ex furto captam, quod videtur abſurdum: ergo, qui ut ſtudeat, aut exerceat aliud opus ex ſe honeſtum, omittit ſacrum, non plus delinquit, quã qui ex ſola malitia omitteret: cumq; hic poſterior uou committat, niſi unicum peccatum, ſcilicet contra religionem: idem à fortiori dicendum eſt de primo.

Objectio. 109. Quod ſi objicias, qni propter ſtudium tranſgreditur præceptũ audiendi ſacrum, conſtituit in ſtudio rationem finis ultimi, diligendo illud plus apprætiativè, quã Deum, qui eſt auctor illius præcepti: ſed diligere hoc modo ſtudium, & quamlibet rem creatam eſt ſpeciale peccatum oppoſitũ virtuti charitatis, quæ præcipit diligere Deũ, ut finem ultimum, & prohibet conſtituere hujuſmodi finem in aliqua creatura: ergo ſaltem hoc modo erit ibi duplex malitia explicanda in confeſſione alia contra Religionem, & alia contra charitatem.

Solutio. 110. Reſpondetur, illum, qui propter ſtudiũ vel aliud opus voluntarium tranſgreditur Divinum præceptum, conſtituere finem ultimum in creatura, non formaliter, ſed interpretativè, ut ſuo loco tradunt N. Salmantic. hoc autem non conſtituit peculiare peccatum, nec dat aliquam ſpecialem malitiam, ſed eſt generalis conditio conſequens omnia mortalia, quicumque enim mortaliter peccat, diligit hoc modo plus creaturã, quam Deum; ut autem prædicta circumſtantia, ſeu conditio conſtituendi in creatura finem ultimum, daret ſpecialẽ malitiam contra charitatem, deberet eſſe expreſsè, & directè volita, quod in viatoribus fidem habentibus raro, aut nunquam contingit.

111. Interrogabis 2. an quando circumſtantia mala, quæ advenit, eſt ſimul finis, v. g. ſi quis furatur propter fornicationem, poſſit ſeorſim illas duas malitias confiteri, accuſando ſe prius de peccato furti, & poſtea de peccato fornicarionis? negant Nuñ. Megala, & alij, quos afferunt Dian. *t. 1. tract. 7. reſol. 23.* & Leand. *de pœnit. diſp.* 8 § 6. q. 5. Verum contraria & affirmativa ſententia ſatis probabilis videtur; nam licet illæ malitiæ habeant aliquam ſubordinationẽ inter ſe, ut mediũ & finis, re tamen vera eſt ibi duplex malitia in ſpecie atoma, ſcilicet furti, & fornicationis, quarũ ſingulæ poſſunt ſeorſim ſufficienter explicari, ut tenent Navar. Angel. P. Fay, quos citat, & ſeq. Dian. *dict. reſol. 23.* Ochag. *tract. 2. q. 14. n. 4.* Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp. 16 n. 265.* Leander *dict. q. 5.* *Quæſitum ſecundum.*

112. Sexta eſt circumſtantia *quomodo*, ad quam revocatur primò modus peccandi intenſiùs, qui cum non mutet ſpeciẽ in ſententia probabili aſſerente circumſtantias intra eandem ſpeciem aggravantes non eſſe neceſſariò explicandas, non tenebitur pœnitens eã in confeſſione aperire. 2. Reducitur ad hanc circumſtantiam modus peccandi ex conſuetudine, an cõſuetudo debeat explicari? ſed de hoc egimus ſupra *hoc eodem puncto n. 67. quæſ.* 8. 3. Revocatur ad hanc circumſtantiã modus peccandi ignoranter, ſed, an, & quatenus explicari debeat, diximus ſup. *n. 66. quæſt.* 7. 4. Reducitur ad hanc circumſtantiã modus violentiæ, quæ cum transfert in novã ſpeciem, debet in confeſſione declarari, ut violentia in furto, quæ eſt rapina, & in copula carnali reluctanre fœmina, quæ eſt raptus, & ſic de alijs. 5. Ad hanc circumſtantiam revocari poteſt modus quo aliquis occidit diſcerpendo poſteà cadaveris membra, extrahendo jecur, & ſimilia, quæ circumſtantia eſt neceſſariò fatenda, quia eſt ſæviriæ, ſeu feritatis ſpecialis peccatum, ut docet D. Thom. 2. 2 *q.* 159. *art.* 2. 6. Deniq; ad hanc circumſtantiã reduci poteſt modus durationis, qui non eſt neceſſariò exprimendus, niſi fortè ob durationẽ contingat, peccata quoad numerũ moraliter multiplicari, ut benè ex Manuele Saá notavit Palaus, *tract. 23. diſp. unica, puncto 9. n. 11.* *Circumſtantia quomodo.*

113. Septima, & ultima eſt circumſtantia *Quando*, quæ tempus, quo delictum patratum eſt, denotat. Circa quam quæri ſolet: An ſi die Feſto delictum committatur, ſit circumſtantia neceſſariò fatenda? Affirmant multi, & graviſſimi auctores, Alexander Alenſis, Lira, S. Antoninus, Majnr, Adrianus, Catharinus, Nider apud Fagundez *lib. 4 de 2. præcepto Eccleſiæ cap. 5. num.* 20. Et alij multi apud Dicaſtillum *diſp 9. dub.* 8. *numer.* 721. Sed meritò contrarium aſſerit communis jam ſententia *Circumſtantia quando. Quæſitum unicum.*

apud Navarrum, *in cap. Conſideret, de pœnit. n.22.* Covartuvias *in cap. Alma mater*, *1.p.§.5.num.3.* Suarez, alijs relatis, *diſp.22. ſect. 4.* Vazquez, *q.91.art.1.dub.4 num.23.* Petrus Fay, Bonacin. Coninchus, Nuñus, quos citat, & ſequitur Diana *1.p.tract.7.reſol.32.* & alij plures apud Leandrum *diſp.8.§.8.q.2.* & apud Dicaſtillum *diſp.9. dub 8.n.722.* Et cum alijs eam ſic firmat Petrus de Ledeſma, *in ſumma de pœnit. c.19.* his verbis: *La circunſtantia del dia de fieſta, no es neceſſario declararla en la confeſſion. Eſta ſentencia es comun entre los Doctores, y la tiene Cajetano, y el Maeſtro Soto, y el Maeſtro Vitoria, y el Maeſtro Cano, y Silveſtro, y la ſuma Roſela, y S. Thomas, y todos los Theologes deſte tiempe. La razon es clara: porque aunque el precepto de guardar los dias de fieſta tenga por fin çeſar de las culpas, y pecados: pero el fin del precepto no cae debajo de precepto. Lo ſegundo: porque entre las obras que ſo mandan hazer en el precepto de guardar las fieſtas, no es ninguna çeſar de pecar: luego eſto no cae debajo de precepto, que manda guardar los dias de la fieſta, luego eſta no es circunſtantia, que ſe ha de declarar en la confeſſion.* Delictum etiam patrare in die Jovis, aut Veneris Sancti, non eſſe circumſtantiam neceſſariò in confeſſione manifeſtandam, tenent Henriquez, quem ſequitur Diana *tract. 7. citato reſol.32.* & Leander *diſp.8. de pœnit. §.8. quæſt.3.* N. Anton. à Spir. S. *n.639.* contra Medinam, Pitigianum, Gregorium Matinez, & alios. Limitat tamen benè Lugo, *diſp.16. num. 524.* niſi aliqua gravis irreverentia fieret, ut ſi aliquis vellet ludos publicos, comedias, & ludicra, ſpectacula, & ſimilia exhibere in die Veneris ſancti, ſicut in diebus bacchanalium: quia eſſet graviſſima irreverentia contra ſacratiſſimum diem Paſſionis Chriſti Domini: vel ſi ab ipſo altari, in quo Sacerdos celebravit, immediatè iret ad peccandum cum concubina: quia eſſet graviſſima irreverentia tanti ſacrificij & Sacramenti. Ita etiam & benè N. Antonius *de pœnit. à n.640.*

PVNCTVM V.

Quæ cauſæ excuſent ab integritate materiali confeſſionis?

Impotentia Phyſica excuſat, & hæc contingit 1.

114. PRimò: Ab integritate materiali confeſſionis excuſat impotentia phyſica, quæ multipliciter contingit. Primò: ſi diligenti examinatione præmiſſa, recordari non poteſt quis peccatorum omnium, quæ commiſit; etenim eo caſu ſatisfacit, declarando, quæ ſibi memoriæ occurrerint, ut ex Tridentino, *ſeſſ.14.c.5.* colligunt Suarez, Coninchus, Navarrus, Laym. Bonac, quos citat, & ſeq. Leander *tract.5. de pœnit diſp.5.quæſt.55.* Item Palaus, *tract.23.diſp unica, punct.11.n.2.* ubi etiam addit cum Coninch. *diſp.7.de Pœnit.dub.9.n.70.* & cum Palao Laym. *lib.5.ſummæ, tract 6.cap.8 n.5.* etiamſi in peccatorum oblivione culpabilis tantùm venialiter quis exiſtat, non ob indè integritatem formalem confeſſionis lædi, quibus etiam ſubſcribit Leander *dict.quæſt.55.* Bonac. *diſp.5.ſect.2.punct.2. difficult.4.§.4.* Zerola *in praxi de Pœn. c.13.q.31. verſic. Dico ſecundo, & quæſito 32.*

Secundò.

115. Secundò contingit, ſi ob impotentiam linguæ, vel quia mutus quis eſt, vel balbutiens, vel alterius idiomatis, nequit omnia peccata explicare: poteſt enim abſolvi, explicatis ijs, quæ commodè poteſt, uti docent Lopez, *inſtit.moral. cap.27.* Henriquez, *lib.5. de Sacrament. cap. 12. n.3.* Granados, *tract.9.diſp.5.num.20.* Layman, *lib.5.tract.6.cap.8.num.9.* Palaus, *dicto numero 2.* Leander *quæſt.56.* Emanuel Saà, Navarrus, & Reginaldus quos refert, & ſequitur Bonacina, *dicta difficul.4.n.6.*

116. Tertiò: ſi periculum adſit è vita diſcedendi abſque abſolutione, ſi velit pœnitens omnia peccata fateri, poterit enim aliquo, vel aliquibus explicatis, abſolvi, poſtmodum ſi ſupervixerit reliqua manifeſtaturus. Sic Saà, Suarez, Layman, quos adducit, & ſequitur Palaus *loco citato*, Coninchus *diſp.7.n.74.* & alij. *Tertiò.*

117. Quartò: ſi Sacerdos non poſſit Petri, v.g. & aliorum eodem periculo laborantium confeſſionem integram excipere, poterit & Petro, & alijs, audito uno, vel altero peccato, abſolutionem impendere, ne ſi confeſſor audit integram confeſſionem unius, alij ſinè confeſſione moriantur. Ita Cruz, Vazquez apud Dianam *tom.5.tract. 3.reſol.74.* Toletus, Coninch. Henriq. Layman, quos adducit, & ſequitur Palaus *dicto puncto 11. num.2.* *Quartò.*

118. Secundò: excuſat ab integritate materiali confeſſionis impotentia moralis, quæ cenſetur adeſſe, quoties abſque gravi damno proprio, vel alieno, nequit quis integram omnium peccatorum facere confeſſionem: præceptum enim confeſſionis integræ faciendæ non obligat cum tanto incommodo. Ita Navarrus, Sotus, Suarez, Henriquez, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp. 5. q.5. ſect.2. puncto 2. difficult.4. §.4. num.11.* Coninchus, Layman, & alij, quos citat, & ſeq. Palaus *dicto puncto 11.n.3.* *Impotentia moralis excuſat.*

119. Hinc fit primò: quando infirmus laborat morbo contagioſo, & confeſſarius non poteſt eum eminùs abſque periculo contagionis audire, diutius immorando in peccatis audiendis, confeſſarius poteſt, auditis aliquibus peccatis, abſolutionem ſtatim impendere. Ita Vazquez, Coninchus, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.5.q.5.ſect 2.punct 2.n.13.* N. Antonius à Spir. S. *n. 671.* & alij. *Corollarium 1.*

120. Fit ſecundò, pœnitentē, imminente præcepto annuæ confeſſionis, aut neceſſitate ſuſcipiendi Euchariſtiam, vel celebrandæ Miſſæ, poſſe, & debere confiteri ſua peccata, tacito peccato, de quo probabiliter timet grave incommodum. Tum quia extat præceptum confitendi, & poteſt impleri quoad aliquam partē. Tum etiā, quia ſicut qui credit ſe facto examine non manifeſtaturum omnia ſua peccata propter oblivionem, tenetur adhuc ea confiteri, quorum recordatur, ut adimpleat præceptum: ita pœnitens tenetur in prædictis caſibus ſua peccata confiteri, tacito illo, de quo probabiliter timet grave incommodum; non enim ſimpliciter excuſatur à confeſſione, ſed ab integritate materiali confeſſionis. Ita Suar. Nuñ. Henriq. Coninch. quos refert, & ſeq. Bonac. *loco cit. n.14.* Dicaſtill. *diſp.9. dub.11.n.879.* Anton. à Spir. S. *n.667.* *Corollarium 2.*

121. Nota autem primò, eum, qui habet juſtam cauſam reticendi aliquod peccatum, non poſſe plura reticere, quam poſtulet juſta cauſa, ſeu periculum probabiliter imminens. *Obſervatio prima.*

Quam-

Quamobrem ſi quis habeat juſtam cauſam reticendi actum externum, non verò affectum internum, tenetur affectum internum confiteri, ſi nullum immineat periculum ex manifeſtatione ſolius affectus interni: quia confeſſio integrè facienda eſt, quantum moraliter fieri poteſt; in propoſito autem caſu integrè fieri poteſt, ſaltem quoad affectum internum, de quo nullum probabiliter imminet periculum. Ita Coninchus *diſp.3.dub.9.n.95.* & cum alijs Bonacina ubi ſup *n.20.* Diana *t.9. tract.9.reſolut.56.* Candid. *diſq.24.art.24.dub.13.* Herinx *diſp.3.n.54.*

Obſervatio ſecunda.

122. Nota ſecundò, ut quis ob dictas cauſas poſſit non integrè confiteri, requiri etiam neceſſitatem hic, & nunc, tali confeſſario confitendi; quare ſi poſſet ſinè gravi incommodo, etiam confeſſionem aliquantulum differendo, alteri integrè confiteri, ad hoc tenetur: quia præceptum de integritate confeſſionis ſervandum eſt, quoties abſque detrimento gravi ſervari poteſt. Ita Suarez *diſp.23.ſect.2.n.7.* Coninchus *n.77.* Palaus *n.5.* Non tamen tenetur valdè diù (præſertim præter conſuetudinem) confeſſionem differre, maximè ſi peccato alio mortali gravetur, quod poteſt abſque periculo manifeſtare: quia grave eſt incommodum diù Sacramentorum fructu carere. Ita Suarez, Coninchus, & Palaus citati, & clarè inſinuat Sotus *diſt.18.q.2.art 5.§.circa tertium.* Lugo autem *n.416.* Herinx, & alij determinant dilationem ad biduum aut triduum nimiam eſſe ſaltem in obſtricto mortali peccato non confeſſo, aut in Sacerdote quotidiè celebrare aſſueto.

Obſervatio tertia.

123. Nota tertiò: quocumque ex his caſibus aliquis fecerit confeſſionem non integram, eum poſteà teneri ſuo tempore peccata omiſſa confiteri, ut benè obſervant Coninchus *dict. n.77.* N. Anton. *n.673.*

Obſervatio 4.

124. Nota quartò: ut aliquod peccatum in confeſſione omittatur, non ſufficere, quod confeſſarius, qui pœnitentem anteà habebat pro valdè pio, & caſto, eo intellecto in mente ſua ſit habiturus dictum pœnitentem pro gravi peccatore, aut impuro, aut quod maximo pudore afficiatur, & ſimilia: quia hæc immediatè, & quaſi per ſe ex confeſſione ſequuntur, & tamen his nonobſtantibus à Chriſto D. præcepta eſt.

Quæſitum primum.

125. Petes primò: An quando aliquis fecit aliquod peccatum, quod non poteſt hic, & nunc confiteri, niſi detegendo peccatum, & perſonam complicis, quæ nota eſt confeſſario, v.g. ſi quis peccaverit cum ſua ſorore, quæ confeſſario nota eſt, poſſit, & debeat integram confeſſionem facere? Hic autem caſus non habet locum, quando talis commodè poteſt alicui confiteri, cui ignotus eſt, tunc enim tenetur huic integrè confiteri: quia hoc ſinè incommodo facere poteſt. Neque etiam habet locum, quando prudenter timeret pœnitens, confeſſarium indè ſumpturum occaſionem complicem malè tractandi, vel infamandi, aliudve grave damnum inferendi: certum enim eſt, ut ex dictis conſtat, tunc pœnitentem debere illius peccatum celare, & ſolùm manifeſtare poſſe, & debere, quidquid neceſſarium foret ad grave damnum proximi evitandum. Sed controverſia procedit, quando ex manifeſtatione peccati complicis nullum aliud damnum ſequitur, præter pravũ complicis conceptũ apud confeſſarium.

Prima ſententia.

126. His ſuppoſitis, circa hoc quæſitum prima ſententia docet, pœnitentem reticere poſſe peccatum, imò debere, ex cujus manifeſtatione neceſſariò Sacerdos complicis notitiam de gravi peccato eſt habiturus. Ita Viguerius *in ſumma, cap.16.§.4.verſ.17.* Innocentius, Hoſtienſis, in *cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnitentijs, & remiſſ.* & pro hac ſententia citat Dicaſtillus *diſp.9 dub.12.* Navarrum, Bañecium, Rodriguez, Marſilium, Villalobos, Ludovicum Lopez, Medin. Cruz, & Fabrum, & Diana *p.1.tract.7. reſol.49. & 3.p.tract 4.reſol.64.* adducit, & ſeq. Sotum, Fay, Pitigian. & alios. Moventur: quia obligat tunc præceptum naturale ſervandi bonam famam proximi, & æſtimationem apud confeſſarium.

Secunda ſententia magis communis.

127. Secunda ſententia magis communis, & nobis tenenda docet, non ſolùm poſſe pœnitentem, ſed etiam debere integrè confiteri in eo caſu. Ita D. Thomas *in 4.diſt.16.q.3.art 2. quæſtiuncula 5. ad 5. & opuſc.12.q.6.* D. Bernardus in formula honeſtæ vitæ, ubi ſic ait: *De nullo prorſus ſiniſtrè loquaris quantumcumque ſit verum, vel manifeſtum, niſi in confeſſione: & hoc ubi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum.* Item D. Bonavent. Alexander, Durandus, Ricardus, Paludanus, Major, Almaynus, Petrus Navarra, Gabriel, D. Antoninus, Adrianus, Cajetanus, Medina, Petrus Sotus, Angelus, Roſela, Victoria, Sylveſter, Corduba, Dominicus Sotus, Toletus, Vazquez, Suarius, Lugo, Coninchus, Reginald. Saà, Rebellus, Layman, Leſſius, Malderus, Nuñus, Coriolanus, Baſilius Pontius, quos refert, & ſeq. Dicaſtillus *diſp.9. dub.2. n.* 893. Item N. Gabriel à ſancto Vincentio, *de pœnit.diſp.6.q.4.* Palaus *tract.22 diſp.unica, punct.11 num.7.* Item Carthuſianus, Gerſon, Onufrius, Regius, Hurtado, Fagund. Luyſius, quos citat, & ſeq. Leand. *de pœnit. diſp.5.q.60.* N. Franciſc. B.S. *diſp.6.n.18.* Urban. *tract.2.cap.8.* Stephan à S.P. *n.160.* Gonet *diſp.10 art.4.* Wiggers *q.9.n.16.* & communiorem, & in praxi receptiorẽ fatetur Herinx *n.59.* quamvis contrariam æſtimet probabilem.

Ratio illius.

128. Probatur, quia manifeſtare alicui peccatum alterius debitis circumſtantijs obſervatis, poteſt eſſe licitum, ſi ex rationabili cauſa fiat, ſicuti notavit D. Thom. 2 2 *q.73.art.2.* ubi ſic ait: *Contingit quandoq; quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, ſed aliquid aliud; hoc autem non eſt detrahere per ſe, & formaliter loquendo: ſed ſolùm materialiter, & quaſi per accidens, & ſiquidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel neceſſarium debitis circumſtantijs obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio,* & ita videtur etiam decidi *cap. Hoc videtur 22.q.5.* ergo licita eſt manifeſtatio in caſu poſito ob utilitatem integræ confeſſionis, & ut ſervetur præceptum Chriſti; ac proindè debet ita fieri, tametſi complex cognoſcatur, quia præceptum ſervandi integritatem confeſſionis urget, quoties ſervari poteſt.

Latius de hoc N. Gab. & Gonet loc. cit.

Occurritur fundamento 1 ſententiæ.

129. Ex quo ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, deeſſe tunc circumſtantiam neceſſariã, ut obliget præceptũ naturale ſervandi famã proximi, hæc enim non obligat abſolutè, ſed niſi obſtet aliud majus bonum, tale autem cenſetur integritas confeſſionis, & fructus indè percipiendus.

Quæſitum ſecundum. 130. Petes ſecundò: An qui ex juſta cauſa tacet peccatum in confeſsione, teneatur procurare illius contritionem perfectam? Reſpondent Lugo, *num.* 533. & Leander *diſp.* 5. *quæſt* 51. non teneri, ſed attritionem ſufficere: quia illud peccatum cum ſola attritione poteſt indirectè remitti non ſecus, atque peccata, quæ ex oblivione inculpabili non dicuntur, remittuntur indirectè per Sacramentalem abſolutionem directè cadentem ſuprà alia peccata juxta Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Amicus *in curſu Theologico*, *tom.* 8. *diſp* 13. *ſect.* 7. *num.* 123. Diana, *tomo* 9. *tract.* 9. *reſol.* 56. Antonius à Spiritu ſancto *n.* 671. ita id etiam putat Dicaſtillus, *diſp.* 9. *dub.* 11. *num.* 884. & cum his Doctoribus putamus & nos.

Quæſitum 3. 131. Petes tertiò: An ſuperior, cui ſunt caſus reſervati, auditis ſolis reſervatis poſsit pœnitentem abſolvere, & illum remittere ad inferiorem confeſſarium pro abſolutione non reſervatorum? Affirmant Navarrus, Cajetanus, Paludanus, Sotus, & alij apud Dicaſtillum, *diſp.* 11. *dub.* 18. *num.* 315. & probabile putant Petrus de Ledeſma, *tom.* 1. *de pœnitent. cap* 20. *concluſ* 3. *dub.* 4. & Petrus Soto, Henriquez, Saà, apud Palaum, *tract.* 23. *diſp. unica, puncto* 15 §. 5. *num.* 2. nec diſſentiunt D. Antoninus, Ricardus, Gerſon, & alij relati à Vazquez, *de pœnitent.* *q.* 91. *art.* 3. *dubio* 10. Plures ex his Doctoribus affirmant fieri debere ex rationabili cauſa, quam judicare videntur eſſe continuam Prælatorum occupationem.

Sententia affirmans cum ſuis fundamentis. 132. Probat autem dupliciter hanc ſententiam Petrus de Ledeſma *de pœnitentia*, *cap.* 20. *concluſion.* 3. *dub.* 4. in hunc modum: *Eſta ſentencia ſe prueva, lo primero, del uſo de la Igleſia Romana: porque alli los Penitenciarios del Papa ſolamente oyen los caſos reſervados, y abſuelven d'ellos, el qual uſo no ſe permitiera ſi fuera ſacrilego. Lo ſegundo, ſe prueva: porque de parte del penitente puede dimidiarſe la confeſsion por algun peligro que aya de alguna notable infamia: luego tambien de parte del Sacerdote puede dimidiarſe la confeſsion por la reſervacion de los caſos, que es de gran provecho para la Igleſia, y por el impedimento de los ſuperiores, que eſtan ocupados en graves negocios.*

Limitatur. 133. Verum hæc ſententia limitanda, vel explicanda, & ſolùm probanda eſt, quando ſuperior graviſſimo negotio occupatus, neque valens ſe ab illo expedire, non poſſit totam pœnitentis audire confeſſionem, & aliundè judicat inconveniens eſſe, quod peccatum reſervatum ad inferiorem remittatur, nec non ſubditus ob neceſſitatem communicandi commodum tempus expectare non poſſit: quia hic caſus perquam rarus ſufficientem cauſam præbet dimidiandi confeſſionem, uti docent relati Doctores, & approbant Palaus *tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 15. §. 5. *num.* 3. N. Gabriel à ſancto Vincentio, *diſp.* 6, *q.* 4. N. Antonius à Spirit. S. *n.* 1263. Franciſc. B. S. *diſp.* 10. *n.* 85. & alij.

Præciſa itaque gravi cauſa, omitti non poteſt confeſſionis integritas, utpotè jure divino præcepta, gravis autem cauſa, etſi in caſu poſito, & rariſſimo contingat, extra illum verò, ſeu regulariter loquendo propter ſolam continuam Prælatorum occupationem, non adeſt: tum quia Prælatus extrà confeſſionem audire reſervata poteſt, ſi pœnitenti placet: tum quia poteſt committere vices ſuas alicui inferiori, de cujus prudentia, & ſcientia benè confidat: tum quia poteſt ſubdito præcipere, ut confeſſionem in tempus opportunum differat: tum quia ab alijs negotijs minus neceſſarijs ſe expedire debet.

134. Ad id quod objectum eſt de conſuetudine Romanæ curiæ, aliqui eam conſuetudinem negant cum Sylveſtro, qui fuit Pœnitentiarius in Baſilica ſancti Petri, & teſtatur oppoſitum, & hodiè (teſte Cardinali Lugo, & P. Macedo *de clavibus Petri*, *lib.* 4. *cap* 8.) non eſt talis conſuetudinis veſtigium, verum autem eſt, in Romana Curia reſervata ſæpè non audiri, ut Sacramentaliter abſolvantur, ſed audiri, ut ſublata cenſura confeſſori ordinario remittantur ſacramentaliter abſolvenda. Ad illud verò, quod objicitur de utilitate reſervationis caſuum & de occupatione ſuperiorum in gravibus negotijs, jam ſatis explicatum eſt, regulariter non ſufficere ad dimidiandam confeſſionem Sacramentalem, ſed ſolùm in caſu rariſſimo jam explicato. Et pro noſtra reſolutione ſunt præter Palaum, & N. Gabrielem à ſancto Vincentio jam citatos, Adrianus, Sylveſter, Viguerius, Canus, Durandus, Rodriguez, Suarius, Henriquez, Valentia, Nuñus, Vazquez, Reginaldus, Zerola, Peſſantius, Sayrus, Victoria, Cardinalis Lugo, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 11. *dub.* 18. *num.* 317. & cum alijs Bonacina *diſp.* 5. *q.* 7. *puncto* 5. § 3. *Occurritur contrarijs fundamentis.*

135. Petes quartò: An quando pœnitens eſt in confitendi neceſſitate, v.g. urgente timore infamiæ, vel ſcandali ex omiſſione confeſſionis, vel communionis, ob quæ non poteſt tunc temporis ſuperiorem adire pro reſervatorum abſolutione, debeat in eo caſu confiteri confeſſori inferiori, non ſolùm peccata non reſervata, verum etiam reſervata? Sola non reſervata fateri poſſe in eo caſu, tacitis reſervatis, tenent aliqui, quos retulimus, *tract.* 4. *de Sacramento Euchariſtiæ cap.* 7. *puncto* 3. *num.* 36. quod etiam probabile putant Diana *tom.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 104. Hermanus Buſembaum *lib.* 6. *tractat.* 4. *de pœnitentia*, *cap.* 2. *dub.* 4. N. Gabriel à S. Vincentio *de Sacram. pœnitentia*, *diſp.* 6. *quæſt.* 4. Verum debere omnia peccata reſervata cum non reſervatis dici tunc confeſſario inferiori, docent Suarez, & alij, quos retulimus *dicto puncto* 3. *numer* 36. & alij communiter, quod tutius eſt, & conſulendum, ut ibidem cum Filliucio tradidimus, & ita etiam docet citatus Hermanus Buſembaum, & alij apud Dianam *tomo* 9. *tract.* 9. *reſol.* 56. *Quæſitum 4.*

136. Petes quintò: An pœnitens, qui peccatum aliquod ex juſta cauſa reticuit in confeſſione, teneatur cum primum poſſit confiteri? Et quidem ſi de pœnitente, qui non ſit Sacerdos, ſermo ſit, non ſtatim tenetur, ut communiter docent Doctores, ſed differre poteſt confeſſionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur: quia tunc ſic confeſſus ſatisfecit integritati formali confeſsionis. Ita N. Antonius, Suarez, Coninchus, Reginaldus, Valentia, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 9. *dub.* 11. *num.* 883. Nuñus, *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 6. *art.* 5. *difficult.* 6. *Quæſitum 5.*

Can-

Candidus, *diſquiſit. 24. art. 24. dub. 14.* Si verò ſit Sacerdos, eùm tunc non habeat reſpectu illius peccati copiam Confeſſarij : ſi enim alium haberet, deberet apud illum confiteri de illo peccato, quod ex juſta cauſa reticet, philoſophandum videtur, ſicut viſum eſt Dicaſtillo *loco citato*, & Lugoni, *de Sacramento Euchariſtiæ, diſp. 14. num. 152.* comparatione talis pœnitentis: ſicut de eo, qui celebrat ſinè copia Confeſſarij : Sacerdos autem ſic celebrans, tenetur cùm primum poſſit confiteri, juxta Trident. *ſeſſ. 13. cap. 7.*

An autem pœnitens, qui in caſu urgentis neceſſitatis non haberet alia mortalia non reſervata, teneretur ex præcepto ad confitenda venialia Sacerdoti inferiori : & an ſi habeat excommunicationem reſervatam urgente etiam neceſſitate communicandi, & non datâ copiâ ſuperioris legitimi, poſſit, aut debeat confiteri inferiori, reſoluimus ſuprà, *tract. 4. de Euchariſtia, cap. 7. punct. 3. num. 37. & 38.*

PUNCTUM VI.

De ſufficienti confeſſione pro caſu neceſſitatis moribundi.

1. difficultas. 137. Circa hoc punctum aliquæ ſunt expediendæ difficultates. Prima eſt : An quando pœnitens ſolùm in confeſſione dixit peccatum in communi, nullo explicato in particulari, & poſteà ſenſibus deſtitutus eſt, poſſit virtute illius confeſſionis abſolvi ? Negant Sotus, Canus, Abulenſis, Navarrus, apud Vazquium, *q. 91. art. 2. dub. 1. n. 2.* Conrardus, Medina, Nuñus, Alvarez, Coquetius, Avila, Graffius, Pedraza, Angles, & alij apud Dianam, *3. p. tract. 3 reſol. 1.* Moventur : quia pœnitens in eo caſu nullam ſpecialem ſuorum peccatorum notitiam Sacerdoti præbet, ſolùm enim declarat ſe peccatorem eſſe : quod omnibus hominibus eſt commune, & antè talem confeſſionem Sacerdoti notum ; ad abſolutionem autem aliqua ſpecialis notitia peccatorum deſideratur.

Secunda & vera. 138. Communis tamen jam, & vera ſententia affirmat, poſſe abſolvi. Ita Joannes Medina, Corduba, Angelus, Ricardus, Vazquea, Suarez, Turrianus, Coninchus, Henriquez, Diana, Reginaldus, Driedus, quos referunt, & ſequuntur Dicaſtillus, *tract. 8. diſp. 9. dub. 9. num.* 744 & cum alijs Leander, *tract. 5. diſp. 5. q. 38.* N. Gabriël à S. Vinc. *de pœnit. diſp. 7. q. 1.* Antonius à Spir. S. *de pœnit. num.* 702. Franciſcus B. S. *diſp. 8. de pœnit. n. 11.* Herinx *de pœnit. diſp. 3. n. 63.* Lugo, *diſp. 17. ſect. 1. num.* 8. qui optimè advertit, ſtare pro hac ſententia Pontifices, & Concilia, quæ dicunt, abſolvendum eſſe eum, qui petijt confeſſionem : nam ſi hic abſolvendus eſt, à fortiori debet abſolvi, qui dixit peccatum in communi. Et ratio eſt, tum quia integritas confeſſionis, quoad ſpeciem, numerum, & circumſtantias, non eſt ita neceſſaria, quin juſtis de cauſis ſæpè poſſit omitti : ergò à fortiori ob impotentiam, quâ pœnitens non poſſit, niſi in communi explicare peccatum, ſufficiet ea confeſſio : ſufficit enim quod pœnitens fateatur, ſe peccatorem, & velit peccatum ſuum judicio Sacramentali ſubjicere quantùm poteſt. Tum etiam, quia non eſt caput undè poſſimus negare peccatum in communi, quando aliter non poteſt explicari, eſſe ſufficientem materiam confeſſionis : alioquin ſequeretur, quod qui non alitèr poſſet explicare ſuum peccatum, niſi in communi, non tenetur etiamſi poſſet, illo modo confiteri, quod non eſt dicendum.

139. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, in eo caſu pœnitentem præbere aliquam peccatorum ſuorum ſpecialem notitiam : nam eſto Sacerdos anteà cognoſceret pœnitentem peccatorem eſſe, non tamen cognoſcebat illum id recognoſcere, & clavibus Eccleſiæ ſubjicere. Quod verò ſolùm in genere, & non in ſpecie, & ſigillatim, ea confeſſio fiat, in cauſa non eſt, quominùs tunc legitimè non fiat, ſicuti eſſet confeſſio peccati, quod quis credit commiſiſſe, nec tamen recordatur, an veniale, vel mortale fuerit, vel in qua materia : confeſſio namque ſpecifica, & numerica peccatorum non ex neceſsitate Sacramenti, ſed præcepti divini habetur, quod ſtante extremâ neceſsitate non obligat. *Enodatur fundamentum 1. ſententiæ.*

140. Hinc infertur primò, in caſu nuper poſito non ſolùm poſſe, ſed debere ex obligatione pœnitentem abſolvi : quia eùm licitè poſsit Sacerdos eum abſolvere, & hoc prodeſſe poſsit ægroto ad æternam ſalutem, tenetur ex charitate erga proximum ſubvenire illi, eo modo, quo poteſt, nè fortè habens attritionem ſolam, damnetur, qui cum beneficio abſolutionis ſalvus fieret. Ita cum Suario, Vaaquio, & alijs, quos congerit, & ſequitur Diana *de abſolutione moribundi, reſol. 9.* Cardinalis Lugo ubi ſuprà, *n. 20.* & Dicaſtillus *n. 756.* Gabr. à S. V. Antonius, Franciſcus citati. *Corollarium primum.*

141. Putat autem Suarez, *diſp. 23. ſect. 1. num. 12.* Sacerdotem ſic abſolventem debere ſubintellectâ conditione abſolvere. *Si poſſum*, vel *ſi eſt materia ſufficiens*, quia hâc appoſitâ conditione, vitatur omnis irreverentia, quæ Sacramento contingere poteſt. Sed rectiùs Vaaquez, *q. 91. art. 2. dub. 1. num.* 39. Palaus, *tract. 23. diſp. unica, puncto 11. num.* 13. Dicaſtillus, *diſp. 9. dub. 9. num.* 756 exiſtimant ſupervacaneam eſſe in eo caſu illius conditionis appoſitionem : nam eſto non ſit contra ſubſtantiam Sacramenti, eſt tamen contra illius debitum uſum, qui expoſtulat, Sacramentum miniſtrari abſolutè nullâ conditione interpoſitâ, niſi prudens dubium ſit de ejus valore ; in præſenti autem caſu nullus rationabiliter dubitare poteſt de valore Sacramenti contra Pontificum Decreta, & communem ſententiam : ergò indebitè abſolutio ſub conditione adminiſtraretur. *An ſit neceſſe tunc ſub conditione abſolvere ?*

142. Infertur ſecundò : illum qui expreſsè tantùm dixit in caſu poſito peccatum veniale in communi, poſſe etiam & debere in prædicto neceſſitatis articulo abſolvi : quia materia eſt ſufficiens, & aliundè fieri poteſt, ut per illam abſolutionem juſtificetur à mortalibus, quorum non eſt memor : ideoque non eſt privandus tali beneficio, & remedio. Ita Lugo, *n. 21.* & Dicaſtillus, *num.* 757. Leander, *diſp. 5. q. 39.* N. Gabriël *loco cit.* *Corollarium ſecundum.*

143. Infertur tertiò, puerum de quo dubitatur, an habeat uſum rationis, & confitetur ali- *Corollarium tertium.*

quod veniale in articulo mortis, debere abſolvi ſubconditione. Ita Layman, *lib. 5. tract. 6. cap. 5. num.* 7. Zambranus *de caſibus tempore mortis, cap. 4. dub. 3. n. 4. & 9.* Diana, *tom. 4. tract.* 3. *reſol.* 53. Hermanus, *lib. 6. tract 4. de Pœnit. cap. 3. dub.* 2. Lugo, *num.* 22. Dicaſtillus, *num.* 658. N. Antonius, *n.* 704. Imò etiam videtur ſub conditione abſolvendus extra articulum mortis, non ſolùm quando urget præceptum Eccleſiæ de confeſſione, ſi aliquod mortale dubium confeſſus eſt, ne fortè capax ſit, & non ſatisfaciat præcepto divino, & Eccleſiaſtico: ut cum Villalobo *in ſumma, tom. 1. tract. 9. difficul.* 28. *num.* 3. docet Diana *loco citato*; & cum Cardin. Lugo, Dicaſt. *dictis n.* 758. & Anton. à Spir. S. *loco cit.* verùm etiam quando ſolùm veniale tunc dixerit: tum nè privetur gratiâ illâ Sacramentali, quam recipere poſſet. Tum etiam, quia fortaſsè habet aliquod mortale, quod ignorat, & à quo poſſet per illam abſolutionem indirectè emundari. Ita Hermanus, Lugo, & Dicaſtillus citati.

Corollarium 4. 144. Infertur 4. Sacerdotem, qui ſano corpore nihil de mortis periculo ſuſpicatus, Miſſam inchoavit, & in fine introitûs decidit moriturus, à peccatis eò abſolvi non poſſe, quod generalem confeſſionem ad Deum coram Miniſtro, & Eccleſia feciſſet: certùm eſt enim abſolvi non poſſe ex hoc præcisè, cùm hæc non ſit confeſsio Sacramentalis, quia non directa ad accipiendam abſolutionem Sacerdotis in foro Pœnitentiæ. Ita Layman, *lib. 5. tract. 6. cap.* 8. *n.* 4. Diana, *tomo* 3. *tract.* 3. *reſol.* 2. N. Antonius à Spir. S. *n.* 707. Gabriël à S. V. *diſp.* 7. *q.* 1. *quæſito* 3.

2. difficultas. 145. Secunda difficultas eſt: An quando moribundus ſolùm exhibet ſigna doloris præſente mortis articulo coram Confeſſario, & nihil aliud poteſt; valeat, & debeat abſolvi? Et quidem ſi exhibet ſigna doloris, dicens, vel ſignificans, ſe dolere de peccatis, & velle confiteri, & nihil jam amplius poſsit, hic caſus non differt à caſu præcedentis difficultatis: nam eo ipſo confitetur peccatum in communi in ordine ad abſolutionem, atquè ita docent poſſe, & debere tunc abſolvi, quotquot in præcedenti caſu idipſum affirmarunt, & cum illis Palaus, *tract.* 23. *diſp unica, puncto* 11. *n.* 10. Sed difficultas eſt in caſu, quo ſolùm ſigna doloris moribundus exhibet, tundendo pectus, aut alio modo oſtendendo retractationem peccati: an eo ipſo, quod Sacerdos ea ſigna videt, poſsit prudenter præſumere illa ſigna ordinari ad claves, & remiſsionem obtinendam, deſideriumque abſolutionis per illa manifeſtari; quamvis id moribundus expreſsè priùs non petierit, & ita poſsit illum abſolvere? Negant aliqui apud Dicaſtillum, *diſp.* 9. *dub.* 9. *caſu* 3. *num.* 766. Sed reſpondetur affirmativè cum Laymano, Zambrano, Pharaonio, quos refert, & ſequitur Diana, 3. *part. tract.* 3. *reſol.* 2. N. Gabriël *quæſito* 4. & cum Capeaville, Lugone, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus *loco citato*, *num.* 868. & cum Filliucio, Reginaldo, & Henriquez, quos citat, & ſequitur Leander, *diſp.* 5. *de Pœnit. quæſt.* 42. quia, ut benè Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. & cum alijs Palaus, *num.* 12. Herinx, Franciſcus B. S. *n.* 15. Antonius à Spir. S. *n.* 709. ſigna, quæ præviſo mortis articulo ab infirmis eduntur, cenſeri debent ad Sacramentalem abſolutionem directa: quia in tali ſtatu optimum ſuæ animæ remedium deſiderare ſoleant. Caſu autem, quo ſit dubium, an illa ſigna ſufficiant, optimè docet Layman, abſolutionem eſſe dandam ſub conditione: quia quoties ſimile dubium eſt: an ſigna oriantur ex Pœnitentia, & dolore de peccatis: an potiùs ex mœrore, & anguſtia morbi, poteſt in mortis periculo abſolutio ſub conditione impendi; in quo etiam conſentiunt Diana, Dicaſtillus, N. Gabriël, Franciſcus, & Leander citati: ergò potiori ratione, ſi dubium ſit tantùm, non de ſignis doloris de peccatis, ſed an ſigna, quæ jam conſtat eſſe talis doloris, exhibeantur in ordine ad claves, in tali periculo, & dubio, poſſet conferri Sacramentum ſub conditione; imò, & deberet tunc conferri: quia iniquè Sacerdos, & contra charitatem pœnitenti abſolutionem denegat: quippè ob talem denegationem fortè damnaretur, qui abſolutione conceſsâ ſalutem conſequeretur æternam.

146. Tertia difficultas eſt de moribundo, qui petijt Confeſſarium, aut confeſſionem, aut dedit ſigna pœnitentiæ, ſed in abſentia Confeſſarij: an præſens poſſit abſolvi? Prima ſententia negat, quam non ſolùm à fortiori tenent qui in prima difficultate negarunt, ſufficere peccatum in communi confiteri, ſed etiam Petrus Fay, Coquetius, Didacus Alvarez, Lovarius, Turrianus, Alphonſus de Leone, apud Dianam, *tom.* 3. *tract.* 3. *reſol.* 4. Moventur præcipuè: quia Clemens VIII. anno 1602. 20. Junij damnavit confeſſionem factam, abſente Sacerdote: at in noſtro caſu illa talis, qualis confeſſio in abſentia ſit Sacerdotis; licèt abſolutio jam in præſentia conferatur: ergò illa non eſt Sacramentalis confeſsio. *3. difficultas.* *1. ſententia.*

147. Oppoſita tamen, & affirmativa ſententia nobis tenenda eſt, quam docuit D. Thomas *opuſculo* 65. 5. *de Extrema Unctione*, ubi ſic ait: *Si autem infirmus, qui petijt unctionem, amiſit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, ungat eum Sacerdos: quia in tali caſu debet etiam baptizari, & à peccatis abſolvi.* Eamdem etiam tradunt D. Antoninus, Sylveſter, Paludanus, Medina, Cruz, Toletus, Bellarminus, Lugo, Valentia, Suarez, Vazquez, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 9. *dub.* 9. *caſu* 4. *n.* 773. N. Thomas à Jeſu, *in Tribunali conſcientiæ, cap.* 11. § 10. N. Gabriël à S. Vincentio, *diſp.* 7. *quæſt.* 2. N. Antonius à Spir. S. à *num* 711. N. Franciſcus, *num.* 18. Monteſinos 2. 2. *quæſt.* 5. *n* 176. Baſilius Pontius *lib.* 4. *de Matrim. cap.* 25. *n.* 8. Reginaldus, Fagund. Filliucius, Becanus, Fagundez, Emanuël Saà, Henriquez, Layman, Hurtado, Molfeſius, Coriolanus, & alij multi, quos congerit, & ſequitur Diana, *dictâ reſol.* 4. Gonet. *diſp.* 12. à *n.* 74. *diſp.* 3. à *num.* 68. *2. & tenenda.*

Probatur primò, ex Concilijs. Nam in Arauſicano primo, *cap.* 12. & habetur, Cap. *Qui recedunt* 26. *quæſt.* 6 ſic habetur: *Subitò obmuteſcens, prout ſtatutum eſt, pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu:* Et idem traditur in Concilio Carthaginenſi 3. & refertur in Cap. *Ægrotantis, de conſecrat. diſt.* 4.

Secundò probatur: quia idem docuit D. Leo Papa, *Epiſt.* 89. & ſtabilitur in Rituali Romano

edito

edito anno 1615. juſſu Pauli V. in ritibus Sacramenti Pœnitentiæ, ubi dicitur: Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat, nutibus, & ſignis conetur quoad fieri poteſt peccata pœnitentis cognoſcere, quibus, utcumque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium, ſivè per ſe, ſivè per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.

Occurritur fundamentum 1. ſententiæ.

148. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ ex Decreto Clementis VIII. deductum reſpondetur, eumdem Summum Pontificem Clementem teſtificatum poſteà fuiſſe, hunc caſum, de quo nunc loquimur, non compræhendi in ſuo Decreto, quam teſtificationem ex Petro Lombardo, Archiepiſcopo Armachano, Hiberniæ Primate in epiſtola quadam, & reſponſo hac ſuper re dato ad Patrem Coninchum 6. Junij anno 1624. referunt idem Coninchus *in opuſculo de abſolutione moribundi in fine*, Cardinalis Lugo, & Dicaſtillus citati. Et communiſſima reſponſio adhiberi ſolita eſt, confeſsionem in hoc noſtro caſu non fieri in abſentia, ut latè explicat idem Dicaſtillus, *n* 807. expendens diſcrimen inter noſtrum caſum, & illum, quem Clemens damnavit: *Nam caſus Clementis* (inquit) *prohibitus eſt, quando pœnitens vult per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*, in quo caſu confeſſio ex voluntate confitentis fit abſenti, & tanquam abſenti, nempè ex voluntate, & intentione ab abſente tanquam ab abſente petitur, & obtinetur ab abſente confeſſario collata pœnitenti abſenti. Undè confeſſio illa nec re ipſa, nec ex voluntate & intentione confitentis eſt confeſsio, vel proximè, vel radicaliter, aut remotè, aut inchoativè ordinata ad confeſſarium excepturum præſentis confeſsionem, & collaturum præſenti abſolutionem. Econtrà verò in caſu noſtræ controverſiæ, ſivè redeat cum confeſſario, qui vocavit confeſſarium, ſivè non redeat, ſemper dat teſtimonium, quod ægrotus illum voluerit habere legitimè, atque adeò præſentem confeſſarium: & quod hujus legitimæ voluntatis (ut ſupponimus) ſigna dederit, atque adeò, quod habuerit animum confitendi peccata; quæ notitia adhuc perſeverat in confeſſario, quando adeſt coram ægroto ſenſibus deſtituto, & illius præſentiæ, quâ adeſt confeſſarius, cauſa (ſaltem inchoativè) ægrotus ipſe fuit, per illam manifeſtationem, quæ prius innotuit adſtanti, qui vocavit confeſſarium, atq; adeò concatenatur, & conjungitur illa tunc poſsibilis confeſsio cum præſentia Sacerdotis, & præſentialiter collata abſolutione, ut ex omnibus in præſentia ægroti ultimò completis, fiat ſacramentale judicium abſolutionis.

Sufficit in caſu neceſſitatis mediatum teſtimonium. Item unus tantum idoneus teſtis ſatis eſt.

149. Nota autem, in præcedenti caſu ſufficere, quod teſtantes licet non viderint ſigna voluntatis confitendi, & petitionis abſolutionis, id audierint ab alijs, qui viderunt, ut benè docent Lugo ſupra *n.* 81. Dicaſt. *n.* 843. Leander *diſp.* 4. *q.* 44. Anton. à Spir. S. *n.* 714. Item, quod unus tantum idoneus teſtis ſatis eſt, ut cum alijs tradit Diana *tract. de abſolut. moribundi, reſol.* 5. & Dicaſt. *n.* 845 referens S. Raimundum, Graffium, Zambranum, Reginaldum, & Cardinalem Lugo: quia ubi non agitur de præjudicio alterius, creditur uni teſti; neque eſt neceſſaria in his rebus probatio juridica.

4. difficultas.

150. Quarta difficultas eſt: An poſsit abſolvi moribundus jam ſenſibus deſtitutus, quando nullus eſt teſtis, qui poſsit dicere, eum anteà confeſsionem petijſſe, aut ſignum pœnitentiæ dediſſe? Negant poſſe tunc impendi abſolutionem Suarez, Coninchus, Layman, Reginaldus, Turrianus, Henriquez, & alij, quos refert, & ſequitur Dicaſtil. *tract* 8. *diſp.* 9 *dub.* 9. *n.* 862. Item Cardinalis Lugo, *diſp.* 17 *ſect.* 3. Diana *t.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 20. qui etiam pro hac ſententia refert, *tom.* 3. *tract.* 3 *reſol.* 8. Petrum Fay, Malderum, Alphonſum de Leone, Naldum, Bellochium, Pitigianum, Iribarne, & Vazquium, & pro eadem etiam *tom* 4. *tract.* 4. *reſol.* 92. adducit Ochagaviam, & Mercerum, & idem tradunt Luyſius, & Franciſcus Felix, apud Leandrum *de pœnit. diſp.* 5. *q.* 46 & Hermanus Buſembaum, *de pœnitentia cap.* 1. *dub* 3. Gonet *n.* 80. & latè Franciſcus B. S. à *n.* 27.

1. ſententia.

Ratio illius.

151. Moventur: quia Concilia, & Pontifices ſemper addunt conditionem teſtimonij aliorum, ut abſolvatur infirmus, qui per ſe non poteſt aliquod ſignum exhibere. Sic Arauſicanum 1. *cap.* 12. *Subitò obmuteſcens*, inquit, *baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Carthaginenſe primum: *Dent*, ait, *teſtimonium, qui eum audierunt.* Euſebius Papa: *Si idonea teſtimonia habuerit.* S. Leo. *epiſt.* 91. *Teſtimonia eis fidelium adſtantium prodeſſe debeant, ut ſimul pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* Fruſtrà autem requireretur ea conditio, ſi ſinè illa poſſent abſolvi moribundi, & immeritò reſtringeretur abſolutio intra eos cancellos, ſi alioquin poſſet extra illos ſe prodere.

Confirmatio.

152. Confirmatur: quia cum in Conciliorum & Pontificum textibus requiratur in pœnitente ſenſibile ſignum, per ſe, vel per alios ſignificatum confeſſario: *non expedit, in re tanti momenti ſub pietatis ſpecie ſapere plus, quam omnes noſtri ſancti Patres ſapuerunt, ſed obſervare terminos, quos appoſuerunt nobis.*

2. ſententia.

153. Alij verò affirmant poſſe, imò & debere abſolvi moribundum ſub conditione, in extrema illa neceſſitate, dummodò aliàs probè, & Chriſtianè vixerit, aut confeſſionem frequentaverit; ſed non omnes hi eodem modo ſuam explicant ſententiam. Aliqui namque eam amplectuntur, eò quod præſumi poſſit interius elicuiſſe contritionem; & hoc alij meritò omninò rejiciunt: quia adhuc deeſſet omnis ſenſibilis, & externa confeſſio, quam eſſe partem eſſentialem hujus Sacramenti conſtat ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *can.* 9. Reliqui verò ex his aſſerunt, poſſe, & debere impendi tunc ſub conditone abſolutionem in extrema illa neceſſitate: quia de homino illo eò quod exteriùs conſtet, quod probè, & Chriſtianè vixerit, aut confeſſionem frequentare aſſuetus fuerit, cordatè præſumi poteſt, aut prudenter dubitari, eum in tali periculo conſtitutum, ſi vel per modicum tempus ſui compos extitit, non ſolùm actu interno confeſſionem deſideraſſe; ſed externo, & ſenſibili actu id deſiderium expreſſiſſe, quod videtur virtualis quædam confeſsio, pro abſolutio-

lutione conditionatè concedenda, in tam extrema neceſsitate ſufficiens. Ita N. Gabriël à Sancto Vincentio *de Sacramento Pœnitentiæ*, *diſp.* 7. *quæſt.* 2. ubi ait : quod licèt aliàs oppoſitæ fuerit ſententiæ ; re tamen maturius conſideratâ, & cum viris doctis diſcuſſâ, & ob facti contingentiam, hanc ſequi, & præcari lectorem eamdem ſequi, ſi caſus occurrat. Et pro ea refert Diana, *tom.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 20. Marchannium, *in Tribunali Sacram. tom.* 1. *tract.* 4. *tit.* 4. *dub* 7. Pellizarium, *in Manuali Regul. tomo* 1. *tract.* 5. *cap.* 3. *ſect.* 1. *n.* 60. & *tomo* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *ſect.* 1. *num.* 114. Victorianum Præmoli *in memoriali Clericorum*, *p.* 4. *cap.* 1. *num.* 14. Tamburinum, *in methodo expeditæ confeſſionis*, *lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. *num.* 11. Pro eadem etiam refert Leandrum, Janſenium, Molſeſium, Homobonum, Fauſtum, Antonium de literatis, Rainaudum, Joannem Cramuel, & alios; pro ea etiam citat Leander *de Pœnitent. diſp.* 5. *quæſt.* 46. Lotherium, Lupum, Jacobum Bajum, Turreblancam, & alios. Item Philippus Servius, *in Amico fideli*, *part.* 3. *cap* 1. eandem tenet N. Antonius à Spir. S. *n.* 717. & cum pluribus Belgij Doctoribus, Herinx à *num.* 77. aſſirmans Malderum Epiſcopum Antverpienſem, perpenſis hujus ſententiæ fundamentis, cenſuiſſe probabilem, & Archiepiſcopum Cameracenſem Gaſparem Nemium, coram publico auditorio declaraſſe verè probabilem, & in praxi ſecuram, & favere videtur etiam Averſa *de Sacram. Pœnit.* q. 10. *ſect.* 18.

Suadetur. 154. Et ſuaderi poteſt, quia quando prudenter dubitatur num moribundus ex anguſtia mortis, vel ex compunctione cordis ſigna ediderit, conceditur, debere ſub conditione abſolvi : ergò etiam in caſu, quo nullus audire, vel nunciare potuerit, ſi dubitari prudenter poſſit, ut in caſu noſtro contingit, illum edidiſſe aliquod ſenſibile ſignum, impertienda ei erit ſub conditione abſolutio ; quando enim non poteſt haberi materia certa Sacramenti ad ſalutem neceſſarij, quale eſt Pœnitentia, licitum eſt in extrema neceſſitate tentare conficere cum materia dubia. Undè ſicut in extrema neceſſitate licet, & debet conferri baptiſmus in aliquo liquore de quo dubitaretur, an ſit aqua naturalis, quando certa aqua haberi non poſſet : ita in extrema neceſſitate licebit, & debebit abſolutio impendi in dubio prudenti confeſſionis, quale in caſu noſtro reperitur : quia ſi fortè moribundus eo modo, quo potuit, confeſſionem petijt, jam adhibuit ex parte ſua materiam neceſſariam, ſe aliquo modo accuſando, & officium Judicis implorando, & ad ſacrum Pœnitentiæ tribunal aliquo actu externo confugiendo. Et ideò cum hoc dubio materiæ, poterit, imò & debebit ſub conditione impendi abſolutionis forma, maximè ſi tunc Extremæ Unctionis Sacramentum moribundo miniſtrari non poſſit.

155. Et ad fundamentum contrariæ ſententiæ poſſet dici, non omninò deficere teſtes in eo caſu pro prudenter dubia confeſſione externa illius moribundi : quia eo ipſo quod teſtificantur, illum probè, & Chriſtianè vixiſſe, aut confeſſionem frequentaſſe, teſtificantur etiam prudenter dubiam externam illius confeſſionem ; eò vel maximè, quod hujuſmodi fideles in eo periculo conſtituti, ſi vel per modicum tempus ſui compotes exiſtunt, non ſolùm actu interno, ſed etiam ſenſibili, & externo, vel confeſſionem poſcant, vel ſigna pœnitentiæ edant. *Reſponſio ad rationem oppoſitæ ſententiæ, cum ſua confirmatione.*

Et ad confirmationem dici poſſet, quod ſicut, qui dicunt, ſtante dubio prudenti de ſigno ſufficienti externo ad conferendam abſolutionem, licere, & debere in extrema neceſſitate impendi abſolutionem ſub conditione, non propterea cenſerentur ſub pietatis ſpecie velle plus ſapere, quàm ſancti Patres, ſed eorum mentem piè, & reverenter explicarent : ſic proportione ſervatâ, in noſtro caſu, qui teſtimonium bonæ vitæ, vel frequentiæ confeſſionis attendens, ſufficere aſſerit pro materia dubia Sacramenti Pœnitentiæ in extrema illa neceſſitate modo explicato, non eſt cenſendus ſub ſpecie pietatis, velle plus ſapere, quàm ſancti Patres ſapuerunt, ſed piè, & reverenter eorum mentem niti explicare credendus eſt. Et hanc ſecundam ſententiam (licèt primam probabiliorem credat) non reputat omninò improbabilem N. Lezana *in ſumma quæſt. regularium*, *tomo* 3. verbo *Confeſſio*, *num.* 11. & nos (ſalvo meliori judicio) eam ſic explicatam, & propugnatam, probabilem eſſe ſentimus, & ſic ad praxim deducendam : cùm nulla fiat injuria Sacramento, impendendo in eo caſu abſolutionem ſub conditione, & ex praxi poſſit ſalus æterna pendere moribundi. Quid verò dicendum ſit in illo caſu, quo moribundus ex mentis deliratione diceret ſe nolle abſolvi, vel de illo qui ſenſibus deſtitueretur in actu peccaminoſo ? adhuc ſub conditione abſolvendum ſuſtinere videtur Antonius à Spiritu S. niſi fuerit publicus peccator, & pravis moribus imbutus ; nam ſi talis fuerit, & qui ferè nunquam confiteretur, præſumi poteſt eſſe in eadem diſpoſitione, & illa, quæ in phreneſi dicit procedere ex pravo habitu voluntatis adhuc perſeverante ; at de alijs cùm piè admodum & Chriſtianè vixiſſe teſtentur, cùm videamus communiter in duello vel domo meretricis lethaliter vulneratos ſigna doloris edere, aut confeſſionem petere, ſi poſſint : piè præſumi etiam poterit, tales, licèt in actu fortè rariſſimo fornicationis v. g. vulnerentur, & ſenſibus deſtituti appareant, aliquo temporis intervallo verum externum dolorem exhibere : & ſic ſub conditione abſolvi poſſent, & deberent. Ita cum Tamburino *opuſc. de confeſſione*, *lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. *num* 12. Antonius à Spir. *in Direct. confeſſ. de pœnit*, à *num.* 720.

CA-

CAPUT NONUM.

De Confeſſione invalida, & repetenda.

Caput hoc habet quinque puncta.

P. 1. *An valeat confeſſio quando pœnitens eſt excommunicatus, & non fuit prius ab excommunicatione abſolutus, quam à peccatis?*

P. 2. *An confeſſio ex fine malo veniali facta ſit invalida?*

P. 3. *An ob defectum doloris ſit repetenda confeſſio? Vel ſi pœnitens mortale tacuit, vel caruit intentione Sacramentaliter confitendi, vel non implevit, vel oblitus eſt pœnitentiæ?*

P. 4. *Quando ex defectu confeſſarij confeſſio invalida, & repetenda contingat?*

P. 5. *Qualiter confeſſio invalida repetenda ſit?*

PUNCTUM PRIMUM.

An valeat confeſſio quando pœnitens eſt excommunicatus, & non fuit prius ab excommunicatione abſolutus, quam à peccatis.

Status controverſia. 1. ET quidem ſi pœnitens mala fide operatur, & contra prohibitionem, receptum eſt apud Doctores, confeſſionem non valere, ſed eſſe iterandam. Quarè ſolum eſt difficultas: An Sacramentum Pœnitentiæ, quod excommunicatus, vel ex naturali oblivione, vel ex ignorantia invincibili, vel ex interventu neceſſitatis gravis vitandi ſcandalum, vel infamiam, vel alio modo bona fide, & ſine culpa ſuſcipit, valeat: ſive excommunicatio ſit reſervata, ſive non? Negant Vazquez, *in 3. part. tom 4. tract. de excommunicatione, dub. 4. num.* 8. Finellius, *tract. de caſ. reſervat. cap.* 10. *numer.* 8. Hurtadus, *diſp* 6. *difficult* 2. Megala, *in* 1. *part. lib* 5. *cap.* 19. *quæſt.* 4. & alij multi apud Dianam, 3 *part. tract* 4. *reſol.* 78. & apud Reginaldum, *lib* 6. *numer.* 172. & apud Leandrum *de Pœnitent diſp.* 5. *quæſt* 77. Probat id Finellius: quia Sacramentum Pœnitentiæ requirit juriſdictionem: per excommunicationem autem ſubtrahitur excommunicatus à juriſdictione confeſſarij; & propterea abſolutio eidem impertita, eſt nulla, quia abſque juriſdictione.

2. Et tenenda. 2. Nihilominus oppoſita, & affirmativa ſententia tenenda eſt, quæ docet excommunicationem etiam reſervatam non reddere hominem in eo caſu abſolutionis incapacem, ſed ſolùm prohibitum: ac proindè cùm vel ex naturali oblivione, vel ex ignorantia invincibili, vel ex interventu neceſſitatis gravis vitandi ſcandalum, vel alio modo bona fide excuſatus, non peccet contra prohibitionem, valida erit illa confeſſio. Ita Medina, Petrus Sotus, Navarrus, Cajetanus, quos refert, & ſequitur Suarez, *de cenſuris, diſp.* 10. *ſect.* 3. Coninch, Avila, Covarruvias, Adrianus, Diana, Enriquez, Saà, Toletus, Layman, Filliucius, Valentia, Thomas Sanchez, Armilla, Lugo, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp* 8. *dub* 4. *num* 65. Item Coriolanus, Villalobos, Bonacina, N.V. Thomas à Jeſu, quos adducit, & ſequitur Leander *dicta q.* 77.

Ratio quaſi à priori. 3. Ratio quaſi à priori eſt: quia licet Eccleſia potuerit irritare tale Sacramentum tollendo juriſdictionem in abſolvente, comparatione excommunicati, id tamen nullo textu, aut alio capite conſtat feciſſe, ſed ſolùm prohibuiſſe; quando autem aliquid tale irritare vult Eccleſia, ſolet id clarè exprimere, ſignificando ſe non tantùm actum prohibere, ſed irritum reddere.

Occurritur fundamento Finellij. 4. Ad fundamentum Finelij, reſpondetur, in dicto caſu adeſſe juriſdictionem: nam licet per excommunicationem privetur quis juriſdictione activa in alios, non tamen alij privantur juriſdictione in ipſum; alioquin non tam ipſorum excommunicatorum, quam ipſius confeſſoris eſſet talis pœna: quod verum eſſe, etiamſi cenſura ſit reſervata, benè notat Suarez *dicta ſeſſ.* 3. *num.* 15.

PUNCTUM II.

An confeſſio ex fine malo veniali facta, ſit invalida?

Ex fine veniali quidam negant valere. 5. QUidam negant valere. Ita Sylveſter verb. *Confeſſio* §. 7. Et probari poteſt: quia cum quis accedit cum attritione ad Sacramentum confeſſionis, & ſimul, ut captet inanem famam apud confeſſarium, aut apud ſodales, illa attritio eſt ex pravo fine: ergo neque eſt actus virtutis, nec ſupernaturalis, nec actus pro Sacramento ad veniam peccati: atque adeò Sacramentum erit nullum; alias poſſet idem numero actus ſimul habere bonitatem, & malitiam ex diverſis principijs, cujus oppoſitum ex D.Tho. tradunt N. Salmaltic. *tom* 3. *diſp* 6. *dub.* 1. §. 1.

Aſſertio. 6. Nihilominus confeſſionem ex fine malo veniali v. g. inanis gloriæ factam, validam eſſe aſſerendum eſt. Ita Sotus, Vazquez, Thomas Sanchez, Navarrus, Henriquez, Reginaldus, Pitigianus, Lugo, Hurtado, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 8 *dub.* 4. *q.* 2. *num.* 81. Quia quamvis ſuſcipiatur tunc Sacramentum Pœnitentiæ peccando venialiter, ex tali fine malo venialiter confeſſionis, non impeditur tamen, quod ſimul ſuſcipiatur ex fine remiſſionis, & veniæ peccatorum, &

Digitized by Google

cum dolore ſufficienti, qui ſit diſpoſitio ad eam remiſſionem.

Occurritur fundamento oppoſitæ ſententiæ.

7. Et ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ optimè reſpondet Mag. Joannes de Sanct. Thom. *1.2.q.18. diſp.16. art.4.* ubi ſic ait: Ad illud de accedente cum attritione ſupernaturali ex motivo vanæ gloriæ, dicimus: aliud eſſe, quod pœnitens accedat cum motivo vanæ gloriæ, aut cum adhæſione ad aliud peccatum veniale ex parte operantis: aliud quod ipſamet attritio ex parte operis oriatur ex motivo vanæ gloriæ, vel illam habeat pro circumſtantia. Primum benè poteſt contingere; ſed tunc erunt duo actus valdè diverſi, & diſparati ſimul concurrentes in eodem ſubjecto, ſcilicet affectus vanæ gloriæ erga confeſſarium, vel erga alios, ſive quilibet alius affectus ad peccatum veniale, & vera attritio de alijs peccatis, & tunc verè juſtificabitur pœnitens: quia affectus ad peccatum veniale, vel etiam commiſſio actualis illius, non impedit effectum Sacramenti quoad juſtificationem. Secundum verò omnino ſtare non poteſt, quod ſcilicet aliquis in elicienda ipſa contritione moveatur ex motivo vanæ gloriæ, aut illam habeat pro circumſtantia. Hoc omninò impoſſibile eſt: quia illa attritio eſt ſupernaturalis, utpotè diſpoſitio ſufficiens ad gratiam cum Sacramento: ergo oritur ex gratia excitante, & adjuvante, ſpeciali, & ſupernaturali Dei concurſu. Quomodo ergo poteſt oriri ex motivo malo? & vitiari circumſtantiâ malâ? cum dictamen ejus ſit ex gratia excitante, quæ multò magis excludit quaſcumque circumſtantias malas, quam prudentia quælibet virtuoſa, & prætetea non poteſt idem actus æquè primò fieri ex duobus motivis ita diſtantibus, ſcilicet ex vana gloria, & ex motivo pœnitentiæ, & expiandi peccata: quia quantumcumque inadequatè conſiderentur, non poſſunt in aliquo tertio uniri, ut ille actus uni fini ſubordinetur, & per modum unius fiat: ſinè qua unione actus ille non habebit unitatem. Neque rurſus poteſt unum ex bis motivis alteri ſubordinari: quia ſi motiuum pœnitentiæ ſubordinetur vanæ gloriæ, non pœnitet, ut oportet: quia non movetur ex aliquo ſupernaturali, ſcilicet ob metum gehennæ, vel amiſſionem beatitudinis; ſed ex vana gloria, aut alio motivo temporali deteſtatur peccatum. Si autem vanam gloriam ſubordinat pœnitentiæ, id eſt impoſſibile, quia peccatum veniale non eſt capax, ut referatur actu, vel virture in bonum finem: ergo talis actus non poteſt ſupernaturaliter fieri, & cum mala circumſtantia, & unus eſſe. Quare ſi quis tentaret attritionem habere, ſeu deteſtationem peccati ex motivo vanæ gloriæ, is neque pœnitens eſſet, neque gratiam conſequeretur, ſed pœnitendo peccaret, ot de Juda, inquit Sanctus Leo Papa. Hucuſque hic, Sapientiſſimus Magiſter.

PUNCTUM III.

An ob defectum doloris ſit repetenda confeſſio? vel ſi pœnitens mortale tacuit, vel caruit intentione Sacramentaliter confitendi, vel non implevit, vel oblitus eſt pœnitentiæ?

9. EX parte pœnitentis confeſſio invalida eſt repetenda, ſi abſque legitimo dolore, in ſuperioribus à nobis explicato, peccatum mortale manifeſtetur. Sacramentum enim pœnitentiæ ad ſui valorem dictum dolorem de peccatis, qui propoſitum peccandi excludit, expoſtulat: quippè eſt illius materia, ut ex Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3. & 5.* conſtat: non igitur eſſe poteſt Sacramentum Pœnitentiæ abſque prædicto dolore, ac proindè ex confeſſione, quæ prædicto dolore careat, Sacramentum confici non poteſt, ſed ea repetenda eſt: ſicuti benè notarunt Navarrus, Suarez, Vazquez, Coninchus, Layman, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus *tractat. 23 diſputat. unic. punct. 12. numer. 1.* Quando autem poſſit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, diſcuſſum eſt ſupra *cap. 5 dub unico.*

Ex parte pœnitentiâ eſt confeſſio repetenda ſi abſque legitimo dolore peccatum mortale manifeſtetur.

10. Item quando pœnitens in confeſſione mala fide tacuit aliquod peccatum mortale, ita ut in hoc ipſo commiſerit aliquod peccatum grave, ratione cujus non potuit tunc habere dolorem, & propoſitum debitum, invalida fuit confeſſio, & repetenda, ut ex communi ſententia tradunt Cardinalis Lugus *diſput. 16. ſect. 5. num. 599.* & Dicaſtillus *diſput. 8 dubit. 4. quæſito 4. num. 91.*

Quid ſi tacuit peccatum?

11. Illud tamen pro praxi advertendum eſt: ſi quis olim culpabiliter peccatum mortale tacuiſſet, & hujus ſacrilegij omninò oblitus, plures alias confeſſiones bona fide fecit, non eſſe neceſſarium repetere confeſſiones bona fide factas, ſed ſolùm illam, in qua fuit ille defectus, ita Vazquez *quæſt. 92. artic. 3. dub. 1. numer. 9.* Corduba *in ſumma*, *q. 158.* Granados *tract 9. diſp. 12. numer. 2.* Diana *3. part. tract. 4. reſolut.* 108. Hurtado *diſputat. 8. difficult 7.* Saà *verbo Confeſſio*, *num 9.* Leander *diſput. 5. quæſt. 89.* Cardinalis Lugo *diſput. 16. ſect. 15. num. 599.* Dicaſtillus *diſput. 8. dubitat. 4. quæſito 4. numer. 91.* Bonacina *diſput. 5 quæſt. 5. ſect 2 puncto 3. num. 6.* idem docent N. Gabriel *diſp. 8. quæſt. 11.* & V.P.N. Thomas à Jeſu moralis ac myſticæ Theologiæ Doctor eximius, ac primus per Belgium & Germaniam NN. Carm. Diſc. primitivæ obſervantiæ fundator & promotor, *cap. 6. pag. 125.*

Advertendum pro praxi.

12. Item invalida, & repetenda confeſſio eſt, quando pœnitens non habuit intentionem Sacramentaliter confitendi, ut omnes ſupponunt.

Quid ſi caruit intentione Sacramentaliter confitendi?

13. Quando verò pœnitens non implevit pœnitentiam, non ob id præciſè repetenda confeſſio eſt, ut contra aliquos, quos refert Gerſon *Alphabeto 34. litter. R.* docent Lugo, & Dicaſtillus citati, Leander *diſputatione 5. de pœnitent. quæſtione* 88. & communiter Docto-

Quid ſi non implevit, vel oblitus eſt pœnitentiæ.

Doctores. Nam valor confeſſionis præteritæ non pendet à peccato futuro; quarè ad ſummum oportebit confiteri peccatum illud pœnitentiæ omiſſæ. Quando autem non recordatur, quæ fuerit pœnitentia: an debeat repetere confeſſionem, conſtabit ex infrà dicendis, dum agemus de ſatisfactione.

Quæſitum primum.

14. Sed petes 1. An excuſetur ab iteranda confeſſione, qui aliquod peccatum mortale in confeſſione prætermiſit, putans invincibiliter non eſſe mortale? Reſpondetur affirmativè: quia confeſſio fuit valida, & ſatisfacit repetendo peccata in confeſſione prætermiſſa. Quâ de cauſa excuſantur à repetenda confeſſione pueri, & puellæ, quæ in confeſſione aliquod mortale tacuerunt, ignorantes invincibiliter eſſe mortale, ſed grandiores factæ agnoſcunt eſſe mortale. Hoc idem procedit in circumſtantijs non expreſſis, aut numero non explicato; ſufficit enim, ut pœnitens cognita obligatione explicandi numerum & circumſtantias, fateatur numerum, & circumſtantias aliàs in confeſſione ex ignorantia invincibili prætermiſſas. Ita Navarrus, Sylveſter, Reginaldus, Vazquez, quos refert, & ſequitur Bonacina *dicto numer.* 6. Leander *de pœnitent. diſp.* 5. *quæſt.* 69 & alij paſſim. Sic etiam Ruſtici, qui confitentur aliquando ſinè explicatione numeri, & diligentiâ, excuſantur à repetendis confeſſionibus factis anteà cum indoctis confeſſarijs, quoties bona fide confeſſi ſunt, & uniformem vivendi rationem tenent: ita ut ſtatim ex confeſſione unius anni conijciat prudens confeſſarius quantum in alijs annis peccaverint, ut cum Diana, Henriquez, & Fagundez, obſervat Dicaſtillus *de Sacram Pœnitent. diſputat.* 9. *dub.* 2. *numero* 57.

Quæſitum ſecundum.

15. Petes 2. An qui bona fide confeſſus eſt majorem numerum peccatorum læthalium, teneatur cognito numero iterum confiteri? Affirmat Iribarne *in* 4. *diſt* 17. *diſput*, 57. *ſect* 8. *tom*. 2. ubi ſic ait: Si quis bis, vel ter mæchatus eſt, & confeſſus eſt, ſe decies mæchatum fuiſſe, devincitur iterum confiteri. Verùm ſi in ipſo errore non peccavit, non eſſe obligationem poſteà in alia confeſſione corrigendi illum errorem, benè tradunt Bonacina *diſp.* 5. *de pœnit. quæſt.* 5 *ſect* 2 *punct.* 3. *num.* 3. Diana *tom.* 2. *tract.* 3 *Miſcellaneo. reſol.* 25. Megala, & Lugo, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 5. *quæſt* 74. Rationem optimè aſſignat Lugo dicens: Qualem enim materiam dare deberet in ſecunda confeſsione? Non quidem illa tria peccata: quia jam ab illis fuerat abſolutus directè, cum illa tria contenta fuerint in numero majori. Neque etiam deberet confiteri negationem aliorum ſeptem: quia negatio peccati non eſt materia abſolutionis. Nec denique deberet confiteri errorem commiſſum in priori confeſſione; quia ſupponimus illum non fuiſſe cum peccato: ergo nulla eſt obligatio corrigendi iterum in confeſsione illum errorem.

An verò qui peccatum confeſſus eſt, & oblitus illius circumſtantiam ſpeciem mutantem, debeat iterum peccatum confiteri, addendo circumſtantiam? cum pluribus negat probabiliter N. Gabriel à S. V. Undè ſi Sacerdos v.g. fornicationem confeſſus eſt, oblitus circumſtantiæ voti, ſufficiet, poſtmodum confiteri circumſtantiam, dicendo, *commiſi unum ſacrilegium*, vel peccavi graviter contra votum, videatur *diſp* 8. *q.* 11.

PUNCTUM IV.

Quando ex defectu Confeſſarij confeſſio invalida, & repetenda contingat?

16. Confeſsio ob defectum confeſſarij invalida, & iteranda contingit, quoties defecit in eſſentialibus: Sacramentum enim non ſubſiſtit ſinè ſua eſſentia, & abſque ijs, quæ ad ipſius ſubſtantiam deſiderantur. Quamobrem iteranda confeſsio eſt 1. Si confeſſarius abſolutionem non impendit: quia ſinè abſolutione Sacramentum Pœnitentiæ conſiſtere non poteſt.

Iteranda eſt confeſſio 1.

17. Secundò: Si non habuit debitam, & ſufficientem intentionem: nam Sacramenta non ſolùm perficiuntur materiâ, & formâ, verùm etiam intentione miniſtri.

Secundò.

18. Tertiò: Si confeſſarius juriſdictione omninò caruit, vel illam impeditam habuit ob ſuſpenſionem ab officio, ob excommunicationem denunciatam, ob notoriam Clerici percuſſionem: quia ſententia abſolutionis ſinè juriſdictione data, nulla eſt, ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ* 14. *cap* 6. & 7. *Diximus ſi juriſdictione omninò caruit*: nam ſi in aliqua peccata confeſſa juriſdictionem habuit, & bona fide ei confeſſus es, Sacramentum validum fuit, & abſolutionem à peccatis recepiſti: directam quidem ab illis, in quæ Sacerdos juriſdictionem habuit; indirectam à reliquis: ideoque cum defectum agnoſcis, obligatus es, ea peccata clavibus ſubijcere, ut ab illis directè abſolvaris, ut benè ex Coninchо notavit Palaus *tractat.* 23. *diſput. unica punct.* 12. *numero* 3.

Tertiò.

19 Datam quoque à Sacerdote ſinè juriſdictione abſolutionem nullam eſſe, intelligendum eſt 1. niſi communi errore, & titulo colorato credatur habere juriſdictionem, tunc enim validè abſolvit: quia Eccleſia ſupplet juriſdictionem, quam ſupplere poteſt, ut ex L. *Barbarius*; *ff. de officio prætoris*, tradunt Paludanus *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 6. Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp* 21. *num.* 5. Henriquez *lib.* 2. *de pœnitent. cap.* 14. Bonacina *de matrimon. q.* 2. *punct.* 8. *quæſt.* 6. Leſſius *de juſtitia & jure, cap.* 26. *dub.* 6. Coninchus *diſp.* 8. *dub.* 3. Dicaſtillus *diſp* 10. *dub.* 8. *n* 185. & deducitur ex Canone, *Infamis*, verſ. *Verum tamen*, 3. *quæſt.* 7. Intelligendum eſt 2. niſi adſint duæ contrariæ opiniones probabiles de juriſdictione, quarum una defendit, Sacerdotem habere poteſtatem abſolvendi, illique opinioni adhæret Sacerdos: tunc enim Eccleſia ſupplet etiam juriſdictionem, quam confeſſarius anteà reipſa non habebat. Ita Thomas Sanchez *in ſumma, libro* 1. *cap.* 9 *num.* 35. Leſſius, Henriquez, Zerola, Suarez, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſput.* 5. *quæſt* 5. *ſect.* 2. *punct.* 3. *num.* 11. Baſilius Pontius, Villalobos, Granados, Vaz-

Quandonam Eccleſia ſuppleat in Sacerdote juriſdictionem.

quez, Martinez, Malderus, Salas, Diana; quos refert, & ſequitur. Leander *diſp.* 5. *quæſtion.* 83. Dicaſtillus *diſput.* 10. *dub.* 8. *num.* 214. & alij.

Corollarium 1.

20. Ex quo infertur 1. illum eſſe validè abſolutum, qui Parocho nominatim denunciato, vel notorio Clerici percuſſori confeſſus eſt peccata ſua in eo loco, in quo communi errore, & titulo colorato habebatur pro vero Parocho, nec credebatur excommunicatus, neque ipſe pœnitens ſciebat illum eſſe excommunicatum: in hoc enim caſu Eccleſia ſupplet juriſdictionem, quâ caret excommunicatus denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor. Ita Bonac. *de matrim. q.* 2. *puncto* 8. *num.* 34. Thomas Sanchez, Trullench, quos citat, & ſequitur Leander *diſputat.* 5. *quæſt.* 79.

Corollarium 2.

21. Infertur 2. validam eſſe abſolutionem datam ab eo Sacerdote, cui Epiſcopus verbis tantummodò, ſed abſque vera intentione, & cum fictione conceſſit facultatem abſolvendi: quia concurrit licentia collata à legitimo ſuperiore, & ejus nullitas eſt occulta: atque ita adeſt communis error, cum titulo præſumpto, & facultas, ſeu juriſdictio, quam Epiſcopus fictè conceſſit, ab Eccleſia ſuppletur. Ita Thomas Sanchez, Gutierrez, & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina ubi ſuprà *num.* 36. Leander *diſp* 5. *q* 80. contrà non nullos alios.

Corollarium 3.

22. Infertur 3. non eſſe validam abſolutionem collatam ab eo, qui verè non eſt Sacerdos, quamvis errore communi, & titulo colorato habeatur pro verò Sacerdote: quia adeſt impedimentum juris divini, quod ab Eccleſia ſuppleri non poteſt: nam facultas abſolvendi jure divino competit tantummodò veris Sacerdotibus. Ita Cajetanus, & alij apud Bonacinam, *loco citato num.* 39. Abbas, Decius, Angelus, Tabiena, Maſcardus, Hugolinus, Paludanus, & Palacius, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 22. *num.* 27.

Quæſitum 1.

23. Rogabis 1. An quando Sacerdos, ob ſorditatem, aut animi diſtractionem, vel ſomnum, vel ob aliam cauſam tua peccata non intellexit, confeſſio ſit invalida, & repetenda? Affirmant D. Antoninus, Navarrus, Sylveſter, apud Laymanum *lib.* 5. *ſummæ, tract.* 6. *c.* 9. *num.* 5. Credimos tamen, ſi bona fide tua peccata aperuiſti, & culpa in ſolo confeſſario reſedit, datam abſolutionem validam, & fructuoſam eſſe, ac poſteà tantùm repetenda eſſe non audita: uti docent Henriquez *lib.* 5. *ſummæ, cap.* 14. *num.* 5. Layman *loco citato*, Palaus, *tractat.* 23. *diſp. unicâ punct.* 12. *num.* 3. Hermanus Buſembaum *lib.* 6. *tract.* 4. *de pœnitent. cap.* 1. *dub.* 3. *art.* 4. Diana *tom.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 198. Cardinalis Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 15. *numer.* 606. Propterea, quod eſſentia, & effectus Sacramenti pœnitentiæ conſiſtere poſſit abſque integra, & ſpecifica peccatorum tuorum explicatione, quæ ex ſolo poſitivo præcepto divino eſt, à cujus obſervatione ob ignorantiam excuſaris: debes tamen cognito defectu, peccata, quæ à confeſſario intellecta non ſunt, iterum confeſſioni ſubijcere, ſicut ſi oblita eſſent, ut de illis poſſit à confeſſario judicari. Verum ſi malâ pœnitentis fide id factum eſt ut faciunt adoleſcentes ſurdos quærentes confeſſarios, totam confeſſionem repetendam eſſe, benè aſſerit N. Gabriel à S. V. *diſp.* 8. *de pœnit. qu.* 11.

24. Rogabis ſecundò: An quando poſt abſolutionem advertis, confeſſarium aliqua peccata tua non percipiſſe propter ſomnum, vel diſtractionem, neſcis tamen quæ ſint illa, tenearis tunc repetere totam confeſſionem, ut directè abſolvaris ab illo peccato, à quo nondum directè abſolutus es? Reſpondetur ſi in confeſſione generali, aut ſatis longa ſcires unum peccatum non eſſe auditum à confeſſario propter ſomnum, vel diſtractionem, & neſcires, quod peccatum eſſet, non deberes repetere omnia peccata: quia cum materialis integritas ſit præceptum quoddam poſitivum Chriſti, non videtur credibile, illum velle homines obligare ad repetendam totam illam longam confeſſionem propter tale dubium tam remotum: eſſet enim hoc valdè difficilè, & oneroſum. Deberes verò totam confeſſionem repetere, ſi in confeſſione brevi ſcires id eveniſſe: nam tunc poteſt dubitatio moraliter obligatoria cenſeri in ordine ad repetendum, quia non eſt tantùm onus, quin facilè quis poſsit rem tutò exequi. Ita Dicaſtillus *diſp.* 8. *dub.* 4 *quæſito* 7. *num.* 100. Tamburinus, *lib. c.* 10. Hermanus Buſembaum *loco citato*, Leander, *diſp.* 5. *de pœnit. qu.* 86. Card. Lugo, *diſp.* 16. *num.* 609. *qui n.* 610. *ſequenti* benè addit, ſi ſcis aliquod peccatum mortale non fuiſſe à confeſſario intellectum, vel ſi etiam de hoc ipſo prudenter dubitas, debes illud confiteri ea generalitate, licet non ſcias in particulari quale fuerit illud peccatum; debes autem tunc determinare materiam, quantum fieri poterit, dicendo, ſcio vel dubito: an confeſſarius audierit, vel perceperit unum peccatum grave meum, neſcio quale fuerit, ſed eo tempore confiteri ſolebam tales ſpecies peccatorum. *Quæſitum ſecundum.*

25. Rogabis tertiò: An iteranda ſit confeſsio bona fide facta confeſſario neſcienti diſcernere circa materiam confeſsionis inter mortale, & veniale, & inter ſpecies peccatorum, & inter eorum unitatem, & pluralitatem in caſibus frequenter occurrentibus? Affirmant Sylveſter: verbo, *confeſsio* 1. *quæſito* 3. Victoria *de confeſsione*, *n.* 168. quia judicare non poteſt de cauſa prout oportet; & in caſu, quo ratione dictæ ignorantiæ defacto non benè judicat, exiſtimant confeſsionem ratione prædictæ ignorantiæ eſſe nullam, Ricardus, Vazquez, Turrianus, Ochagavia, & alij apud Dicaſt. *diſp.* 10. *dub.* 12. *n.* 350. quia tunc abſolutio fertur à judice, cauſa inſufficienter cognita. *Quæſitum tertium.* *1. ſententia.*

26. Nihilominùs dicendum eſt, validam eſſe confeſsionem bona fide factâ nec repetendam, quantumvis peccet Sacerdos. Ita Adrianus, Petrus Soto, Suarez, Coninchus, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica, punct.* 12. *num.* 3. Gabriel, Lugo, & alij quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *loco citato*. Præpoſitus, Hurtado, Mercerus, Sylvius, Nuñus, Filliucius, Villalobos, & alij quos adducit, & ſequitur Diana *tom.* 5. *tractat.* 14. *reſol.* 22. *2. ſententia, & tenenda.*

*ſol.*22. & cum alijs Leander *tract.*5. *de pœnitentia, diſp* 5. *quæſt.* 84. N. Gabriël *loc. citato.* Tum quia confeſſio pœnitentis bonâ fide facta Confeſſario ignoranti, & abſolutio obtenta ab illo, etiamſi ille ex parte ſua injuſtè abſolvat, aut erret in imponenda pœnitentia ſalutari, & in peccatis ob inſcitiam diſcernendis, valida eſt, concurrunt enim omnia eſſentialiter requiſita ad valorem. Tum ex parte Confeſſarij forma, jurisdictio, & intentio. Tum ex parte pœnitentis confeſſio & dolor, &c. ut ſupponimus. Tum etiam: quia ſi hujuſmodi Sacerdos abſolveret in articulo mortis, abſolutio teneret: ergo & extra illum: ſolus enim articulus extremæ neceſſitatis non conferret illi Sacerdoti ſic ignoranti capacitatem, ſi ob ignorantiam eſſet jure divino, aut naturæ incapax. Tum denique: quia cùm hic defectus ex ignorantia Confeſſoris ſæpè contingat, credendum non eſt Chriſtum Dominum ſic Sacramentum inſtituiſſe, ut valori ejus obſtaret: ſatis enim videtur ſi peccatum, ſicuti factum fuit, percipiatur: nam eſto præceperit Chriſtus Confeſſario, ut quoad fieri poſſit, peccatorum gravitatem intelligat, non tamen valori Sacramenti eam conditionem annexuit.

Illatio.

27. Hinc reſolvitur, eum, qui confeſſus fuit peccatum, quod nequè ipſe, nec Confeſſarius ſciebant eſſe mortale, poſteà verò conſultis viris doctis, aut aliâ viâ novit eſſe mortale, non teneri illud iterum confiteri, niſi aliundè confeſſio fuerit irrita: quia pœnitens ſufficienter manifeſtavit peccatum ſuum, adſuntque omnia neceſſaria ab ſubſtantiam Sacramenti, ad cujus valorem non requiritur, quod pœnitens, aut confeſſor determinatè peccatum detectum eſſe mortale. Ita Suarez, Thomas Sanchez, Coninchus, Nunnus, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus ubi ſuprà *num* 354 Valerus, Corduba, & Victoria, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 22. Bonacina, *diſp.* 5 *quæſt.* 7. *punct.* 4. § 2. *num* 15. Secùs dicendum eſt, ſi pœnitens ſub dubio confeſſus ſit aliquod peccatum, ut ſi dixit, ſe dubitare: an aliquam fœminam concupierit: hic enim ſi poſt confeſſionem certò cognoſcat, ſe fœminam concupiviſſe, tenetur iterùm confiteri: quia non plenè manifeſtaverat ſuum peccatum, ut à parte rei commiſſum fuerat. Ita cum Thoma Sanchez, & alijs, Bonacina, *dict. num.* 15 & Dicaſtillus, *num.* 355.

Quid ſi pœnitens malâ fide accedat ad Sacerdotem ſic ignorantem

28. Diximus, *ſi confeſſio ſit bonâ fide facta*: nam ſi pœnitens confiteatur Sacerdoti ſic ignoranti, ſciens, & advertens illius ignorantiam, peccat mortaliter, atque adeò confeſſio eſt nulla defectu doloris, & integritatis confeſſionis; uti benè advertunt Diana, & Dicaſtillus citati.

29. Undè optimè ex Navarro, docet Suarez, *diſp.* 28. *ſect.* 2. *num.* 18 in duobus tantùm caſibus teneri pœnitentem moraliter loquendo ad iterandam confeſſionem ob inſcitiam Confeſſoris. Primò, quando novit illum eſſe ita imperitum, ut ſuam conſcientiam dijudicare non ſufficeret; & nihilominùs illi confeſſus eſt. Secundò, quandò in ipſa confeſſione intellexit ſufficienter, confeſſorem non percipere gravitatem delicti, & nihilominùs ſimpliciter, & ſinè ampliori inſtructione confeſſus eſt.

PUNCTUM V.

Qualiter confeſſio invalida repetenda ſit.

Duo communiter recepta apud Authores.

30. ET quidem primò, ſi iteratur confeſſio invalida apud diſtinctum Confeſſarium, ſigillatim omnia peccata repetere, & recenſere neceſſe eſt, ac ſi nunquam pœnitens faſſus eſſet: quia præcedens confeſſio, utpotè huic Confeſſario ignota, nullatenùs deſervire poteſt, ut ſententiam abſolutionis concedat, ſicuti pro certo ſupponunt Bonacina *diſput.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 3. *n.* 15. Palaus *tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 12. *n.* 4. Layman *tract.* 6 *c.* 9. *num.* 6. Dicaſtillus, *diſp.* 8 *dub.* 5. *num.* 106. & tradunt Navarrus, Sylveſter, D. Antoninus, Coninchus, Lugo, N. Thomas à Jeſu, Gabriël à S. Vinc. *diſp.* 8. *qu* 11. quos citat, & ſequitur Leander *de pœnit. diſp.* 5. *q.* 90. & alij.

Secundò.

31. Secundò, ſi Sacerdos idem ſit, & memoriâ retineat peccata, quæ illi antea pœnitens faſſus eſt, non videtur obligatus ea ſigillatim referre: ſed unico verbo ſatisfaciet, ſi ſe accuſet de omnibus illis, quæ in priori confeſſione retulit, ſubjunctis tamen peccatis in prima confeſſione prætermiſsis, & alijs poſt illam confeſsionem, vel in illa commiſsis: ſic enim ſufficienter inducit Confeſſarium in cognitionem ſui ſtatùs, ita, ut valeat de ipſo judicare; ut benè docent Suarez, Coninchus, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *dict. num* 4 Bonacina, *dict. num.* 15. & Dicaſtillus, *diſp.* 8. *dub.* 5 *num.* 107.

Quid ſi idem Sacerdos peccatorum memoriam non retineat?

32. Quod ſi idem Sacerdos peccatorum memoriam non retineat, tunc aliqui aſſerunt ſufficere, ſi pœnitens etiam in generali ſe accuſet de omnibus peccatis, quæ in priori illa confeſſione invalida fuerat confeſſus, quantumcumque Confeſſarius nequè illorum, nequè pœnitentiæ recordetur. Ita Medina *q.* 24. *de confeſſ.* quem citat, & ſequitur Granado *controverſ.* 7 *tract* 9. *diſput.* 12. *n.* 5. & 6. Leander *de pœnitentia, diſp.* 5. *q* 91. Mercerus *in* 3. *p q.* 9. *n.* 1. apud Buſembaum ubi ſupra. Alij è contra abſolutè aiunt, confeſsionem ſecundùm ſpeciem, & numerum repetendam eſſe. Ita videtur ſentire Corduba in *ſumma quæſtion.* 6. & ex parte Suarez *diſp.* 22. *ſect* 6. *nu.* 7. quia nec præcedens confeſſio Sacramentalis fuit, ideoque præſentis abſolutionis materia eſſe non poteſt, nequè illius virtute Sacerdos rectè poterit de pœnitentis peccatis judicare, & pro qualitate criminum pœnitentiam injungere. Sed hoc alij verùm putant caſu, quo Sacerdos peccatorum pœnitentis ita oblitus fuit, ut nequè illorum in genere recordetur, nequè ſtatum conſcientiæ illius agnoſcat: nam ſi illum agnoſcit, & peccatorum pœnitentis ſaltem confusè recordatur, meritò verius credunt ſufficere, ſi pœnitens dicat: accuſo me de omnibus peccatis, quæ in confeſſione præcedenti aperui, & de peccato, v.g. quod tacui: quia ad abſolutionem concedendam non requiritur, ut Sacerdos tempore abſolutionis omnia pœnitentis peccata memoriâ retineat: id enim ſæpè eſt moraliter impoſsibile, ſufficit, ſi confuſam notitiam habeat. Nequè obſtat, præcedentem confeſſionem non fuiſſe ve-

ram, & legitimam accuſationem Sacramentalem: eſto enim eo tempore non fuerit, nec nunc illa in ſe ipſa Sacramentalis efficiatur, poſterior tamen legitima accuſatio, & nova, ut ſic dicamus, ratificatio illius prioris relatâ ad notitiam præcedentem in confeſſario, quæ ſinè priori narratione non ſufficeret, illius adminiculo ſufficiens cenſetur, ut ex illa jam confeſſarius electus proferat ſententiam. Atque ita docent Sylveſter, Navarrus, Toletus, Saà, Vazquez, Layman, Coninchus, quos refert, & ſequitur Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica puncto* 12. *numer.* 4. Valentia, Reginaldus, Enriquez, Zerola, quos adducit, & ſequitur Bonacina *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 5. *punct.* 3. *num.* 15. N. Gabriel *loc. cit.* & alij communiter.

33. Ex dictis autem facilè colligi poteſt, validam eſſe confeſſionem, quam pœnitens non potuit unica vice perficere, ſed etiam iteratis vicibus perfecit ſpatio multorum dierum, & in fine obtinuit abſolutionem à Sacerdote, cui tunc notus erat ſtatus conſcientiæ pœnitentis, & peccatorum illius ſaltem confusè recordabatur; quamvis non recordaretur omnium peccatorum in particulari. Ita Graffius, D. Antonius, Entiquez, Reginaldus, Zerola, quos refert, & ſequitur Bonacina *loco citato num.* 16. & alij paſſim. *Corollarium.*

CAPUT DECIMUM.

De ſatisfactione Sacramentali.

Ex tribus partibus materialibus, quæ ſimul cum forma abſolutionis Sacramentum Pœnitentiæ componunt, explicatæ jam duæ ſunt in præcedentibus, nempè dolor, ſeu contritio, & confeſſio peccatorum, reſtat modo agamus de tertia, quæ eſt ſatisfactio Sacramentalis.

In præſenti Capite, quod ſex Puncta complectitur.

P. 1. *Quid ſit ſatisfactio Sacramentalis, & quem cauſet effectum?*

P. 2. *De obligatione Sacerdotis ſatisfactionem Sacramentalem imponendi?*

P. 3. *Qualis, & quanta ſatisfactio imponenda ſit?*

P. 4. *De obligatione pœnitentis acceptandi pœnitentiam, illamque exequendi?*

P. 5. *Quo tempore teneatur pœnitens implere pœnitentiam, & an debeat illam implere in ſtatu gratiæ ſub obligatione peccati?*

P. 6. *De commutatione Pœnitentiæ injunctæ, & de cauſis excuſantibus ab illa.*

PUNCTUM I.

Quid ſit ſatisfactio Sacramentalis, & quem cauſet effectum?

1. Suppoonendum eſt primò: per ſatisfactionem in præſentiarum intelligi opus bonum Deo gratum, & aliqua ratione laborioſum, aſſumptum ad ſolutionem illius pœnæ temporalis, quæ debetur pro peccatis; reducitur autem hoc opus ſatisfactorium, vel ad orationem, vel ad eleemoſynam, vel ad jejunium, quatenus ſub illis largè acceptis omnia opera ſatisfactoria continentur: in oratione, ſcilicet omne opus bonum in Deum ordinatum: in eleemoſyna omne opus bonum quod in proximum dirigitur: & in jejunio omne opus bonum, quo ad noſmetipſos refertur. *Supponendum 1.*

2. Supponendum eſt 2. hujuſmodi opera non ſolùm eſſe utilia ad ſatisfaciendum extrà Sacramentum ex opere operantis, ſed etiam in Sacramento ex opere operato, ac proindè cum aliquo majori effectu, quam haberent extrà Sacramentum. *Secundum.*

3. Ex his facilè deducitur, executionem prædicti boni operis à confeſſario in pœnitentiam peccati confeſſi injunctam eſſe ſatisfactionem Sacramentalem, quæ etſi per ſe ſpectata vim habeat in homine juſto remittendi pœnas peccatis debitas, ut tamen à confeſſario imponitur tanquam pars complens, & integrans Pœnitentiæ Sacramentum (ut in ſuperioribus à nobis explicatum eſt) efficaciorem vim obtinet ex Chriſti inſtitutione. *Aſſertum.*

4. Undè effectus ſatisfactionis Sacramentalis ex opere operato eſt in non ponente obicem remiſſio alicujus pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, præter illam, quæ correſpondet meritò operantis: ut ex communi ſententia tradunt Suarez, Vivaldus, Enriquez, Coninch. Fagund. quos citat, & ſequitur Palaus, *tract.* 23. *diſp. uniu. punct.* 21. §. 2. Filliuc. *tract.* 8. *de ſatisfactione Sacramentali, c.* 2. *n.* 33. Item Vazq. Ochagavia, Toletus, Granados, Moure, Layman, Rodriguez, Lugo, Candid. Reginald. Torreblanca, Canus, apud Leandrum *de pœnit. diſp.* 9. *q.* 3. & ex alijs Villalobos *de ſatisfactione, tract.* 9. *diffic.* 76. *n.* 8. N. Gabr. *diſp.* 12. *qu.* 1. *Effectus ſatisfactionis Sacramentalis eſt remiſſio pœ. temporal.*

5. Diximus *in non ponente obicem*: nam ſi tempore, quo quis pœnitentiam exequitur, in ſtatu peccati mortalis exiſtat, impedit illius effectum: quia dum eſt in peccato mortali, non vivit in Chriſto: & conſequenter neque in illo ſatisfacit, quod à Tridentino, *ſeſſ.* 14. *c.* 8. requiſitum eſt. Atque ita docent Suarez, Coninchus, Henriquez, Victoria, Filliucius, Molfeſius, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 4. *n.* 16. Palaus *dict.* §. 2. Dicaſtillus *de Sacram. Pœnit. diſp.* 14. *dub.* 11. *n.* 164. & cum multis Leander, *diſp.* 9. *qu.* 10. adverſus Vazquiū, *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 5. *n.* 8. Zerolam *in praxi, f.* 371. *Debes eſſe in gratia ut obtineas ſatisfactionis Sacramentalis effectum?*

Ruiz,

Ruiz, *contro*v. 95. Medinam, & alios ab Henriquez, & Vazquio relatos, qui oppoſitum aſſerunt ea dicti ratione, quod hæc ſatisfactio non ex dignitate operantis, ſed ex meritis Chriſti proveniat. Ad quam rationem reſpondetur: eſto ex meritis Chriſti proveniat, favorem tamen eſſe ſatisfacienti factum, quem non decet inimico fieri.

Quæſitum de effectu ſublato obice?

6. Petes: An pœnitentia Sacramentalis prius facta in peccato mortali, ſublato obice peccati mortalis, ſortiatur ſuum effectum? Reſpondetur, valdè pium, & probabile eſſe ſuum effectum ſortiri: ſiquidem recedente fictione, Sacramentum Pœnitentiæ, quod prius erat validum, & informe, ſuum confert effectum, ut ſupra dictum eſt: ergò idem eſt huic parti integrali Sacramenti Pœnitentiæ concedendum. Atque ita contra aliquos apud Leandrum, docent Suarez, Coninchus, Zerola, Bonacina, Reginaldus, Enriquez, Victoria, Saà, Rodriguez, Lugo, apud Dicaſtillum *num.* 169. Vivaldus *de ſatisfact. num.* 12. *in fine*, Palaus, *punct.* 21. §. 2. *num.* 3. & plures alios citans Leander, *quæſt.* 11. N. Gabr. à S. Vinc. *qu.* 2. Antonius à Spiritu S. *in Direct. Confeſſ. de Pœnit. num.* 1603. & videtur decidi in cap. *Quæret aliquis, de Pœnitent. diſt.* 3. *in fine*, ibi: *ſatisfactionis fructum non percipit impeditus peccato, quod non deſeritur, percipitur autem cum ejus pœnitentia fuerit ſubſecuta, ſicut ad lavacrum fictè accedens regenerationis Sacramentum accipit, non tamen in Chriſto renaſcitur; renaſcitur autem virtute Sacramenti, quod perceperat, cum fictio illa de corde ejus receſſerit veraci pœnitentia.*

Satisfactio Sacramentalis habet vim impetrandi gratias prævenientes ad facilius peccata in futurum cavenda?

7. Præter hunc effectum remiſſionis pœnæ temporalis, concedenda eſt ſatisfactioni Sacramentali quædam vis impetrandi gratias prævenientes, & auxilia divina, prout divinæ bonitati placitum fuerit: quibus juvetur pœnitens, ut inpoſterum fugiat peccata; cum enim hæc ſatisfactio, ut patet ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. & communi Eccleſiæ ſenſu, inſtituta ſit, tum ad delendas pœnas temporales, tum, ut facilius peccata inpoſterum caveantur, concedenda illi eſt hæc vis impetrandi gratias prævenientes, utpotè ad peccatorum fugam neceſſarias. Atque ita tradunt Suarez, *diſput.* 38. *ſect.* 2. *numero* 3. Coninchus, *diſp.* 10. *dub.* 10. *num.* 92. Palaus, *diſp. unic. punct.* 21. *num.* 4. Et gratiam collationis auxiliorum ad præcavenda peccata, quæ non eſt infallibilis, ſaltem in ratione gratiæ efficacis, poſſe piè, & probabiliter concedi pœnitentiæ impoſitæ in cautionem peccatorum in futurum, aſſerit Dicaſtill. *de Sacram. Pœnit. diſp* 14. *dub.* 10. *n.* 157.

An cauſet augmentum gratiæ ex opere operato.

1. ſententia.

8. An autem ulterius ſatisfactio, ſeu pœnitentia Sacramentalis cauſet augmentum gratiæ habitualis ex opere operato, diſſentio eſt non parva inter Doctores. Negant enim probabiliter Vazquez, Palacius, Coninch. Ochagavia, Tannerus, Præpoſitus, Lugo, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus de *Sacram. Pœnit. diſp.* 14. *dubit.* 10. *numero* 156. Hurtad. *diſp.* 24. *diffic.* 13. & apud ipſum, Adamus, *q.* 8. *num.* 22. Palaus, *punct.* 22. §. 2. *num.* 5. N. Franciſ. B.S. *diſp. ultimâ numero* 28. Antonius *loc. cit n.* 1599. & favet illis D. Thomas, *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. ubi cum objeciſſet hoc tertium argumentum: In Sacramento novæ legis gratia ſuſcipienti confertur: ſed in ſatisfactione non confertur aliqua gratia: ergo non eſt Sacramenti pars. Reſpondet Angelicus Doctor in hunc modum. *Ad* 3. *dicendum, quod ex propoſito ſatisfaciendi gratia confertur, quamvis ſatisfactio actualis gratiam præſupponat; vel dicendum, quod ſatisfactionem conſequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis: quia liberatur totaliter à reatu peccati.*

Primum illius fundamentum

9. Moventur autem hi Doctores 1. nam per confeſſionem, dolorem, & abſolutionem remittitur culpa, & pœna æterna peccati, quæ remiſſio de facto numquam fit ſinè infuſione gratiæ; undè ſatisfactio, quæ poſteà venit, non ſignificat remiſſionem culpæ, ſed pœnæ temporalis: hanc ergò cauſat, non illam: quia id, quod cauſat, debet ſignificare.

Secundum.

10. Secundò: quia hujuſmodi ſatisfactio neque eſt Sacramentum, nec pars eſſentialis illius, ſed ſolùm pars integralis perficiens Sacramentum factum, neque eſt inſtituta ad reconciliandum pœnitentem cum Deo, aliàs attritum exiſtentem in mortali reconciliaret, quod eſt abſurdum, ſed ſolùm eſt inſtituta ad remiſſionem pœnæ pro peccatis debitæ, & ad facilius peccata in futurum cavenda, ad quos effectus gratia habitualis non deſervit.

2. Sententia non minus probabilis.

11. Econtrà verò ſatis etiam probabiliter huic ſatisfactioni gratiæ habitualis augmentum, tamquam effectum, ex opere operato tribuunt Cajetanus 3. *part. quæſt.* 90. *art.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 2. Nuñus *quæſt.* 13. *ſuplement. art.* 3. Joannes de la Cruz *part.* 2, *de pœnitent. quæſt.* 1. *dub.* 4. Petrus de Ledeſma *in ſumma, tom.* 1. *de Sacram. Pœnit. cap.* 1. *dub.* 2. Candidus *diſquiſitione* 24. *art.* 30. *dub.* 4. Granados *tom.* 5. *de pœnitent. tract.* 1. *diſp* 3. *num.* 2. N. Gabriel à S. Vincentio *de Sacram Pœnitent. diſp.* 12. *quæſt.* 1. in hanc ſententiam inclinat Suarez *diſp.* 33. *ſect* 2. & eam amplectuntur Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol* 70. Fagundez, Moure, Rodriguez, Luyſius, Turrianus, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 9 *de pœnit q.* 6. Gonet *diſp.* 13. *art.* 3. & favet illis D. Thomas 3. *part. q.* 90. *art.* 2. *ad* 2. ubi ſic ait: *Ad ſecundum dicendum, quod ſatisfactio confert gratiam, prout eſt in propoſito, & auget eam, prout eſt in executione, ſicut etiam Baptiſmus in adultis:* ergò ſicut Baptiſmus gratiam cauſat ex opere operato: ita, & ſatisfactio.

Probatur 1.

12. Et probari poteſt primò argumento, quo utitur Petrus de Ledeſma: *Por que la ſatisfaccion quando actualmente ſe cumple, es parte de una ſeñal inſtituida por Chriſto, à ſignificar, y cauſar la gratia; deſuerte, que bien aſsi come la contricion, y confeſsion cauſan la gracia, en quanto ſe juntan con la forma de la abſolucion: anſi tambien la ſatisfacion cauſa nuevo grado de gracia por el orden que dize à la abſolucion, que procede de la poteſtad del miniſtro de la Igleſia.*

Probatur 2.

13. Secundò: quia ſatisfactio non ſolùm eſt præteritorum remiſſio peccatorum quoad pœnam, verùm etiam eſt futurorum medicina præſervativa quoad culpam, quia ad hoc præteritorum pœnæ delictorum deletio parum, aut nihil juvat, multum autem

juvat

juvat gratiæ productio : ergo hæc per ſatisfactionem producenda eſt, ut ſic per illam facilius futura vitentur peccata, quod eſt ſatisfactionis intentum.

Judicium de his ſententijs. 14. Utramque ex his ſententijs probabilem eſſe, cenſemus : ſicut etiam cenſuit Magiſter Petrus de Ledeſma *loco citato*. Putamus autem, ſalvo meliori judicio, litem inter ipſas poſſe congruenter componi, & ſimul Angelici Doctoris teſtimonia pro utraque ſententia adducta explicari. Si cum 1. ſententia dicamus ſatisfactionem Sacramentalem in executione non producere novum gradum gratiæ habitualis, & ſanctificantis, & hoc tantùm probant rationes pro hac ſententia allatæ, & teſtimonium D. Thomæ ſumptum *ex 4. libro ſententiarum*. Cum ſecunda verò ſententia dicamus, ſatisfactionem Sacramentalem adhuc ex opere operatio in executione in non habente obicem peccati mortalis, perficere gratiam habitualem, tam in ratione abolendi peccatum, quatenus remittit pœnam temporalem, quàm impetrando gratias prævenientes, & auxilia divina ut facilius peccata inpoſterum caveantur, & hoc tantùm probant rationes pro ſecunda ſententiæ adductæ. Et ad hunc ſenſum poteſt explicari teſtimonium D. Thomæ, pro ea citatum *ex 3. part.* exponendo ipſum de augmento gratiæ, non ſecundùm novum gradum, ſed quoad perfectionem dictam, & explicatam ab eodem Angelico Doctore *in 4. ſententiarum* : & ita omnia conſonant.

PUNCTUM II.

De obligatione Sacerdotis ſatisfactionem Sacramentalem imponendi.

Aſſertio. 15. RESpondetur dicendum : Confeſſarium regulariter, & per ſe loquendo teneri ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam injungere, conſtat id ex Concilio Tridentino, *ſeſſ. 14. cap. 3. & 8.* ubi ait : *Debent ergò Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentis facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere, ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* In quibus manifeſtè ſignificatur præceptum, quo obligantur Sacerdotes injungere pœnitentiam.

Ex quibus capitibus teneatur Sacerdos imponere Pœnitentiam. 16 Hæc verò obligatio provenit ex varijs capitibus. Primò, ex virtute religionis : quia tenetur Sacerdos curare, ut Sacramentum non relinquatur imperfectum & mutilum, quale eſſet ſinè pœnitentia & ſatisfactione, quæ eſt ejus pars integralis. Secundò, ex juſtitia vindicativa, & ex natura judicij, & poteſtatis judicialis, ex qua videtur inferri intervenire debere aliquam punitionem inflictam pro delicto, maximè qnando antè judicium non præmittit reus veram ſatisfactionem, & idoneam. Tertiò, tenetur aliquando eam imponere ex aliqua alia virtute, ut quando eſt maximè conveniens ad medelam pœnitentis, tamquam medicina præcautiva pro avertendis peccatis, quæ timentur futura à pœnitente : eſt enim confeſſor medicus etiam ſpiritualis illius ; tunc ergò quando ad id neceſſaria pœnitentia, debet illam injungere, ad id quæ tenetur ex ea virtute, contra quam eſt periculum futuri peccati pœnitentis.

17. Et quidem ex hoc tertio, & ultimo capite non raro tenetur confeſſarius ſub mortali iojungere pœnitentiam ad medelam contra peccatum ; quanta autem ſit neceſſitas talis pœnitentiæ, ut ſub mortali teneatur confeſſarius illam injungere, ex materia & circumſtantijs penſandum eſt judicio prudentis, ut benè obſervat Dicaſtill. *diſput. 14 dubio 2. num. 12.* *An ex 3. capite ſub mortali?*

18. Ex alijs vero duobus prioribus capitibus aliqui putant per ſe loquendo adſtringi confeſſarium injungere pœnitentiam ſub obligatione peccati mortalis : quia tenetur judicium vindicativum exercere, adhibita aliqua punitione pro delicto, & curare ne Sacramentum reddatur imperfectum, & mutilum abſque ſatisfactione, quæ eſt pars integralis Sacramenti ; & hoc etiamſi confeſſio ſit de ſolis venialibus, vel de mortalibus ſæpè confeſſis : nam Sacerdoti incumbit, judicium hoc vindicativum cum aliqua delicti punitione exercere, & curare, ne Sacramentum maneat imperfectum, & mutilum : qnod neceſſariò ſit nullâ Pœnitentiâ impoſitâ. Quapropter, etſi pœnitentia injuncta levis ſit, aſſerunt, non eſſe levem illius omiſſionem. Ita Joannes Sanctius *in ſelectis, diſp. 15. n. 14. & 17.* Palaus, *tract. 23. diſp. unica punct. 21. §. 2. n. 6.* N. Gabriel à S. Vincentio *de Sacram. Pœnit. diſput. 12. q. 3.* *An etiam ſub mortali ex alijs capitibus?*

19. Econtrà tamen alij cenſent, ſi ob peccata venialia, vel mortalia ſæpè anteà confeſſa, levis pœnitentia eſſet injungenda, ejus voluntariam omiſſionem venialem tantùm eſſe. Ita Cardinalis Lugo, *diſp. 25. numer. 47.* Diana, *tom. 6. tract. 6. reſol. 44.* Et cum alijs Dicaſtillus, *dict. dubio 2. n. 12.* Averſa *quæſt. 13. ſect. 2.* Ochagavia *de Sacram. Pœnit. quæſt. 8. n. 7.* N. Antonius *de Pœnit. num. 1604.* Franciſcus quem ſeq. Steph. à S. Paulo *n. 172.* Et indicat Enriquez, *lib. 5. de Sacram. cap. 20. numero 6.* Moventur : quia pœnitens non tenetur leviſſimam pœnitentiam ſub mortali implere, ſed levitas materiæ in pœnitentiæ injunctæ executione admitti debet, nt cum pluribus docet adhuc citatus Palaus, *§. 4. n. 9.* & nos infrà dicemus : quamvis pœnitens non implens illam pœnitentiam, relinquat Sacramentum mutilum, & imperfectum, utpotè abſque parte illa integrali : ergo nec Sacerdos tenebitur leviſſimam pœnitentiam ob peccata venialia, vel ob mortalia ſæpè anteà confeſſa, ſub mortali injungere, ſed levitas materiæ in pœoitentiæ imponendæ obligatione ſatis probabiliter admittenda videtur ; tametſi non imponendo illam pœnitentiam, relinquat Sacramentum mutilum, & imperfectum ex defectu ſolius partis integralis, & non eſſentialis : & non exerceat punitionem, quæ ſolùm debebat eſſe levis. Ex his duabus ſententijs, prima eſt probabilis quam indicare videtur Suarez *diſp. 38 ſect. 3.* & Reginald. *tom. 1.* *2. Sententia.*

lib. 7.

*lib.7.cap.2. num.*12. ubi aſſerit, quod non eſt dubium, quin confeſſarius ſub gravi peccato teneatur aliquid ſemper in ſatisfactionem imponere debenti, ac volenti eam adimplere: quia tamen tot, tamque graves Doctores, non ſolùm in pœnitente non exequente leviſſimam pœnitentiam, parvitatem, ac levitatem materiæ dari aſſerunt, ac proindè meritò ibi admittenda ſit: verum etiam in confeſſario in caſu poſito pœnitentiam non imponente, parvitatem quoque, & levitatem materiæ dari cenſent, ut viſum eſt, propterea ſecundam ſententiam probabilem eſſe, inficiari non poſſumus.

Aliquando poteſt non teneri Sacerdos imponere pœnitentiam.

20. Diximus autem in aſſertione, confeſſarium regulariter, & per ſe loquendo teneri ſatiſfactionem, ſeu pœnitentiam injungere: quia aliquando licitum eſt hoc Sacramentum miniſtrare, nulla ſatisfactione injuncta; ſi enim pœnitens morti proximus, facta confeſſione, jam non poteſt audire, nec minimam exequi pœnitentiam, cum hoc Sacramentum neceſſarium ſit, & perfici eſſentialiter poſſit abſque ſatisfactione, non debet ob illius impoſſibilitatem omitti, ſed impendi debet abſolutio, & non imponi pœnitentia, ut ex communi ſententia tradunt Cajetanus, Navarr. Suarez, Coninch. Fagund. quos refert, & ſequitur Palaus *diſput. unic. punct.*21.§.2.*n.*7. & Dicaſtill. *diſp.*14.*dub.*2. *n.*14. aliíque ex noſtris citati.

Rarò hæc impotentia contingit.

21. Rarò tamen hæc impotentia contingit, ut benè advertit Palaus. Quare ſi pœnitens non eſt ſenſibus deſtitutus imponenda eſt illi levis pœnitentia, ut invocatio nominis Jeſu. Quod ſi peccata ampliorem ſatiſfactionem expoſtulent, imponenda etiam eſt illi pœnitentia alioquin congruens præſtanda, non tunc, ſed ſub conditione, ſi fortè convaluerit, ut habetur cap. *Ab infirmis* 26. *q.*7. ibi: *A quo periculo ſi divinitus ereptus convaluerit, impoſitum ſibi à Sacerdote pœnitentiæ modum, diligenter obſervet.* Et tradunt Fagundez, Layman, quos adducit, & ſequitur Palaus *dict. num.*7. Dicaſtillus *loco citato n.* 14. qui etiam benè addit: ſi infirmus poteſt ſatisfacere per eleemoſynas has eſſe imponẽdas.

An confeſſarius excuſetur ab imponenda ſatisfactione, ſi credatur pœnitentem plenè ſatisfeciſſe.

22. Placet autem alios præterea ſigillatim examinare caſus, in quibus dubitari ſolet. An excuſetur Sacerdos præbens abſolutionem ſinè ulla pœnitentiæ impoſitione? Primus eſt, quando creditur pœnitentem plenè ſatisfeciſſe, ut quando vir ſanctus confitetur præterita peccata, de quibus abundantem fecit pœnitentiam, vel ſi videat Sacerdos pœnitentem intenſiſſimam habere contritionem: tunc enim non videtur obligandus ad novã ſatisfactionem, ſed quia vix unquam ſinè revelatione conſtare poteſt, pœnitentem plenè ſatisfeciſſe, ut benè advertunt Coninch. *diſp.*10.*dub.*8.*n.*63. Palaus *punct.*11.§.2. *n.*8. N. Anton. *n.*1605. Stephanus *loc. cit.* aliqua ſaltem levis imponi debet pœnitentia, præterquã quod deberet conſtare non indigere pœnitentiam in remedium, & medicinam peccatorum præſervativam, quod vix eſt poſſibile.

Quid ſi in proximo ſit indulgentia plena lucranda.

23. Secundus caſus eſt: quando jam in proximo eſt ſatisfactionis remedium, ut ſi tempore Jubilæi in proximo ſit indulgentia plena lucranda, nam cum per Jubilæum plena concedatur peccatorum remiſſio, ſuperfluere videtur quælibet alia ſatisfactio. Verum in eo caſu ſinè ulla impoſitione pœnitentiæ abſolutio impendenda non eſt: tum quia ſæpè accidit pœnitentes intentione lucrandi Jubilæum confeſſionẽ feciſſe, poſtmodum verò, vel mutare voluntatẽ, vel ab eo lucrando impediri; undè hac ſola pœnitentis intentione non debet Sacerdos contentus eſſe. Tum etiam, quia cum Sacerdos non ſolùm ſit judex, ſed medicus, qui pœnitentes mederi debet, & per obtentionem Jubilęi non cenſeantur regulariter ſatis curati, eas debet pœnitentias injungere, quæ huic fini vitæ fuerint opportunæ. Quapropter rectè inquiunt Suar. *diſp.* 38. *ſect.*10. *num.*10. & Palaus *tract.*23. *diſp. unica, punct.*21 §.2.*n.*9. his temporibus, conſiderato modo, quo pœnitentię imponi ſolent, rarò, vel numquam licere omittere pœnitentias impoſitas propter indulgentias: quia reverà imponuntur leviſſimæ pœnitentiæ, & quæ vix ſufficiunt per modum medicinæ.

Quid ſi ſcrupuloſus ſæpius intrà horam accedat cum novis culpis ut abſolvatur?

24. Tertius caſus eſt: cum ſcrupuloſus ſæpius intrà horam redit cum novis culpis, ut de novo abſolvatur, in quo caſu, poſſe Sacerdotem injungere pœnitentiam jam aliàs injunctam, docent Henriquez *lib.*5. *de pœnit. cap.*20. *num.*6. Bonacina *diſp.*5.*qu.*5.*ſect.*3.*punct.*2.*n.*3. Anton. Franciſc. Stephan. *loc. cit.* quia opus alias debitum poteſt pro ſatisfactione nova injungi, hoc tamen non admittunt Candidus *diſquiſit.*24.*art.* 31.*dub.*3. & Palaus ubi ſuprà *num.*10. quia eſto opus aliàs præceptum in pœnitentiam injungi poſſit, non tamen præceptum eodem titulo.

Quid ſi Sacerdos credat pœnitentem nullam eſſe admiſſurũ, vel executurum pœnitentiam?

25. Quartus caſus eſt: ſi Sacerdos credat, pœnitentem nullam eſſe admiſſurum, vel executurum pœnitentiam: quia ſi illam executurus non eſt, quinimò neque admiſſurus, cum finis impoſitionis ceſſet, ceſſare etiam videtur confeſſarij obligatio. Sed hanc excuſationem nullatenus cenſemus admittendam: ſicuti neque eam admittunt Reginald. Bonacina, & Fagund. quos citat, & ſequitur Palaus *loco citato num.*11. Noñus *tom* 2. *in* 3 *p. qu.*18. *art* 3 *diffi ult.*2. Candidus *diſquiſit.*24.*art.*31.*dub.*4. Granado & Lugo, quos refert, & ſequitur Leander *diſp.*9.*q.*19. Tum ne videatur Sacerdos peccatis pœnitentis connivere ea impunita relinquens. Tum ne ſit occaſio pœnitenti peccati temnendi, & in graviora incidendi: utpotè qui ſe ſentit fræno pœnitentiæ deſtitutum. Tum ne Sacramentum Pœnitentiæ truncatè, & imperfectè miniſtret, nullam pœnitentiam, quæ eſt pars integralis illius, aſſignando: qui fines in caſu poſito non ceſſant; & ut inquit Lugo, nunquam continget, quod pœnitens aliquam ſaltem pœnitentiam levem non ſit acceptaturus. Neque oppoſitum ſentiunt Hoſtienſis, Navarrus, & Abbas, apud Leandrum *loco cit.* quia hi Doctores ſolùm dicunt, poſſe confeſſarium minuere pœnitentiam imbecillibus, infirmis animo, & corpore, & illis, quos probabiliter timet, juſtam non adimpleturos.

PUNCTUM III.

Qualis, & quanta ſatisfactio imponenda ſit?

Opus bonũ pœnoſum de imponendũ.

26. OPus, quod à confeſſario imponitur, oportet eſſe bonum moraliter, & de

de ſe Deo gratum: ſiquidem in ſatisfactionem peccatorum, & perfectam cum Deo reconciliationem aſſumitur. Debet item eſſe pœnale, ſeu afflictivum, quia tendere debet ad criminis vindictam, & affectus exorbitantis refrenationem. Quam conditionem aliquomodo habet omne opus bonum reſpectu hominis poſt naturæ lapſum, quatenus amiſſa originali juſtitia, inclinatur ad inferiora, & terrena: uti benè docent Valentia *tom 4. diſp.7. quaſt.* 14. *punct.*3. Laymao *tract.6. de Sacram. pœnit. cap.*15.*num.*9. Pitigianus 2.*part. diſt.*15. *quaſt.* 1.*art.*3. *concluſ.*1. Palaus *diſp. uni:. punct.*21. §.3.*n.*1. & alij.

Mentale, & internū expedit aliquando enjungi.

27. Et ſi frequenter opus externum in pœnitentiam injungatur, quia facilius, & certius, præſertim à rudibus, impleti poteſt; interdum tamen, conſiderato pœnitentis ſtatu, expedire videtur, ut ipſi interna aliqua pia meditatio de præſentia Dei omnes actiones noſtras intuentis: de morte certiſſimò ſibi eventura, de judicio Dei, quod effugere non poteſt: de peccatorum fœditate, & gravitate: de Paſſione Domini; item elicientia interni doloris de peccatis in Deum commiſſis, cum propoſito emendationis, & ſimilia imponantur. Licet enim aliqui cum Alenſe 4. *part. quaſt.* 84. *membro* 2. *art.*1. & Almayno *in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.*1. dicant, ſatisfactionem non poſſe eſſe aliquid mentale, & internum. Communis tamen, & vera ſententia docet, ad hoc ſufficere actus internos fieri ſenſibiles per accidens, cum exterius imponontur, & acceptantur: ut ex Conincho, Hurtado, Suario, & Mercero, tradit Diana 4. *part. tract.*4.*reſol.*24. & idem etiam docet Lugus *diſp.*26.*ſect.*4. Ochagavia, Reginaldus, Baſilius Pontius, quos affert, & ſequitur Averſa *quaſt.*13. *ſect.*3. N. Antonius *num.*1619. Gabriel à S.V. *diſp.*12.*q.*3.

An opera debita ex præcepto poſſunt imponi?

28. Poſſunt etiam imponi opera alias debita ex præcepto, ut auditio Miſſæ die feſto, jejunium in quadrageſima, ut ex communi ſententia docent Lugus *diſp.*25. *ſect.*4. Suarez *diſp* 38. *ſect.*6. Vazquez *quaſt.*94.*art.*1. Hermanus Buſembaom *libr.6. tract.4. de pœnitent. cap.*1.*dub.*4. *de ſatisfact.* Averſa *quaſt.* 13. *ſect.* 3. Navarrus, Sotus, Victoria, Nuñus, & alij plurimi, quos congerit, & ſequitur Leander *de pœnitent. diſp.*9. *quaſt.*43. N. Gabr. Antonius *num.*1617. & hoc non ſolùm validè: quia benè poteſt idem opus aliàs debitum ſuſcipere etiam ſpecialem vim ex virtute clavium ad ſatisfaciendum pro peccatis: verum etiam ex juſta cauſa licitè, vel ob debilitatem, ſeu fragilitatem pœnitentis juxta prudens arbitrium confeſſarij, ut benè advertit Averſo *loco citato.* Imò poſſe hoc expedire, ut ſaltem ex parte, aliquid pœnitentiæ imponatur per opus præceptum implendum, conſiderata pœnitentis diſpoſitione, & infirmitate, benè docent N.V.P. Thomas à Jeſu *in tribunali conſcientiæ, tract* 2.*cap.*2 & cum multis Diana *part.*3. *tract.*4. *reſol.*84. Si tamen Sacerdos id non explicet, intelligitur communitèr loqui de operibus ſupererogationis, ut ſi imponat jejunium, vel auditionem Sacri, præſumitur velle jejunium, aut Sacrum non debitum, niſi ex circumſtantijs contrarium colligatur. Ita Lugus, N. Anton. & Gabr. *loc. cit.* Layman *cap.* 15.*n.*10. Thomas Sanchez *in ſumma, lib.*1.*cap.*14. *num.*6. & apud ipſum Sayrus, Azor, Medina, & Suarez, item Henriquez *lib.*2 *de pœnit. cap.*21. Navarrus, Molfeſius, Zerola, Vivaldus, & alij, quos refert, & ſequitur Bonac. *diſp.* 5.*qu.* 5.*ſect.* 3.*punct.* 2.*n.* 12. & cũ alijs plurimis Leander *diſp.*9.*q.*45.

Corollarium primum.

29. Ex quo infertur 1. Si confeſſarius dicat pœnitenti, ut ſingulis diebus Dominicis, aut feſtis audiat duo Sacra, ſatisfacere tam præcepto Eccleſiæ, quam confeſſoris, audiendum duo tantùm ſacra: quia niſi aliud inſinuet, ex modo injungendi ſatis colligitur, cum unum ſacrum ex præcepto Eccleſię impoſuiſſe, & aliud aliundè non debitum. Ita Coninchus *diſp.*10.*dub.*8. *n.*69. Bonacina *diſp.* 5. *q.*5. *ſect.*3. *punct.*2. *n* 12. & apud ipſum Thomas Sanchez, & cum alijs Leander *quaſt.*45.

Corollarium ſecundum.

30. Infertur 2. Si confeſſarius dicat pœnitenti, ut per unum menſem ſingulis diebus audiat ſacrum, ex benigna interpretatione cenſeri ſacro debito ex præcepto diebus feſtivis contentum eſſe. Ita Sanchez *in ſumma, lib.*1.*cap.*14. *n* 6. Diana 3 *part. tract.*6. *reſol* 86. Bonacina & Leander *locis citatis*, Mercerus *de Sacram. qu.* 83. *art.*4 *n* 4. Palaus *t* 1 *tract.*3.*diſp* 1.*punct.*19 *n* 4.

Corollarium tertium.

31. Infertur 3. Si confeſſarius injungat, ut pœnitens audiat ſingulis ſeptimanis unum ſacrum, intelligendum eſſe præter illa, quæ ex præcepto, aut voto obligatur, ut rectè colligit Coninchus *loco citato.*

Corollarium quartum.

32. Infertur 4. Si quis eleemoſynam ex pœnitentia debeat, non ſatisfacere, dando ea, quæ debet reſtituere ob incertorum ablationem: quia illa elargitio non eſt donatio liberalis, & conſequenter neque eleemoſyna, ſed eſt ſolutio & reſtitutio debiti. Ita Sanchez ubi ſupra *n.*6. Palaus *n.*5. & alij.

Corollarium quintum.

33. Infertur 5. Cum eiſdem, & cùm Sayro, Suario, & Diana, apud Leand. *diſp* 9.*q.*47. pœnitentem non ſatisfacere pœnitentiæ de danda eleëmoſyna, ſi det fratribus, avis, & parentibus taliter indigentibus, ut teneatur illis ſobvenire: quia illud non erit propriè eleemoſyna, ſed ſolutio debiti legalis, ad quam per judicem poteſt compelli, caſu quo dives ſit: item quia non eſt elargitio pauperi: pauper enim non eſt, qui jus habet poſtulandi alimenta, ut ex alijs probat Surdus *de aliment. tit* 7.*quaſt* 37 *à n.*1.*uſq; ad* 11. contra eundem Leandrum. N. Anton. *n.*1618. Gabrielem à S.V. *quaſt* 4. aſſerentes ſatisfacere dando illam quantitatem Patri, fratribus, aut avis indigentibus.

Verùm ſi pœnitens alijs conſanguineis non ita conjunctis eleemoſynam tribuat, ſatisfaciet pœnitentiæ injunctæ: quia non tenetur ex debito legali illis alimenta præbere, ut probat Molina *lib* 2. *de primogen. cap.*15. *à num.* 37. & tradit Palaus *loco citato.*

Corollarium ſextum.

34. Infertur 6. Pœnitentem, cui certa eleemoſyna injuncta fuit, ſatisfacere dando extremè indigenti: quia cum caſus iſte extraordinarius ſit, & raro contingens, non videtur, confeſſarium eum excludere voluiſſe: ne alioquin pœnitens nimis fortaſsè gravetur, ſi eo eveniente duplicem eleemoſynam dare cogatur, idque præter intentionem Sacerdotis, qui non potuit eum caſum prævidere. Ita Layman *tract.* 6 *c.*15 *n.*10. Petrus Fay *de pœnit. in Additionib. ad* 3.*p q.*15.*art.*1.*diſp.*2.*concl* 5. & cũ alijs Diana *part.*3.

part.3. tract 4. reſolut 84. Coninchus *diſp.*10. *num.*69. Candidus *diſquiſit.*24. *art.*31. *dub.*12. Antonius à Spiritu ſancto, *loco citato*, & cum alijs; Vivaldus *in candelabro*, *tractat. de ſatisfact.* *n.*10. & Averſa *qu.*13. *de ſatisfact. Sacram. tract.*3.

Pœnitentia ad arbitrium pœnitentis an interdum injungenda?

35. Pœnitentia non eſt injungenda pœnitenti omninò ad arbitrium ejus dicendo, *recita hoc, aut illud, ſi volueris*: nam ſic relinquit Sacerdos Sacramentum, quantum eſt ex parte ſua, ſubjectum imperfectioni, ut benè advertit Granados, *de pœnitent. tract.*12. *diſp.* 4. *nu.* 4. & ex Vazquio, Luyſius, Turrianus, *diſp.*35. *dub.*2.

Poterit tamen confeſſor, ut ſapienter notat D. Thomas *quodlibeto* 3. *artic.* 28. relinquere arbitrio pœnitentis, ut hanc, vel illam ſatisfactionem exequatur, v.g. ut oret, vel eleemoſynam largiatur.

Poterit ſimiliter, concurrentibus aliquibus circumſtantijs prudenter id exigentibus, injungere pro pœnitentia cum opere aliquo determinato aliquod aliud, non determinando illud in particulari, dicendo, v.g. *Impono tibi pro pœnitentia, ut tot orationes recites, aut tot diebus jejunes, & ſimul quidquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris, hac hebdomada, vel menſe.* Ut benè docent Fagundez *præcept.* 2. *lib.*9. *c.*5. *num.*11. Diana *part.*3. *tract.*4. *reſol.*82. Navarrus, Suarez, Paludanus, Petrus Soto, Bonacina, Reginaldus, apud Leandrum *diſp.*9. *quæſt.*25. & uſu in Eccleſia receptum eſſe aſſerit Candidus *diſquiſition.* 24. *art.* 31. *quæſt* 14. favet quoque D. Thomas *quodlib.*3. *artic.*28. docens: videri ſatis conveniens, quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis: quia ſicut parvus ignis à multis lignis ſuppoſitis de facili extinguitur: ita poſſet contingere, quod parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus propter grave onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante, undè melius eſt, quod Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda, & injungat ſibi nihilominus aliquid, quod pœnitens tollerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos ſibi injungere non attentaſſet, & hæc, quæ præter intentionem expreſſam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit, *quidquid boni feceris, &c.* Et quantum ad hoc talis ſatisfactio eſt Sacramentalis, in quantum virtute clavium eſt culpæ commiſſæ expiativa. Hæc Angelicus Doctor, quem ſequitur N. Gabriel à S. V. *loc. cit.*

Injungi poteſt ceſſatio ab aliquo opere bono ob majus bonum.

36. Poterit confeſſarius injungere ceſſationem ab aliquo bono opere ob majus bonum, ut ſi quis nimio jejunio impediretur ab alijs utilioribus exercitijs, poſſet ei præcipi ceſſatio à tali jejunio, & moderata comeſtio. In communione etiam poſſet eſſe caſus, quo prudens confeſſarius judicaret majoris utilitatis, & profectus eſſe poſſe aliqua vice ceſſare, utpotè ad acquirendam majorem reverentiam, & ut deinceps cum majori deſiderio, ac præparatione ſuſcipiatur ſacra communio: ad emendationem, & correptionem aliquarum imperfectionum, vel culparum, à quibus fortè pœnitens hac privatione ſtimulatus, majori cum diligentia præcavere ſtudebit. Ita Rodriguez in *ſumma, part.* 1. *cap.* 65. Molina *de inſtruct. Sacerdot. tract.*7. §.4. *cap.*5. Ferdinandus Salazar, *tract. de freq. communion. cap.*14. §.1. Lugus, *diſp.* 25. *num.*65. Diana 3 *part. tract.*4. *reſol.*115. N. Gabriel, Averſa, *quæſt.* 13. *de ſatisfaction. ſect.*3. Buſembaum, *lib.*6 *tract.*4 *cap.*1. *dub.*4. *n.*7. contra Joan. Sanctium *in ſelect. diſp.*33. *part* 2.

Injungi poſſunt præces aliavè bona opera pro defunctis.

37. Injungi etiam poſſunt præces recitandæ, aliavè bona opera facienda pro defunctis, ut contra Vegam, Pedrazam, Joannem Sanctium, & alios, benè docent Lugus, *diſp.*25. *nu.* 62. Averſa, *quæſt.* 11. *ſect.* 4. Turrianus *diſp.* 37. *de pœnit. dub.* 4. Hurtado, *diſp.* 14. *difficult.* 6. Buſembaum ubi ſuprà, Palaus, *tract.* 23 *diſp. unic. punct.* 20. §. 3. *num.* 5. Leander *diſp.* 9. *quæſt.*41. N. Anton. *nu.*1620. Gabriel à S. V. *de pœnit. diſp.*12. *qu.*3. *citata.* & firmat ſenſus fidelium, & praxis piorum, & Doctorum confeſſariorum imponentium, ut recitetur officium defunctorum, & curentur celebrare, vel audiantur tot Miſſæ pro defunctis, & ſimilia. Imò in Catechiſmo Romano *tract. de Sacrament. Pœnitent. in fine*, hoc genus pœnitentiæ valdè commendatur, tamquam eleemoſyna ſpiritualis, ex qua etiam fiet, quod Animæ purgatorij pro ſuo ſuffragatore rogabunt. Neque ex eo, quod Sacramentum Pœnitentiæ ad delenda peccata pœnitentis tam quoad culpam, quam quoad pœnam inſtitutum ſit, infertur orationes pro Animabus purgatorij applicatas effectum in pœnitente habituras non eſſe: habent enim illum ex opere operato, & virtute Sacramenti; qui à pœnitente Animabus Purgatorij communicari non poteſt, tametſi illis communicet effectum, ſeu ſatisfactionem illis orationibus correſpondentem, quatenus ab ipſo procedunt, ſeu ex opere operantis.

Poteſt interdum pœnitentia ſub certa conditione imponi.

38. Interdum ſub conditione injungi poteſt: *quotieſcumque in hanc peccati ſpeciem incideris recites talem orationem, vel talem pœnitentiam facias*, aſſignando certum tempus: multum enim id momenti habet ad peccati emendationem, & ad coercendam pravam conſuetudinem, & reprimendam peccati facilitatem. Ita circa peccati pravi juramenti ſtatuit Suarez *tom.*2. *de Religion. lib.*3. *cap.* 8. & colligitur ex Navarro *cap.* 26 *num.*25. Henriquez *lib* 5. *cap.*21. & eodem Suario *de pœnitent. diſp.*38. *ſect.*3. expreſsè id tradunt Bonacina *diſp.*9. *de pœnitent. quæſt* 5. *ſect.*3. *punct.*2 *num.*26. Layman *lib.* 5. *tract.*6. *cap.* 5. *num* 11. Averſa *quæſt.* 13. *de ſatisfactione, ſect.*4. ubi etiam benè advertit: ne illud Sacramentum omni fortè ſatisfactione, & hac integrali parte privetur, debere ſimul confeſſarium aliquam pœnitentiam abſolutè faciendam imponere, vel plures ſub disjunctione, & ſub talibus conditionibus, ut omninò aliqua in executionem deducatur, ut ſi habueris pecuniam, des eleemoſynam, vel ſi non habueris, audias Miſſam; & ſic de ſimilibus.

Qualiter opus publicum in pœnitentiam injungi poſſit?

39. Si peccata ſecreta ſint, omnes conveniunt non eſſe cogendum pœnitentem ad pœnitentiam publicam. Si autem peccata publica ſint, & cum aliorum ſcandalo facta, non modo licitè, ſed aliquando etiam neceſſariò (ut quando ſcandalum alias non ceſſaret) pœnitētię publicæ pœnitentibus injungun-

tur, ut ea ratione ſcandalum emendetur. Ita D. Thomas *in 4 diſt 17 quæſt 3 artic. 4. quæſtiunc 4 ad 4:* Paludanus, Durandus, Medina, quos citat, & ſequitur Coninchus *dub* 8 Suarez, Vazquez, Henriquez, Bonacina, quos adducit, & ſequitur Palaus *num.* 5. Averſa *ſect.* 3. N. Ant. à Spiritu S. *num.* 1616. & videtur deciſum *in cap.* 1. *de pœnitent. & remiſſionib.* & à Tridentino *ſeſſ* 24. *cap.* 8. *de reformatione*, quæ non ſolùm de foro judiciali, ſed pœnitentiali, & Sacramentali loqui, optimè expendunt Coninchus, *loco citato*, & ex Vazquio Palaus *dict. numer.* 5. quantumcumque Navarrus hoc neget, & ratio eſt: quia, ut licitè pœnitens abſolvatur, debet ei injungi omnis illa ſatisfactio, ad quam jure naturæ tenetur: atqui pœnitens tenetur exhibere omnem eam ſatisfactionem, quæ neceſſaria eſt, ut ſcandalum omne tollatur: ergò quoties ad hoc neceſſaria eſt publica pœnitentia, ea ipſi debet injungi. Neque indè fit ſigillum violari: quia hæc obligatio ex conſenſu pœnitentis imponitur, aliàs non abſolvendi: ſicut injurianti onus imponitur poſtulandi veniam ab offenſo abſque ulla ſigilli violatione. Quod ſi talis publica pœnitentia non eſſet neceſſaria ad ſedandum ſcandalum, aut ob aliam cauſam, tunc confeſſarius ſi judicaret, quod eſſet valdè expediens, poſſet quidem pœnitenti non reluctanti eam imponere, ſed non deberet reluctanti: quia tam duræ curationes, cum ſint valdè periculoſæ, non ſunt adhibendæ, quando aliter ſalus obtineri poteſt, ut rectè docent Coninchus, & Averſa, *loc citatis*.

An adſtringi poſſit pœnitens ad confeſſionis frequentiam?

40. Cogi poteſt pœnitens ad confeſſionis frequentiam, ut docet communis ſententia, quam pluribus relatis firmant Vazquez, *quæſt.* 91. *artic* 3. *dub.* 7. *numer.* 12 Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap* 15. *num.* 12. Palaus, *dict. punct.* 20. *num* 6. & apud ipſum Fagundez, & alij. Item Suarez, Emanuel Saà, Joannes Sanctius, quos affert, & ſequitur Averſa *q.* 13. *ſect.* 3. Coriolanus, Lublinus, Antonius *n.* 1612. & alij, cum quibus Leander *diſp* 9 *quæſt* 29. Probat id uſus communis Eccleſiæ: paſſim enim aſſueti peccatis ad remedium frequentiæ ſacræ confeſſionis confugere adſtringuntur: quippè confeſſio eſt opus maximè Deo gratum, & ad removendos pravos habitus, & impediendam reincidentiam peccatorum efficaciſſimum.

Quid de reliquis Sacramentis?

41. Poteſt etiam in pœnitentiam injungi ſuſceptio Euchariſtiæ, ſi à confeſſario judicatum fuerit expedire: uti rectè docent Lugus, *diſp.* 25 *num.* 66. N Anton. *num.* 1611. Palaus, N. Gabr. & Averſa *locis citatis*: frequens enim, & conſuetum eſt, ut confeſſarij hoc genus ſatisfactionis injungant, quod & in Dei honorem cædit, & ſolet pœnitenti eſſe valdè utile, & opportunum. Similiter ad ſuſcipiendam confirmationem, caſu quo ſuſcepta non ſit, poteſt pœnitens obligari: & etiam ad extremam Unctionem ſi in extremis ſit conſtitutus, ut benè docent Palaus, N. Anton. & Fagundez. Ad ſuſceptionem verò ordinis ſacri, vel Sacramenti matrimonij obligari pœnitens à confeſſario non poteſt: ſicut neque ad Religionis ſtatum, propter maximam libertatem, quam requirunt, ita docent contrà N. Anton. Stephanum, Navarrum, Palaus, *tract.* 23. *diſp. unic. punct* 20. *n.* 7. Fagundez *præcepto* 2. *lib.* 9. *c.* 5. *n.* 4. Layman, *tract.* 6. *c.* 15. Poſſunt tamen hæc confeſſarij ſuadere, & conſulere pœnitentibus.

Quo tempore ſatisfactio Sacramentalis imponenda?

42. Pœnitentia rectiùs à Sacerdote decernitur antè abſolutionem à peccatis, quam ſtatim poſt abſolutionem; etiamſi hæc omnia ſimul moraliter conjungantur: confeſſio, abſolutio, & ſatisfactionis impoſitio. Primò: quia Eccleſiæ uſus eſt, ut antè abſolutionem pœnitentia injungatur. Secundò: quia ex illius acceptatione, vel repulſa cognoſcit Sacerdos apertiùs diſpoſitionem pœnitentis, & qua ratione paratus ſit abſolutioni recipiendæ. Tertiò: ut omnes partes Sacramenti materiales ſubijciantur abſolutioni, tamquam parti formali. Quartò: ut ordo judicij, & juſtitiæ vindicativæ melius ſervetur, ſi pœnitens ſatisfactionem prius ſpondeat, quam abſolvatur. Sic Navarrus, Suarez, Coninchus, Bonacina, Layman quoc citat, & ſequitur Palaus *nu.* 16. Sylveſter, *verbo, Confeſſor, in principio*, Vega *p.* 3. *caſu* 3. *dub.* 1. Filliucius, Molfeſius, Granados, Diana, & alij plures, quos citat, & ſequitur Leander, *diſp.* 9. *q.* 52.

Quantitas pœnitentiæ arbitrio prudentis confeſſarij relinquitur

43. Quanta vero ſit à confeſſario injungenda pœnitentia, relinquitur confeſſoris arbitrio; non quidem, ut pro libito gravem, vel levem poſſit injungere nulla habita ratione gravitatis, aut levitatis peccatorum: hoc enim æquitas judicij, & munus medici non patitur; ſed ſecundum arbitrium prudens, & rationabile, quod nimirum, attentis omnibus circumſtantijs, dictaverit, hanc aut illam pœnitentiam imponi debere. Et quidem duæ ſunt potiſſimæ circumſtantiæ, quas præ oculis habere debet confeſſarius, ut ſapienter docet Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. nimirùm, ut ſatisfactio, quam Sacerdotes imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.

Illatio 1.

44. Ex his deducitur primò: quando confeſſarius ex circumſtantijs, ut ex magnitudine contritionis probabiliter conijceret, pœnitentem ſatisfeciſſe omninò, aut ferè omninò pro peccatis, quæ confitetur, & non indigere ſpeciali præſervativo in futurum, poſſe etiam valdè exiguam ſatisfactionem injungere: uti benè advertit Granados *tract.* 12. *diſp.* 5 *num.* 4. & cum alijs Layman, *de Sacram. Pœnitens. c.* 5. quia majorem ſatisfactionem tunc non exigeret, neque præteriti delicti vindicatio, neque præcautio futuri.

Illatio 2.

45. Deducitur Secundò: cum Jubilæus pleniſſimus, ſeu indulgentia plenaria conceſſa eſt à Summo Pontifice, & de conceſſione ſatis conſtat: ac proindè probabiliter ſaltem credere poteſt confeſſarius, pœnitentem, cui illa conceditur in generali, aut in ſpeciali, non indigere nova alia ſatisfactione, quæ imponatur præcisè in pœnam præteritorum ſcelerum, quia tota illa in Jubilæo relaxatur: ex hoc ſolùm capite non tenebitur imponere pœnitentiam: tenebitur tamen injungere, ut ſit præſervativa in futurum, illam nimirùm, quam pro qualitate infirmitatis, & attentis omnibus cir-

Digitized by Google

circumſtantijs, ſpiritus, & prudentia in medelam ſuggeſſerit. Ita cum alijs Dicaſtillus, *diſp.* 14. *dub.* 2. *num.* 19. Granados *dict. num.* 4 Suarez *diſp.* 38 *ſect.* 10. *n.* 10. Henriquez, *lib.* 7. *c.* 17. *n.* 2. Layman, *dict. c.* 5.

Illatio 3.

46. Deducitur Tertiò: occurrere poſſe alias cauſas, ob quas pœnitentias leviores quam alioquin peccata merentur, confeſſarius injungere poſſit, & debeat, de quibus ſupplementum D. Thomæ, *q.* 18. *art.* 4. Navarrus, *cap.* 16 *num.* 21. Toletus, *lib.* 3. *cap.* 11. Layman *cap.* 15. *de Sacram. Pœnitent. num.* 12. Granados ubi ſuprà *n.* 5. Palaus, *n.* 10. Ut ſi ſit infirma pœnitentis diſpoſitio, ſeu corporis, ſeu animi, ob quam timetur majorem non impleturum eſſe: vel ſi bac viâ pœnitens confeſſioni Sacramentali afficitur, à cujus frequentia, impoſita graviori pœnitentia, averteretur: addendo in his, aut ſimilibus caſibus, quòd præter illam leviorem, quam peccata merentur pœnitentiam, alia bona, quæ fecerit, & mala, quæ pertulerit patienter bac hebdomada, menſe, vel anno, &c. ſimul injunguntur ei in pœnitentiam Sacramentalem.

Pœnitens admonendus pœnitentiam non eſſe delictis commenſuratam.

47. Munent autem Doctores, quando pœnitentia minor, quam deberet, ob dictum juſtum timorem imponitur, debere confeſſarium monere pœnitentem, pœnitentiam delicto commenſuratam non eſſe: tum ne ob levitatem pœnitentiæ injunctæ leviùs delicta exiſtimet: tum ut excitetur ad novam ſatisfactionem ſponte aſſumendam.

PUNCTUM IV.

De obligatione pœnitentis acceptandi pœnitentiam, illamque exequendi.

QUandò clarè conſtaret, injuſtam eſſe pœnitentiam à Confeſſario injunctam, certum eſt non teneri pœnitentem ad eam acceptandam; nedum ad exequendam: ut benè notant Granados, *tract.* 12. *de pœnitentia, diſp.* 6. *num.* 1. & cum Valentia, & alijs, Averſa, *quæſt.* 23. *ſect.* 5. Quandò verò ſatisfactio injuncta rationabilis videtur, aut certè non conſtat ſufficienter de exceſſu Confeſſarij; controverſum eſt: An illam acceptare, & exequi teneatur pœnitens?

1. ſententia negans.

48. Prima ſententia negat debere ſub peccato gravi pœnitentiam acceptare. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 15. §. *de ſecundo principali, verſicul. quia ergò, & diſt.* 19. §. *ad quæſtionem motam*, Gabriël, Joannes de Medina, Gregorius Ruiz, Navarrus, Armilla apud Averſam, *quæſt.* 13. *ſect.* 5. & apud Palaum, *tract.* 23. *diſp unica punct.* 21. §. 4. Raphaël de Zeſare, Bega, & Iribarne, apud Dianam, *tom.* 1. *tract.* 15. *reſolut.* 52. Navarrus, Lublinus, Reginaldus, apud Leandrum, *diſp* 9. *quæſt* 56. & hoc probabile eſſe affirmant Zerola, Villalobos, & alij, quos congerit Diana, *dict. reſolut.* 52. & *part.* 3. *tractat.* 4 *reſolut.* 51. Cajetanus verò *tom.* 1. *opuſculorum*, *tract.* 6. *quæſt.* 1. *ad* 2. addit, non ſolùm non teneri pœnitentem acceptare ſatisfactionem, ſed etiamſi eam acceptaverit, non teneri poſteà eam ſub gravi culpa exequi.

Probatur ſecundò.

49. Moventur primò: quia homines non tenentur pro pœna temporali in hac vita ſatisfacere, poſſunt enim illius ſolutionem in Purgatorium remittere: ergò non tenentur acceptare pœnitentiam, quæ in hunc finem in Sacramento imponitur, vel etiam acceptatam ſub gravi culpa exequi. Nam ſi obligatio exequendi pœnitentiam, non ex præcepto confeſſarij naſcatur, ſed ex pœnitentis acceptatione, obligationem ſimplicis promiſſionis, quæ plerumque levis eſt, tranſcendere non poteſt.

50. Secundò: quia in hoc Sacramento ſunt duæ partes remiſſionis, nimirùm, remiſſio culpæ, & remiſſio pœnæ temporalis: nihil autem impedire videtur, quominùs pœnitens poſſit ſubdere ſe judicio Sacramentali, ad impetrandam remiſſionem culpæ, relinquendo alteram partem, quæ ordinatur ad remiſſionem pœnæ temporalis: ac proindè abſquè ſubjectione ad ſatisfactionem acceptandam, vel acceptam ſub gravi obligatione exequendam.

Probatur tertiò.

51. Tertiò: quia Confeſſarius eſt Judex arbiter: nemo autem tenetur ad ſtandum ſententiæ Judicis arbitri, id quod præſertim habet locum in hoc judicio, quod eſt liberum, & voluntarium pœnitenti; quare ſicut non poteſt Confeſſarius abſolvere nolentem abſolvi; ita non poteſt obligare ad pœnitentiam nolentem acceptare, & obligari.

Secunda omninò tenenda.

52. Contraria tamen ſententia nobis certa, & omninò tenenda eſt, pœnitentem obligari ad pœnitentiam acceptandam, & implendam, ſi velit abſolvi, quæ obligatio ex genere ſuo eſt gravis. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 3. Paluda. *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 2. Sotus, *q* 1, *art.* 2. Petr. Sotus, *lect.* 2. *de ſatisfact.* & plurimi, quos congerunt Diana *locis citatis*, & Leander *diſp.* 9 *q.* 56. *Averſa q.* 13. *ſect.* 5. N. Philippus à SS. Trinit. *diſp.* 13. *dub.* 4. Gabriël à S. V. *diſp.* 12. *q.* 4. Antonius *de pœnit. num.* 1622. Herinx *de pœnit. diſp.* 4. *n.* 16. & communiter Theologi poſt Concil. Trid. ex quibus Vazquez *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 1. & Victor *n* 209. oppoſitam ſententiam, dicunt, eſſe contra fidem, Suarez verò *diſp.* 38. *ſect.* 7. *num* 2. & Molfeſius, apud Leandrum, eſſe temerariam. Alij dicunt periculoſam. Alij improbabilem, ut Henriquez *lib.* 5. *de Sacramentis*, *cap.* 20. §. 2. undè Lugus *diſp.* 25. *ſect.* 5. *num.* 68 ait, noſtram eſſe certam, & non eſſe audiendos eos, quos congerit Diana *locis citatis*, adhuc probabilem vocantes illam contrariam ſententiam.

53. Probatur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. & *can.* 15. ubi ſtatuit, eſſe datam à Chriſto Domino Sacerdotibus poteſtatem ligandi, atquè ſolvendi: ligare autem explicat de injunctione pœnitentiarum, non eſſet autem hæc ligandi poteſtas, ſi non teneretur pœnitens, qui peccata in confeſſione manifeſtavit, pœnitentiam à Confeſſario præceptam acceptare, & exequi; nequit enim intelligi, qualiter Sacerdos poteſtatem habeat pœnitentijs injunctis confitentem ligandi, ſi confitens ad illarum acceptationem, & executionem ligatus non eſt.

Evaſio præcluditur.

54. Quod ſi dicas, Sacerdotem poteſtatem habere ligandi pœnitentijs injunctis, quando confitens ſe pœnitentijs ſubeundis ſubjicere vult, & non aliter. Contra hoc eſt primò: quia po-

poteſtas ligandi pœnitentijs injunctis neceſſariò provenit ex poteſtate, quam Sacerdos habet confitentem ligandi, & ſolvendi à peccatis: ac proindè cùm hanc poteſtatem habeat per modum judicij, & tanquàm Judex in illa cauſa ſeotentiam proferat, prolatâ ſententiâ de pœnitentia exequenda, obligatus eſt pœnitens illam acceptare, & exequi, eo ipſo quod velit abſolvi. Secundò: quia Sacerdos ſicut habet authoritatem abſolvendi loco Dei, etiam habet authoritatem ligandi loco Dei; ergò ſicut eſſet grave peccatum nolle aceptare, & exequi ſeotentiam à Deo datam: ita eſt grave peccatum non acceptare, & exequi ſententiam datam à Sacerdote, in qua ad pœnitentiam, & ſatisfactionem condemnatur, eo quod eſt Judex in foro conſcientiæ loco Dei. Tertiò: quia ſi Sacerdos ſuo præcepto poteſtatem non haberet confitentem ligandi ad acceptandam pœnitentiam, illamque exequendam, eo ipſo, quod peccator abſolutionem obtinere vult, ſed neceſſariò Sacerdos deberet abſolutionem concedere, tametſi pœniteus nollet pœoitentiam injunctam acceptare, & exequi, non videtur qualiter punire, & mederi pœnitentis delicta poſſit: ſiquidem ab ejus juriſdictione pœnitens abſolutus exit, nullâ punitione factâ, nec medicinâ applicatâ. Quartò: quia licèt exigatur conſenſus pœnitentis in Sacramento, non tameo poteſt velle abſolvi, & ooo velle ligari: quia poteſtas datur à Chriſto Domino indiviſibiliter Sacerdoti, ut ferat ſeotentiam, poteſt quidem pœnitens non adire hunc Sacerdotem, noo tamen poteſt dividere ejus poteſtatem, & velle illum judicem quoad unam partem abſolvendi à peccatis, & non quoad aliam ligandi pœnitentijs: alioquin poſſet etiam velle ligari præcepto confeſſarij ad pœnam, & non velle abſolutionem: quod verè fieri non poteſt propter inſeparabilitatem utriuſque poteſtatis; ergò nec poterit velle eum judicem ad abſolvendum, & non ad ligandum. Quintò: qnia, ut patet ex Tridentino, *ſeſſ 14 cap* 8. confeſſarius tenetur pœnitentiam ſtrictè præcipere pœnitenti, eumque ad ejus impletionem obligare; ergò hic tenetur eam implendo obedire: quia hæc ſunt apertè correlativa: poteſtas imperandi in ſuperiore, & neceſſitas obediendi in inferiore, nec illa ſinè hac poteſt ullo modo conſiſtere. Quarè cum Concilium decernat illam eſſe in confeſſario, debebit eſſe in pœnitente: nullo autem modo poteſt eſſe neceſſitas obediendi io pœnitente, ſi liberè poſſit detractare imperio recuſando pœnitentiam.

Primum contrariæ ſententiæ fundamentum evertitur.

55. Ad primum contrariæ ſententiæ: reſpondetur, quod eſto ex natura rei liceret totam ſatisfactionem luendam in Purgatorio relinquere; non tamen ſuppoſita inſtitutione hujus Sacramentalis judicij, & qnod remiſſio culparum conceditur per modum judicij, in quo, & ad ejus complementum, & ad poteſtatem judicis ſpectar, qnod reus acceptare, & exequi teneatur ſatisfactionem impoſitam juxta judicij ſententiam.

Secundum diſjicitur.

56. Ad ſecundum dicendum, eſſe quidem illas duas partes in judicio Sacramentali, Chriſti autem Domini præceptum impedire, quo minus liceat ſubdere ſe judicio Sacramentali ad remiſſionem culpæ, ſine obligatione acceptandi, & exequendi pœnitentiam prudentem injunctam.

Tertium diſſolvitur.

57. Ad tertium, illud eſſe nullius momenti: quia ex hypotheſi, quod, quis ſe ſubijciat judicis arbitrio, tenetur ſtare ſententiæ illius. Neque hoc judicium Sacramentale ſic eſt voluntarium, & liberum peccatori, ut poſſit ad oullum accedere Sacerdotem, ſed eſt neceſſarium, ac debitum, ut accedat ad aliquem, eo ipſo, quod habeat culpam læthalem, & ſimiliter quod ei, à quo abſolvi vult, ſubijciatur tamquam legitimo judici, ac ſuperiori, ac proindè eidem ſententiam ferenti circa ſatisfactionem ſaciendam, obedire teneatur; nec poſsit differrè ad Purgatorium ſolutionem illius: tum quia ſuperior legitimus præcipit illi ne differat. Tum etiam quia ſatisfactio non ſolùm injungitur ad relaxandam pœnam, ſed etiam ad præſervandum à peccatis in futurum, & ea præſervatio oon habet locum niſi in hac vita; quare in ea teoetur ſatisfactionem exequi.

Corollarium.

58. Ex dictis infertur, non poſſe confeſſarium ſe conformare ſententiæ oppoſitæ; neque in hoc admittendum eſſe, quod aſſerunt aliqui ex his, qui oppoſitam ſententiam probabilem reputabant, poſſe nimirùm, & fortaſsè debere confeſſarium abſolvere pœnitentem fixum in illa ſententia juxta regulam illam communiter tradi ſolitam, quod poſſit, & debeat coofeſſarius abſolvere pœnitentem conformando ſe ejus opinioni probabili, etiam contra propriam. Illud, inquam, admittendum non eſt, quia illa ſententia noo eſt reputanda probabilis, & tolerabilis io praxi, ut præter plures, quos ſuprà retulimus, expreſsè etiam docent Averſa q. 13. *ſect.* 5. Palaus *tract.* 23. *diſp unica*, *punct.* 21. §. 4. *num.* 5. & Nuñus *in Additiom ad 3. part. quæſt.* 13 *art.* 2. *difficult* 2. & *quæſt.* 15. *art.* 1. Quare potius poterit, ac debebit confeſſarius repellere, & non abſolvere talem pœnitentem, oiſi ab ea contumacia recedat, & ſatisfactionem acceptet, & adimplere proponat.

Quæſitum primum.

59. Sed rogabis primò. An abſque culpa mortali poſſit pœnitens antè abſolutionem ſententiam hujus confeſſarij declinare, alium adeundo pietate, & ſcientiâ idoneum? Et quidem ſi fiat ſinè rationabili, & legitimâ cauſâ conſentiunt Doctores illicitum eſſe, præcipuè ob indecentiam Sacramenti, quod incæptum relinquitur, & quia inchoatum judicium pœnitentiæ abrumpitur, non tamen erit peccati læthalis reus pœnitens inchoatam confeſſionem relinquens, & alium confeſſorem legitimum, & prudentem quærens, ſed cujuſdam irreverentiæ, & indecentiæ, quæ peccatum veniale non excedit. Ita docent Suarez, Coninchus, Lugus, quos citat, & ſequitur Averſa *quæſt.* 13. *ſect.* 5. Palaus *numer.* 7. & alij. Quia præſumitur, quod noluerit Chriſtus Dominus pro ſua pietate, & ſumma clementia gravare pœoitentem, ut ſemel inchoatam confeſſionem cum uno Sacerdote, cum eodem perficiat, ſed poſſit, ſaltem abſque gravi culpa, ejus judicium fugere, & alteri legitimo, & idoneo Sacerdoti ſe judicandum ſubmittere:

hac

hâc enim viâ, & Sacrameotum Pœnitentiæ ſuavius redditur, & pœnitentes ſua peccata expeditius pandunt, & injunctas pœnitentias facilius acceptant, & exequuotur.

Quæſitum ſecundum.

60. Rogabis ſecundò. An obligatio adimplendi pœnitentiam, quæ ex genere ſuo eſt gravis, ut dictum eſt, ſit levis, ſi pœnitentia in ſe levis ſit? Et quidem ſupponimus, quod ſi confeſſio fuit de peccatis mortalibus tunc primò confeſſis, & pœnitentia injuncta fuit gravis (ut eſt jejunium) pœnitentem remanere obligatum ſub reatu peccati mortalis ad eam implendam: ita ut potens, & non adimplens, peccet de novo mortaliter: hanc enim planè vim habent ea, quæ pro hac obligatione adducta ſunt.

Non tenetur pœnitens ſub mortali, quando pœnitentia ipſa eſt materia levis.

61. Quo ſuppoſito circa hoc quæſitum non ſolùm certum eſt, non peccare mortaliter eum, qui prætermitteret partem aliquam levem pœnitentiæ totalis acceptæ, ſicut in alijs ſimilibus præceptis, ſed communiter Theologi idem aſſerunt, quando prætermittitur tota pœnitentia, quæ in ſe levis ſit, ſicuti eſt recitatio unius Pſalmi *Miſerere*, etiamſi pro peccatis mortalibus tunc primò confeſſis impoſita fuerit. Ita Coninchus, & Lugus, quos affert, & ſequitur Averſa *ſect.6.* Bonacina *diſp.5.quæſt.5.ſect.3.punct.4.n.4.* Palaus *tract.23. diſp. unica, punct.21.* Stepb. à S. P. *n.*175. & alij paſſim contrà Joannem Sanctium *in ſelect. diſp.15. num.14.* N.Pbilippum à SS.Trinitate, *loc cit.* N.Gabrielem *diſp.12.q.4.* Nam ubi pœnitentia ipſa eſt levis materia, noo ſuſcipit gravem obligationem, ſed tantùm levem ſub veniali: quare nec integritas Sacramenti in adimplenda levi pœnitentia eſſet res gravis quo ad hoc, ut ejus violatio redderetur culpa gravis.

Quæſitum tertium.

62. Rogabis tertiò: An quando pœnitentia cadit ſuprà materiam peccatorum levem, aut non neceſſariam, ut quando imponitur jejonium, v.g. pro ſolis venialibus, vel mortalibus jam ritè confeſſis, obligatio illam adimplendi ſit gravis? Alij dicunt: eſto aliquando gravis pœnitentia injungi poſſit, ne pœnitens venialium multitudinem parvi pendat, & paulatim in grave peccatum decidat, maximè viro Religioſo, qui ſpecialiter perfectioni procurandæ adſtringitur, non tamen ejus omiſſionem tranſcendere culpam venialem: quia durum videtur fateri, tametſi culpa contracta levis ſit, nihilominùs obligationem pro ea ſatisfaciendi gravem effici poſſe per ſe loquendo: & ſimiliter durum videtur dicere, poſteaquam homo peccara mortalia ſemel ritè confeſſus eſt, & injunctam pœnitentiam implevit, ſi iterùm eadem peccata libera voluntate confiteatur, quod novam obligationem ſatisfaciendi ſub culpa mortali contrabit. Ita Suarez *diſp.38 ſect.7.num.4.* Granados *tract.12. diſput 6.num.8.* Layman *de Sacrament. Pœnitent. cap.15.numero 7.* Diana *part.3. tract 4 reſol.102. & reſol.136.* Stephanus à S.Paulo *loc.cit.* Averſa *quæſt 13.ſect 6* citans pro ea Paludanum, Ledeſmam, Filliucium, Villalobos, Navarrum, Vivaldum, Armillam, & alios. Alij verò rectiùs è contrà gravem obligationem eſſe dicunt adimplendi hujuſmodi ſatisfactionem: quia gravitas, vel levitas hujuſmodi obligationis, ſicut & reliquarum, non ex cauſa motiva, ſed ex materia præcepta deſumi debet. Ita tenent Henriquez *lib.5. cap.20. nu.3.* Coninchus, *diſp.10. dub.9. numero 81.* Palaus, *§ 4. num.11.* Lugus, *diſp.25.ſect.5* Nuñus *q.13. art.2. difficult.2. concluſ.4.* Fagundez *de 2. Eccleſiaſtico præcepto, lib 9. cap 3 numer. 14. & 15.* & alios referens Bonacina *diſput.5. quæſt.5. ſect 3. punct.4.num.4.* N. Gabriel à S.V. Pbilippus à SS.Trinit. *loc.cit.*

PUNCTUM V.

Quo tempore teneatur pœnitens implere pœnitentiam? & an debeat illam implere in ſtatu gratiæ, ſub obligatione peccati?

Aſſertum primum.

63. TEnetur pœnitens implere pœnitentiam tempore præſtituto à Confeſſario, ſuppoſito, quod Confeſſarius ita voluerit. Si verò oullum tempus à Confeſſario ſignatum eſt, implere debet pœnitentiam, cùm primum commodè poſſit: quia ea eſt intentio Confeſſarij, & finis pœnitentiæ; quapropter ſi nimia fuerit dilatio, ſufficiet ad peccatum mortale, ſi levis ad veniale; quæ autem ſit nimia, vel levis, prudenti arbitrio relinquitur pro varietate circumſtantiarum, rerum, perſonarum, & occaſiooum, ut rectè notant Palaus *tract.23. diſp. unica, punct. 21. § 4. num. 12* Averſa *quæſt.13. ſect 6.* Dicaſtillus *tract.8 diſp.14. dub.4. nu.55.* Bonacina *diſp.5.quæſt.5.ſect.3. punct.4.numer.6.* Granados *tractat.12. diſp. 6. numero 9.* & alij paſſim.

Dianæ ſententia nobis non probatur.

64. Si confeſſarius ooo præſcripſit terminum, poſſe differri per aonum pœnitentiam, docuit Diana *part.2.tract.15. reſol. 53. in fine, & part.5 tract.5.reſolut.15. & part.10. tract 12. reſolut.52.* cum Leandro, & alijs. Sed hoc nobis oon placet, ac nimium viſum eſt Patri Averſæ *loco citato*, diſplicetque Dicaſtillo *diſp.14. dub 4 nu.65.* & Tamburino *opuſc. de confeſſ. lib.4. cap.2. § 2. num.9.* N.Franciſco B. S. *diſp. ult. de pœnit. n.59.* Stephano à S.P. *num.* 179. & alijs. Ratio eſt: tum quia certè ad id aſſerendum non apparet ſufficiens fundamentum: illud enim, quod pro ſe affert Diana, ex cap. *Omnis utriuſque ſexus, de pœnit.* facilè evertitur. Nam annum ibi ſolùm ad confeſſionis actum applicuit Summus Pontifex, non ad actum implendi pœnitentiam. Tum etiam quia ea videtur eſſe gravis inobedientia, præſertim cum pœnitentia imponatur etiam ad præſervandum à peccatis in futurum, & hic finis non obtineatur ſi nimium differatur executio pœnitentiæ. Admitti tamen poteſt ſententia aſſerentium non fore gravis culpæ reum illum, qui ſingulis menſibus obligatus confiteri, differret id per tres, vel quatuor dies ultra menſem, præſertim ſi ex rationabili cauſa id faceret, aut etiam ſi per ſex, vel octo dies differret, vel anticiparet occaſione Solemnitatis, aut Jubilæi imminentis, ne bis intra octo dies confiteretur. Ita Averſa, *loco citato*, Joannes Sanctius, *in Select. diſp. 13. num. 9.* Palaus, *num. 12.* N. Gabriël à Sancto Vincentio, *de Sacram. Pœnit. diſp. 12. quæſt. 4.* Admittimus etiam contra Lugum, ubi ſupra *num. 91.* quando injungitur pœnitenti,

ut

ut per annum confiteatur, & communicet ſingulis menſibus; non cenſeri fore mortale peccatum ſi vel per unum diem, ultra eum terminum differatur: quia de Confeſſarij mente videtur eſſe, obligare pœnitentem, ut ſi per unum diem differat ſatisfacere, adhuc debeat alterâ die, & non ſit reus culpæ mortalis per eam modicam unius diei dilationem. Ita contra Lugum docent Dicaſtillus, *diſp.* 14. *dub.* 4. *nu.* 59. & Averſa *qu.* 13. *ſect.* 6.

Aſſertum ſecundum.

66. Si opus præſcriptum à Confeſſario alligetur tempori, v. g. ut proximâ die Veneris, vel vigiliæ Beatæ Virginis jejunes ob ſpecialem illius diei rationem; non eſt dubium, te obligatum eſſe eo die exequi, ut ex communi ſententia tradunt Palaus, ubi proximè, *nu.* 13. & Dicaſtillus *num.* 56. Granado *tract.* 12. *diſp.* 6. *nu.* 9. N. Gabr. Franciſc. Stephanus *loc. cit.*

Quæſitum primum.

67. Sed petes. An ſi ob impotentiam, vel malitiam eo die pœnitentiam omittas, ceſſet obligatio jejunij? Parti affirmativæ favet Henriquez, *lib.* 5. *ſummæ*, *cap.* 2. *in fine*, & ſic ſentire videntur Fagundez *de* 2. *Eccleſiæ Præcepto*, *lib.* 9. *cap.* 5. Diana 3. *part. tract.* 4 *reſol.* 92. Granado *dict. num.* 9. Leander *diſp.* 9. *reſol.* 77. Moventur: quia illius diei deſignatio in ſpecialem Beatæ Virginis, vel Chriſti Paſſionis honorem facta eſt, quem honorem non reſpicit jejunium alio die aſſumptum, ac proindè ceſſat materia præcepti pœnitentiæ: ſicuti ceſſaret, ſi obligatio eſſet ex voto, vel Eccleſiæ præcepto.

Reſpondetur tamen dicendum, per ſe loquendo non ceſſare obligationem jejunij in caſu poſito. Nam eſto hoc opus præcipiatur exequi in honorem Beatæ Mariæ Virginis, vel Chriſti Paſſionis; non tamen hic finis eſt ultimatus: ſicuti eſt in voto, aut Eccleſiaſtico præcepto, ſed eſt finis medius, & relatus ad finem ſatisfaciendi pro peccatis commiſſis, & præcavendi futura. Undè eſto ceſſet illius finis medij conſecutio, cùm non ceſſet hic finis ultimus, & præcipuus, non ceſſat ex toto, & quoad principale, ſed ex parte, & quoad minus principale materia præcepti. Ita expreſsè, & in proprijs terminis Palaus *nu.* 13. & favet Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 7. *nu.* 6. ubi aſſerit, quod ſi Confeſſor deſignat tempus, & fortè intra illud non impleatur pœnitentia jejunij, non ſtatim ceſſat obligatio, ut contingit in præceptis Eccleſiaſticis, quæ ſi præcipiunt jejunium tali die, illo tranſacto, ceſſat: quia intentio talis legis eſt omninò definire tale tempus; at verò intentio Confeſſoris eſt ſatisfactio pro peccatis; quo circa non eſt intentio Sacerdotis, ut ſtatim obligatio ceſſet, ſi fortè aliqua ex cauſa differatur. Hæc Suarez, cui ſubſcribunt Bonacina *diſp.* 5. *de pœnit. qu.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 4. & alij; qui tamen ab hac doctrina excipiunt pœnitentiam, quam Confeſſarius ita tempori alligaret, ut eo tranſacto, obligationem ceſſare velit: reputant autem hanc voluntatem habere, quoties pœnitentia per longum tempus ſtatis temporibus diſtribuatur, quæ ſi in unum conjungeretur, intollerabilis eſſet, v. g. ſi debeas ex pœnitentia injunctâ ſingulis hebdomadis, imò, & ſingulis menſibus jejunare, & longo tempore jejunia omiſeris, cenſent te non eſſe obligatum compenſare: quia intentio Confeſſarij hanc pœnitentiam imponentis, fuit finire ſimul cum tempore obligationem, ne ſi ſimul cum ſubſequente perſiſteret, pœnitens nimiùm gravaretur. Quæ doctrina nobis placet, & approbatur à Dicaſtillo, cum alijs, ut ſupra, *num* 63.

Illatio.

68. Ex dictis à fortiori infertur, benè docuiſſe Lugum ubi ſupra *num.* 88. cui ſubſcribit Dicaſtillus, *diſp.* 14. *dub.* 4. *num.* 62. & tradunt alij paſſim, eum, cui impoſita fuit pœnitentia jejunandi duplici feriâ ſextâ ſequenti, ipſe autem oblitus eſt, debere communiter jejunare alijs duabus ferijs ſextis: quia confeſſarius principaliter intendit ſatisfactionem; ſecundariò præſcribit terminum diei, ut non differatur ulterius.

Petunt hic aliqui, an pœnitens, qui tenetur v. g. recitare coronam coram tali imagine, vel flexis genibus, ſatisfaciat omittendo circumſtantias operis injuncti? Reſpondetur cum Card. de Lugo *diſp.* 25. *n.* 9 N. Antonio *n.* 1626. Stephano à S. P. & alijs affirmativè quando circumſtantia levis eſt, ſecus quando gravis eſt, & quaſi tranſit in ſubſtantiam operis: tunc verò tranſit in ſubſtantiam operis, quando confeſſarius illam appoſuit, quia advertit non minus pœnalem eſſe, quam opus ipſum. Ita N. Gabriel à S. Vinc. *diſp.* 12. *quæſt.* 4. ubi alia habet lectione digna.

An teneatur pœnitens adimplere pœnitentiam in ſtatu gratiæ?

69. Circa ſecundum: quod in hoc puncto requiritur: An ſcilicet teneatur pœnitens adimplere pœnitentiam in ſtatu gratiæ ſub obligatione peccati? Sunt variæ Auctorum ſententiæ. Prima affirmat, eum, qui ſic pœnitentiam exequitur, peccare mortaliter. Sic cenſet Barboſa *in Collectaneis ad ſeſſionem* 13. *Tridentini*, *cap.* 8. *num.* 6. & non ſatisfacere præcepto confeſſarij: ac teneri eam de novo adimplere, ſignificant Alenſis, Archidiaconus, & ex parte Viguerius, & Tabiena, apud Averſam *quæſt.* 13. *ſect.* 6. Verùm hæc meritò communiter non admittitur. Tum, quia non videtur tractatio Sacramenti tam indigna, & gravis, ut efficiat pœnitentem reum mortalis, qui non apponit obicem eſſentiæ, & principali effectui Sacramenti: & licet ponat obicem alicui minus principali effectui, ita tamen illud impedit, ut poſteà, ablato peccato, poſſit haberi. Tum etiam: quia ea ſunt contra communem ſenſum; nec enim confeſſarij intendunt obligare pœnitentem, ut in ſtatu gratiæ ſatisfactionem adimpleat, ita quod ſi fortaſsè lapſus in novum peccatum faciat opus injunctum; debeat denuò in ſtatu gratiæ id repetere; nec pœnitentes putant ſe peccare graviter adimplendo pœnitentiam extrà ſtatum gratiæ; neque ad executionem præcepti requiritur, ut rem præceptam exequaris, tametſi finem, ad quem præcipitur, non obtineas: præſertim ratione obicis peccati, quo ſublato, obtinere poſſis. Ita Suarez, Nuñus, Lugus, Paludanus, Sylveſter, Adrianus, Cajetanus, Sotus, Palacios, Reginaldus, Vivaldus, Henriquez, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *dub.* 10. *num.* 160. & cum alijs Averſa, *ſect.* 6. & cum pluribus alijs Palaus *num.* 16 Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 24. N. Gabriel à S. V. *diſp.* 12. *quæſt.* 2.

1. ſententia communiter, non admittitur.

Alia ſententia.

70. Alia ſententia aſſerit, nullum eſſe peccatum, etiam veniale, implere pœnitentiam extrà

trà ſtatum gratiæ: quia ponere obicem ſoli remiſſioni pœnæ, non arguit culpam venialem: præſertim in noſtro caſu, quo remiſſio pœnæ ita impeditur, ut poſteà poſſit haberi, nec videatur poſitiva irreverentia erga Sacramentum. Ita Lugus *diſput.* 25. *ſect.* 3. Averſa *qu.* 13. *ſect.* 6. Dicaſtillus *dicto num.* 160. Stephanus *loc. citato*, Antonius à Spiritu S. *num.* 1600. Econtrà alij exiſtimant eſſe quandam irreverentiam, ſaltem venialem: quia aliqua Sacramenti pars ſuſcipitur indignè, & obex ponitur effectui illius. Ita Suarez, Layman, Fagundez, Henriquez, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus, ubi ſuprà *num.* 17. Buſembaum, *libr.* 6. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 4. *de ſatisfactione*, N. Gabriel à S. Vincentio *de Sacram. pœnit. diſp.* 12. *quæſt.* 2. Utraque ex his ſententijs videtur probabilis; prior tamen magis in praxi recepta: quia aliàs pœnitens peccaret peccato commiſſionis in implenda in eo ſtatu pœnitentia, & peccato omiſſionis in non implenda; imò dicendum eſſet, teneri exiſtentem in peccato mortali, qui nondum implevit pœnitentiam, priùs quidem ſe juſtificare, & poſteà pœnitentiam implere; quæ omnia non videntur communi uſu recepta.

PUNCTUM VI.

De commutatione pœnitentiæ injunctæ, & de cauſis excuſantibus ab illa.

Aſſertio prima.

71. QUicumque confeſſarius, etiam inferior, commutare poteſt pœnitentiam, à quocumque alio ſuperiore pro peccatis non reſervatis impoſitam, audiendo tamen, & abſolvendo denuò eadem peccata antea confeſſa. Ita Suarez, Coninchus, Lugus, Peſantius, Sylveſter, Roſſela, Fagundez, Filliucius, Reginaldus, Molfeſius, Megala, quos citat, & ſequitur Averſa, *q.* 13. *ſect.* 8. Item Valentia, Henriquez, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus, *diſp.* 14. *dub.* 8. *num.* 118. Item Vazquez, Layman, Bonacina, quos adducit, & ſequitur Palaus *tract.* 23. *diſput. unica, punct.* 21. § *ultimo*, *num.* 3. Gonet *diſp.* 13. *n.* 52. Franciſc. B. S. *n.* 70. quem ſequitur Stephanus *n.* 182. Ratio eſt: quia ex benignitate Chriſti Domini Pœnitentiæ Sacramentum ita inſtitutum eſt, ut de peccatis, à quibus quis fuit judicatus, & abſolutus, poſſit iterum judicari, & abſolvi, poſito autem eo novo judicio, quicumque confeſſarius habet poteſtatem abſolvendi ab illis, & imponendi pœnitentiam pro illis, non ob ſuperioritatem erga primum confeſſarium, ſed ob ſuperioritatem erga pœnitentem: ac proindè poſito novo judicio, & abſolutione, poteſt pœnitens illius ſententiæ de condigna pœnitentia injuncta ſtare, omiſsâ prioris judicij ſententiâ: non enim tenetur duplicem ſatisfactionem condignam pro eodem peccato ſubire; & indè à fortiori infertur, ipſummet confeſſarium, qui in præcedenti confeſſione ſatisfactionem injunxerat, poſſe in alia eam mutare. Quæ omnia etiã firmat praxis & uſus fidelium.

Quæſitum prima ſententia.

72. Sed quid ſi ob caſus reſervatos impoſita ſit pœnitentia à ſuperiore? poteritne inferior, qui poteſtate abſolvendi à reſervatis caret, eam pœnitentiam commutare, audiendo, & abſolvendo denuò eadem peccata? Negant Suarez, Coninchus, Valentia, Reginald, Vega, Rodrig. & alij apud Palaum ubi ſuprà *n.* 6. negant etiam Averſa *dicta ſect.* 8. Granados *de pœnit. diſp.* 8. *n.* 4. Item Molfeſius, Megala, & Fagund. apud Dianam *part.* 2 *tract.* 15. *reſol.* 53. Gonet *n.* 56. Franciſcus B. Spei *n.* 73. & negare videtur Lugus, *n.* 104. & alij plures, & quidem probabiliter: quia ſicut judicium in cauſa principali, nempè in abſolutione à culpa, reſervatum erat ſuperiori: ita quoque cenſendum eſt reſervari in acceſſorio, quod eſt injunctio ſatisfactionis: acceſſorium enim ſequitur naturam principalis.

Secunda ſententia.

73. Sed nihilominus inficiari non poſſumus, probabiliter etiam affirmativè parti adhærere Navarrum, Zerolam, Vazq. Bonac. Henriquez, Emanuelem Saà, quos refert, & ſequitur Palaus ubi ſuprà *n.* 7. Dicaſt. *n.* 120. Fernand. & Valer. apud Dianam *loco citato*, N. Gabriel *diſp.* 12. *q.* 5. Anton. à Spir. S. *n.* 1634. quia peccata ſemel ritè confeſſa deſinunt eſſe reſervata, & manent ſicut cætera peccata communia: ac proindè ſicut circa peccata communia poteſt quicumque confeſſarius commutare pœnitentiam alterius audiendo, & abſolvendo illa denuò, quia æqualem habet poteſtatem: ita & circa illa, de quibus loquimur peccata. Neq; obſtat, quod illa fuerit ſententia ſuperioris, & quod judex inferior non habeat idem tribunal cum ſuperiori; nam quando jam peccata reſervata non ſunt, nullus judex eſt ſuperior altero, ſed uterq; æqualem habet poteſtatem. Undè illa ſemel ritè confeſſa ſuperiori, cum jam reſervata non ſint, æquè manent, poſtea judicabilia ab omni confeſſario; & in hoc ſenſu aliàs inferior idem tribunal habet cum alias ſuperiore, ideſt omninò æquale, ablata reſervatione, & quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, cum abſolutio à culpa, quæ eſt quid principale, jam in caſu poſito reſervata non ſit, neque etiam reſervata erit injunctio ſatisfactionis, quæ eſt quid acceſſorium. Neque ob indè illuditur reſervationis finis, quia peccata non reſervantur, ut pœnitens neceſſariò ſequatur judicium ſuperioris de ſatisfactione injuncta, quin poſſit aliud modo dicto adire, ſed ut ſe ſiſtat ſuperioris judicio pro eorum abſolutione impetranda, ab illiſque committendis, eo ſe diligentius contineat, quò difficiliùs eorum abſolutionem obtinere poteſt, nec non, ut à tali majori ſalubria monita accipiat, & quæ magis ei proſint, & quæ majori æſtimatione apud eum ſint.

Aſſertio ſecunda.

74. Extra confeſſionem nullatenus fieri poteſt commutatio pœnitentiæ injunctæ. Tum quia extrà confeſſionem ſubrogari non poteſt pœnitentia, quæ Sacramentalis ſit, & quæ ex opere operato pœnas pro peccatis debitas remittat. Tum etiam, quia mutatio pœnitentiæ eſt actus judicialis proveniens à judice: non eſt autem judex confeſſarius in ea re, niſi intrà confeſſionem, intrà quam poteſt imponere pœnitentiam, & facere Sacramentum integrum, quantum eſt ex ſe. Ita Vazquez, Coninch. Reginald. Suarez, Bonacina, Layman, Fagundez, quos refert, & ſequitur Palaus, *dict. punct.* 21. § *ult. n.* 9. Item Sylv. Henriq. Lugus, Diana, Amicus, & alij quos citat, & cum quibus ſentit Dicaſtil. *n.* 128. Hérinx *de pœ. diſ.* 4. *n.* 36. N. Ga. à S. V. *diſ.* 12. *q.* 5.

75. Hinc

Illatio 1. 75. Hinc infertur 1. cum citatis Auctoribus contrà Valentiam, Capeavillam, & alios apud Palaum *loco cit num* 8. eumdem Confeſſarium non poſſe pœnitentiam à ſe impoſitam, niſi intrà confeſſionem mutare; ſunt enim eædem rationes: poterit tamen ſtatim poſt abſolutionem, antequam pœnitens diſcedat: nam adhuc cenſetur idem judicium, cum ea, quæ fiunt in continenti, ineſſe videantur, L. *Legem*, C. *de peccatis*, & cap. *Prætereà*, *de teſtibus cogendis*; abſolutè tamen melius eſt eam imponere, vel mutare antè abſolutionem ne pœnitens, accepta jam abſolutione, recuſet: ut cum Suario, Coninecho, Sylveſtro, Navarro, Reginaldo, & Vega, docet Bonacina, *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 3. *puncto* 3. *num.* 7. & Dicaſtillus, *num.* 129. Joannes Præpoſit. *in* 3. *p. qu.* 12. *de ſatisfactione dub.* 9. *num.* 117. Quod ſi pœnitens à peccatis abſolutus, pœnitentiâq; ſuſceptâ, à præſentia confeſſoris diſcedat, non videtur perſervare idem judicium: illud enim finitum eſt, quia nihil illi deficit. Quamvis Coninchus, *dub.* 8. *ad finem*, putet toto eodem die: Sotus, & Vivaldus etiam duobus ſequentibus diebus perſeverare: alij intrà hebdomadam, cum quibus Diana, *p.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 53. alij cum Lugone, N. Gabriele, Antonio, ad longius tempus idem moraliter judicium perſeverare aſſerunt. Sed hoc abſque fundamento dici aſſerit Dicaſtillus, & Palaus *num.* 14. ait, ſe nunquam tali doctrinæ potuiſſe acquieſcere.

Illatio 2. 76. Infertur 2. à fortiori pœnitentem non poſſe pœnitentiam injunctam in æquale, vel in melius propria auctoritate commutare: tum quia commutatio pœnitentiæ eſt actio Sacramentalis, & eſt actus juriſdictionis, qui fit à confeſſario, tamquam à ſuperiore: pœnitens autem non poteſt in ſe ipſum actionem juriſdictionis Sacramentalis exercere. Tum etiam: quia juxta communem ſenſum confeſſarius ad determinatum opus adſtringit pœnitentem, neque liberam optionem commutandi in æquale vel melius ipſi committit. Undè ſicut præcepto jejunij non ſatisfacit, qui aliquod aliud opus exhibet: ita non ſatisfacit præcepto pœnitentiæ, qui propria auctoritate aliquid aliud præſtat. Ita docent Henriquez, Coninchus, Reginaldus, Ochagavia, Sanchez, quos citat, & ſequitur Palaus ubi ſuprà *num.* 10. & cum alijs Bonacina *loco citato, num.* 12. Lugus, *diſp.* 25. *n.* 95. Candidus *diſquiſit.* 24. *art* 32. *dub.* 5. Luyſius, Turrianus, Dicaſtillus *num.* 134. & è Noſtris Gabriel à S. V. *quæſt.* 5. *cit.* Antonius à Spir. S. *num.* 1629. Franciſcus B. S. *numer.* 65. Stephanus *num.* 183. &c. contra Villalobos *de pœnit. difficul.* 79 *concl.* 1. ubi aſſerit, in melius in ratione ſatisfactionis, & medicinæ, etiam à proprio pœnitente commutari pœnitentiam poſſe, cui ſubſcripſit Leander, *diſput.* 9. *quæſt.* 102. citans pro ſe Portelium, Celeſtinum & Dianam.

Prima difficultas. 77. Inquires 1. An factâ legitimè commutatione pœnitentiæ, liberum ſit pœnitenti eligere quam pœnitentiam voluerit, primam ſcilicet, aut ſecundam? Reſpondetur affirmativè: quia commutatio fit in favorem pœnitentis: pœnitens autem poteſt cedere juri, & favori ſuo. Ita Bonacina, ubi ſuprà *num.* 13. Suarius, Reginaldus, Leſſius, & alij quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *loco citato, n.* 131. Herinx *n.* 35.

78. Inquires 2. An neceſsè ſit ad commutationem pœnitentiæ, cujus quis recordatur, faciendam, eadem peccata, ob quæ impoſita fuit, confiteri Sacerdoti illi poſteriori? Non teneri, ſed ſufficere pœnitenti, declaratâ pœnitentiâ anteà injunctâ, allegare rationes cur ea pœnitentia ſibi ſit nimis gravis, & importuna; & quare illius commutationem, vel diſpenſationem poſtulet. Affirmat Marchantius, *in tribun. Sacram. tom.* 1. *tract.* 4. *tit.* 7. *quæſt.* 6. cui adhæret Diana, *tom* 9. *tract.* 6. *reſol.* 57. & abſolutè poſſe Confeſſarios, non auditâ priori confeſſione eorumdem peccatorum pœnitentias commutare, tradit idem Diana, *p.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 53. afferens pro ea ſententia 14. Authores; & idem tradit Bonacina, *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 3. *punct* 3. *num.* 8. & cum Granado, & alijs Leander, *diſp.* 9. *q.* 100. Moventur: quia in hac commutatione non agitur de peccato, ob quod impoſita eſt pœnitentia, vel de juſtitiâ quâ impoſita eſt; ſed de infirmitate, difficultate, vel minori opportunitate, ac interdum impoſſibilitate pœnitentis ad illam adimplendam, ob quam juſtè commutari poteſt. *Secunda difficultas. 1. ſententia.*

79. Econtrà verò Palaus, *tract.* 23. *diſp. unica*, §. *ultimo*, *num.* 13. verius exiſtimat opus eſſe ad hanc commutationem pœnitentiæ præſtandam, agnoſcere, & judicare peccata, ſaltem præcipua, ob quæ impoſita fuit, ſivè mutatio ab eodem confeſſario, ſivè ab alio fiat; & pro ſua ſententia refert Suarium, Coninchum, Laymanum, & alios. Ita etiam Sotus, *diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 3. *in fine*, Sylveſter, *verb. Confeſſ.* 1. *q.* 27. Vazquez, Reginaldus, Fagundez, Molfeſius, quos adducit, & ſequitur Lugo, *diſp.* 25. *num.* 107. Ratio ea eſt: quia eatenus mutarè pœnitentiam poteſt confeſſarius ab alio confeſſario injunctam, quatenus poteſt eamdem cauſam judicare; at ſi peccata ob quæ fuit pœnitentia impoſita, poſteriori confeſſario non manifeſtentur, nequit illa judicare: ergo nequit, peccatis incognitis, pœnitentiam mutare. Accedit, quod inconſultè pœnitentiam ſubrogaret neſciens peccata, in quorum vindictam, & futurorum præcautionem ſubroganda eſt. Ex his autem ſententijs licet in poſteriorem inclinemur, prior tamen ex principio ſaltem extrinſeco videtur eſſe in praxi probabilis: ſicut viſa eſt Hermano Buſembaum, *libr.* 6. *tractat.* 4. *cap.* 1. *dub.* 4. *de ſatisfact.* Laymano, *tract.* 6. *cap.* 15. *q.* 4. *num.* 16. & Cardinali Lugo, *diſp.* 25. *num.* 109. præſertim ſi ſecundus confeſſarius ex confeſſione aliorum peccatorum, & ex ſtatu pœnitentis, & ipſius teſtimonio habeat aliquam notitiam confuſam, quod plus minuſve eadem ferè fuerunt peccata præteritę confeſſionis, & ita etiam limitat Fagund. *de præcep. Eccleſ. præcep.* 2. *l.* 9 *c.* 4. *n* 22. *Secunda ſententia, & de utraque judicium.*

80. Supereſt dicendum de cauſis excuſantibus à pœnitentiæ executione. Prima eſt: ſi omninò injuſtam eſſe conſtet. Ita Coninchus *diſp.* 10. *dub.* 12. *in principio num.* 97. Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 15. *qu.* 4. *n.* 17. Palaus *tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 21. §. *ultimò*, *num.* 14. Hermanus *de pœnit. c.* 1. *dub.* 4. N. Philippus à SS. Trinitate *diſp.* 13. *dub.* 5. Antonius à Spiritu S. *n.* 1628. *Prima cauſa excuſans à pœnitentiæ executione.*

Ad-

Addit autem Layman, quod judicare, utrùm confeſſor imponendo pœnitentiam erraric, ad quemvis virum probum, & doctum, imò & pœnitentem, ſi talis eſt, pertinere poteſt. Raro tamen, & non ſinè manifeſtatione hoc judicandum eſt, ut benè advertit Palaus.

2. Cauſa. 81. Secunda cauſa excuſans à pœnitentiæ executione eſt: ſi pœnitentia ſit pœnitenti moraliter impoſſibilis: lex enim Dei, quæ jugum eſt ſuave, & onus leve, neminem cum gravi illius detrimento adſtringit. Ita Doctores citati, & Averſa *q.* 13. *ſect.* 6. qui benè advertit, quod ſi pœnitentiam poſſit pœnitens ex parte ſolùm implere, tunc ſi illa ſit moraliter diviſibilis, tenebitur ſanè implere partem, quam poteſt, ut ſi injunctum ſibi erat, ut daret decem pro eleemoſyna, & non poſſit in totum, ſed poſſit dare quinque, debebit utique hanc partem adimplere.

3. Cauſa. 82. Tertia eſt præceptum ſuperioris vetantis opera injuncta: ut ſi Religioſo, mulieri uxoratæ, vel ſervo, aliqua jejunia, peregrinationes, Eccleſiarum viſitationes eſſent injuncta, & à marito, domino, vel Prælato impediantur, excuſantur enim toto eo tempore, quo ex præcepto ſuperioris impediuntur: ita tamen, quod eo ceſſante, ſuccedat pœnitentiæ obligatio, quæ prohibitione ſuperioris ſuſpenſa quidem erat, ſed non ablata; ita Palaus, ubi ſuprà *num.* 17. Averſa *q.* 13. *ſect.* 6.

Quæſitum primum. 83. Petes primò, An excuſetur à pœnitentiæ executione is, qui ſivè culpabiliter, ſivè ſinè culpa omninò pœnitentiæ oblitus eſt? Et quidem ſi præſumat confeſſarium memorem eſſe pœnitentiæ injunctæ, tenetur, ſi poteſt, illum adire, & interrogare, quid injunxiſſet: uti benè docent Cajetanus, Sotus, Medina, Navarrus, quos refert, & ſequitur Coninchus *diſput.* 10. *dub* 9. *num.* 86. Bonacina *diſp.* 5. *de pœn. q.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 3. *num.* 10. Diana *tom.* 4. *tract* 4. *reſ* 241. Palaus *punct.* 21. §. *ult. num.* 18. Stephan. à S. Paulo *num* 176. N. Antonius *num.* 1625. Quia tenetur quis inquirere de lege, cum ſcit legem latam eſſe, & removere impedimenta executioni præcepti, ſi facilè poſſit: ac proindè tenetur interrogare confeſſarium de lege pœnitentiæ, & media hac interrogatione, ignorantiam illius explere, ob quam impotèns eſt illam exequendi.

Si verò credat, confeſſarium non eſſe memorem pœnitentiæ injunctæ, teneri adhuc eidem, aut alteri confeſſario præcipua ſaltem peccata confiteri, ut pœnitentiæ commutationem obtineat, & integritati Sacramenti ſatisfaciat, aſſerunt Bonacina ubi ſuprà *num.* 9. referens D. Antoninum, Sylveſtrum, & alios, & idem tradit Ricardus *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 2. *q.* 8. *ad* 4. & alij apud Leandrum *diſp.* 9. *q.* 92. Sed contrarium ſatis probabiliter docent Vazquez, Suarez, Coninchus, Layman, quos adducit, & ſequitur Palaus ubi ſuprà *num.* 19. Averſa *loco citato*, Diana *reſol.* 241. Lugus *diſp.* 25 *num.* 87. Anton. à Spiritu ſancto *loco cit.* & cum Victoria, Soto, Vivaldo, Candido, Boſſio, & alijs, Leander *q.* 92. Quia ex nullo humano præcepto obligari poteſt quis ad peccata iterum fatenda, neque id confeſſarius præcepit, ſed junxit opus aliquod determinatum exequi, quod pœnitenti jam eſt impoſſibile, ideoque ab eo excuſatur; quod ſi tamen ſua culpa pœnitentiæ non recordetur, neceſſe erit hoc peccatum confiteri, neque tunc ad aliud quidquam tenetur. Conſultum tamen eſſe, ut qui pœnitentiam, præſertim gravem oblitus fuit culpatè, vel inculpatè in proxima confeſſione ſimilem (videlicet talem, qualis pro gravibus peccatis decerni ſolet) à confeſſario injungi ſibi petat, docent Layman *tract* 6. *c.* 15. *de Sacram. pœn. n.* 17. & Hermanus Buſembaum *de pœnit. dub.* 1. *c.* 4.

84. Petes ſecundò, An excuſetur pœnitens ab obligatione exequendi pœnitentiam obtentione indulgentiæ plenariæ? Excuſant aliqui, ſi pœnitentia ſit ſolùm in ſatisfactionem pro pœna temporali apud Palaum ſtatim citandum: at quia reverà leviſſimæ imponuntur pœnitentiæ, & quæ ſufficiunt per modum medicinæ, & præcautionis futurorum, ideò raro, vel nunquam ob indulgentiarum conſecutionem licere omittere pœnitentias impoſitas, benè docent Suarez *diſ.* 38. *ſect.* 10. *num.* 10. & Palaus §. *ult. n.* 21. referens Reginaldum, Henriquez, & Bonacinam. *Quæſitum ſecundum.*

CAPUT UNDECIMUM.

De miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ: atque in eo requiſita juriſdictione.

Caput hoc habet Septem Puncta.

P.1. *An ſolus, & omnis Sacerdos ſit miniſter Sacramenti confeſſionis?*
P.2. *In quibus caſibus quilibet Sacerdos juriſdictionem habeat?*
P.3. *Quis ſit miniſter ordinarius in hoc Sacramento?*
P.4. *Quiſnam Sacerdos ſit miniſter delegatus ad confeſſiones audiendas?*
P.5. *An ſufficiat juriſdictio delegata dubia, vel probabilis ad miniſtrandum hoc Sacramentum?*
P.6. *An juriſdictio delegata ad confeſſiones audiendas expiret morte concedentis?*
P.7. *De approbatione poſt Concilium Tridentinum requiſita.*

PUNCTUM I.

An ſolus, & omnis Sacerdos ſit miniſter Sacramenti Confeſſionis?

1. concluſio. 1. SOlus Sacerdos poteſt eſſe Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ. Ita diffinitum eſt in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. & *can.* 10. & in Florentino, *in Decreto* Eugenij, & in Concilio Conſtantienſi, io Bulla Martini V. & ſumitur *ex cap.* 20. Joannis, ubi Chriſtus in Diſcipulos ſuos *ſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quo facto Dominus clarè ſignificavit, ſicuti etiam ſemper Eccleſia intellexit, poteſtatem hanc remittendi, ac retinendi peccata non omnibus conceſſam eſſe, ſed ijs tantùm, qui per ſpecialem ordinationem, & Spiritûs Sancti gratiam, ad id deputarentur, quales ſunt ſoli Sacerdotes, in quorum proindè ordinatione eadem illa verba dicuntur. Id ipſum confirmant teſtimonia Patrum, qui ab exordio naſcentis Eccleſiæ abſolutionem Sacramentalem agnoverunt eſſe actum, ſeu exercitium poteſtatis Sacerdotalis: & de Confeſſione locuti ſunt, tanquam de ritu faciendo ad genua Sacerdotum; quæ teſtimonia referunt Bellarminus, *lib.* 3. *de Sacram. Pœnit.* & Granados *controv.* 7. *de pœnit. tract.* 10 *diſp.* 1. *n.* 4.

Corollarium 1. 2. Hinc optimè primò: inferunt obiter Lugus *de Sacram. Pœnit diſp.* 18. *ſect.* 1. & N. Gabriel à S. Vincentio, *diſp* 9. *quæſt.* 1. eum, qui verè non accepiſſet ab Epiſcopo poteſtatem conſecrandi, & offerendi Sacrificium, ſivè per defectum materiæ, ſive per defectum formæ, vel quemcumque alium, non recipere poſteà validè poteſtatem abſolvendi per illa verba, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Sed debere repeti ordinationem quoad utramque poteſtatem: quia eſſe non poteſt Miniſter hujus Sacramenti, niſi ſolus Sacerdos; non eſt autem Sacerdos, qui poteſtatem offerendi Sacrificium non habet.

Corollarium 2. 3. Secundò: benè inferunt Layman *de Sacram. Pœnit. cap.* 10. Villalobos, Vega, Henriquez, quos refert, & ſequitur Leander *de pœnit. diſp* 11. Kellíſonius *diſp.* 8. *de Miniſtro Confeſſionis*, quod quando Doctores aliqui monent *ex cap.* 1. *diſt.* 6. *de pœnit.* ſi deſit Sacerdos, præſertim in mortis articulo, cuivis alteri etiam laico confitendum eſſe; id non intelligi in ordine ad Sacramentalem abſolutionem; ſed ſolùm ad excitandam contritionem, majoremque ſui confuſionem. Quare nec in præcepto eſt talis peccatorum confeſſio, ſed in conſilio, ſi ſpectatis circumſtantijs, ſalubriter fieri poſſit.

2. concluſio. 4. Non omnis Sacerdos ratione poteſtatis Ordinis, à peccatis abſolvere poteſt, ſed requiritur etiam in eo juriſdictio ordinaria, vel delegata. Ita etiam in Tridentino *ſeſſ.* 14. *can.* 7. definitum eſt, & conſtat ex Florentino *ſeſſ. ultim. in Decreto* Eugenij, ex cap. *Omnis utriuſque ſexus*, & ex alijs antiquis Juribus, & ex perpetua traditione, ac doctrina Eccleſiæ: rationemque optimè Tridentinum eo capite expreſſit. *Quoniam natura, & ratio judicij expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; abſolutio autem eſt actus judicialis: ideoquè juriſdictionem in ſubditos requirit.*

5. Quare exactè diſtingunt Theologi inter poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis, vel quod, ut quidam volunt, poteſtas Ordinis ſit, quam omnes Sacerdotes recipiunt cùm ordinantur; ſed non ſtatim illis præbentur ſubditi, in quos poſſint eam exercere. Poteſtas verò juriſdictionis cum eiſdem ſubditi dantur, in quos poteſtatem Ordinis valeant exequi, idque explicant exemplo Epiſcoporum titularium, qui dum conſecrantur, recipiunt poteſtatem Epiſcoporum, ſed non ſtatim illis præbentur ſubditi, in quos poſſint ſuam poteſtatem exercere; ſed cùm ſibi præſtiti fuerint, eam exequi valebunt. Vel ut alij malunt, poteſtas Ordinis ſit tantùm remota, & indeterminata, quæ per ſe in actum exire non poteſt: perficitur autem, & determinatur per poteſtatem juriſdictionis à Chriſto, vel Eccleſia collatæ, ſivè erga omnes, ſivè erga certos fideles, ad eum fermè modum, ſicuti qui Juris Doctor creatur, is poteſtatem accipit judicandi de rebus in Jure controverſis, ſed tantùm remotam, & incompletam, quæ in actum exire non poteſt, donec acceptâ juriſdictione alicubi Judex conſtituatur. *In quo diſtinguantur poteſtas Ordinis, & poteſtas juriſdictionis?*

6. Hinc eſt, nec licitè, nec validè poſſe abſolvere à mortalibus nondum ritè confeſſis, etiam in confeſſione voluntaria, niſi illum Sacerdotem, qui ordinariam, vel delegatam habet juriſdictionem: quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt per modum judicij: & ſinè juriſdictione nemo eſt Judex. Sic habetur in Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. & docent Navarrus, Suarez, Vazquez; Cajetanus, uterque Sotus, Paludanus, Capreolus, Scotus, Ricard Canus, Ledeſma, Bonacina, Villalobos, Molfeſius, Hurtado, Egidius, quos citat, & ſequitur Leander, *tract.* 5. *de Pœnitentia, diſp.* 11. *quæſt* 8. & communis. *Illatio.*

7. Juriſdictio in pœnitentiæ foro alia eſt ordinaria, quæ alicui competit ratione proprij officij, quo eſt ſuperior, & hanc habent omnes, qui ſunt Paſtores pœnitentium. Alia eſt delegata, quam quis ab Ordinario delegandi facultatem, tempore delegationis non impeditam habente accipit, ſeu quæ ipſi competit ex conceſſione Ordinarij, ut habent Confeſſarij ab Ordinarijs approbati. Eſt autem inter has juriſdictiones proprium diſcrimen: quod qui ordinariam habet poteſtatem, poteſt alteri delegare, ſeu committere; qui verò ſolùm habet delegatam, non poteſt alteri ſubdelegare. Ita colligitur ex *cap.* 1. *cap. Præterea, cap. Significaſti de officio delegati*, & tradunt communiter Doctores. 3. concluſio.

PUNCTUM II.

In quibus caſibus quilibet Sacerdos juriſdictionem habeat in foro pœnitentiæ.

8. PRimò: quilibet Sacerdos juriſdictionem habet in foro pœnitentiæ ſuper peccata venialia tantùm. Ita Doctores omnes: & tamquam certa communiter reputatur, teſte Averſa *quæſt.* 16. *de Miniſt. Sacrament. pœnitent. ſect.* 3. & ſatis patet ex communi omnium ſenſu, & ex ipſo uſu, & praxi fidelium, ac Sacerdotum. 1. concluſio.

9. Non quod ejuſmodi juriſdictio Sacerdo- 2. concluſio.

dotibus omnibus Divino jure competat, ut contendunt Vazquez, *quæſt.91. art.1. dubit.6.* Kelliſonius *quæſt.8. art.5. dub.3.* Molfeſius *tr.7. cap.15. num.66. & ſeqq.* & alij apud ipſos. Sed ex Eccleſiæ conceſſione: ut docent Suarez, Coninchus, Henriquez, Bonacina, Medina, quos affert, & ſequitur Lugus *diſp.18. ſection.3. num.44.* Palaus *tractat.23. diſp. unica, punct.13. num.6.* Navarrus, Valentia, Granados, Layman, Candidus, Hurtado, Avila, quos citat, & ſequitur Leander *de pœnitent. diſp.11. quæſt.11.* Nuñus *quæſt.8. art.5. dub.10.* Averſa *ſect.3.* N. Gabriel *diſp.9. q.1.* Franciſcus B. S. *diſp.9. numero 20.* Antonius à Spir. S. *de pœnitent. n.841.* & alij.

Probatur à poſteriori 1. 10. Et probatur primò à poſteriori: quia Eccleſia de facto privat Sacerdotem excommunicatum vitandum juriſdictione, etiam ad confeſſionem venialium: ac proindè hæc facultas, & juriſdictio pendet ab Eccleſia, poteſtque juſtè auferri.

2. à priori. 11. Secundò à priori: quia dici non poteſt, quemlibet Sacerdotem habere juriſdictionem ordinariam ad abſolvendum quoſlibet fideles à venialibus: juriſdictio enim ordinaria ad abſolvendum convenit ſolùm Paſtoribus animarum, quibus ex officio earum cura & gubernatio incumbit: ergò quilibet Sacerdos ſolùm habet juriſdictionem delegatam ab eo, qui habet ordinariam nempè à Summo Pontifice, qui eam poteſt pro libito validè auferre, & licitè & prudenter aufert ab excommunicato vitando.

Præcluditur prima evaſio. 12. Nec valet dici primò: ſimplicem Sacerdotem nulla ad hoc indigere juriſdictione: quia hoc Sacramentum etiamſi verſetur circa venialia tantùm, ſemper exercetur per modum judicij, ac proindè in miniſtro ad valorem abſolutionis requirit juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, ut expreſſè docuit Tridentinum, *ſeſſione 14. cap.7.*

Præcluditur 2. 13. Nec etiam valet dici ſecundò: ſimplicem Sacerdotem recipere juriſdictionem ad abſolvendum à venialibus à pœnitente, independenter ab Eccleſia: hæc enim juriſdictio non poteſt ab ipſis ſubditis tribui, qui eam non habent, ſed electio ſolùm Sacerdoris fit à pœnitente; juriſdictio verò non niſi à ſuperiore confertur.

Cajetani animadverſio. 14. Advertit tamen Cajetanus, *tom.1. opuſcul. tract.7. quæſt.1.* Non propterea poſſe ſimplicem Sacerdotem abſolvere quempiam extrà mortis articulum ab excommunicatione minori, ob ſolùm venialia peccata contracta: quia ad hoc debet concedi peculiaris juriſdictio ab Eccleſia, quæ tamen conceſſa non eſt, & conſequenter, nec poſſe abſolvere talem excommunicatum ab ipſis peccatis venialibus: quia talis excommunicatio impedit à Sacramentorum perceptione.

3. concluſio. 15. Secundò: id quod de juriſdictione cujuſlibet Sacerdoris ſuper venialia tantùm ex Eccleſiæ conceſſione diximus, extendendum eſt ad mortalia jam legitimè confeſſa, & abſoluta: quia eſt eadem omninò ratio, ut rectè docent plures referens Henriquez, & Suarez, quos adducit, & ſequitur Granados *de pœnitent. tract.10 diſp.4. ſect.1. n.6.* Layman *de Sacram. pœnit. cap.10.* Lugo *diſp.18. ſect.3.* & cum alijs multis Leander *diſp.11. q.12.* Averſa *ſect.3.* Petrus de Ledeſma *de pœnit. cap.12 poſt 4. concluſ.* N. Gabr. à S. V. Franciſc. B.S. *loc. cit.* Anton. à Spiritu S. *num.* 840. Sicut enim peccata venialia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis, ac proindè poſſunt à quolibet ſimplici Sacerdote ex conceſſione Eccleſiæ abſolvi: ſic ſimiliter mortalia legitimè anteà confeſſa, & abſoluta non ſunt materia neceſſaria confeſſionis: atque adeo quilibet ſimplex Sacerdos poteſt ab eis ex Eccleſiæ conceſſione abſolvere; & quamvis verum ſit, ſimplicem Sacerdotem non habere juriſdictionem ab Eccleſia receptam abſolutè ſuper peccata mortalia; habet tamen illam ſuper mortalia legitimè jam confeſſa, & abſoluta, quæ æquiparantur venialibus in hoc, quod eſt, non eſſe materiam neceſſariam confeſſionis.

Quæſitum primum. 1. ſententia cum ſuo fundamento. 16. Rogabis primò: An ſi contingat, quempiam bona fide confitentem de ſolis venialibus alicui ſimplici Sacerdori habere fortaſſe occultum, & invincibiliter oblitum aliquod mortale, adhuc confeſſio, & abſolutio valeat, quà indirectè etiam mortalia remittentur? Negat Candidus *diſquiſit 24 art 66. dub.2. num.5.* ubi ſic ait: ſi Pœnitens haberet peccata mortalia, etiamſi invincibiliter illorum obliviſceretur, & confiteretur ſimplici Sacerdoti ſola venialia, quorum memoriam habet, tunc nullum eſſe Sacramentum, & conſequenter neque indirectè, neque per accidens eſſet abſolutus à mortalibus, etiam invincibiliter oblitis; movetur autem: quia juriſdictio ſimpliciter eſt neceſſaria, ut fiat Sacramentum validum, quando adeſt in pœnitente peccatum læthale, etiam naturaliter, & inculpabiliter oblitum: ſed hanc non habet ſimplex Sacerdos, eùm non ſit expoſitus: ergò tunc nec Sacramentum eſſet validum: & conſequenter nec remaneret pœnitens abſolutus à mortalibus, etiam naturaliter oblitis.

2. & communior ſententia cum ſuo fundamento. 17. Affirmant tamen probabiliter in caſu poſito, adhuc confeſſionem, & abſolutionem valere, quà indirectè etiam mortalia remittentur, cum onere tamen confitendi mortalia invincibiliter oblita legitimo Confeſſario, cùm poſteà venerint in memoriam, & aderit tempus præcepti confeſſionis. Suarez, *diſp.31. ſect.2. n.8.* Granados *ſect.1 n.7.* Leander *de pœnit. diſp.11. qu.14.* Herinx. *diſp.5. n.18* & alij. Ducuntur: quia licèt directè in illa peccata non extendatur abſolutio, extenditur indirectè: eo quod Sacerdos ille habeat poteſtatem conferendi verum Sacramentum Pœnitentiæ, & cùm ex parte pœnitentis non ſit obex, confert gratiam, & remiſſionem; cum prædicto tamen onere confitendi talia peccata mortalia legitimo Confeſſario. Sicut ſi quis oblitus aliquod peccatum reſervatum, confiteretur peccata non reſervata Confeſſario non habenti juriſdictionem ad reſervata, maneret abſolutus etiam à reſervato, ſed per accidens, ac indirectè, ac proindè cum obligatione illud poſteà confitendi ſuperiori, vel alteri de ejus licentia. Ex quo patet ſolutio ad fundamentum Candidi oppoſitum.

Quæſitum 2. 18. Rogabis ſecundò: An Sacerdotes ſimplices ſinè licentia, & approbatione Epiſcopi

 poſ-

poſſint abſolvere non ſolùm à peccatis venialibus, & mortalibus aliàs ritè confeſſis; ſed etiam à peccatis mortalibus in confeſſione oblitis, & indirectè jam abſolutis, quorum modò eſt recordatio? Affirmat Valerus, apud Dianam, *to. 2. tract. 16. reſolut.* 44. ſed immeritò, ut rectè docet Leander *quæſt.* 13. quia ea peccata non ſunt ſemel directè remiſſa, nec clavibus Eccleſiæ ſubjecta: ac proindè ab eis ſolùm poſſunt abſolvere, qui facultatem ad hoc ordinariam, vel delegatam habent.

4. concluſio.

19. Præterea nulli Sacerdoti deeſt juriſdictio requiſita, & ſufficiens, ut in articulo mortis abſolvat quemlibet pœnitentem, & à quolibet peccato. Ita Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ubi: *Verumtamen* (inquit) *piè admodùm ne hâc ipsâ occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſint.*

Illatio 1.

20. Quod cùm abſquè ulla limitatione dictum ſit, nullus excipitur Sacerdos excommunicatus, hæreticus, vel degradatus, ſed omnes comprehenduntur non approbati, & expoſiti, itèm ſuſpenſi, irregulares, degradati, excommunicati, ac non tolerati: etiam hæretici, ut benè docent Vazquez, *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. Suarez, *diſp.* 26. *ſect.* 4. Avila, *de cenſuris, p.* 2. *c.* 6. *diſp.* 3. *dub.* 1. *concluſ.* 4. Zambranus, *cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 20. Cardinalis Lugo, *diſp.* 18. *ſect.* 2. *n.* 18. Granados, *ſect.* 2. *num.* 9 Thomas Sanchez, *lib.* 2. *ſummæ, cap.* 13. *à num.* 6. Diana, 3. *p. tract.* 4. *reſolut.* 57. Bonacina, Villalobos, Molfeſius, Coninchus, Trullench, & alij, quos refert, & ſequitur Leander, *quæſt* 16. Franciſcus B. Spei *n.* 14.

Illatio 2.

21. Præterea: quia Tridentinum ait, pro eo mortis articulo nullam eſſe reſervationem, colligitur, pœnitentem, qui abſolutus eſt in prædicto articulo, vel periculo mortis à caſibus reſervatis, non teneri poſteà recurrere ad ſuperiorem, ſi fortè periculum evadat, ut iterum ab illis abſolvatur: quia proindè ſe habent tunc peccata reſervata, ac ſi reſervata non eſſent; hoc tamen intelligendum eſt, ſi peccata illa reſervata non habeant annexam cenſuram: nam ſi illam annexam habeant, pœnitens abſolutus debet ſe præſentare poſteà ſuperiori, ut præcipitur in *capit. Eos, qui, de ſententia excommunicationis in* 6. non quidem ut iterum ab eo abſolvatur, quia jam à cenſuris, & à peccatis abſolutus eſt, ſed ut ſe oſtendat abſolutum, obedientem, & paratum ad majorem pœnitentiam ſuſcipiendam, ſi illi à ſuperiore injungatur: quod ſi pœnitens id facere neglexerit, reincidit in cenſuram. Ita in dicto capite *Eos qui*, & tradunt Paludanus, Navarrus, quos refert, & ſequitur Candidus, *diſq.* 24. *art.* 55. *dub.* 4. Granados, *num.* 13. Præpoſitus, Ludovicus de S. Juan, Finellius, Thomas Sanchez, Coriolanus, Hurtadus de Mendoza, quos citat, & ſequitur Diana, *tomo* 5. *tract.* 3. *reſol.* 66.

Quæſitum 1.
1. ſententia.

22. Petes primò: An dicta facultas pro illo articulo ita ampla ſit de jure divino, an ſolùm de jure humano Eccleſiaſtico? Eſſe de jure divino ex Chriſti inſtitutione cenſent Durandus, Capreolus, Paludanus, Ricardus, Canus, quos affert Averſa *qu.* 16. *ſect.* 3. & quidam alij. Ducuntur, quia alioquin defeciſſet Chriſtus in neceſſarijs.

Sed magis communis, & verior ſententia docet, hanc facultatem, & juriſdictionem immediatè concedi ab Eccleſia, ab ipſo ſcilicet Summo Pontifico. Ita ſtatuunt D. Bonaventura, D. Antoninus, Joannes Medina, Turrecremata, uterque Sotus, & alij, quos referunt, & ſequuntur Suarez, *diſp.* 26 *ſect.* 9. *n.* 7. Cardinalis Lugo, *diſp.* 18 *ſect.* 2. *n.* 16. Vazquez, *quæſt.* 93. *art.* 1. *dub.* 3. Major, Ledeſma, Nuñus, Coninchus, Becanus, Keliſonius, quos refert, & ſequitur Averſa ubi ſupra. Item Bonacina, Hurtado, Coriolanus, & alij quos citat, & ſequitur Leander, *diſp.* 11. *de pœnit. quæſt.* 22. Franciſcus B. Spei *n* 20. Philippus à SS. Trinit. *diſp.* 11. *de pœnit. dub.* 3. & videtur colligi primò: ex ipſa forma reſervationis caſuum, quâ Pontifices ſolent excipere mortis articulum, & ita ſupponunt hanc exceptionem non eſſe de jure divino factam à Chriſto: ſuperflua enim eſſet talis exceptio, ſi ab ipſis non dependeret juriſdictio pro illo articulo. Secundò: ex verbis Tridentini ſupra adductis: *Piè admodùm in Eccleſia Dei cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis.* Tertiò, quia dici non debet, ſimplicem Sacerdotem habere ordinariam juriſdictionem, quæ eſt Paſtorum, & Superiorum propria, habentium ex officio animarum curam, ac proindè habet ſolùm delegatam, nempè à ſupremo Paſtore Pontifice Summo, qui ab initio omnibus, & ſingulis Sacerdotibus juriſdictionem plenam pro illo articulo delegavit. Neque ideò periculum eſt, ne deficiat Chriſti providentia in neceſſarijs: quia ut benè cum aliquibus notat Cardinalis Lugo ubi ſupra *nu.* 17 ſicut in alijs Spiritus Sanctus aſſiſtit; & gubernat Chriſti Vicarium, ne erret perniciosè in Eccleſiæ gubernatione: ſic aſſiſtet in hoc puncto. Et ideò ab exordio Eccleſiæ juriſdictio pro illo articulo à Sacerdotibus nunquam ſublata eſt.

23. Petes ſecundò: An in hac materia, de qua loquimur, ſit idem articulus mortis, quod periculum mortis? Aliqui diſtingunt in caſu noſtro, & dicunt, mortis articulum dici, quando proximè certò moraliter, & ferè invincibiliter mors inſtat; periculum verò quando ſub dubio, vel timore probabili expectatur, ut in prælio, in morbo periculoſo, in difficili partu, in longa navigatione, & ſimilibus: eò quod ſoleat in talibus caſibus mors accidere, & in his ſentiunt non poſſe ſimplicem Sacerdotem audire, & abſolvere pœnitentem. Ita Canus, Sotus, Covarruvias, quos refert Vazquez, *qu.* 93. *art.* 1. *dub.* 5. Graffius, à Cruze, Ledeſma, quos citat Diana, *tom* 3. *tract.* 4. *de Sacramentis, reſol.* 71. Zerola, & Valentia, apud Leandrum *de pœnit. diſp.* 11. *quæſt.* 17. *Quæſitum 2.* *1. ſententia.*

24. Verior tamen, & communior jam ſententia dicit, articulum, & periculum mortis pro eodem accipi in præſenti materia. Ita Sylveſter, Navarrus, Joannes Medina, Paludanus, Adrianus, quos affert, & ſequitur Suarez, *diſp.* 26. *ſect.* 4. *n.* 43. Nuñus, Vazquez, Coninchus. Lugo, quos refert, & ſequitur Averſa, *ſect* 3. Gloſſa in *cap. Paſtoralis, de officio ordin.* Diana *p.* 3. *tract* 4. *reſol.* 71. & *p.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 59. & alij apud ipſum, Thomas Sanchez, *lib.* 2 *in Decalog. cap.* 13. *nu.* 1. Hurtado, Bonacina, Molfeſius, Villalobos, Trullench, Palaus, Souſſa, & alij, *2. & verior.*

quos

quos citat, & ſequitur Leander, *dict. quæſt.* 17. Granados *ſect.* 2. *nu.* 10. Stephanus à S. Paulo, *n.* 205. Wigers, *qu.* 8 *Supplem. n.* 6. N. Anton. *num.* 844

1. illius ratio. 25. Probatur primò: quia licèt illæ voces articulus, & periculum mortis in rigore ſignificationis diverſæ ſint; ex uſu tamen Eccleſiaſtico in præſenti materia pro eodem uſurpantur, ut conſtat ex *cap. Si quis ſuadente* 17. *q.* 4. & *cap. Eos qui, de ſententia excommun. in* 6.

Secunda. 26. Secundò: quia cùm cauſa hujus confeſſionis fuerit neceſſitas pœnitentis, ne abſquè remedio in æternum pereat, jure optimo talis reputanda erit periculi mortis neceſſitas: ſiquidem in ea jus divinum ad confeſſionem obligat, perindè ac in mortis articulo, & morale periculum ita in malis caveri debet, ac eventus ipſe.

Corollarium primum. 27. Hinc colligitur primò: idem dicendum eſſe, ſi probabile incidendi in amentiam periculum adſit, ut benè docent Zambranus *præludio* 1. *in fine*, & Thomas Sanchez, *n.* 2. quia cùm quis factus amens confiteri nequeat, periculum amentiæ eſt quaſi periculum mortis, & in eo amentiæ periculo divinum confeſſionis præceptum obligat: ut optimè ait Medina, *cap. de pœnit. tract. de confeſſione, qu. de tempore, quo confiteri oportet, caſu* 1.

Corollarium ſecundum. 28. Colligitur ſecundò: captivos, qui detinentur apud Infideles abſquè ulla, vel certè cum exigua ſpe libertatis, poſſe audiri, & abſolvi à quolibet Sacerdote, ſi poſteà credatur, nullum Sacerdotem habituros: quia hi perindè cenſentur, atquè illi, qui ſunt in periculo mortis, ut rectè docent Author *deciſionis caſuum articuli mortis, cap.* 4. *dub.* 4 *n.* 23. & Granados *n.* 10. *cit.*

Quæſitum 3. 29. Petes tertiò: An ſi in mortis articulo, vel periculo adſit, vel adeſſe poſſit, ſi vocetur Sacerdos approbatus, & habens cætera requiſita ad excipiendas confeſſiones, poſſit nihilominùs moribundus confiteri alij Sacerdoti non approbato, aut alioquin non legitimo, ab eoque audiri, & à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvi? ¶ Affirmant poſſe Navarrus, Saà, Petrus de Ledeſma, Rodriguea, Vega, & Henriquez, relati à Thoma Sanchez, *lib.* 2. *ſummæ, cap.* 13 *num* 6. qui de peccatis, & cenſuris loquentes, dicunt, poſſe pœnitentem in eo articulo abſolvi à quolibet Sacerdote, etiam in præſentia proprij Sacerdotis, aut alterius habentis delegatam juriſdictionem. Ita etiam plerique, quos refert, & ſequitur Diana, *part.* 1. *tract.* 5. *reſol.* 5. & *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 161. & *part.* 5 *tract.* 3. *reſol* 65. Antonius à Spir. S. *n.* 848. & probabile cenſent Lugo, *diſp.* 18. *n.* 23. Lezana *verbo, confeſſio, n* 13. & Stephanus à S.P. *de pœnit. num. cit.* Moventur: quia Tridentinum, *ſeſſ.* 14 *cap.* 7. amplam, & abſolutam facultatem concedit omnibus Sacerdotibus pro articulo mortis, abſquè ulla exceptione, & limitatione, dicens: in articulo mortis nullam eſſe reſervationem, ſed omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſvis cenſuris, & peccatis abſolvere poſſe: cùm ergò verba hæc univerſalia ſint, & nullam conditionem, vel limitationem apponant, non eſt cur à nobis limitentur, & reſtringantur.

2. communior & verior. 30. Dicendum tamen potiùs eſt, non poſſe. Ita cenſent Theologi hoc loco, communiter Nuñus, Puteanus, Vazquez, Valentia, Suarez, Coninchus, Ochagavia, & abſolutè Lugus, quos refert, & ſequitur Averſa, *qu.* 16 *de Miniſtro Sacram. pœnit. ſect* 3. Roſella, Sylveſter, Armilla, Covarruvias, Simancas, Corduba, Cathecìſmus Pij V. *ad Parochos*, Graffius, Gratianus, Zambranus, Sotus, Hugoſius, Bartholomæus à Ledeſma, Vivaldus, Rutilius, Benaonius, quos citat, & ſequitur Thomas Sanchez, *dict. cap.* 13. *num.* 7. Item Molina, *to.* 4. *de juſtitia*, *diſp.* 63. dicens: ita fuiſſe declaratum à Gregorio XIII. Turrianus *in ſelectis, centuria* 2. Azor, *tom.* 1. *lib* 8. *cap.* 19 *quæſt.* 5. Bonacina *de pœnit. quæſt* 7. *punct.* 1. *num.* 10. Avila *de cenſuris*, *p.* 2 *cap* 6. *diſp.* 3. *dub* 1. *concl.* 4. Sanctorius *de caſibus Pap. & Epiſc. num.* 146. Sanctarellus, *de hæreſi, cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 2. Reginaldus, *lib.* 1. *cap.* 7. *n* 61. Granados *de pœnit. tract.* 10 *diſp.* 4 *ſect* 2. *nu.* 11. Palaus, *diſp. unic. punct.* 13. *nu.* 8. Fraociſcus B. Spei *n* 18.

Fundamentum illius. 31. Probatur: quia Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *dict cap.* 7. ait: eſſe cuſtoditum ſemper in Eccleſia, ut quilibet Sacerdos in eo articulo abſolvere poſſit; quare jus novum non condidit, ſed conſuetudinem approbavit: ea autem conſuetudo ſolùm obtinuit, ut quilibet Sacerdos tunc adhuc pro foro interno abſolvere poſſit, quando deeſt copia ſuperioris potentis abſolvere, & proprij Sacerdotis, ſeu alterius Sacerdotis expoſiti ad audiendas confeſſiones, ut ſumitur ex *cap. Presbyteri*, 26. *quæſt.* 6 ex extravaganti, *inter cunctas*, §. *incendiarij de privilegijs*, & extravaganti 1. §. *decernimus, de ſent. excommunicat.* Item quia cap. *Eos, qui, de ſententia excommun. lib.* 6. deciditur, ut abſolutus ratione imminentis neceſſitatis articuli mortis à cenſura reſervata, teneatur ceſſante impedimento ſe præſentare ſuperiori, cui reſervata erat: ſi ergò cùm poteſt, tenetur ſe ſuperiori præſentare, & antè abſolutionem adeſt ſuperior, vel alius legitimus Miniſter habens abſolvendi facultatem, non debet, neque poteſt ſe intrudere alius eam non habens. Tandem: quia etiamſi Eccleſia voluerit morientibus providere circa alia Sacramenta, non tamen conceſſit, ut præſente proprio, miniſtrentur ab alieno Sacerdote, & ſic Viaticum, & Extrema unctio nunquam miniſtrantur infirmis ab alieno Sacerdote, niſi in defectum proprij: ſignum ergò eſt ob illam curam, quam de infirmorum ſalute habet, nolle perturbare ordinem debitum, nec præjudicare juriſdictioni legitimi Prælati, quando præſens eſt.

Solvitur oppoſitum. 32. Ex his patet ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ: Concilium plus non conceſſiſſe: non enim loquitur, quaſi novam facultatem conferens ultrà antiqua jura, quinimò potiùs atteſtatur, & confirmat id, quod in Eccleſia Dei cuſtòditum ſemper fuerat, quare debet intelligi, ſicut Eccleſiæ uſus, & antiqua jura dictabant, ut nempè omnes Sacerdotes à quibuſvis caſibus reſervatis abſolvere poſſent in mortis articulo, quando non adeſt proprius Parochus, aut alius Confeſſarius approbatus.

Deciduntur aliqui caſus. Primus. 33. Si tamen adſit proprius Sacerdos, & nolit abſolvere in eo articulo, poteſt tunc inferior abſolvere, ut benè docent Thomas Sanchez, *dict. cap.* 13. *num.* 8. & Cardinalis Lugo, *dict. diſp.* 18. Averſa, *dict. quæſt.* 16. *ſect* 3 quia perindè eſt adeſſe, & nolle, ac non adeſſe: & in utroque caſu reperitur eadem neceſſitas.

Quod

Secundus.

34. Quod ſi ob periculum inſtans incæperat pœnitens confeſſionem cum ſimplici Sacerdote, quia non erat copia legitimi, & poſteà adveniat legitimus, poteſt adhuc confeſſio continuari cum primo, ab eoque abſolvi: quia per inceptionem acquiſivit juriſdictionem, quæ, cùm res non ſit integra, perſeverat, & alioqui non leve gravamen imponeretur moribundo, ſi obligandus eſſet ad repetenda alteri Sacerdoti ea peccata, quæ jam confeſſus fuerat. Ita Granado *num.* 12. qui citat Sanchez, & Henriquez. Item Lugo, & Averſa citati, Trullench. Ludovicus de la Cruz, Præpoſitus, Floronus, & alij quos adducit, & ſeqoitur Diana, *tom* 5. *tract.* 3. *reſol.* 66. & cum N. Franciſco, Stephanus *loc. cit.*

Tertius.

35. Similiter ſi in eo articulo contingat, pœnitentem Sacerdoti ſimplici invalidè forſan confeſſum eſſe, quia in ea confeſſione graviter mentitus eſt, & conſequenter fuit invalidè abſolutus, cupiente tamen illo denuò confiteri eidem Sacerdoti, ſuperveniat legitimus Confeſſarius, poterit ille, detecto eo mendacio, à prædicto ſimplici Sacerdote iterùm abſolvi: qnia is revera habuit juriſdictionem ad priorem illam confeſſionem, & dum abſolutio non eſt validè præſtita, non cenſetur finita, & ita perindè eſt, acſi confeſſionem incæpiſſet, & non fuiſſet adhuc abſolutus. Ita Cardinalis Lugo, Averſà, & Diana citati.

Quid ſi pœnitens baberet aliquam excommunicationem reſervatam?

36. Si verò pœnitens baberet aliquam excommunicationem reſervatam, deberet prius de ea abſolvi ab eo ſuperiore ſuperveniente: ſiquidem etiamſi ab aliquo abſolutus inveniretur, deberet adhuc ſe ſubjicere ipſi ſuperiori: quare dum poteſt id facere, antequam à peccatis abſolvatur, debet: ut rectè docent Cardinalis Lugo, & Averſa *locis citatis*, Thomas Sanchez *in ſumma, lib.* 2 *cap.* 13. *num.* 15.

An adveniente legitimo Confeſſario, poſſit ſimplex Sacerdos adhuc audire peccata oblita.

37. Quod ſi jam ſimplex Sacerdos in mortis articulo validè à peccatis abſolverat, non poteſt ſuperveniente legitimo Confeſſore, audire peccata oblita, ſed ea legitimo Confeſſori ſupervenienti aperienda ſunt: quia eſt nova confeſſio, & à priori independens. Ita cum Zambrano, docet Thomas Sanchez *num.* 15. *dict. cap.* 13. & Diana *tom.* 6. *tract.* 3. *reſ.* 66. referens Ludovicum à Cruce, & Trullenchum.

Prima difficultas.

38. Superſunt adhuc aliquæ expediendæ difficultates, prima eſt: An quando adeſt Confeſſarius, qui ex privilegio poteſt abſolvere, debeat in periculo mortis pœnitens illi confiteri: an poſſit abſolvi à quolibet alio, eo quod non adſit ordinarius? Aliqui dicunt poſſe confiteri cuilibet expoſito non habenti tale privilegium. Ita Suarez, *diſp.* 3. *ſect.* 3. *num.* 5. Henriquez *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 10. *num.* 1. *in com. litter.* D. Coriolanus *de caſibus reſer. p.* 1. *ſect.* 2. *art.* 16. *n.* 17. & alij. ¶ Reſpondetur tamen dicendum, non poſſe, ſed debere Confeſſario habenti privilegium confiteri: qnia non dicitur carere copià Confeſſarij, aut eſſe in neceſſitate, qui licèt non habeat ordinarium ſuum, habet tamen delegatum ab ipſo ordinario, quales ſunt omnes, qui ex facultate, aut privilegio poſſunt abſolvere: qui enim ex privilegio poteſt abſolvere, jam habet etiam ipſe juriſdictionem delegatam. Ita Navarrus, Corduba, & Thomas Sanchez, quos citat, & ſequitur Lugo *num.* 34. Trullench. quem adducit, & ſequitur Leander *diſp.* 11. *q.* 20.

Secunda diffiultas.

39. Secunda difficultas eſt: An ſi adſit, vel haberi poſſit Confeſſarius, qui non habeat facultatem abſolvendi à reſervatis, ſed ſit potens abſolvere à peccatis mortalibus non reſervatis, tunc ſi pœnitens habeat aliqua reſervata, & aliqua non reſervata, poſſitne confiteri in eo mortis articulo cuilibet Sacerdoti ſimplici indifferenter: an ſoli Parocho, vel potenti abſolvere à non reſervatis? Reſpondetur, debere confiteri Parocho, vel potenti abſolvere à non reſervatis: quia in ordine ad illa jam adeſt proprius Sacerdos, qui debet alieno præferri; nec dicitur carere copià Confeſſarij ad illa, ac proindè quoad illa debet implere præceptum confitendi Sacerdoti proprio: & cùm aliundè non poſſit dimidiare confeſſionem, debet eidem confiteri reſervata, cùm in illo articulo habeat juriſdictionem ad abſolvendum etiam ab illis. Ita Lugus *num.* 38. Averſa *cap.* 16. *ſect.* 5.

Tertia difficultas.

40. Tertia difficultas eſt: An ſi adſit aliquis Miniſter, habens facultatem audiendi confeſſiones in alio loco, ſivè ſuper alios ſubditos, utpotè Parochus alterius Parochiæ, ſivè Confeſſarius approbatus ſolùm in alia Diœceſi, ſivè præcisè pro aliqua Parochia, adhuc oporteat hoc miniſterium ab eo exerceri, & non poſſit in articulo mortis ab aliquo ſimplici Sacerdote abſolvi?

Affirmant, non poſſe validè abſolvere Sacerdotem non approbatum, ſi adſit alius approbatus in alia Diœceſi, Suarez *diſp* 26. *ſect.* 4. *n.* 4. Zambranus *cap.* 4. *dub.* 4. *nu.* 16. Thomas Sanchez *cap.* 13. *num.* 10. Sed potiùs nobis id non apparet neceſſarium, & ita tenent Diana *tom.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 60. Trullench *lib.* 1. *in Bullam cruciatæ*, §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *nu.* 4. Averſa *dictâ ſect.* 3. Lugo *diſp.* 18. *num.* 37. Leander *q.* 21. Et ratio eſt: quia tunc ille alius Parochus, vel Confeſſarius, qui alioqui non babebat juriſdictionem pro tali loco, & perſona, ſe habet ſicut ſimplex Sacerdos; quarè remanet libera electio: ſicut inter plures Sacerdotes ſimplices.

PUNCTUM III.

Quis ſit miniſter ordinarius in hoc Sacramento?

Commune aſſertum.

41. Miniſter ordinarius in hoc Sacramento eſt, qui eſt Paſtor reſpectu pœnitentis, ut eſt Summus Pontifex in tota Eccleſia erga omnes fideles: Epiſcopus in ſua Diœceſi erga ſuos ſubditos, Parochus in ſua Parochia erga ſuos Parochianos. Ita omnes Doctores.

Quæſitum primum.

42. Sed petes primò: An Vicarius Generalis Epiſcopi, qui communiter appellari ſolet Proviſor, habeat etiam ordinariam juriſdictionem, ut audire poſſit confeſſiones, & alijs eam poteſtatem concedere in tota Diœceſi? Negant Archidiaconus, Joannes Andreas, Dominicus, Ancarranus, Franco, Sotus, & Petrus de Ledeſma, quos refert Villalobos *de miniſtro Sacram. pœnitent. difficul.* 47. *num.* 7. & alij apud Thomam Sanchez, *lib.* 3. *de Matrimon. diſp.* 29. *n.* 14. Moventur præcipuè: quia authoritas, quam habet Vicarius Generalis, eſt ex commiſſione Epiſcopi conſtituentis illum: ergò non eſt Ordina-

Digitized by Google

dinarius. Nec ſatis eſt, ſi dicas, quod quamvis Epiſcopus conſtituat Vicarium Generalem, co tamen ipſo, quod conſtituitur, jus confert ipſi poteſtatem, quam habet: juriſdictio autem, & poteſtas conceſſa à Canone, vel Lege, eſt ordinaria. Nam contra hoc eſt, quod Vicarius Generalis non habet juriſdictionem immediatè à Canone, ſed mediante Epiſcopi inſtitutione: ergò non eſt Ordinarius, aliàs Vicarius foraneus eſſet Ordinarius, cùm inſtituatur ab Epiſcopo permittente Canone.

Secunda & tenenda.

43. Nihilominùs dicendum eſt, Vicarium Generalem Epiſcopi habere juriſdictionem ordinariam, ut audire poſſit confeſſiones, & alijs licentiam audiendi concedere in tota Diœceſi: quia eſt Ordinarius, & verè Prælatus in tota Diœceſi, Parochiſque ſuperior, conſtituitque unum tribunal cum Epiſcopo, ejuſque perſonam repræſentat, ut conſtat ex *cap. 2. De conſuetudine, in 6.* & ex *cap. Romana de appellationibus.* Ita cum plurimis Juriſtis, & Theologis Thomas Sanchez *loco citato, num.* 15. Item Granados *de pœnit. tract.* 10. *diſp.* 2. *num* 7. Averſa *quæſt.* 16. *de miniſt. Sacram. pœnit. ſect.* 4. Villalobos *difficult.* 47. Boſſius, quem refert, & ſequitur Leander *de pœnit. diſp.* 11. *quæſt.* 22. Azor. cum multis, *tom.* 2 *lib.* 3. *cap.* 43. Dicaſtillus *diſp.* 10. *dub.* 5. *num.* 117.

Oppoſitæ ſententiæ fundamentum dejicitur.

44. Ad fundamentum autem oppoſitæ ſententiæ recta eſt ſolutio inter arguendum data. Et ad replicam dicendum, Vicarium Generalem Epiſcopi habere immediatè à Canone juriſdictionem ad hunc ſenſum, quod ſuppoſitâ nominatione, ſeu inſtitutione Epiſcopi, Canon dat juriſdictionem; undè non mediat Epiſcopus, quaſi dans juriſdictionem, ſed quaſi nominans, & inſtituens. At quando Epiſcopus Vicarium foraneum inſtituit, nullam prorsùs habet à jure juriſdictionem, ſed ſolùm habebit, quam Epiſcopus contulerit, & ita Vicarius foraneus non habet juriſdictionem ordinariam, ſed tantùm delegatam.

Corollarium primum.

45. Hinc colligitur primò, Vicarium Generalem, qui dicitur Proviſor, nominatum, & inſtitutum à Capitulo in ſede vacante, habere etiam ordinariam juriſdictionem, ut audire poſſit confeſſiones, & alijs audiendi licentiam concedere, cùm repræſentet ipſum Capitulum, quod tunc habet juriſdictionem ordinariam, ut benè docent Granados *loco citato*, Sbrozius, & Henriquez cum alijs, quos aducit, & ſequitur Villalobos *dictâ difficul.* 47. *num.* 8 & alij.

Corollarium ſecundum.

46. Colligitur ſecundò, idem quoquè dicendum eſſe de Vicario Generali aliorum habentium juriſdictionem Epiſcopalem: eſt enim Ordinarius, cùm eamdem habeat à Canone juriſdictionem, quam Vicarius Generalis Epiſcopi. Sic Antonius Cucus, quem refert, & ſequitur Sanchez, *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 29. *n.* 4.

Quæſitum ſecundum de Papa.

47. Petes ſecundò: Quinam habeant ordinariam juriſdictionem ſupra prædictos, & à quo poſſint abſolvi? Et quidem ſuper ipſum Summum Pontificem nullus habet ordinariam juriſdictionem: nullus enim eſt ejus Paſtor; poteſt tamen Sacramentaliter abſolvi à Sacerdote, quem ipſe elegerit.

De Epiſcopis.

48. Super Epiſcopos, dixerunt aliqui ordinariam juriſdictionem habere, ut poſſit eos abſolvere Archiepiſcopum, & ſuper Archiepiſcopos Patriarcham. Ita Paludanus, & Sylveſter apud Suarez. Sed ipſe Suarez, cum Soto, & alijs quos refert, & ſequitur Lugo, *diſp.* 19. *ſect.* 1. *num.* 2. Vazquez, *quæſt.* 93 *art.* 1 *dub.* 4. *num.* 3. N. Anton. à Spir. S. *num.* 740. & communiter jam Doctores, teſte Averſa *q.* 16. *ſect.* 4. melius dicunt: ſuper hos omnes ſolùm Summum Pontificem habere immediatè juriſdictionem ordinariam in hoc Sacramentali foro. Epiſcopis tamen, & alijs exemptis Prælatis, ipſo jure conceſſum eſt, quemvis providum, & diſcretum confeſſorem ſibi deligendi, ut vitetur animarum diſpendium: quia difficile eis eſſet recurrere ſemper ad Papam, ut habetur *cap. ultimo, de pœnitent. & remiſſionibus*, & notant Paludanus, Sylveſter, & Suarez, quos citat, & ſequitur Layman *de pœnitent. cap.* 10. *num.* 4. Lugus *diſp.* 19. *ſect.* 1. *num.* 3

De Prælat. Regularib.

49. Eodemque indulto gaudent Prælati Regulares, præſertim Generales, & Provinciales, imò & immediati, habentes juriſdictionem in utroque foro, ut docent Lugo, *loco citat. n.* 4. & plures, quos congerit Diana *tract* 2. *de dubijs Regular. reſol.* 1. *& tom.* 4. *tract* 4 *Miſcellaneo reſol.* 1. N. Philip. *diſp* 11. *dub* 3. N. Gabr. *diſp* 9. *q.* 2.

De Cardinalibus.

50. Cardinales verò ſaltem ex conſuetudine poſſunt eligere ſibi confeſſarium, imò & dare facultatem ſuæ familiæ eligendi confeſſarium: ſicuti docent Cajetanus verbo *Abſolutio* 2. Candidus *diſquiſit* 24. *art.* 55. *dub* 6 Suarez *diſp* 25. *ſect* 2. *numero* 11. *&* 12. *& diſput.* 27. *ſect.* 2. *numero* 6. Lugo *num.* 5. Vazquez, Hurtado, Llamas, & alij, quos citat, & ſequit. Leander *diſp.* 11. *q.* 33.

De Parochis.

51. Super Parochos immediatè ordinariam juriſdictionem habet proprius Epiſcopus, qui propterea dicitur Parochorum Parochus; hi ex conſuetudine eligunt ſibi confeſſarium, ſed non niſi approbatum ab Epiſcopo: ut rectè docent N. Gabriel *loco citato*, Suarez, Lugo, Nuños, Granados, Molfeſios, Coninchus, Megala, Solerius, Lodovicus Boſſius, apud Leandrum *quæſt.* 34. & alij: quia poſt Tridentinum non poſſunt eligere ſibi confeſſarium, niſi ab Epiſcopo approbatum.

Undè multò minus inquit cum pluribus N. Philippus à SS. Trinit. *de pœnitent. diſp.* 11 *dub.* 5. exponere poſſunt in ſuis Parochijs Sacerdotes à ſuo Epiſcopo non approbatos.

Quæſitum tertium de Vagis.

52. Petes tertiò: Quiſnam ſit proprius miniſter Vagorum, Peregrinorum, & eorum qui habent domicilium in duplici Parochia? Et quidem Vagi ſic dicti eò, quod non habeant certum domicilium, habent proprium miniſtrum, eum Parochum, ſub quo actu reperiuntur, ſeu in cujus Parochia pro tempore verſantur. Tum quia actualis habitatio loci, quam pro tempore habent, ſuccedit eis in locum domicilij. Tum etiam, quia ſi indigeant Sacramentis, Parochus loci, in quo reperiuntur, tenetur ea ipſis miniſtrare: ergò eſt proprius ipſorum Sacerdos, cui peccata ſua confiteri poſſunt. Ita Suarez, *diſp* 25. *ſect.* 2. Medina C. *de Confeſſ q* 23 Sylveſter *verb. Confeſſor.* 1. *q.* 2. Coninchus *diſp* 8. *dub.* 8 *n* 62 Hurtad. *diſp.* 10. *difficult.* 12. Lug. *diſp.* 19 *n.* 7. Anton. *n.* 743. Reginal.

 Fil-

Filliucius, Sotus, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Sacram. pœnitent. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 2. num. 4.* contrà Navarrum, Thomas Sanchez, Vazquium, Laymanum, quos citat, & ſequitur Palaus *diſp. unic. punct. 13. num.* 13. exiſtimantes, vagos poſſe cuilibet Sacerdoti approbato confiteri, & ab eo communionem accipere.

De Peregrinis.

53. Qui autem peregrinantur, & iter faciunt, & alibi habent domicilium, quamvis proprium Paſtorem habeant, ubi domicilium habent, poſſunt tamen jam ſpectata conſuetudine, & conceſſione tacita ſuorum Paſtorum confiteri, vel Parocho illius loci, ad quem perveniunt, vel cuilibet ex approbatis, dum tamen ex induſtria non diſceſſerint à ſuo domicilio, ut occaſione itineris alteri confiterentur. Ratio hujus conceſſionis eſt, ne diù debeant abſtinere à confeſſione, ac Sacramentorum perceptione. Ita Sylveſter, Sotus, Ledeſma, quos refert, & ſequitur Suarez *num* 8. Coninchus *numero* 61. Cardinalis Lugo *dicto numero* 7. Reginaldus], Vazquez, Filliucius, quos citat, & ſequitur Bonacina *punct. 2. nu.* 5. Thomas Sanchez *lib* 3. *de matrimon. diſp.* 23. *numero* 17. & cum alijs Palaus *n.* 12.

De his, qui habent domicilium in duplici Parochia.

54. Qui verò habent domicilium in duplici Parochia, poſſunt utrique Parocho, in quorum Parochia habent domicilia confiteri: quia uterque eſt proprius illorum Parochus, & Sacerdos ratione utriuſque domicilij: quilibet autem poteſt confiteri proprio Parocho, ſeu Sacerdoti. Ita Navarrus, Suarez, Henriquez, Filliucius, & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina *dict. punct. 2. num.* 2. Lugo *loco citato*, Coninchus, & Hurtado, quos citat, & ſequitur Leander *quæſt.* 40. & alij. Poſſunt etiam hi, qui in aliquo loco habitant majori anni parte, licet alibi domicilium habeant, illi Parocho confiteri, apud quem habitant, ut ſunt Scholaſtici, milites, litigantes, & mercatores ex conſuetudine, quæ introducta eſt, & ex tacito conſenſu, & approbatione ſuperiorum. Ita Suarez, Reginaldus, Vazquez, Navarrus, Coninchus, Henriquez, Filliucius, quos adducit, & ſequitur Bonacina, *loco citato*, Thomas Sanchez, *n.* 13. Lugo, *n.* 7. & alij.

Quæſitum quartum.

55. Petes quartò: An Parochus, vel Epiſcopus extrà Diœceſim poſſit abſolvere ſuum ſubditum? Reſpondetur affirmativè: quia hæc juriſdictio non eſt contentioſa, nec requirit ſtrepitum judicialem. Ita Suarez, Lugo, Zerola, Bonacina, Molfeſius, Navarrus, Azor, Henriquez, Vega, & alij, quos citat, & ſequitur Leander *diſputat.* 11. *quæſt.* 41. N. Gabriel à S. V. *diſp.* 9. *quæſt.* 2. & eſt communis. Notat autem benè ex Suario Cardinalis Lugo, *numero* 8. hoc locum etiam habere in eo, qui habet juriſdictionem delegatam, quam poterit exercere circa ſubditos delegantis, ubicumque eos inveniat, dummodo delegationis formula non limitet ad talem locum, vel Diœceſim, prout alicubi apponi conſuevit.

PUNCTUM IV.

Quiſnam Sacerdos ſit miniſter delegatus ad confeſſiones audiendas.

Communis reſponſio.

56. Miniſter delegatus ad confeſſiones audiendas eſt omnis Sacerdos, cui non competit jus ex officio audiendi illas, ab alio tamen legitimè delegare valente eam facultatem accepit, tamquam capax illius, & approbatus ab Ordinario. Ita communiter Doctores. Poſſunt autem juriſdictionem delegare in hoc foro omnes, qui eam habent ordinariam. Undè Papa pro omnibus Chriſtianis, Epiſcopus, & Parochus ſinguli pro ſuis ovibus poſſunt eam delegare. Requiritur tamen in eo, cui delegatur juriſdictio, capacitas, nimirum non eſſe impeditum per aliquam cenſuram, & poſt Tridentinum approbatio etiam facta ab ordinario. Similiter delegare poſſunt Vic. Gen. Epiſcopi, ſummus Pœnitent. & alij ſimiles.

Quæſitum primum.

57. Sed urgebis primò: An qui habet juriſdictionem delegatam, poſſit eam alteri ſubdelegare? Reſpondetur facultatem ſubdelegandi dependere omninò ex voluntate miniſtri ordinarij, ſi nimirum ei placeat, alicui non ſolùm delegare juriſdictionem, ut per ſe illam exerceat, ſed etiam dare facultatem ſubdelegandi alteri, quod ex verbis, & circumſtantijs delegationis conijciendum eſt; alioqui ſinè hac conceſſione non habet delegatus per ſe facultatem ſubdelegandi. Ita Card. Lugo *diſp.* 19. *ſect.* 2. *n.* 15. Averſa *quæſt.* 16. *de miniſtro Sacram. Pœnit. ſect.* 4. N. Antonius *n.* 765.

Corollarium primum.

58. Hinc ſequitur primò, Religioſos habentes poteſtatem delegatam à Summo Pontifice, & quidem ad univerſitatem cauſarum, nempè ad abſolvendos omnes pœnitentes ab omnibus peccatis, &c. non poſſe hanc juriſdictionem alijs Præsbyteris ſæcularibus delegare: quia Pontifex dum Religioſis dat eam poteſtatem abſolvendi, vult eorum operam perſonalem: uti rectè notat Lugo *loco cit.*

Secundum.

59. Sequitur ſecundò, Parochum, qui conducit Capellanum, cujus opera utatur, etiam in audiendis confeſſionibus ſuorum ſubditorum, non velle illi dare facultatem ſubdelegandi: quia ſolùm vult ejus operam, & exercitium actuale; non verò vult illi dare officium Parochi, etiam partiale per modum officij, ut cum alijs advertunt Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. diſp.* 31. *n.* 3. & Lugo *loco cit.*

Tertium.

60. Sequitur tertiò, Sacerdotem relictum à Parocho abſente loco ſui per paucos dies, prout ab eo fieri poteſt, vel ſubrogatum ab Epiſcopo loco Parochi per annum, vel ſemiannum, poſſe ſic delegatum ſubdelegare alteri facultatem; non quidem amplam, & univerſalem: ſicut ipſe habet, ſed ad aliquem particularem actum, & iterum ad alium, non verò ad totum officium ſuum: ubi in hoc locum habet illa regula juris delegatum ad univerſitatem cauſarum poſſe ſubdelegare alterum ad aliquam cauſam particularem, non verò ſimiliter in univerſum ad omnes cauſas. Ita Lugo, Averſa, & N. Anton. *citati.*

Quartum.

61. Sequitur quartò: quando Epiſcopus

dat

dat facultatem abſolvendi ſæculares à caſibus ſibi reſervatis alicui Prælato Regulari, non poſſe ipſum illam facultatem communicare ſuis ſubditis: quia intelligitur perſonalis, niſi ex verbis conceſſionis aliud colligeretur. Ita ex parte Lugo, ſcilicet, ſi conceſſa ſit ſpecificè huic perſonæ illam petenti: & abſolutè Averſa, niſi Epiſcopus ipſe aliud expreſſerat.

Quæſitum 2.

62. Rogabis ſecundò: An ille, cui juriſdictio delegatur, debeat notitiam habere bujus delegationis, ita ut aliter abſolutio irrita ſit? Affirmat Coninchus *diſp.* 8. *dub.* 5. *num.* 33. & Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. diſp.* 36. *n.* 8. in univerſum aſſerit, non valere actum factum ab eo miniſtro, qui non adbuc babuerat notitiam facultatis ſibi conceſſæ à ſuperiore. Quibus conſentit Lugus, ſi hæc doctrina formaliter intelligatur: hoc eſt, ſi aliquis putat ſe non habere juriſdictionem, actum non eſſe validum, quia non videtur habere intentionem validè, v.g. abſolvendi, qui putat ſe non validè abſolvere. Cæterum ſi confeſſarius putat ſe habere juriſdictionem, licet erret in titulo, quo illam habet, & aliundè habet revera illam ex aliquo verò titulo, credunt non immeritò Lugus, & N. Anton. *n.* 775. validam eſſe abſolutionem, vel quemcumque alium actum: & ita confeſſarius qui babet animum abſolvendi inquantum poteſt, & meliori modo quo poteſt, validè abſolvit, licet ipſe ignoret verum titulum ſuæ poteſtatis, ſi tamen revera habet illam ex aliquo vero titulo.

Undè & Regularis qui putat ſe habere privilegium abſolvendi ab aliquibus caſibus & revera babet, licet illud numquam viderit validè abſolvit, & etiam licitè ſi prudenter id faciat. Ita N. Gabriel à S. Vinc. *diſp.* 9. *de pœnit. q.* 2.

Quæſitum 3.

63. Rogabis tertiò: An qui confitetur Regularibus habentibus privilegium à Papa abſolvendi omnes fideles, auditis eorum confeſſionibus, teneatur confiteri eadem peccata ſuo Parocho, vel cum eo facere confeſſionem annuam? Reſpondetur, fideles ſatisfacere præcepto confeſſionis annuæ confitendo Religioſis habentibus à ſummo Pontifice dictam facultatem: nec debere iterum eadem, aut alia peccata confiteri Parocho: nam privilegia Regularium, præſertim moderna, clariſsimè loquuntur, & fidelium omnium uſus ita obſervat. Nec non Clemens VIII. ſpeciali brevi ita declaravit 21. Decemb. anno 1592. ut referunt Cardin. Lugo de *Sacram. Pœnit. diſp.* 19. *ſect.* 2. *nu.* 27. Coninch. *diſp.* 8. *dub.* 9. Diana 8. *part. tract.* 1. *reſ.* 88.

Quæſitum 4.

64. Rogabis quartò: An privilegio illo abſolvendi omnes fideles, comprehendantur Religioſi, quibus ſecundum propria ſtatuta extra ſuum Ordinem, aut alteri, quam illi, quem Prælatus quoad hoc munus deſtinavit, confiteri permiſſum non eſt? Reſpondetur negativè, ut ex communi notavit Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 62. *art.* 4. & compendium privileg. Societatis Jeſu verb. *abſolutio*, §. 1. & ex his Layman *de Sacrament. pœnitent. cap.* 10. & Buſembaum in *Medulla Theologiæ moralis de pœnitent. dub.* 3. *numero* 9.

Quæſitum 5.

65. Rogabis quintò: Qualis delegantis conſenſus ad juriſdictionem in foro pœnitentiæ alteri demandandam requiratur? Reſpondetur requiri actualem delegantis conſenſum, eumq; ſigno aliquo externo manifeſtatum; requiritur quidem actualis conſenſus: quia delegare juriſdictionem eſt actus voluntatis ejus, qui poteſtatem habet, ac proindè ſine actuali voluntate ipſius non confertur alteri juriſdictio, ſinè qua irrita eſt abſolutio in pœnitentiæ foro. Debet verò actualis delegantis conſenſus ſigno aliquo externo eſſe manifeſtus: quia delegatio juriſdictionis fieri debet modo humano, & ſenſibili, ut ab altero cognoſci, & acceptari poſſit: ideoque non ſufficit mera voluntas interna, ſed eam verbo, ſcripturâ, aut facto, ſufficienter manifeſtatam eſſe oportet. Ita ex communi ſententia docent Suarez *diſp.* 26. *ſect.* 1. Coninch. *diſp.* 8. *dub.* 5. Layman *cap.* 10. *num.* 15. Lugus *diſp.* 19. à *num.* 21. & deinceps Averſa *q.* 16. *ſect.* 4. N. Anton. *numero* 783. ubi & ſequentibus plura habet.

Corollarium primum.

66. Hinc infertur primò, non ſufficere futuram ratihabitionem delegantis nunc probabiliter præſumptam, ut communis ſententia docet: & quidem ſi ſermo ſit de propria ratihabitione, quæ ex ſe eſt voluntas conſequens, ac ſupponens actum factum, non poteſt eſſe dubium, cum Sacramentum non poſsit eſſe ſuſpenſum, & dependens à conſenſu futuro ſuperioris; nec poteſt ſuperior poſtea ratificare, & convalidare Sacramentum, quod in ſui exercitio non erat adhuc validum. Neque hic locum habet regula juris: *Ratihabitionem retrò trahi, & mandato non eſt dubium comparari*; illa enim intelligitur ad ſummum de ratihabitione in ordine ad actus, qui licet à principio non fuerint validi, poſſunt tamen poſteà validi fieri, & eorum valor per jurisfictionem retrò trahi, quales non ſunt actiones Sacramentales, ut conſtat, quæ ſi verè ab initio non valent, non poſſunt poſteà accipere valorem, quando jam non ſunt. Undè in illis magis habet locum illa alia juris regula, *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convaleſcit.*

Corollarium ſecundum.

67. Infertur ſecundò, non ſufficere voluntatem præſumptam delegantis conditionatam, quatenus judico, quod ſi ſciret ſuperior, vel ſi peteretur facultas illam daret: quia juriſdictio debet abſolutè dari, & per conſequens per voluntatem abſolutam, & actu exiſtentem, non quæ eſſet: nam quod non eſt, non operatur. Ita ex communi ſententia Doctores citati.

Corollarium tertium.

68. Infertur tertiò: ſimiliter non ſufficere, ſi ſuperior habet talem voluntatem ſolùm in mente; ſed oportet, ut aliquo externo ſigno eam expreſſerit: ſic enim humano modo eam concedit, non tamen neceſſe eſt, ut determinatè per vocem exprimat, aut per ſcriptum, ſed ſatis eſt quocumque modo, etiam per nutus, aliave ſigna, quæ ſatis ejus mentem denotent.

Undè validè & licitè Sacerdos abſolvit cum viva voce approbatio aut licentia Epiſcopi data eſt. Quamvis conceſsionis litteræ nondum eſſent expeditæ: ita cum pluribus N. Antonius à Spir. ſancto *in direct. confeſſar n.* 780.

Quæſitum ſextum.

69. Rogabis ſextò: An ille, qui habens juriſdictionem delegatam, cæpit audire confeſſionem, poſsit illam finire, etiamſi interim

ſpiret delegatio? Negativam partem eſſe ſatis probabilem dicunt Petrus de Ledeſina *in ſumma, cap.12. de Sacram. Pœnit. poſt. 5. concluſ.* Zambranus *de caſib in artic. mort. cap 4. dub. 5. num. 4.* Reſpondetur tamen poſſe: quia jure cautum eſt juriſdictionem delegaram, quæ morte delegantis omninò ceſſat, minimè ceſſare, re non integra, qui ea uti cæptum eſt, cap. *Gratum*, & cap. *Relatum*, *de officio delegati*: & quamvis textus de juriſdictione in foro externo loquantur, at idem meritò dicunt de juriſdictione fori interni (ac proindè habentem licentiam audiendi confeſsiones ad tempus, poſſe eo tranſacto proſequi confeſsionem anteà cæptam) Thomas Sanchez *in ſumma*, *lib.2. cap.13. numer.15.* Villalobos, *tract.27. concluſ.4. num.12.* Acoſta, *in expoſition. Bullæ cruciat. quæſt.* 36. Rodriguez, *ibidem*, *§.5. num.2.* Diana, *tom.1. tract.11. reſolut.94* & hanc ſententiam eſſe valdè probabilem aſſerit Lugus *diſp.19. ſect.2 num.24.* N. Gabriel à S. V. *q. citatâ.* Antonius *n.*801.

Illatio 1. 70. Undè ſimiliter ſi tempus Bullæ cruciatæ tranſeat, poteſt confeſſarius concedere majus tempus pœnitenti, ut recordetur de voto, quod ſcit emiſiſſe, ſed eſt immemor ſpeciei, & poſteà tranſacto etiam anno; illud commutare: eo quod jam acceprarit poteſtatem, & inchoarit cauſam, & quodammodo conceſſit commutationem tempore habili, ut optimè docent Thom. Sanchez *in ſumma, lib.4. cap.54. nu* 34. & Diana *tom.1. tract.11. reſol.*94.

Illatio 2. 71. Undè etiam ille, qui per Bullam cruciatæ habet poteſtarem abſolvendi, ſi confeſſio cæpta eſt, poterit eam proſequi, adhuc ſi interim finiatur tempus Bullæ, uti benè advertit Lugus *loco citato*, aſſerens, idem de ſimilibus facultatibus dicendum eſſe.

PUNCTUM V.

An ſufficiat juriſdictio delegata dubia, vel probabilis ad miniſtrandum hoc Sacramentum.

Quid quoad juriſdictionem delegatam merè dubiam. 72. ET quidem ſi juriſdictio delegata merè dubia ſit, certum eſt neminem poſſe eà uti, niſi in caſu magnæ neceſſitatis, quando aliud remedium magis ſecurum exhiberi non valet: quo caſu abſolutio debet ſub conditione impendi. Ita Suarez *diſp. 26. ſect.6.* Lugus, *diſp.29. ſect. 2 n.* 28. Coninchus, *diſp* 8. *dub. 6. num.* 43. & alij paſſim. Hic autem caſus magnæ neceſſitatis contingere poteſt: v. g. ſi Sacerdos ex obligatione debeat celebrare, & non ſit, qui illius confeſſionem poſſit audire, niſi alius Sacerdos dubitans de ſua juriſdictione: tunc enim pœnitentem, tametſi teneri confiteri tali Sacerdori cenſeant N. Cornejo *t. 2. tract.8. diſp. 4. dub. 2. in fine*, & Salas ibidem *tract. 8 diſp. unic. q. 9. ſect. 2.* Econtra verò per ſe loquendo rectius Suarez, *diſp. 26. ſect 6.* & Averſa, *q. 16. ſect. 5.* ſtatuant non teneri: quia adhuc obſtringeretur tunc ad actum perfectæ contritionis conari; ne celebraret, vel communicaret in dubio ſtatùs gratiæ: ſiquidem per eam confeſſionem non eximeretur ab hoc dubio, & teneretur poſteà iterùm confiteri Sacerdoti habenti certiorem juriſdictionem; quare non debet gravari tunc ad confitendum cum eo dubio. Omnes tamen conveniunt, licitum fore in eo caſu, & ex tali cauſa confiteri Sacerdoti habenti juriſdictionem dubiam, quando aliter non poteſt: quia in confeſſione tali nulla eſt deordinatio, & ſi quid eſt incommodi ratione dubij, totum eſt in gravamen pœnitentis, quod poteſt ipſe voluntariè aſſumere; in abſolutione etiam adjecta, vel ſubintellecta conditione, & interveniente prædictâ cauſâ, nullus eſt abuſus clavium; cùm tunc non fiat temerè, neque ex mera, & irrationabili voluntate: poteſt enim illa abſolutio prodeſſe, & non obeſſe. Conditio verò, ſub qua Confeſſarius utitur tali juriſdictione, tollit periculum: nam ſi adeſt vera juriſdictio, fiet Sacramentum; ſi verò non adſit, non fit injuria Sacramento: quia conditionalis nihil ponit in eſſe.

Quid quando eſt ſub opinione juriſdictio. 73. Quando verò ſub opinionum probabilitate eſt, an confeſſarius habeat juriſdictionem ad hoc Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrandum, tunc ſi haberi poſſit alius miniſter certa juriſdictione præditus, non licere illi, qui habet tantùm probabilem, exercere hoc miniſterium: & ſimiliter pœnitenti ſcienter ab illo recipere, indicat Nuñus, *quæſt.8 art.5 dub.1.* Peregrinus, Salas, & latè N. Philippus à SS. Trinit. *diſp. 11. dub.* 4. & alij apud Averſam, *q.16. ſect.5.*

2. & communior, & concedenda. 74. Concedendum tamen cum communiori ſententia eſt, licere tam ex parte confeſſarij, quàm ex parte pœnitentis in hoc miniſterio uti juriſdictione communiter exiſtimata probabili, relicta parte alioqui certâ, & tutâ; quamvis de conſilio melius eſſet hanc eligere. Ita Suarez, *diſp.26. ſect.6.* Sanchez *tom 1. in decalog. c.9. numer* 35. *& lib 3. de matrim. diſp.22. num.*65. Bonacina, Granados, Leſſius, Malderus, Tuerianus, & alij apud Lugum, *diſp.19. ſect.2. n.29.* Marinez, Villalobos, Reginaldus, & alij, quos citat, & ſequitur Averſa, *dict. ſect.* 5. Baſilius de Leon, Henriquez, & alij, quos adducit, & cum quibus ſentit Palaus, *tom.1 diſp.2. punct.5. num.9* Diana, *p.2. tract.13. reſol.2.* N. Gabriel *diſp.9 qu.2. quæſito* 9. Antonius *n* 824. Franciſcus B. Spei *diſp.9. num.*39 Herinx *diſp.5. num.*30. Salas, Filliucius, quos affert, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.10. dub.8. num.*193. & deinceps ubi etiam ait: dari moralem certitudinem, & valorem juriſdictionis in caſu poſito. Sic concedente Eccleſia, ideſt Pontifice, qui non ignorat hanc ſententiam, & eam patitur, & permittit, cum poſſet non permittere, ſed prohibere.

Ratio illius. 75. Probatur autem hæc communior ſententia, quia revera nulli periculo exponitur Sacramentum: tum quia eo ipſo, quod de juriſdictione ſit opinio communiter exiſtimata probabilis, (& non ſolùm privato aliquo ſenſu & errore) datur publicus, & communis error, & facta ex tali errore communi ſunt valida, etiamſi opinio illa probabilis revera ſit falſa: quia juriſdictio tacitè confertur, & defectus ſuppletur ab Eccleſia. Tum etiam, quia in confeſſione, quæ communiter ordinariè in Eccleſia fit hujuſmodi miniſtris, ſemper moraliter

raliter

raliter ſimul intervenit materia aliqua, circa quam habeot certam, & indubitatam juriſdictionem ſcilicet aliqua peccata venialia, ſupra quæ certum eſt eſſe juriſdictionem in quolibet confeſſario: & cum aliundè ſit probabile, quod poſſit abſolvere à mortalibus, ſaltem cadet indirectè abſolutio ſuprà illa.

Illatio 1.

76. Ex his infertur primò, eum, qui ſequitur opinionem probabilem Doctorum aſſerentium, in aliquo caſu confeſſarium habere juriſdictionem abſolvendi à reſervatis, ſeu privilegium, quod habebat ad abſolvendum, nondum eſſe revocatum, validè abſolvere propter dicta, etiamſi re ipſa juriſdictio alioquin ceſſaſſet. Ita Sanchez *lib. 3. de matrimon. diſp. 22. n. 13.* & Dicaſtil. *dict. dub. 8. n. 201.* & communiter Doctores citati.

Illatio 2.

77. Infertur 2. diſcrimen, quod eſt inter requiſita ad Sacramentum ex parte Dei, ſeu Chriſti inſtituentis talem materiam, vel tale formam, v.g. & inter id, quod ex parte Eccleſiæ requiritur ad valorem Sacramenti, ſcilicet inter juriſdictionem, quæ ab ipſa conferenda eſt, quod defectus eorum, quæ pertinent: v. g. ad materiam, vel formam requiſitam à Chriſto Domino, pro quolibet Sacramento nullo modo poteſt ſuppleri per Eccleſiam: illud autem quod ex parte Eccleſiæ requiritur, quod ab ipſa conferendum eſt, qualis eſt in præſenti juriſdictio, etſi reipſa ſtante opinione probabili, deficiat, ſuppleri poteſt ab Eccleſia, & de facto ſuppletur, concedente illam Eccleſia, id eſt Summo Pontifice, ut dictum eſt. Ita rectè notat Dicaſt. *loco cit. n. 202.*

PUNCTUM VI.

An juriſdictio delegata ad confeſſiones audiendas, expiret morte concedentis.

Commune aſſertum de juriſdictione delegata à Papa.

78. ET quidem communiter Doctores conſentiunt, juriſdictionem in hoc foro à Summo Pontifice in generali delegatam non expirare per ejus mortem, ſed adhuc deinceps continuari, & ita praxis ipſa demonſtrat in Pœnitentiarijs, & Regularibus à Summo Pontifice delegatis, conſtatque expreſsè Cap. *Si ſuper gratia 9 de officio delegati in 6.* & Cap. *Sicut 36. de præbendis in 6.*

Quid de delegata ab alijs? 1. ſententia.

79. De cæteris verò inferioribus Prælatis controverſia eſt inter Doctores. Expirare eam putant, quando ſcilicet, erat adhuc res integra, & non cœpta confeſſio, Paludanus, D. Antoninus, & alij, apud Averſam, *quæſt. 16 ſect. 4.* Angelus, Sylveſter, & Vazquez, apud Dicaſtill. *diſp 10. dub 6. n. 135.* Amicus quem ſequitur Diana 8 *p. tract. 5. reſol. 83.* & ſaltem delegatam à Parocho expirare ſentit Molina *tit. 5. de juſtitia, diſp. 20. num. 5.*

2. communior & verior.

80. Meliùs alij plurimi docent, juriſdictionem in generali delegatam etiam ab inferioribus, ut ab Epiſcopo, vel Parocho ad audiendas confeſſiones non expirare morte concedentis, vel finità ejus juriſdictione, ſed adhuc durare donec à ſucceſſore revocetur, vel tempus præfixum labatur. Ita Thomas Sanchez, *lib. 8. de Matrim. diſp. 28. n. 72.* Nicolaus Garcia, *6. p. de Beneficijs, cap. 2. n. 321.* Baſilius de Leon, *lib. 8. de Matrim. cap. 19.* Suarez, Coninchus, & alij, quos refert, & ſequitur Palaus, *tract. 3. diſp. 4. punct. 16. §. 4. n. 3.* & cum alijs multis Dicaſtillus *diſp. 10. n. 136.* Item Averſa, *q. 16. ſect 4.* referens Henriquez, Sayrum, Graffium, Lugum, & alios, Granados, *tract. 10. diſp. 4. ſect. 3. n. 17.* & cum alijs Leander, *diſp 11. quæſt. 42.* & cum Campanili, Barboſa, & alijs, Boſſius *de Jubilæo, ſect. 3. caſu a. §. 2. num. 9.* N. Anton. *n. 83. & ſeq.* Franciſcus *num. 35.* Et probatur 1. ex ipſa praxi: quia defuncto Epiſcopo, & ceſſante Prælato Regulari à ſuo officio, adhuc Confeſſarij anteà deputati in ſuo munere, & officio perſeverant in confeſſionibus audiendis, non ſolùm ſcilicet in perficienda confeſſione aliqua priùs incœpta, ſed etiam in novis confeſſionibus inchoandis: & ſimiliter ſi delegatio facta erat à Parocho. ¶ 2. Quia regula generalis, & omninò certa gratiarum eſt, ut ſi gratia facta ſit, non expiret finità juriſdictione concedentis; ſecus verò ſi ſit facienda: delegatio autem in generali facta Sacerdoti ad audiendas confeſſiones, eſt gratia jam facta ipſi. Nam quamvis licentia audiendi confeſſiones ſit in favorem pœnitentium, meritò nihilominùs computatur inter gratias factas: quia non conceditur reſpectu perſonæ determinatæ in peculiarem illius favorem, ad ipſiuſve petitionem; ſed datur ipſiſmet Sacerdotibus tanquam poteſtas, quæ in maximum eorum favorem redundat, ſtatimque ipſis conceditur, eſtque perfectè conceſſa, atquè à nullius juriſdictione dependens. Undè definiri ſolet, gratia facta, *quod ſit illa, quæ perfectè conceditur ei, in cujus gratiam datur, ac independenter ab alio, cui facienda committitur*, idque totum reperitur in noſtro caſu: ac proindè hæc juriſdictio in foro Sacramentali computatur inter gratias factas, quæ non expirant morte concedentis, licèt alioqui expiret juriſdictio in materia juſtitiæ in foro contentioſo, quando eſt integra, & non cœpta cauſa; ut deciditur in cap. *Gratum*, cap. *Relatu*, cap. *Licet, de officio delegati.* ¶ Tertiò, quia in noſtro caſu non expirare juriſdictionem delegatam morte delegantis colligitur ex eiſdem illis juribus, in quibus juriſdictionem delegatam à Summo Pontifice non expirare morte ipſius viſum eſt: quia licèt ſermo eſſet in illis de Pontificia delegatione; tamen ratio extenditur etiam ad Epiſcopalem, & ad factam à Parocho intra ſuos terminos; & exempli gratià de privilegijs, & gratijs Pontificum jura illa loquuntur, non quia ad ſola privilegia Pontificum ſint limitanda, ut cum Garcia, Baſilio, Conincho, Thomas Sanchio, & Suario benè notat Palaus *de privilegijs, tract. 3. diſp. 4. punct. 16. §. 4. n. 3.*

Suadetur primò. *Suadetur ſecundò.*

81. Quod ſi objicias: Generalis Epiſcopi Vicarius, qui dicitur Proviſor, & eſt Ordinarius, eo ipſo quod Epiſcopus moriatur, caret poteſtate, & expirat ejus officium: ergò potiori ratione expirabit Confeſſarij delegati juriſdictio. Reſpondetur negando paritatem. Proviſor enim cenſetur Epiſcopus ipſe, quatenùs cum Epiſcopo non duo tribunalia, ſed unicum conſtituit, quod non habet locum in dicta poteſtate. Delegatus enim ad audiendas confeſſiones non dicitur habere idem omninò tribunal internum, ſeu conſcientiæ cum delegante.

Objectio à ſimili, & illius reſponſio.

Extenditur id, quod dictum eſt de morte delegatis ad amiſſionem jurisdictionis ipſius.

82. Idem autem, quod dictum eſt de morte delegantis, ſimiliter aſſerendum eſt de ceſſatione ejus ab officio, ſive quia ab eo deponitur, ſive privatur, ſive ipſe cedat, aut renunciet, ſive quia per ſe officio peracto deſinat eſſe ſuperior, ut in Regularibus conſtat, ſive quia incurrat cenſuram, aut inhabilitatem aliquam, quâ interim ipſe ſua ordinaria juriſdictione privetur, ut in excommunicato vitando contingit. Ita rectè notant Averſa *quæſt.* 16. *ſect.* 4. Diana *p.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 83. & N. Antonius. Nam quantum ad præſens attinet, eadem eſt ratio in omnibus his caſibus: illa enim diverſitas materialis eſt; formale autem eſt, quod ſuam juriſdictionem delegans amittat.

Quid dicendum de facultate conceſſa pœnitenti eligendi ſibi confeſſorem?

83. Eadem etiam ratio eſt, ſi conceſſa erat licentia, & facultas ipſi pœnitenti eligendi ſibi confeſſarium, ut nec cenſeatur expirare morte concedentis: quia eſt gratia jam facta ipſi, & beneficium ab eo poſſeſſum, ratione cujus poteſt Sacerdotem eligere. Ita Averſa *loco citat.* & cum Navarro, Henriquez, Suario, Thoma Sanctio, Garcia, Baſilio, Legionenſi, & alijs docet Palaus *num.* 7. & cum Bonacina, Conincho, & Diana, Dicaſtillus, *diſp.* 10 *dub* 6 *n.* 156. Item Lugus *diſp.* 19 *ſect.* 2. *num* 38. Gonzalez, *ad regulam Cancellariæ* 8. *gloſ.* 12. *num.* 39. & alij, quos refert, & ſequitur Leander *diſp.* 11. *q.* 43. N. Anton. à Spir. ſancto *num.* 821. contrà Angelum, Philiarcum, Gomezium, & alios. Quæ doctrina procedit à fortiori in facultate eligendi confeſſorem data per Jubilæum: quia hujuſmodi facultas eſt acceſſoria facultati lucrandi indulgentiam, quæ cum ſit gratia jam facta, & morte concedentis non expiret, neque etiam expirat poteſtas eligendi confeſſarium, quæ eſt illi acceſſoria. Item in facultate conceſſa eligendi confeſſorem per Bullam Cruciatæ, conſtat non expirare morte Pontificis concedentis: tum quia eſt gratia jam facta Regi, in cujus favorem pro expeditione belli contra infideles conceditur Tum quia conceditur pro tempore determinato. Sic alios referens Thomas Sanchez *lib* 8. *de matrim. diſp.* 28. *num.* 78. & cum Baſilio Legionenſi, & Garcia, Palaus, *dict. numero* 7.

Quid ſi indultum ſit de abſolutione facienda alicujus certæ perſonæ nondum cæpta confeſſione?

84. Si tamen conceſſa erat facultas libera Sacerdoti audiendi confeſſionem pœnitentis determinati, in illius tantùm pœnitentis favorem nondum cæpta confeſſione, eam expirare morte concedentis, benè aſſerunt Thom. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 28. *num.* 73. Lugus *numero* 38. Garcia, 6. *p. cap* 2. *num.* 327. Bonacina, *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. §. 1. *n.* 25. Granados ubi ſuprà *num.* 17. Layman, *cap.* 10. *num. ultimo.* Quia cum illa gratia ſit in illius pœnitentis favorem, & nondum ſit perfecta, ſed per confeſſarium exequenda, non habet gratiæ factæ rationem, ſed faciendæ, quæ expirat morte concedentis re integra, ex Cap. *Sicut nulla de præbendis in* 6. Et licet contrariam ſententiam probabilem, & in praxi tutam putet Palaus *dict.* §. 4. *num.* 5. cenſet enim poteſtatem tibi datam ad diſpenſandum, vel abſolvendum, non ſolùm eſſe gratiam illius, cui eſt abſolutio, vel diſpenſatio concedenda, ſed etiam tui: ſiquidem tu, ut magis idoneus, electus es ad illam diſpenſationem concedendam, & ita etiam tenere aſſerit Manuelem Saà, & Patrem Salas, ac Baſilium Legionenſem: & in poteſtate ad abſolvendum, ut probabilius Suarium; ipſe tamen Palaus ingenuè fatetur, Thomæ Sanchez, & aliorum ſententiam eſſe communem, & in praxi conſulendam.

Quæſitum.

85. Verum quia plerumque conceditur facultas audiendi confeſſiones ad beneplacitum, Petes: An tunc expiret per mortem concedentis? Et quidem ſi dicatur ad beneplacitum Sedis, vel alio quovis modo æquivalenti, non expirat per mortem concedentis: quia Sedes ipſa non moritur. Ita Averſa, *q.* 16. *ſect.* 4. Suarez, Salas, Thomas Sanchez, Azorius, & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 1. *num.* 14. N. Anton. *num.* 818. Si autem dicatur, *ad beneplacitum noſtrum, vel donec voluero, vel dum fuerit noſtra voluntas, vel ad arbitrium noſtræ voluntatis, vel dum nobis placuerit*: cum beneplacitum, vel voluntas perſonæ ex ipſa perſona pendeat, talis conceſſio limitatur ad perſonam concedentis, ideoque per ejus mortem illa extinguitur. Sic Suarez, *diſput.* 27. *ſect.* 4. Reginaldus *lib.* 5. *num* 95. Averſa *loco cit.* & cum alijs Bonacina *de privilegijs, diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 1. *num.* 19. Henriquez *num.* 32. ſi verò dicatur, *donec revocavero, vel donec aliter diſpoſuero,* tunc cenſetur adhuc facultas durare poſt mortem: quia adhuc non ſuccedit actus contrarius revocationis, vel novæ diſpoſitionis. Ita Salas, Suarez, & alij, quos citat, & ſequitur Bonacina, *dicto num.* 19. & Averſa *dict. ſect.* 4. & N. Anton. *num.* 817.

PUNCTUM VII.

De approbatione poſt Concilium Tridentinum ad audiendas confeſſiones requiſita.

Ex Tridentino Epiſcopi approbatio requiritur.

86. DEcernit Sacrum Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reformatione*: *Nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nequè ad idoneum reputari, niſi ad Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegijs, & conſuetudine quâcumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Hæc approbatio, ſeu declaratio, quâ aliquis Sacerdos habilis, & idoneus ad excipiendas confeſſiones, tum quoad ſcientiam, tum quoad mores, & prudentiam, publicatur, quæque verbotenus per ſe loquendo fieri poteſt, & ſæpè fit, ut notarunt Granad. *de pœnit. tract.* 10. *diſp.* 5 *ſect.* 1. Suarez, Bonac. Fagund. quos refert, & ſequitur Palaus, *tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 17. §. 1. N. Anton. *n.* 916. monentes tamen, & benè, conſultum eſſe in ſcriptis haberi, ut certius conſtet, quando neceſſè fuerit. Hæc inquam approbatio, etſi requiratur ad juriſdictionis uſum, à juriſdictione tamen diſtinguitur: nam juriſdictio eſt ſuperioritas ſubditos reſpiciens; approbatio verò diſpoſitionem, & aptitudinem perſonæ approbatæ ſpectat; quapropter approbari Sacerdos poteſt, quin ullam juriſdictionem habeat; & èontra juriſdictionem habere poteſt (ſicuti habent Religioſi) quin approbationem ab Epiſcopo obtineat, ut benè docent Suarez, Vazquez, Llamas,

mas, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *dicto puncto* 17. §. 1. Porrò juriſdictio in foro pœnitentiæ interdùm committitur Sacerdoti ſimul cum approbatione, ut ſi Epiſcopus ſciens, & volens alicui præcipiat, ut confeſſiones audiat, eo ipſo approbare eum cenſetur, ut notant Coninchus, *diſp.* 8 *dub.* 7. *num.* 49 Layman, *cap.* 11. *de Sacram. Pœnit. n.*7 Imò quoties Epiſcopus Sacerdotem ſibi ſubditum ad audiendas confeſſiones deſignat, eo ipſo cenſet idoneum eſſe; alias iniqua eſſet, & invalida deſignatio. Sicuti docent Corduba, Suarez, Fagundez, Barboſa, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus, *punct.* 17. §. 1. Interdùm verò juriſdictio alicui demandatur ante Epiſcopi approbationem, ſed dependenter ab illa, tanquam conditione ſinè qua non, ut benè obſervant Averſa *q.* 16. *ſect.* 6. & Layman *loco citato*: v. g. Si Parochus Sacerdoti in cooperatorem aſſumpto facultatem det, cùm primùm ab Ordinario approbatus fuerit, confeſſiones ſuorum audiendi. Quà etiam ratione Religioſi a Summo Pontifice juriſdictionem in foro pœnitentiæ accipiunt, quamprimùm à ſuis Superioribus ad hoc munus deputati, & ab Ordinario approbati fuerint. Deniquè juriſdictio committitur interdùm Sacerdoti poſt ejus approbationem, quomodo: v. g. Parochi Sacerdotes ab Epiſcopo antè approbatos ad confeſſiones ſuorum audiendas exponunt, ut benè notat Layman.

Corollarium primum. 87. Ex verbis autem Concilij patet 1. nullam requiri approbationem, ut quis audiat confeſſiones Religioſorum: quia Concilium apertè reſtringit ſuum Decretum ad confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum: voluit enim relinquere Religioſos ſuis ſtatutis, confidens per ea ſatis eſſe conſultum eorum ſaluti. Quarè hi poterunt confiteri apud eoſdem, ac eodem modo, quo poterant antè tale Decretum, ut rectè notat Dicaſtillus, *diſp.* 10. *dub.* 9 *n.* 237. Jure autem antiquo ad excipiendas confeſſiones Regularium, approbatio neceſſaria non erat, ſed quilibet Sacerdos conſentiente Prælato, eligi poterat, ut communiter Doctores teſtantur, atquè ita poſt Concilium eodem modo eligi poteſt, & ita tradunt Suarez, Coninchus, Fagundez, Layman, Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Palaus, ubi ſuprà §. 2.

Corollarium ſecundum. 88. Patet 2. neceſſariam eſſe approbationem Epiſcopi, ad confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audiendas, non tantùm ut licitè fiant, ſed etiam ut validè. Ita enim ſonat Decretum Tridentini, & uſus habet, atquè communis ſenſus: & ita indubitanter omnes intelligunt. Nomine autem Epiſcopi etiam intelliguntur Prælati habentes juriſdictionem Epiſcopalem, ut quidam Abbates, & Capitulum ſede vacante; non autem Provinciales, aut Generales Ordinum, ut communiter tradunt Doctores.

Corollarium tertium. 89. Patet 3. obtinentes legitimè Beneficium, cui annexa eſt cura animarum, non indigere aliâ approbatione, nam expreſsè Concilium eos à neceſſitate obtinendi aliam approbationem excipit: cenſetur enim approbari hoc ipſo, quod judicantur idonei, qui tale Beneficium adminiſtrant, quoque illud his de facto confertur, ut benè docet Coninchus *diſp.* 8. *dub.* 6. N. Gabriël *diſputat.* 9. *quæſt.* 6. & alij paſſim.

90. Sed ſunt plures difficultates, quas ſigillatim expediemus. 1. eſt: An hæc approbatio valeat, ſi fiat ab Epiſcopo excommunicato non tolerato, aut ſuſpenſo ab officio, & juriſdictione? Valere opinatur, alios referens Boſſius *de Jubilæo, ſect.* 3. *caſu* 2. *n.* 65. quia putat non eſſe actum juriſdictionis Epiſcopalis, ſed potiùs teſtimonium probativum ſufficientiæ Sacerdotis. Sed quia hæc approbatio verè dici debet actus juriſdictionis Epiſcopalis, ut benè docet Thomas Sanchez, *lib.* 3 *de Matrim. cap.* 21. Bardi, *p.* 2. *in explicatione Bullæ, tract* 5. *cap* 1. *ſect.* 11. *n* 148 datur enim ab Epiſcopo, ut Judice, & per modum ſententiæ, ac proindè nihil illi deeſt ad rationem actûs juriſdictionis, aſſerendum eſt, eam ab Epiſcopo excommunicato vitando, aut ſuſpenſo ab officio, & juriſdictione, non valere. Ita tradunt Bonacina, Baſilius Pont. & alij, quos refert, & ſequitur Averſa, *q.* 16. *ſect.* 6. & Leander *diſp.* 11. *q.* 53. referens Sotum, Victoriam, Sylveſtrum, Ledeſmam, Gutierrez, & Suarez. *1. difficultas.*

91. Secunda eſt: An ſi Epiſcopus in mente ſua aliquem judicet inhabilem, voce tamen, vel ſcripto ei approbationem, & facultatem concedat, valida ſit approbatio, dum Epiſcopus fictionem non declarat? Nullam eſſe approbationem cenſet Bonacina, *de pœn. q* 7 *punct.* 4. §. 1. *n* 29 relatis Regin. & Barboſa, & in hanc pártem inclinat Suarez, *diſp* 28. *ſect.* 5. *num.* 6. Moventur: quia Concilium duo videtur expoſtulare, & judicium Epiſcopi, & illius approbationem, ut colligitur ex illis verbis: *Et idoneus judicetur, & approbationem obtineat*, at qui ab Epiſcopo habilis judicatur exteriùs, cùm tamen interiùs inhabilis judicetur, non verè, ſed fictè tanquam habilis approbatur: non igitur ea approbatio valida eſſe poteſt. *2. difficultas.*

Cæterùm, quamvis peccaret quidem graviter Epiſcopus approbans exteriùs illum, quem in mente ſua non putat idoneum, quarè interna approbatio requiritur ſanè in Epiſcopo ad licitum actum. Attamen valida erit approbatio externa, dum Epiſcopus fictionem non declarat. Ita Palaus *dicto* §. 1. *n.* 2. Lugus, *diſp* 21. *n.* 25. Leander, *diſp.* 11 *quæſt.* 74. Averſa, *q.* 16. *ſect* 6. dicens, hunc videri communem Doctorum ſenſum, & ipſorum fidelium: & abſolutè ita fateri Suarium *diſp.* 28 *ſect.* 5. *num* 7 Et ſuadetur primò: quia alioqui validitas hujus miniſterij relinqueretur pluribus periculis, & ſcrupulis expoſita. Secundò: quia ex inſtituto ipſius Eccleſiæ, non ex interno ſenſu, ſed ſolùm ex externo judicio, & declarativo, quod Sacerdos habilis ſit ad excipiendas confeſſiones, pendere debebat valor actûs, præſertim in re tanti momenti, in qua fideles non poterant certiores fieri, nec debebant eſſe ſolliciti de interno Superioris judicio. Tertiò: quia in Concilio planè non agitur de judicio interno, ſed externo, quod per approbationem profertur ab Epiſcopo, tamquam Judice. Undè illis verbis Concilij: *Idoneus judicetur*, idem eſt, ac ſi diceretur: *Idoneus pronuncietur*; ſicut quando aliquis in judicio innocens declaratur, etiamſi fortè aliter Judex in mente ſentiat, ſeu injuſtè judicet, vel contra conſcientiam.

92. Ter-

Tertia difficultas. 92. Tertia difficultas eſt: An approbatio ita debeat dari gratis, ut ſi ea conditio deſit, non ſolùm ſit illicita, de qoo dubium non eſt, ſed irrita reddatur? Reſpondetur non reddi irritam: quia nullibi habetur hanc approbationem ſymoniacè obtentam annullari, & ita docent Suarez, Reginaldus, Bonacina, quos citat, & ſequitur Palaus *num.* 6. Lugus *num.* 26. & cum alijs Leander *diſp* 11. *quæſt.* 80. & N. Antonius *num.* 917. Nec ſit paritas ad oppoſitum ex collatione ſymoniaca beneficij propter pecuniam, quæ invalida eſt: nam invaliditas hujuſmodi collationis beneficij conſtat ex jure; ſecus invaliditas approbationis, & valor in actu eſſe præſumitur, quoties oppoſitum in jure non declaratur.

Quarta diſſicultas. 93. Quarta difficultas eſt: An Prælatus Regularis poſſit abſque Epiſcopi approbatione audire confeſſiones ſæcularium? Pro parte affirmativa refert Henriquez, *lib* 7. *de indulgent. cap.* 12. *num.* 3. *in gloſſa, lit.* K. Mantium, Bañezium, Gallum, Medinam, & eam tenet Valerus *in differentijs utriuſque fori*, verbo, *Nullitas, differentia* 5. *n.* 3. & alij apud Dicaſtillum, *diſp.* 10. *dub.* 9. *num.* 265. Reſpondetur negativè cum communi, & vera ſententia, quam tenent Suarez, Lugus, Diana, Fagundez, Tamburinus, Boſſius, & alij, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *n.* 264. Item Rodriguez, Granados, Hurtado, quos affert, & ſequitur Leander *quæſt.* 62. N. Gabriel à S. Vinc. *q. citata.* Quia talis prælatura, dignitas, & officiom non ſignificatur nomine Parochialis beneficij: & Concilium Tridentinum ſolum excipit habentem parochiale beneficium.

Quinta difficultas. 94. Quinta difficulras eſt de Doctore, aut Magiſtro, vel Licentiato in Theologia, aut Jure Canonico: An ſit eo ipſo approbatus, & eligibiliſ in confeſſarium? Reſpondetur negativè, qoidquid aliqui dixerint: quia videtur carere fundamento; hic enim neque habet beneficium parochiale, ut ſupponimus, neque examinatus eſt, aut approbatus ab Epiſcopo. Ita Granados *tract.* 10. *diſp.* 5 *ſect.* 1. *n.* 4. Dicaſt. *num.* 266. Tamburin. Noſter Lezana, Filliuc. & alij, quos citat, & ſequitur Mendo *diſp.* 22. *de electlon. confeſſar. c.* 2. *n.* 23. N. Anron. *num* 859. & ut certum tradit Suarez, Fagundez, Layman, Barboſa, quos refert, & ſequitur Palaus *punct.* 17. §. 2. Et colligitur manifeſtè ex Bulla Pij V. edita anno 1571. quæ incipit, *Romani Pontifices*, ubi Magiſtros, & Doctores in Theologia examini, & approbationi ordinarij obtinendæ ſubijcit, ut notat Palaus, cum Suario, Barboſa, & Miranda. Decet tamen (& ſi fieri poſſit) ut prædicti Magiſtri, & Doctores in Theologia, alijque viri ſapientes examini quoad ſcientiam non ſubijciantur, uti notarunt Gutierrez *lib.* 1. *canonic. quæſtionum c.* 6. *n* 9. Manuale Prælatorum, *tom* 1 *q.* 54 *art.* 9. Layman, *cap.* 11. *num.* 2. Palaus *loco cit.* & Hermanus Buſembaum *de pœnitent. c.* 2. *dub.* 2. N. Antonius *loco cit.*

Sexta difficultas. 95. Sexta difficulras eſt: An ſi Epiſcopus, Regulares à ſuis Prælatis præſentatos, & manifeſtè idoneos, ſinè cauſa reijciat, nec approbare velit ad confeſſiones audiendas, maneant eo ipſo approbati, non obſtante diſpoſitione Concilij? Affirmant Cochier, Layman, Finellus, Villalobos, Peyrinus, Miranda, & alij quos citat Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 24. & alij plures, quos refert, & ſequitur Leander *diſp.* 11. *quæſt.* 83. Moventur: quia ſic habetur *in extravaganti: ſuper cathedram* Bonifacij VIII. & in Clementina: *dudum de ſepulturis*: & hoc privilegium adhuc vigere poſt Concilium Tridentinum, docent Navarrus *in manuali, cap.* 27. *numero* 264. & 265. & alij moderni, quos refert, & ſequitur Palaus *punct.* 18. §. 3. *num.* 9. Sed contrarium verum cenſemus, ſicut cenſent Suarez, Vazquez, Coninchus, Filliucius, quos refert, & ſequitur Lugus *diſp.* 21. *ſect.* 3. *numer.* 53. Mendo, *diſp.* 22. *c.* 2. *num.* 15. Sylvius, Pitigianus, Moure, Trullench. & alij apud Leandrum ubi ſupra. Item Reginaldus, & Fernandez, apud Dianam, *dict. reſol.* 24. Barboſa, Homobon. & alij, quos adducit, & ſequitur idem Diana *tom.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 85. Dicaſtillus *diſp.* 10. *dubio* 9. *numero* 168. Et in praxi ſequendam aſſerunt N. Gabriel à S. V. *diſp.* 9. *q* 6. & Franciſc B. S. *n.* 23. non ſolùm quia Tridentinum, quod eſt jus novum derogans cuilibet juri antiquo, ſufficienter exprimit derogationem privilegij cujuſcumque quo olim Regulares in hoc caſu gauderent, dum expreſsè aſſerit: *Nullum regularem abſque Epiſcopi approbatione poſſe confeſſiones ſæcularium deinceps excipere, non obſtantibus quibuſcumque privilegijs.* Quæ Tridentini Lex in ſuo robore non manet, niſi maneat revocatum, ſi quod ſit antiquum privilegium; ſed etiam quia in dicta Clementina, ut rectè notant Lugus *diſp.* 21. *num.* 55. Diana 8. *p. tract* 1. *reſol.* 85. Dicaſtill. *dict. num.* 268. non ſit mentio de approbatione, quæ tunc temporis nulla requirebatur ab Epiſcopo, ſed de juriſdictione, quam ſi Epiſcopus abſque rationabili cauſa Mendicantibus à ſuo ſuperiore præſentatis negabat, eo ipſo Pontifex illam, licet cum limitatione, concedebat, quod privilegium nec modo eſt derogatum à Tridentino: eſt enim longè diverſum, eſſe approbatum, aut habere juriſdictionem ab Epiſcopo. Quarè ſemel admiſſo eſſe conditionem neceſſariam ſinè qua non approbationem Epiſcopi à Concilio requiſitam, ſivè is neget eam abſque cauſa, ſive cum illa, invalida erit confeſſio peracta cum non approbato: ſicut eſſet invalida cum non habente juriſdictionem: eſto juriſdictio fuiſſet denegata abſque cauſa.

Septima difficultas. 96. Septima diffitultas eſt: A quo Ordinario debeat eſſe approbatus confeſſarius? Et quidem ſupponimus prius cum Cardinali Lugo, *diſp.* 21 *ſect* 2. Epiſcopum ſolùm electum, & nondum confirmatum non poſſe approbare: quia nondom juriſdictionem habet. Idem dicendum eſt de Epiſcopo conſecrato, ſed juriſdictionem non habente: quia renunciavit Epiſcopatum. Econtrà verò Epiſcopus confirmatus à Summo Pontifice, licet nondum ſit conſecratus, poteſt approbare, ſicut poteſt etiam cætera, quæ non ad Ordinem, ſed ad meram juriſdictionem pertinent. Idem dicendum eſt de Capitulo ſede vacante, & de Prælatis Diœceſim habentibus, & Epiſcopalem juriſdictionem in illa. Difficultas tota eſt in aſſignando Epiſcopo, vel Ordinario, ad

quem

quem ſingulorum approbatio ſpectat, & decernendo cujus approbatio requiratur: in quo, prima ſententia aſſerit, legitimam approbationem cujuſcumque Epiſcopi, ſivè ſit originis, ſivè beneficij, ſivè domicilij, ſivè ſit Epiſcopus pœnitentis, ſivè Confeſſarij, ſivè loci ubi auditur confeſſio, ſufficere, ut Sacerdos poſſit ubiquè confeſſiones audire, ſi ei juriſdictio conferatur à potente eam conferre: juriſdictionem verò dari debere à ſuperiore ejus, qui eſt abſolvendus. Ita affirmant cum multis à ſe relatis Henriquez, *lib. 3 de pœnit. cap. 6. n. 7. & in Gloſſa littera* A. & *lib. 7. de Indulgentijs cap.* 12. *n.* 4. Valerius *in difficultate utriuſque fori*, verb. *abſolutio, diff.* 1 & cum Portelo, Reginaldo, Fay, Ledeſma, Fernandez, Nuño, Joanne de la Cruz, & alijs, Dicaſtillus, *diſp* 10. *dub.* 9. *n.* 247. Et quod Regularis approbatus in uno Epiſcopatu juxta formam Tridentini, maneat approbatus pro toto orbe, & nullà aliâ indigeat approbatione in alio Epiſcopatu, tenuerunt Coloſſus, Corduba, Præpoſitus, quos refert Diana, *6. p. tract 7. reſol* 59. Bauny, *1. p. tract 4. quæſt.* 4. Leander de Murcia, *in cap. 7. Regulæ* B. Franciſci, *quæſt. 8. concl.* 3. & alij. Idem in delegatione, & deputatione per Parochum concedunt Coninchus, *diſp. 8. dub.* 7. Joannes de la Cruz, & alij ex allegatis.

Oppoſitum tenendum.

97. Oppoſitum tamen omninò ſtatuendum eſt. Ita ſentiunt Suarez, *diſp. 28. ſect. 6.* Vazquez, *quæſt. 93. art. 3. dub.* 4 Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, part. 2. alleg. 25. n.* 59. Granados *diſp. 5. n.* 12. Joannes Gutierrez, Miranda, Rodriguez, quos citat, ac ſequitur Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 11. n.* 8 Torreblanca *lib. 14. practicar. cap. 2. n.* 6. 10. & 12. è Noſtris Gabriël à S. Vincentio *de pœnit. diſp 9. quæſt.* 6. Stephanus à S. Paulo *n.* 202. Lezana *conſulto* 40. *n.* 97. Franciſcus B. Spei *diſp.* 11. à *num.* 26. latè & doctè hanc defendens. Eandem tenent cum alijs multis Mendo *in elucidatione Bullæ, diſp. 22. cap* 3. *n.* 49. Averſa *q. 16. ſect* 8. Lugus *diſp. 21. n.* 29. ubi advertit oppoſitam ſententiam jam non videri poſſe ullum habere locum poſt Decretum Urbani VIII. editum anno 1628. quo revocavit omnia privilegia, & licentias audiendi confeſſiones ſinè approbatione ab Epiſcopis Diœceſanis, & Diana *tom. 10. tract. 13. reſol.* 23. ſic ait: *Noviſſimè de hac quæſtione puto non eſſe ampliùs dubitandum, ſtante Brevi Sanctiſſimi Domini Innocentij X. in cauſa Angilopolitana juriſdictionis in Indijs Occidentalibus novæ Hiſpaniæ impreſſo Romæ anno* 1648. *Cùm itaquè in dicto Brevi Pontifex ad nonum dubium reſpondeat: Regulares in una Diœceſi approbatos, nequaquam poſſe in alia Diœceſi confeſſiones audire, ſinè approbatione Epiſcopi Diœceſani, ſequitur, ſententiam Leandri, Murciæ, & aliorum non poſſe ampliùs ſequi, nec probabilem vocari: cùm apertè pugnet contra Pontificiam declarationem, quam Pontifex inviolabiliter, ut patet ex verbis Bullæ, cum clauſula, & decreto irritanti obſervari mandat.* Hæc Diana in Bullarum maximè, ac Decretorum Pontificiorum mandatis, & perquirendis, & propugnandis diligentiſſimus, & verſatiſſimus: ſic eum meritò appellavit Dicaſtillus *diſp. 10 dub. 9. num.* 257. dum ſententiæ contrariæ adhærens, Dianam pro ſe habere putabat: quia hanc decimam Dianæ partem, & in ea ultimum Dianæ judicium nondum legiſſe videtur.

98. Accedit dictis ipſa jam communis praxis, Regulares enim quantumcumquè approbati in alijs Diœceſibus, quique à Pontifice juriſdictionem habent, cùm de novo ad aliam Diœceſim accedunt, petunt novam in illa approbationem, & eo magis Presbyteri ſæculares: nequè oppoſitum uſpiam toleratur, teſte Averſa *loco citato.* *Quæ ſit praxis.*

99. Verùm hoc ſuppoſito, adhuc eſt lis valdè controverſa inter Authores, à quonam Epiſcopo debeat approbatio præſtari? Triplex eſt ſententia. Prima docet Confeſſarium debere eſſe approbatum ab Ordinario Diœceſis, aut loci, in quo eſt auditurus confeſſiones. Sic Navarrus, Gambarupt, Gutierrez, Hugolinus, quos refert, & ſequitur Barboſa *alleg.* 65. *n* 14. Garcias *tom. 1. de beneficijs, part. 1. cap* 8. *n.* 132. & apud ipſum Sorbus, & Zerola, N. Gabriël à S. Vincentio, *diſp. 9. quæſt.* 6 Mendo *num.* 62. Bonacina *diſp. 5. quæſt. 7. punct.* 4. §. 1. *n.* 21. Vazquez *quæſt.* 93. *art.* 3. *dub.* 4. N. Lezana, Florinus, Campanillis, Homobonus, apud Dianam *tom. 5. tract. 12 reſol.* 52. Ex his tamen aliqui dicunt quidem ſufficere talis Epiſcopi approbationem; ſed non ſatis explicant: an ea approbatio ſit ita requiſita, ut ea deficiente, non ſufficiat approbatio facta ab Epiſcopo pœnitentis. Secunda ſententia tenet, debere eſſe approbatum ab Ordinario ipſius Confeſſarij. Ita Suarez, Coninchus, Bonacina, Fagundez, quos citat, & ſequitur Palaus *tract* 23. *diſp. unica, punct.* 15. §. 3. & alij, quod tamen intelligit Suarez, ut notat Lugus *diſp. 21. ſect* 2. quamdiu manet ſubditus illius Ordinarij: nam ſi mutato domicilio, jam non eſſet ſub illo Ordinario, ſed ſub alio, à quo non eſſet approbatus, jam non diceretur approbatus ab Ordinario, & Palaus eam explicat, ita ut ſubjectionem habere Confeſſarius poſſit, non ſolùm ratione domicili, ſed quaſi domicilij, obſequij, alteriuſvè miniſterij. Tertia tandem aſſerit Epiſcopum, cujus approbatio ad hoc miniſterium exigitur, abſolutè loquendo eſſe Epiſcopum proprium eorumdem pœnitentium, qui confiteri volunt. Ita ſentiunt plerique Theologi, & Juriſperiti, ut teſtatur Suarez, & videtur de mente eorum qui dicebant, requiri approbationem ab Ordinario loci, intelligendo ſcilicèt reſpectu pœnitentium ſubditorum proprio Ordinario loci. De mente etiam aliorum ex his, qui dicunt ab Ordinario Confeſſarij, dum hoc ita explicant, ut redeant in Ordinarium pœnitentium, aut explicant in quantùm peregrini poſſunt confiteri his Sacerdotibus, quos approbatos, & expoſitos inveniunt per ſingula loca, adhuc enim, vel ipſi peregrini quoad hoc ſubduntur Ordinarijs locorum, vel ex conſenſu ſuorum Prælatorum iiſdem locorum Confeſſarij ſunt quoquè pro ipſis approbati, ac deputati. Et Suarez ipſe *diſp. 28. ſect. 6 n.* 6. inquit: *Hæc ſententia eſt ſinè dubio valdè conſentanea rationi, ac debitæ gubernationi, ideòque mihi ſemper, ac ſimpliciter placuit.* Et hunc modum dicendi abſolutè loquendo amplectitur Averſa, *dictâ quæſt. 16. ſect.* 8. & pro eo referuntur à Dicaſtillo *diſp. 10. dub.* 9. Rodriguez *in expoſit. Bullæ cruciatæ*, §. 5. Sotus *in 4. diſt. 18. q 4. art.* 3.

Triplex alia ſententia 1.

2. ſententia.

3. ſententia.

100. Prima ex his ſententijs in eo, in quo con-

Quid dicendum. venit cum tertia, vera nobis videtur, ita ut ſenſus ſit, requiri approbationem Confeſſoris ab Epiſcopo loci, in quo confeſſiones excipiuntur, comparatione pœnitentium, qui ſunt oves illius Epiſcopi, quodque planè aſſerit tertia ſententia, cum reſpectu taliom pœnitentium Epiſcopus proprius loci ſit etiam proprius pœnitentium, & planè etiam conſentit Lugus, *diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 42. qui citari ſolet pro ſecunda ſententia: Et in hoc ſenſu ſententiam iſtam firmat reſponſio Congregationis Concilij circumferri ſolita: ea etenim conſulenti ipſam de hoc cuidam Archiepiſcopo Valentino, ſic reſpondit: *Congregatio Concilij reſpondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in Diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario.* Quod tamen reſponſum intelligi debet, ut notat Lugus, juxta intentionem interrogantis, quæ erat ad confeſſiones illorum, qui ſubduntur Epiſcopo Valentino.

Si verò ſenſus primæ ſententiæ ſit, requiri approbationem Confeſſoris ab Epiſcopo loci, in quo confeſſiones excipiuntur, reſpectu pœnitentium, qui ſunt oves Diœceſis alterius Epiſcopi, ita ut non ſufficiat approbatio, v. g. Epiſcopi Salmantini, ut Confeſſor Salmanticæ habens domicilium, ibique abſolutè approbatus, & ſaltem ſolùm obiter, & ut hoſpes tranſiens per Epiſcopatum Abulenſem, non poſſit Abulæ Salmantini civis confeſſionem audire, ſinè approbatione Epiſcopi Abulenſis, ſuppoſito, quod à legitimo ſuperiore habeat juriſdictionem, qualem habent Regulares à Summo Pontifice. Hæc prima ſententia in hoc ſenſu nobis non placet: ſicut non placuit communiter Authoribus ſecundæ, & tertiæ ſententiæ, quidquid in contrarium aſſerant Mendo ubi ſuprà, *n.* 53. & alij.

Octava difficultas. 101. Octava difficultas eſt: An approbatus ab Ordinario cum limitatione ex defectu ætatis ad confeſſiones virorum, & non mulierum, poſſit virtute Bullæ cruciatæ, vel ſimilis privilegij, eligi à fœmina in Confeſſarium.

Prima ſententia nobis tenenda. 102. Reſpondetur, non videri poſſe: Cùm enim Epiſcopus in approbando tali Sacerdote, non ſolùm reſpiciat ad litteraturam, ſed ad vitam, mores, & ætatem, fieri quidem poteſt, ut non cenſeatur ab Epiſcopo idoneus ad confeſſiones fœminarum audiendas, uſquè ad ætatem quadraginta annorum, vel propter minorem gravitatem, vel propter juvenilem aſpectum, vel propter aliquam ſuſpicionem de ipſo conceptam. Undè non cenſetur ille pro fœminis approbatus ab Ordinario uſquè ad illam ætatem, nequè eſt idem approbare illum ad confeſſiones virorum tantùm: ac approbare ſimpliciter. Et licèt favores ſint ampliandi, & extendendi; non tamen extra latitudinem ſignificationis verborum privilegij: verba autem hujus privilegij non ſe extendunt uſquè ad perſonas, comparatione quarum non eſt approbatio; nequè ea, quæ reſtricta eſt ad determinatas perſonas, illarumque tantùm confeſſiones, poteſt ſe extendere ad alias. Ita Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 7. *n.* 19. Vazquez, Navarrus, Fagundez, quos refert, & ſequitur Lugus, *diſp.* 21 *ſect.* 3. *n.* 57. Rodriguez *tom.* 1. *cap.* 60 *n.* 4. *concl.* 4. Dicaſtillus *diſp.* 10. *dub.* 9. *n.* 286. Item Homobonus, Joannes de la Cruz & alij apud Leandrum, *diſp.* 11. *quæſt.* 68. Mendo *n.* 54. & 55.

103. Contrariam ſententiam tenent Henriquez *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 8. & *lib.* 7. *cap.* 12. referens Medinam, & Angelum: Thomas Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 34. Nuñus, Petrus de Ledeſma, Bonacina, apud Dicaſtillum *n.* 287. Fagundez, Barboſa, & alij, quos referunt, & ſequuntur Leander *q.* 68 & Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol* 9. Palaus *punct.* 15 §. 2. *n.* 10. & probabilem, & in praxi tutam appellat Dicaſtillus, propter prædictorum Authorum authoritatem. *Secunda ſententia.*

104. Nona difficultas eſt: An Confeſſarius approbatus ad audiendas confeſſiones puerorum, & ruſticorum tantùm, ſit eligibilis ab alijs, qui non ſont pueri, nec ruſtici per Bullam, & Jubilæum? Reſpondetur non eſſe eligibilem: quia talis non fuit approbatus, niſi ſolùm pro pueris, & ruſticis. Ita communiter Doctores pro noſtra ſententia, *numero præcedenti* citati: & idem dicendum eſt, quando approbatus eſt Sacerdos ſolùm pro uno determinato oppido: tunc enim non poteſt per Bullam, vel per Jubilæum eligi in toto Epiſcopatu, ut contra Fernandez *in examine Theologiæ moralis, part.* 3. *cap.* 9. §. 8. *num.* 6. & contra alios, quos refert, & ſequitur Leander *de pœnit. diſp.* 11. *quæſt.* 69. benè docent Nuñus, Filliucius, Alfonſus de Leon, quos adducit, & ſequitur Lugus, *diſp.* 21. *ſect.* 1. *num.* 23. Mendo *diſp.* 22. *cap.* 3. *n.* 54. *Nona difficultas.*

105. Decima difficultas eſt: An approbatio ſemel data, poſſit ab Epiſcopo validè, & licitè revocari, vel à principio negari? Dicendum eſt primò, approbationem Parochi, quæ ejus muneri eſt annexa, non poſſe ab eo auferri quamdiu obtinet Parochiale beneficium, aut non ſuſpenditur legitimè: quia eo ipſo eſt abſquè alia approbatione idoneus ad accipiendum juriſdictionem, ut ubiquè poſſit audire confeſſiones. Ita ex communi ſententia docent Lugus *n.* 63. & Dicaſtillus *num.* 292. Mendo *num.* 56. *Decima difficultas.* *1. concluſio.*

106. Dicendum eſt ſecundò, peccare Epiſcopum, ſi Sacerdotibus etiam ſæcularibus dignis, & idoneis ſinè juſta cauſa neget, aut legitimè datam abſquè juſta cauſa revocet approbationem. Ita Lugus *n.* 64. Coninchus, & Layman, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *n.* 297. Leander *q.* 86. Boſſius *ſect.* 3. *caſu* 2. §. 1. *n.* 15. & 27. & apud ipſum Suarez & Filliucius contra Fagundez, *præcepta* 2. *lib.* 7. *cap.* 2 *n.* 62. Ratio noſtræ aſſertionis eſt: quia hæc approbatio non eſt aliqua gratia, vel favor, ſed actus juſtitiæ, ſeu juridica quædam declaratio, quæ ſe habet tanquàm juſta ſententia. *2. concluſio.*

107. Dicendum eſt tertiò, ſi ſinè juſta cauſa Epiſcopus alicui datam abſolutè approbationem revocet (quod præſumendum non eſt) probabile ſatis videri invalidam eſſe revocationem. Ita Lugus ubi ſuprà *num.* 64. Dicaſtillus *num.* 299. Palaus *punct.* 18. §. 4 *num.* 6. & favet Suarez *num.* 7. Tum quia cùm ſit ſententia Judicis injuſta, non videtur re ipſâ poſſe auferre jus, quod jam Confeſſarius habebat ex approbatione prius poſita: & per conſequens revocatio nullum ſortietur effectum. Tum etiam: quia per approbationem ſemel datam, ille eſt approbatus; nec poteſt jam non eſſe approbatus, & idoneus ſi *3. concluſio.*

ipſe

ipſe non mutatur, nèc videtur illa approbatio abſolutè collata ita dependere moraliter à voluntate approbantis, ut per ſolam ejus retractationem injuſtè factam tollatur: in quo eſt diverſa ratio, ut benè notat Suarez, quando juſtâ cauſâ intercedit: quia tunc non revocatur efficaciter prior approbatio propter ſolam voluntatem, ſed propter novam declarationem, quæ eſt quaſi nova ſententia juſta, & efficax ad irritandam priorem. Eſt etiam magna differentia inter approbationem jam datam, & voluntariè revocatam, vel à principio negatam: quia quando negatur à principio, homo nunquam fuit approbatus, & ita nunquam fuit in eo completa conditio à Tridentino requiſita; quæ tamen impleta fuit in eo, qui ſemel approbatus eſt. Si tamen Epiſcopus Presbytero ſæculari, qui per ſe ei ſubditur, quamvis ſinè cauſâ licentiam miniſtrandi revocet, hic non poterit miniſtrare: quia dicetur juriſdictionem ab eo auferri.

4. concluſio. 108. Dicendum eſt quartò, ex cauſâ juſta, & ſufficienti poteſt etiam Religioſis revocari approbatio prius abſquè limitatione conceſſa. Ita Vazquez, quem refert, & ſequitur Lugus *diſp.* 21. *ſect.* 3. *n.* 65. Franciſcus B. S. *n.* 57. quia cùm approbatio ſit ſententia teſtimonium perhibens de idoneitate alicujus, non apparet cur mutato objecto, non poſſit licitè, & juridicè revocari: nam ſicut ille qui hodie idoneus eſt, poteſt poſteà corruptis moribus, vel oblivione doctrinæ fieri ineptus: ita qui eum hodie declarat idoneum, poterit poſteà eum declarare ineptum, & retractare approbationem pro tempore ſequenti. Et certè ſi Epiſcopi hoc non poſſent facere, non poſſent ſatis conſulere ſuo gregi: cùm non poſſent prohibere illi Confeſſarium ineptum ſemel approbatum, etiamſi clarè conſtaret d ejus ineptitudine. Et idem ſi fortè conſtet ſatis, aut prudenter dubitetur, quod ille cui Epiſcopus commiſit examen in prima approbatione deceptus fuit, tenet Dicaſtillus *diſp.* 10. *dub.* 10. *num.* 306 dicens, poſſe tunc procul dubio Epiſcopum revocare approbationem, tàm pro ſæculari, quàm pro Religioſo.

Undecima difficultas. 109. Undecima difficultas eſt: An Regulares ad audiendas ſæcularium confeſſiones, præter Epiſcopi approbationem, & admiſſionem ad eas audiendas, indigeant etiam ſuorum Prælatorum licentiâ, aut præſentatione? Ita ad valorem hujus miniſterij eà indigere, ut alioqui confeſſio, & abſolutio ſit nulla, & irrita, docent Henriquez, Fagundez, quos citat, & ſequitur Palaus *punct.* 17. §. 1. *n.* 7. Rodriguez, Porrellus, Boſſius, Bordonus, apud Averſam, *q.* 16. *ſect.* 6. Negant verò indigere præcisè ad valorem Pitigianus, Nuñus, Salas, Angeles, Joannes de la Cruz, Villalobos, quos refert, & ſequitur Diana *p.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 13. Candidus *diſq.* 24. *art.* 56. *dub.* 11. Graffius, Zerola, Megala, Molfeſius, Peregrinus, apud Averſam *loco citato*, N. Gabriel à S. V. *loc. cit.* Anton. à Spir. S. *n.* 913. & alij. Et hanc negativam ſententiam veram cenſemus, loquendo de juriſdictione, quam confert Epiſcopus Regularibus Sacerdotibus, ſicut & ſæcularibus. Indigent tamen Regulares Sacerdotes ſuorum Prælatorum Regularium licentiâ, aut præſentatione ad valorem hujus miniſterij quantùm ad juriſdictionem, quam habent à Pontifice virtute privilegiorum ſuæ Religionis: quia non habent licentiam audiendi confeſſiones à Prælatis dictæ Religionis: ex quo fit, ut non à ſuis Prælatis præſentati, poſſint ſolùm validè, quantùm alij Confeſſores ſæculares; non autem quantùm ex privilegijs Pontificijs poſſunt alij Regulares, utpotè ad abſolvendum in caſibus Pontifici reſervatis, alioſvè ſimiles effectus.

110. Reſtat modò videre: An peccet mortaliter Religioſus, quia præcisè ſinè licentia ſui Præſulis ſæcularium confeſſiones excipit? Peccare mortaliter abſolutè cenſent aliqui apud Leandrum *diſp.* 11. *q.* 76. & ſequitur Peregrinus *ad ſuas conſtit.* 1. *p. cap.* 5. §. 5. & N. Gabriel ubi ſuprà. Sed alij melius diſtinguunt: & peccare mortaliter aſſerunt, ſi per ſuas conſtitutiones, aut ſuorum Prælatorum præcepto in virtute ſanctæ obedientiæ, vel ſub aliqua cenſura ita graviter obligentur; ſecùs verò ſolùm peccare venialiter. Ita Molfeſius, & Megala, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 13. Navarrus, & Canus, quos adducit, & ſequitur Leander *dictâ quæſt.* 76. Averſa *quæſt.* 16. *ſect.* 6. N. Anton. *n.* 912. & alij. *Duodecima difficultas.*

CAPUT DUODECIMUM.

De alijs qualitatibus in Confeſſario requiſitis, & obligationibus illius.

Caput iſtud in quatuor Puncta dividitur.

P. 1. *De probitate, & ſcientia in Confeſſario requiſitis.*

P. 2. *De obligatione interrogandi pœnitentes.*

P. 3. *Quibus eventibus poſſit Confeſſarius, vel teneatur pœnitentem abſolvere, vel inabſolutum dimittere.*

P. 4. *De obligatione ſupplendi defectus in confeſſione audita fortè commiſſos.*

PUNCTUM I.

De probitate & ſcientia in confeſſario requiſitis.

Debet confeſſarius eſſe in ſtatu gratiæ.

1. ET quidem inprimis requiritur probitas in confeſſario ad hoc miniſterium licitè exercendum, ſcilicet ſtatus gratiæ, qui debet prius procurari à miniſtro, vel per confeſſionem proprij peccati, vel ſaltem per contritionem de illo.

Quid de audiente confeſſionem in peccato mortali cum animo antequam abſolvat eliciendi contritionem?

2. An verò ſtatus gratiæ requiratur toto tempore, quo confeſſarius audit confeſſionem, an ſolùm quando profert formam abſolutionis? Diſſenſio eſt inter Auctores, Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 1. *num.* 3. cui favere videtur N. Franciſc. *diſp.* 12. *num.* 10. affirmat requiri, ex quo incipit audire peccata, ita ut oppoſitum abſque dubitatione dicat eſſe ex genere ſuo grave peccatum: licet in individuo excuſet à mortali culpa Sacerdotem, qui aliqua neceſſitate compulſus inciperet in ſtatu peccati audire confeſſionem bona fide, & animo habendi contritionem, quam primum poſſit, antequam abſolvat, & in hoc poſteà moralem diligentiam adhibeat. Et abſolutè pro ſententia aſſerente eſſe mortale incipere audire confeſſionem in mortali, refert Leander *diſp.* 11 *q* 116. Ludovicum à Ponte, & Coriolanum. E contrà verò alij ſatis probabiliter dicunt, non peccare mortaliter audiendo confeſſionem in peccato mortali, dummodò habeat propoſitum pœnitendi, & reponendi ſe in ſtatu gratiæ, antequam verba abſolutionis proferat. Ita Henriquez, quem refert, & ſequitur Dian. *p.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 47. Lugus, & Angles, quos citat, & ſequitur Leander *dicta q.* 117. Averſa *quæſt.* 16. *ſect.* 10. Dicaſtillus *de Sacrament. Pœnitent. diſp.* 6. *dub.* 9. *& tract.* 1. *de Sacram. in gener. diſp.* 3. *dub.* 10. *num.* 243. N. Anton. *n.* 1394. Et ratio eſt: quia Sacerdos quando audit confeſſionem, non adminiſtrat Sacramentum, ſed quando abſolvit: & idem expreſsè dicunt Dicaſtillus, & Averſa de impoſitione pœnitentiæ, quam fortè imponeret exiſtens in peccato mortali cum intentione eliciendi contritionem, antequam abſolvat, ſcilicet hoc non eſſe peccatum mortale, & pro eadem ſententia refert Leander, Lugum, quamvis eum non ſequatur, *dicta diſp.* 11. *q.* 117.

Debet confeſſarius eſſe ſufficienter inſtructus.

3. Exigitur etiam in confeſſario ſcientia, & eruditio conveniens ad hoc miniſterium: ſcientiam enim poſtulat pro ſuo munere Judex, Doctor, Medicus, Paſtor, quorum omnium perſonam ſuſtinet confeſſarius, ut benè obſervat cum multis Suarez *diſp* 28. *ſect.* 2. Reginaldus, Sayrus, Navarrus, & alij apud Bonacin. *diſp* 5. *quæſt.* 7 *punct.* 4. §. 2. Undè peccaret graviter, qui ſinè ſcientia requiſita confeſſarij officium exerceret: exponeret enim ſe periculo non rectè adminiſtrandi Sacramentum, ut communiter tradunt Doctores. Imò non ſolùm ipſe Sacerdos, ſed etiam ſuperior, qui ſcienter illum non removet ab officio audiendi confeſſiones, graviter peccat: ſicut & ipſe etiam, cui examen prædicti Sacerdotis commiſſum eſt, graviter peccabit, ſi approbet indignum, ut rectè advertit Dicaſtillus *diſp.* 10. *dub* 12. *n.* 342. Antonius à Spir. S. *n.* 1400.

Quomodo debeat diſcernere inter mortale & veniale.

4. Solùm poteſt eſſe aliqualis difficultas in explicanda, ut ſic loquamur, hujus requiſitæ ſcientiæ quantitate? Placet autem circa hanc rem ea ſummatim tradere, quæ ſparſim à Doctoribus deſignantur. Debet ergò inprimis confeſſarius ſcire diſcernere communiter inter peccata mortalia, & venialia: quia ſinè illa ſcientia non poterit ferre judicium conveniens; non tamen eſt neceſſarium, ut in omnibus, quæ audit à pœnitente, judicet: an ſint peccata gravia, vel levia: neque an ſint, vel non ſint peccata, cum id etiam doctiſſimi neſciant; ſed ſatis eſt, ſi id ſciat in his, quæ communiter occurrunt: reliqua verò audiat, & intelligat, ac poſteà abſolvat cum debita intentione, ut benè notant Lugus, *diſp.* 22. *n.* 70. Granados, *de pœnitent. diſp.* 5. *ſect.* 3. *num.* 20. Ubi etiam benè addit, quod licet in uno, vel altero caſu confeſſarius non diſcernat, dummodò pœnitens bona fide declaret culpam ſuam, confeſſio erit legitima, & quamvis poſteà vel pœnitens, vel confeſſarius advertat illud fuiſſe mortale, non eſt cur repetatur in alia confeſſione, quod etiam docent Suarez, Thomas Sanchez, Coninchus, Nuñus, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 10. *dub.* 12. *n.* 354.

Debet noſſe caſus reſervatos, & excommunicationes.

5. Debet etiam confeſſarius ſcire caſus reſervatos, ut ſciat, quid poſſit abſolvere, quid verò non poſſit: & ſimiliter excommunicationes, quæ ipſo facto incurruntur; tum quia non poteſt abſolvere à peccato, niſi prius abſolvat ab excommunicatione; tum etiam, quia oportet, ut ſciat admonere pœnitentem de his, quæ illi neceſſaria ſunt, ut ab excommunicatione abſolvatur; quamvis in his caſibus, & cenſuris magna ex parte ab hac obligatione ſubleventur Religioſi, qui pluribus gaudent circa hæc privilegijs. Item quotquot audiunt confeſſiones eorum, qui habent Bullam Cruciatam, virtute cujus ab omnibus peccatis, etiam reſervatis poſſunt abſolvere, excepta hæreſi, à contentis etiam in Bulla Cœnæ ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo: ut obſervant Lugus, Dicaſtil. & Granados *citati.*

Item ea, quæ expectant ad integritatem confeſſionis, & ſufficientem diſpoſitionem pœnitentis, & alia multa.

6. Ulterius debet noſſe confeſſarius ſpecies, & numerum peccatorum & circumſtantias neceſſariò explicandas: & in univerſum ea, quæ per ſe ſpectant ad integritatem confeſſionis, & quid neceſſarium ſit, ut pœnitens ſit ſufficienter diſpoſitus ad abſolutionem, tam ex parte doloris, quam ex parte propoſiti: & an pœnitens ſit in occaſione proxima peccandi, & ſimilia; nec non obligationem ſatisfaciendi, & reſtituendi: matrimonij quoque impedimenta, ac cenſuras, & irregularitates pro Sacerdotibus, abſolutionis formam, & remedia peccatis opportuna.

Notabile 1.

7. Circa quæ omnia notandum eſt 1. cum Suario, *dict. ſect.* 2. ex communi ſententia, non ſemper oportere, ut confeſſor per ſe ipſum poſſit hæc omnia diſcernere, ſed ſatis eſſe, ut intelligat ea, quæ frequentius accidunt, & de alijs dubitare ſciat: quia hoc ſatis eſt, ut juſtè, & dignè ſuo munere fungatur, ad quem finem tota hæc obligatio ordinatur: nam ſi dubitat,

poteſt

poteſt legendo, vel alios conſulendo ſemper in particulari ſcire, quod oportuerit; nec poſſumus majorem obligationem imponere, aliàs vix aliquis erit, qui poſſit confeſſiones audire.

Secundum 8. Secundò notandum eſt, habendam eſſe rationem locorum, & perſonarum: multò enim major ſcientia requiritur in uno loco, quàm in alio, & reſpectu unius perſonæ, quàm alterius. Ita Navarrus, *cap.* 25. *num.* 138. Suarez *loco citato*, Bonacina, *diſp.* 5. *ſect.* 7. *punct.* 4. §. 2. Dicaſtillus, *diſp.* 10. *dub.* 12. N. Anton. *n.* 1398. & ſumitur à ſimili ex Concilio Baſilienſi, *ſeſſ.* 31. Undè fit, multò aliter loquendum eſſe de illo, qui ex officio expoſitus eſt ad audiendas omnium confeſſiones, quàm de illo, qui diſcernit perſonas, & non omnium confeſſiones audit, & majorem ſcientiam neceſſariam eſſe in eo, qui audit confeſſiones in frequentiori civitate omnium volentium apud ſe confiteri, quam eorum, qui ſolùm excipiunt Ruſticorum confeſſiones.

Tertium. 9. Tertiò notandum eſt, ad confeſſionem hominis docti, multò minorem ſcientiam requiri: quia poteſt Confeſſarius inſtrui ab ipſo pœnitente de gravitate peccati, & de alijs circumſtantijs neceſſarijs: ut rectè notant Lugus, N. Anton. & Averſa citati, & etiam cum Cajetano, Suarez, *dict. ſect.* 2. *n.* 3. *in fine.*

Quartum. 10. Quartò notandum eſt cum Cardinali Lugo, quem approbat Dicaſtillus, *diſp.* 10. *dub.* 12. *n.* 340. Quando dandum eſt conſilium in futurum, vel imponenda reſtitutio, aut prohibendus contractus dubius, vel quid ſimile, ſi Confeſſarius non poteſt ſe ipſum reſolvere, eſſe bonum conſilium petere à pœnitente, ut ſit paratus ad conſulendos peritos, & ſtandum illorum judicio; & addunt, quod ſi pœnitens promittit, abſolvat.

Quintum. 11. Quintò notandum eſt, eum, qui ex induſtria quærit, vel ſcienter adit confeſſarium imperitum, & pro ſe inſufficientem, peccare graviter, & conſequenter facere confeſſionem irritam, ac proindè adſtringi poſteà apud alium idoneum confeſſarium repetere confeſſionem. Ita Averſa, *q.* 16. *ſect.* 10. Dicaſtillus *loco citato*, *n.* 351. Buſembaum *de pœnit. c.* 2. *dub.* 4.

Sextum. 12. Sextò notandum eſt, excuſari tum confeſſarium, tum pœnitentem, tum Prælatum, quando non poteſt haberi copia Sacerdotis magis idonei, & periti, non ſolùm in neceſſitate extrema in articulo, aut periculo mortis, ſed etiamſi alioqui oporteret multo tempore homines confeſſione deſtitui, ut quando Chriſtiani, qui apud infideles in ſervitute detinentur, non habent niſi unum confeſſarium ignarum, & indoctum, ut docent Suarez, Lugus, & Averſa citati. Pro parvis etiam oppidis, & aut triremibus, vel ſimilibus locis, dum haberi non poteſt copia doctorum Sacerdotum, licitum eſt Prælatis, minus doctos in confeſſarios, & Parochos, quales haberi poſſunt, deputare: melius enim eſt, cum aliter non poteſt illis ovibus ſubveniri, quod habeant confeſſorem indoctum in tali neceſſitate, quam quod omni remedio prorsùs deſtituantur: admonendo tamen eos de defectu ſcientiæ, quem patiuntur, & de obligatione, quam habent comparandi, ſi poſſint, doctrinam neceſſariam ad ſuum miniſterium obeundum. Ita Lugus, & Averſa citati.

13. Septimò notandum eſt, Religioſum, qui dubitat de ſua aptitudine, & ſufficientia ad miniſterium audiendi confeſſiones, poſſe ſufficienter deponere illud dubium, quando Prælatus, qui eum benè novit, judicat illum aptum, & imponit ei tale munus. Ita Lugus ſuprà *num.* 72. Suarius, Henriquez, Navarrus, Reginaldus, Vazquez, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *num.* 348. *Septimum.*

Undè ut benè notat ex D. Antonin. N. Gabriel à S. Vincent. *diſp.* 9. *q.* 7. major requiritur ſcientia in eo qui ſe ſponte ingerit, quam in eo qui ex obedientia confeſſiones excipit.

PUNCTUM II.

De obligatione interrogandi pœnitentes.

14. ET quidem in primis quando confeſſarius advertit pœnitentem non præmiſiſſe ſufficiens ſuæ conſcientiæ examen, tenetur ſuis interrogationibus adjuvare: ſi enim defectus ſit culpabilis, & ex negligentia, planè delinqueret confeſſarius abſolvendo indiſpoſitum, ut rectè docet Palaus *tract.* 23. *diſp. unica, punct.* 19. §. 2. Si autem pœnitens non ſe ſufficienter examinavit, quia ſperabat, & cupiebat ſe interrogationibus confeſſarij adjuvandum (ut ſanè frequenter accidit in confeſſionibus ſimplicium, & ruſticorum) tunc planè etiam tenetur confeſſarius illum coadjuvare, & ſuis interrogationibus ſupplere defectum, ut benè tradunt Averſa *q.* 16. *ſect.* 11. Coninchus *diſp.* 8. *q.* 17. *num.* 130. & alij. *1. Aſſertio.*

15. Econtrà ſi conſiderata conditione pœnitentis, moribus, ſcientia, & longitudine, aut brevitate temporis, & alijs circumſtantijs, probabiliter, aut prudenter judicet confeſſarius, pœnitentem integrè confeſſum, ac ritè diſpoſitum eſſe, non tenetur ad interrogandum aliquid: quia nulla eſt talis obligatio, cum in his rebus non ſit major evidentia requirenda, ſed ea probabilitas, quæ ad alia negotia humana gravia exiſtimari ſolet ſufficiens; imò neque expedit tunc interrogare: quia judicari poſſet interrogatio otioſa, curioſa, & oneroſa pœnitenti, quæ omnia vitanda ſunt. Ita Suarez *diſp.* 32. *ſect.* 3. *n.* 3 Navarrus, Graffius, Petrus Sotus, quos refert, & ſequitur Layman *cap.* 13. *quæſt.* 5. *concluſ.* 1. Palaus, *dict. punct.* 19. §. 2. *2. Aſſertio.*

16. Non ſunt etiam pœnitentes indiſcretis interrogationibus fatigandi de his peccatis, quæ eos commiſiſſe nulla probabilis ſuſpicio adeſt: præſertim verò pœnitentes honeſti, benè inſtituti, aut docti, non facilè examinari debent, niſi de numero, ſpecie, aut circumſtantijs peccatorum, de quibus ipſi mentionem fecerunt, & non ſatis explicuiſſe videntur: uti benè advertit Layman, *concluſ.* 2. *3. Aſſertio.*

17. Sed petes: An caſu, quo confeſſarius credit, pœnitentem juxta ſuum captum, & poſſibilitatem prætermiſiſſe ſufficientem diligentiam in ſuæ conſcientiæ examinatione, ad- *Quæſitum 1.*

huc teneatur illum interrogare de peccatis, ſeu circumſtantijs neceſſarijs, quæ probabiliter credit commiſiſſe, & ob ignorantiam, vel inadvertentiam inculpabilem non fatetur? Prima ſententia aſſerit, quod quando confeſſarius videt pœnitentem diligenter examinaſſe conſcientiam, ſed tamen videt illum oblitum unius peccati, quod fecit, non teneri illud in memoriam revocare, niſi peccatum eſſet in damnum proximi: quia confeſſio illius peccati neque eſt tunc neceſſaria ad integritatem, cum confeſſio ſit formaliter integra, & præceſſerit diligens examen, ut ſupponimus: neque eſt neceſſaria propter veniam illius peccati, cum illud ſimul cum alijs indirectè remittatur in illa confeſſione. Ita Joannes de Medina, C. *de confeſſione, q. de confeſſione dimidiata iteranda*, & hanc ſententiam non poſſe facilè falſitatis convinci dicit Vazquez, *q* 39. *art.* 3 *dub.* 7. *n.* 2.

2. Sententia communis, & nobis certa. 18. Nihilominùs aſſerendum eſt, adhuc in caſu, quo confeſſarius videt, pœnitentem juxta ſuum captum, & poſſibilitatem præmiſiſſe ſufficientem diligentiam in ſuæ conſcientiæ examinatione, teneri, quoad prudenter fieri poteſt, illum interrogare de peccatis, ſeu circumſtantijs neceſſarijs, quæ videt, vel probabiliter credit commiſiſſe, & vel ob ignorantiam, vel inadvertentiam inculpabilem non fatetur. Ita Navarrus, Graffius, Toletus, Henriquez, Layman, Coninchus, quos refert, & ſequitur Palaus, *num.* 3. Magiſter *in* 4. *diſt.* 19. D. Thom. *ib. in fine litt.* Sylveſter, D. Antoninus, Angelus, Canus, quos adducit, & ſectatur Suarez *num.* 7. N. Anton. *n* 1418. Dicaſtill. *diſp.* 10. *dub.* 26. *num.* 488. & apud ipſum Gofredus, Ochagavia, & Lugus, & eſt communis Doctorum: ac nobis certa videtur, & ſufficienter indicata in Cap. *Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* ubi dicitur: *Sit Sacerdos diſcretus, & cautus more periti medici, diligenter inquirens peccatorum circumſtantias, &c.* Et ratio eſt: quia confeſſarius eſt judex, ac proindè tenetur, quoad prudenter fieri poteſt, procurare, ut omne crimen deferendum ad ſuum tribunal, & in eo judicandum ritè, & rectè deferatur, & judicetur; in noſtro autem caſu ſupponimus, quod nihil obeſt, quominus id prudenter fiat: ergo fieri debet.

Reſpondetur ad fundamentum Medinæ. 19. Ex quo patet ad fundamentum primæ ſententiæ. Dicimus enim, confeſſarium teneri præcavere defectum ipſius pœnitentis, non ſolùm quantum pertinet ad formalem integritatem ex parte ipſius pœnitentis; ſed etiam ad præcavendum defectum materialem, quando nihil obeſt, quominus id prudenter fiat, ut cauſam ipſam totam, ſicuti reverà eſt, cognoſcat.

Quæſitum 2. 20. Petes ſecundò: Qualiter pœnitentes ſint à confeſſario interrogandi? Certè ſummæ prudentia opus eſt, ad quam quidem Deo auxiliante comparandam, ſequentia documenta, quæ apud Auctores inveniuntur, non parum conducent. Primum eſt, non requiri in examinatione pœnitentium exactiſſimam diligentiam, quantum ſimpliciter adhiberi poſſit, quæque reddat hoc judicium confeſſario, aut pœnitenti nimis durum & oneroſum, uti rectè obſervat Averſa, *quæſt.* 16. *ſect.* 12. & nos circa obligationem ipſius pœnitentis in examinanda conſcientia jam ſuo loco notavimus, ad quam tamen magis per ſe, & directè, hæc obligatio pertinebat.

21. Secundum eſt, non oportere de omnibus rebus, quæ in mentem venire poſſint perquirere, ſed de his, quæ conſiderata conditiune pœnitentis, & notitia, quam ipſe de ſe ipſo præbet, probabiliter poſſunt in ipſum convenire, ſeu in probabile dubium venire, ut rectè advertit Suarez *dict. ſect.* 3. Quapropter omnes Doctores admonent confeſſorem, ne ſit nimis in interrogando. *Secundum.*

22. Tertium eſt, expedire, ut parcus, & velox ſit circa peccata carnalia, modeſtè tantùm interrogando, quæ præcisè neceſſaria ſunt, nec ſuperfluas, aut curioſas interrogationes multiplicando, ne vel ignorantem doceat, vel ſcandalizet, aut ſe, vel illum periculo pravæ delectationis exponat. Ita Suarez, Palaus, Averſa citati, & alij paſsim. *Tertium.*

23. Quartum eſt, illos pœnitentes, qui per ſe ſatis inſtructi ſunt, & ad dicenda peccata cum ſuis circumſtantijs idonei, ac diligentes, non oportere, ut confeſſarius interroget, ſed tantum eos, qui hoc juvamine indigere videntur. Ita Averſa. *Quartum.*

24. Quintum, ut cordatè procedat, expectare debet confeſſarius, quid pœnitens dicat, & ex ejus dictis colliget, quid ſit neceſſariò, vel convenienter interrogandum, uti latius tradunt Navarrus, Vazquez, Layman, Coninch. apud Palaum *loco citato*, qui etiam advertit, nullum peccatum à confeſſario antè finitam confeſsionem graviter ponderandum, aut objurgandum, ne pœnitens deterritus, alia fortè graviora manifeſtare omittat. *Quintum.*

25. Sextum, facilius, & ſalubrius eſt ſtatim examinare ſingula, quæ pœnitens confusè, & indiſtinctè dixit, præſertim ſi confeſsio brevis non ſit. Quarè ſi advertatur, obligatio reſtituendi, ſi ignorantia culpabilis, atque etiam conſcientia erronea circa aliqua, vel quid ſimile, ſatius erit ſuaviter ſucceſsivè adjuvare: quod idem magis expedit circa numerum, ſpecies, circumſtantias peccatorum, quæ dicit: quæ omnia ſi in finem reſerventur, confuſionem, & oblivionem plerumque afferunt confeſſario. Ita Lugus *n.* 15. & Dicaſt. *n.* 496. *Sextum.*

26. Septimum: licet ruſtici homines, & inepti inveniantur negligenter examinati, non ſunt communiter dimittendi, ut ſe examinent, & redeant: cum de bis præſumitur licet millies ſe examinent, non fore magis aptos, quam ſi ab ipſo confeſſario breviter interrogentur, & examinentur. Ita ex Vazquio, Lugus, *diſp.* 22. *ſect.* 2 *n.* 20. Dicaſt. *n.* 498. *Septimum.*

27. Octavum: Ruſtici, qui agreſti, & inculto modó multo tempore bona fide confeſsi ſunt ſinè numero, non ſunt cogendi iterare confeſsiones factas cum indoctis Parochis, ad explicandum magis diſtinctè, & determinatè dictorum peccatorum numerum, quia bona fide confeſsi ſunt: & cum uniformem vivendi modum, & rationem habeant, ſtatim ex confeſsione unius anni conijciet prudens confeſſarius, quantum in reliquis annis peccaverint, & ſic facilè poteſt formare judicium plenum, ac ſufficiens. Ita Henriquez, & Fagundez, quos *Octavum.*

citat,

citat, & ſequitur Diana, *3.p. tract.4. reſol.*89. Leander *diſp.* 5.*q.*72.

Quæſitum 3. 28. Petes tertiò: Quid debeat facere confeſſarius, qui ſcit pœniteotem commiſiſſe aliquod peccatum, quod neque ex ſe, neque etiam interrogatus confitetur? Reſpondent communiter Doctores, quando confeſſarius id evidenter ſciret, & ſciret etiam evidenter, quod oon fuerit prius alteri illud peccatum confeſſus, ſed ſacrilegè negare peccatum, non poſſe illum abſolvere: cum cooſtet de defectu integritatis formalis; poſſe verò abſolvere, ſi boc ooo ſciat. Ita Suarez, Henriquez, Fagundez, quos refert, & ſequitur Lugus *n.*21. Averſa *quæſt.*16.*ſect.*11. N. Anton. *n.*1420. Gabriel à S. V. *q.*8. & alij communiter.

Sed contrà arguit Megala *lib.*1.*cap.*2. *nu.*12. quia cum plures ſint rationes, quæ poſſunt excuſare pœnitentem à confeſſione alicujus peccati, deberet adhuc confeſſarius præſumere illum ex aliqua juſta cauſa, & excuſatione negare. Et verè quidem quandocumque confeſſarius id præſumere poteſt, debebit illum abſolvere; & hoc non eſt contrà mentem aliorum Doctorum, ut benè advertunt Averſa & Lugus. Si tamen nec hoc præſumere poteſt, debet illum dimittere, ut moraliter non videtur poſſe præſumere, dum ſervatis prudentiæ regulis admonet pœnitentem de eo peccato jam ſibi evidenter cognito, & quod tunc proindè ceſſant rationes tacendi, quæ fortè alias excuſare potuiſſent. Quando verò ex aliorum relatione, vel ſuſpicione id habet, ſtandum eſt pœnitentis confeſſioni, cui in boc foro tam pro, quam contrà ſe fides habetur, Suar. *diſp.*32. *ſect.*3. Fagundez, *præcepto* 2.*lib.*6.*cap.*4.*num.*38. & alij.

PUNCTUM III.

Quibus eventibus poſſit, vel teneatur confeſſarius pœnitentem abſolvere, vel inabſolutum dimittere, & de obligatione admonendi pœnitentes.

1 Regula. 29. PRima regula generalis, & apud Auctores communis eſt, ut teſtantur Suarez, *diſp* 32.*ſect.*5 & Palaus, *diſp unica, punct.* 18. *num.*12. Pœnitenti ritè peccata confitenti, & diſpoſito teneri confeſſarium ſub gravi culpa abſolutionem concedere: tum quia hoc poſtulat ratio juſti judicij, & æquitas inter pœoitentem & confeſſorem; tum etiam, quia magna fieret injuria pœnitenti, ſi ſinè cauſa privaretur Sacramento, & cogeretur iterum confiteri. Neque in boe diſtinguendum eſt inter proprium Paſtorem, & confeſſarium delegatum, inter quos diſcrimen cadere ſolùm poteſt ad excipiendam, vel non excipiendam confeſſionem, ſed poſt eam auditam tam delegatus, quam proprius Paſtor tenetur prædicto pœnitenti abſolutionem concedere: quia in utroque rationes factæ æqualiter procedunt: uti rectè advertunt Suarez *loco citato*, & Averſa, *quæſt.*16.*ſect* 11. Addit etiam Suarez, in confeſſione quoque venialium teneri confeſſorem ad abſolvendum pœnitentem, nec relinquere illum vacuum ſinè cauſa; quamquam fortè hoc non ſemper ſit peccatum mortale, præſertim ſi nullum intercedat ſcandalum, & pœnitens facilè poſsit incommodum illud reſarcire.

30. Secunda regula etiam communis, quam tradunt Suarez, Averſa, & alij, eſt, teneri confeſſarium per ſe loqueodo ſtatim abſolutionem impeodere ritè diſpoſito, oec licitè poſſe differre ſinè rationabili cauſa: quia pœnitens juſtè exigere poteſt ut facta confeſſione, & exhibita ſufficienti diſpoſitione, oon relinquatur ſuſpenſus, nec denuò redire cogatur. Si tamen requiri videatur major diligentia ad excutiendam conſcientiam pœnitentis ob integritatem confeſſioois, vel aliqua temporis experientia ad explorandum animum pœnitentis: an revera ex corde peccata retractet, & in futurum noo repetere firmiter proponat; tunc confeſſarius non ſolùm licitè poterit, ſed interdum etiam ex obligatione debebit abſolutioοem differre, uti benè docet Averſa. Qualiter autem poſſit, aut debeat ſe gerere confeſſor cum eo, qui occaſionem peccandi phyſicè, vel moraliter noo poteſt relinquere, quando nulla apparet lapſuum emendatio, ſi de firmo propoſito illius probabiliter conſtet, explicuimus ſuprà *c* 5. à *n.*66. & deinceps. *2. Regula.*

31. Tertia regula eſt, Fatenti peccata abſque debito dolore, vel noo integrè pro ipſius captu, abſolutionem negari debere, utpotè iodigno, quouſque debitum dolorem concipiat, & integrè fateatur. Sic ex omnium ſententia tradunt Suarez, Cooinchus, & Layman, quos citat, & ſequitur Palaus, *dict. num.*12. qui etiam benè addit: quod quia ſæpè pœniteos ſinè vero dolore accedit ad confeſſionem, ſed confeſſarij monitis, & exhortationibus, quibus, & turpitudo peccati, offenſa Dei, inferni pœna, & bonitas Divina repræſentatur, verùm dolorem concipit, ſæpè integrè non fatetur ob craſſam ignorantiam, vel malitiam, interrogationibus tamen confeſſarij ignorantiam purgat, & confeſſionem integram præſtat: ideò non debet ſtatim hic pœnitens indiſpoſitus inabſolutus dimitti, ut legitimè paratus, & cum debita diſpoſitione poſtmodum revertatur: fortè enim non redibit, ut multi faciunt; ſed confeſſarius ardentiſſimæ charitatis Chriſti memor, expedit, ut quoad fieri poſſit, ſollicitè, patienter, ac prudeoter illum diſponere ſtudeat. *3. Regula.*

32. Circa obligatiooem verò admonendi pœnitentes, inprimis pœnitens ſi neſciat doctrinam Chriſtianam, docendus eſt, vel à confeſſario, vel ab alio, ad quem remittat illum, & ſi neceſſe ſit, inſtruendus eſt à confeſſario in his, quæ ad confeſſionem ritè peragendam requiruntur, & ut deinceps peccata ſaltem læthalia devitet, uti rectè notat Granados, *tract.*11. *diſp.* 9. *num.* 13. teneturque confeſſarius, uti obſervat Averſa *quæſt.* 16. *ſect.*12. admooere de ijs, ad quæ ex confeſſione audita videt pœnitentes remanere obligatos, utpotè ad tollendam occaſionem proximam, ſi quam habeant peccandi, ad reſtituendum, ſi fortè læſerunt quempiam in boois, famâ, vel honore: ad implenda vota, aut juramenta, aut promiſſiooes, aut Sacramentales *Debet confeſſarius admonere pœnitentem de his ad quæ obligatur.*

tales

tales ſatisfactiones, ſi in his antè defecerant, & adhuc ſubdaotut oneri adimplendi: ad tollenda ſeu reparanda ſcandala, ſi quæ intulerunt: ad corripiendos delinquentes: ad adjuvandos indigenres, ſi juxta regulas charitatis, vel etiam juſtitiæ obſtringantur, & ſimiliter: ad alia quæcumque opera, & officia, ſuper quæ cadit obligstio, in qua pœnitentes defecerunt, & quæ adhuc remaneant adimplenda. Tenetur etiam admonere pœnitentes, ſi fortè obligentut ſuperioribus revelare aut denuntiare aliqua delicta, aut delinquentes; & quando eorumdem ſuperiorum juſſa urgent, ut de revelandis Hæreticis, & ſimilibus. Er ſpecialiter ex conſtitutione Gregorij XV. admonere quaſcumque perſonas alias in confeſſione, vel immediatè antè, aut poſt, vel in loco, aot prætextu confeſſionis ſolicitaras ad turpia, ut denuncient ſolicitantes.

De his latius N. Anton. à Spiritu S. *diſp.* 18. *ſect.* 4.

Debet item Confeſſarius admonere pœnitentes ſi aliquam cenſuram, vel inhabilitatem incurrerunt, ut eam obſervent, & opportunom remedium ſibi quærant: tenetur itaque Confeſſarius quando tales caſus ei occurrunt, admonere pœnitentes de hujuſmodi obligationibus, & exhortare ad eas adimplendas, quod ſi videat ipſos per ſe ſatis inſtructos, & ſua ſponte ultrò paratos, non babet in quo ipſe debeat ampliùs laborare.

Debet etiã admonere, & inſtruere pœnitentem, quando is laborat ignorantia vincibili & mortaliter culpabili.

33. Secundò: ſi pœnitens depræhendatur laborare ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, tenetur confeſſarius illum monere, & docere veritatem, ut ex communi docent Sorus, Medina, Thomas Sanchez, quos refert, & ſequitut Layman, *tract. 6. cap.* 13. *quaſt.* 4. Granados *dicta diſp. 9. quaſt.* 14. N. Ant. *n.* 1422. N. Gabriel à S. V. *diſp. 9. qu.* 8. quia aliter manebit pœnitens in ſtatu peccati mortalis: cum ignorantia prædicta non excuſet illum à culpa gravi, & conſequenter non ſit capax abſolutionis, quamdiù ignarus perſeverat.

Incidens difficultas.

34. Sed quid ſi confeſſarius intelligat pœnitentem laborare ignorantia invincibili, vel ſaltem mortaliter non culpabili? Diſtinguendum ſanè eſt: & quidem ſi ſit alicujus medij ad ſalotem neceſſarij, v. g. ſi invincibiliter ignoret, ſe teneri ad concipiendum dolorem de peccatis mortalibus, quæ confitetur, docendus omninò eſt: nam alioqui non recipiet dignè Sacramentum Pœnitentiæ, nec ſalutem conſequetur. Si autem ſit ignorantia rei præceptæ, ſed quæ non eſt medium ad ſalutem, adhuc ſubdiſtinguendum eſt: ſi confeſſarius ex monitione fructum non ſperat conſequi, ſed potiùs timet, monitione facta, in eodem ſtaru pœnitentem perſeveraturum, in quo per ignorantiam excuſabatur: ur ſi confeſſarius advertat, matrimonium eſſe nullum, ſed timet, conjugem adhuc poſt admonitionem permanſurum in coojugio, ſeu in periculo continuandi conjugales actus, tunc debet potiùs à monitione ceſſare, & illum in bona fide relinquere: qoia pœnitenti eſſet nociva monitio, & peccati committendi occaſio, quæ omnia, omiſſâ monitione, vitantur; atque ita docent Vazquez, Suarez, Coninchus, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus §. 2. *n.* 7. Lugus, Thomas Sanchez, Baſilius Pottius, Villalobos, Diana, quos adducit, & ſequitur Averſa *q.* 16. *ſect.* 12. Gabriël à S. V. *loc. cit.* Antonius *n.* 1424. Franciſcus B. S. *diſp.* 12 *n.* 35. alijſque multi. Et colligitur ex D. Auguſtino relato *in cap. Si quis autem, de pœnit. diſt.* 7. ibi: *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem.* Et ex Innocentio III. *in cap. Quia circa, de conſanguin. & affinitat.* Ubi diſſimulare præcipitur, ob vitandum ſcandalum cum quibuſdam, qui bonâ fide Matrimonium ſe contraxiſſe putabant, cùm tamen impedimentum occultum haberent.

Idem etiam babet locum, quando pœnitens bona alterius invincibili ignorantiâ poſſidet, & non ſperatur, qood monitus reſtituet: tunc enim Confeſſarius debet monitionem omittere: quia non appatet, qoid proſit ei, cui facienda eſſet reſtitutio; & pœnitens antè monitionem bonâ fide procedit, & putatur malâ fide permanſurus. Ita Authores proximè citati, quibus conſentiunt Lugus, Dicaſtillus, & alij. Si verò probabiliter judicet monitionem profuturam abſquè gravi tamen incommodo, & ſinè ſcandalo, tenetur pœnitentem monere: quoniam error ille malum quoddam eſt, & occaſio plura peccata materiala committendi, & ſæpè non levibus incommodis expoſitum: ut ex communi ſententia tradunt Covartuvias, Suarez, Vazquez, Coninchus, Layman, quos citat, & ſequitur Palaus *loco citato*, *num.* 8. Dicaſtillus *diſp.* 10. *n.* 531. Granados *de pœnit. diſ.* 9. *n* 14. & alij. Notantet autem dictum eſt, *abſque gravi incommodo & ſcandalo*: ſæpè enim pœnitens monitioni acquieſcet, & ſtatum de ſe malum vitare conabitur, ſed rot lites, ſcandala, perſonarum boſtilitas, vel infamia, aut detrimenra timeri poſſunt oritura, ut tune confeſſor debeat diſſimulare, ut benè ſupradicti Doctores notarunt.

35. Aliqua tamen ſunt advertenda. Primum: ſi de matrimonio contrahendo agatur, & pœnitens ignorantiâ impedimenti dirimentis laboret, tegulariter omninò monendus eſt, tum ob reverentiam Sacramenti, tum ob inconvenientia, quæ ex matrimonio irrito frequenter oriuntur, & difficillimè reparantur. Tum quia ſæpè poſt matrimonium contractum, error, & ignorantia ceſſare ſolet, qua ceſſante, expoſitus eſt pœnitens non levi periculo peccandi. Tum denique: quia ſemper præſumi debet pœnitens, vel à matrimonio contrahendo receſſurus, vel diſpenſationem impetraturus, ut benè docent Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. diſp.* 38. *à num.* 6. & Palaus ubi ſuprà § 2. *n.* 9. At ſi de matrimonio invalidè contracto agatur, vel de privatione debiti petendi, ſi eſt caſus in quo confeſſarius ipſemet valet diſpenſare, vel ab habente poteſtatem diſpenſandi, facilè remedium adhibere poteſt, plerumque pœnitens mooendus eſt: quia cum hujuſmodi error, & ignorantia ſit quoddam malum & occaſio multa peccata materialia committendi, credendom non eſt pœnitentem ab eo liberari nolle, cum facilè poſſit, ut benè aſſerunt Layman *de Sacrament. Pœnitent. dict. cap.* 13. *n.* 6. & Palaus *loc. cit.*

Advertendum 1.

36. Secundum: Si pœnitens dubius ſit de matrimooij valore, vel de poteſtate petendi debitum, vel de obligatione reſtituendi, &c. & ex confeſſario quærat veritatem, neceſſe eſt

eam

èam palam edicere, ut ex communi ſententia docet Thomas Sanchez ubi ſupra *n.* 14. Layman *cap.* 13. *q.* 4. *n.* 7. Palaus *loco cit. n.* 10. Suarez, Coninch. Lugus, Vazquez, Reginald. & alij quos refert, & ſequitur Bonacina *de matr. q.* 3. *punct. ultim. n.* 12. Quia jam eo caſu pœnitens incæpit ignorantiam vincibilem habere, & confeſſoris taciturnitatem poſſet in ſuum favorem interpretari, atque ita taciturnitas illa eſſet erroris approbatio, quæ nunquam licet. Addit verò Thomas Sanchez cum aliquibus, quando pœnitens non cum dubio, ſed ex ſcrupulo interrogaret, poſſe confeſſarium tacere, vel reſpondere, quod deponat ſcrupulum: quia ſcrupulus non impedit bonam fidem, neque ignorantiam invincibilem quæ illum excuſat. Hoc tamen meritò non admittunt Sotus, Angles, Bartholomæus à Ledeſma, Lopez, quos citat, & ſequitur Lugus ubi ſuprà *n.* 29. Leander *diſp.* 15. *q.* 131. Quia ſilentium confeſſoris, propoſita interrogatione, pœnitens interpretatur affirmationem, & per conſequens confeſſarij auctoritate faceret, quod prius ex ignorantia faciebat. Addit tamen Lugus, quod poſſet quidem confeſſarius in illo caſu fingere ſe non audiſſe, vel non attendiſſe, vel oblitum fuiſſe reſpondere, ut ſic remaneat pœnitens in eadem bona fide, quam prius habebat, non tamen ipſius auctoritate confirmata.

Advertendum 3. 37. Tertium: ſi confeſſarius advertat ignorationem pœnitentis redundare contrà bonum publicum, debet illum monere, ut ex communi ſententia tradunt Lugus, Averſa, Dicaſtillus, & alij, utpotè quando Parochus invincibiliter habet opiniones erroneas, quas ſubditis ingereret circa mores; vel ſi advertat quemlibet invalidè ordinatum in Sacerdotem: id enim redundat in damnum eorum, quibus adminiſtrat Sacramenta inania, & irrita. Item ſi eſſet publica fama de nullitate matrimonij, quam ipſe conjux ignoraret. Item quando ex confeſſarij ſilentio inferret pœnitens aliquid contra fidem, vel mores, ad quod caput reducunt Lugus, & Dicaſtillus citati, ſi ex eo ſilentio inferret licere fornicationem, aut debellare infideles ſinè alio titulo legitimo, aut poſſideri licitè poſſe plura beneficia curata, vel poſſe ſinè juſta cauſa reſideri cum diſpenſatione: quæ omnia ſi ſemel haberentur ex tacita approbatione confeſſarij, jam redundaret illud ſilentium in damnum commune, cum omnibus, aut pluribus poſſet illa opinio nocere.

Advertendum 4. 38. Quartum: monendus eſt pœnitens quando affulget ſpes, quod licet tunc admonitio non habet effectum, brevi tamen illum habebit, ut docent Adrianus, Joannes Medina, Canus, Corduba, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez, ubi ſuprà *n.* 16. & approbat Dicaſtill. *n.* 544.

Advertendum 5. 39. Quintum: quando confeſſarius neſcit, an profutura ſit monitio, vel non: vel potius obfutura, debet quidem monere, ſi tantùm dubitet de profectu, ſed non timet damnum: quia id poſtular charitas, & officium Magiſtri, quod gerit, ut benè tradunt Lugus, & Dicaſtillus citati. Si verò dubium ſit, an ſit profutura, vel obfutura, prudenter attendere debet utilitatem, & damnum, & gradum timoris, damni, ac ſpei remedij, & omnibus penſatis, illud eligere, quod præponderare judicetur juxta regulam, quam cum alijs tradir Filliucius *tom* 2. *tract.* 28. *cap.* 6. *n* 35. & approbant Lugus, Dicaſtillus, & Averſa locis adductis.

40. Sextum: quando confeſſarius Principis, Gubernatoris, Prælati, & ſimilium, ſcit ipſos non ſatisfacere reveta ſuo debito circa collationem beneficiorum, electionem miniſtrorum, ſubditorum gubernationem, circa eleemoſynas ex ſuperfluis faciendas ex redditibus Eccleſiaſticis, & alia ſimilia: quia rarò contingit, quod ignorantia ſit invincibilis, & inculpabilis, aut talis, ut ſecum non afferat ſcandalum in ſubditis, qui faciliè putant licita, quæ à Prælatis, & Principibus fieri vident, vel certè non afferat damnum commune: ideò regulariter tenetur admonere pœnitentem, quicumque ille ſit, de ſua obligatione: nec ſatisfacit ſuo muneri, abſolvendo à peccatis, quæ pœnitens dicit, ſed potius imponit ſuis humeris peccata, & errores, quos in pœnitente diſſimulat, & cæco cæcum ducente, ambo in foveam cadent: ſi formidat ergò potentis faciem, non aſſumat Paſtoris officium. Ita benè, & ſapienter Lugus ubi ſupra *nu.* 37 quæ meritò approbant Buſembaum *de pœnitent. cap.* 2. *dub.* 5 *num.* 8. & Dicaſtillus *num.* 553. Prædicta autem cum dixiſſet Lugus pro eo confeſſario, qui jam ſcit pœnitentem eo modo errare, ſubjungit: ſi autem hoc non ſcit, ſed habet rationem dubitandi, interroget pœnitentem, qualiter ſe gerat in his. Si verò dubium confeſſarij ſit circa ipſum jus, & obligationem pœnitentis, conſulat Auctores, atque etiam viros doctos, & pios, ſalvo tamen ſigillo confeſſionis, & tunc ſi errorem pœnitentis inveniat, modeſtè moneat, rationem in promptu habens ſuæ monitionis. Denique ſi viderit ignorantiam pœnitentis eſſe invincibilem, neq; ex illa ſequi ſcandalum, aut damnum commune; èconträ verò admonitionem futuram in majus malum pœnitentis, aut allaturam ſcandala, vel incommoda ſuprà ennumerata, poterat diſſimulare juxta regulas ſupra traditas. Quæ omnia hac in re valdè notanda verè, eruditè, & optimè ab eminentiſſimo Cardinali dicta ſunt. *Advertendum* 6.

41. Rogabis 1. An confeſſarius debeat admonere pœnitentem in cauſa mortis indè ſequentis, videlicet reum, ut fateatur crimen, quod licitè non poteſt negare, licet ea de cauſa interficiendus ſit, aut judicem, ut delinquentem pœna capitis condemnet, quando juſtitia ita exigit: An verò propter irregularitatem debeat tacere? Plerique enim apud Dianam, 3 *part. tract.* 5. *reſol.* 80. dicunt confeſſarium debere remittere hujuſmodi pœnitentes, ut juriſperitos conſulant, vel ad ſummum poſſe generaliter indicare, quid leges decernant, & alioqui irregularitatem incurrere. Verùm ſatis probabile videtur prædictum confeſſarium irregularitatem non incurrere, ut docent Vazquez, quem refert, & ſequitur Turrianus, *de cenſuris, libro* 9. *diſputat.* 66. *dub.* 4. & 2. 2. *diſput.* 93. *dub.* 2. eadem doctrinam *Quæſitum* 1.

tradens, refert Bañem, & Emanuelem Saà. Item Turrian. & Vazquium ſequuntur Diana *reſol.*80. Dicaſtillus *diſp.* 10. *dub.* 28 *num.*547. Averſa *quæſt.*16.*ſect.*12. Lugus *diſp.*22.*num.*33. Palaus *de cenſuris*, *diſp.*6 *punct.*14. § 3 *numero* 8. N. Gabriel à S. V. *q* 8. & cum Noſt. Cornejo Franciſcus B.Spei *n.*41. & alij. Tum quia non procedit, ut publicus juſtitiæ miniſter. Tum quia credendum non eſt velle Eccleſiam irregularitate confeſſarium innodare ob actionem jure muneris Sacerdotalis confeſſarij debitam: cum id monere, & ad id hortari ſit diſponere ex officio pœnitentem ad ritè accipiendum beneficium abſolutionis, ſinè qua diſpoſitione, nec Sacerdos impendere, nec pœnitens Sacramentum illud poteſt accipere. In caſu tamen ignorantiæ invincibilis pœnitentis ſervandæ ſunt regulæ jam ſuprà traditæ, quas ſigillatim applicanr Lugus, & Dicaſt. citati.

Quæſitum 2. 42. Rogabis 2. An quando confeſſarius opinatur aliquam actionem eſſe mortaliter peccaminoſam, ſeu aliquem contractum, quem pœnitens vult inire, eſſe uſurarium; èeontrà verò pœnitens adhæret ſententiæ contrariæ, quæ practicè probabiliter aſſerit, neque actionem illam eſſe malam, neque contractum eſſe uſurarium: an poſſit, aut debeat pœnitentem abſolvere? *1. Sententia.* Prima ſententia diſtinguit de Sacerdote proprio, & delegato: hunc dicit, non debere ſequi ſententiam pœnitentis contra propriam; illum verò, dicit, debere. Ita Antoninus, Conradus, Angles, Sylveſter, apud Sanchez *lib.* 1. *ſummæ, cap.* 9. Immò plerique putant, neque poſſe id facere delegatum, & non ordinarium; ſecus ſi ſit ordinarius.

2. Sententia. 43. Secunda ſententia eſt Joannis de Medina, C. *de confeſſ. q. de confeſſione dimidiata iteranda*, *verſ. Sequitur jam*, qui dicit, quando agitur de damno tertij, obſervandam eſſe illam diſtinctionem de confeſſario proprio, vel delegato, quando verò non agitur de damno tertij, utrumque debere ſe conformare opinioni practicè probabili pœnitentis.

3. Sententia. 44. Tertia ſententia communiter jam recepta, & vera eſt, utrumque confeſſarium poſſe, & debere pœnitentem ſequentem opinionem probabilem practicè circa prædicta abſolvere; poſitâ cauſâ judicij, ſeu confeſſione incæpta: poteſt enim, & tenetur tunc deponere in praxi ſuum dictamen ſaltem per extrinſeca principia, quando opinio, quam ſequitur pœnitens, habet omnia requiſita: ut ſit practicè probabilis, ut eum approbatis Auctoribus ſic exiſtimatur, eiſque innoteſcunt rationes omnes, quæ concurrunt ad judicium ferendum de utraque opinione. Ita Sotus *in* 4. *diſt.*18 *quæſt.*2. *art.*5. *ad* 5. Navarrus *in manuali c.*27.*n* 280. & 288. Suarez, Sanchez, & alij, quos citat, & ſequitur Petrus de Tapia *in Catena morali, tom.*1 *lib.*1. *quæſt.*5. *art.*16. Monteſinos, Sylvius, Baſilius Pontius, Coninchus, & alij quos refert, & ſectatur Diana *tom.*2. *tract.* 13. *reſol.*11. Bonacina, Merola, Buldelli, quos refert, & ſequitur Bardi *diſcept* 14. *cap.*21. *n.*7. N. Antonius à Spir. S. *de pœnit. n.*1474 Franciſcus B.S. *n.* 44 Gabriel à S. V. *qu.*8.*cit.* & quidem quod poſſit, non videtur dubium, cum unuſquiſque poſſit etiam in ſua cauſa ſequi opinionem practicè probabilem. Quod autem debeat ſe conformare in caſu poſito, probatur: quia ſi non abſolvat, graviter id feret pœnitens; & quidem rationabiliter: quoniam accedit rectè diſpoſitus, & jus habet, ut illi non denegetur beneficium abſolutionis; & ita confeſſor peccat contra obligationem ſui officij, & injuriam infert pœnitenti, qui ad hunc finem detegit peccata ſua occulta.

Diximus, *poſita cauſâ judicij*, *ſeu confeſſione incæpta*: quia ſi loquamur antè confeſſionem, certum eſt, obligationem abſolvendi non inveniri, niſi in confeſſario proprio, quatenus ex officio tenetur talis pœnitentis confeſſionem audire, quoties ipſe rationabiliter vult confiteri; delegatus verò, qui non eſt proprius, non tenetur.

45. Rogabis 3. quale peccatum ſit, utrum mortale, aut veniale, audita confeſſione, non abſolvere pœnitentem in prædictis caſibus repellendo opinionem practicè probabilem pœnitentis? Reſpondetur eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, ut rectè docent Suarez *diſp.*32. *ſect.*5.*n.*2. Thomas Sanchez *lib.*1. *ſummæ*, *c.*9. *n.*29. Petrus de Tapia ubi ſuprà, Palaus *tom.*1. *diſp.*2.*punct* 4. Averſa *quæſt.*16 *ſect.*12. N. Anton.*n.*1475. Ex parvitate tamen materiæ poterit eſſe veniale, ut ſi confeſſio eſſet de ſolis venialibus, aut ita brevis, ac de materia non verecunda, vel ob facilitatem ejuſdem pœnitentis, ut illam repetere cum alio confeſſore, non eſſet grave onus, ut admittunt Suarez, Averſa, & Thomas Sanchez: qui etiam addit ſæpè excuſari confeſſorem hunc à peccato ob bonam fidem, ut benè tradunt Sayrus *in clavi regia, lib.*1.*cap* 9. & Salas 1. 2. *quæſt* 21. *tract.*8. *diſput. unic. ſect.*9. *Quæſitum 3.*

PUNCTUM IV.

De obligatione ſupplendi defectus in confeſſione audita fortè commiſſos.

46. MUltiplex defectus committi poteſt à confeſſario in audienda confeſſione pœnitentis, & ideò de ſingulis ſigillatim agendum eſt. *An & quomodo debeat ſupplere defectum integritatis* Primus defectus eſt, quando pœnitens bona fide proceſſit, & abſolutionem validam obtinuit, omiſit tamen aliqua peccata, vel aliquorum numerum, aut circumſtantias, quæ neceſſariò erant explicanda, ſed nullum imminet damnum tertiæ perſonæ. Et quidem tunc teneri adhuc confeſſarium ſupplere hunc defectum admonendo pœnitentem, ſignificant Medina, & Vazquez, teſte Averſa *quæſt.* 16. *ſect.*13 & affirmat Fernandez *in examine Theol. moralis*, *part.*4.*cap.*5.§.11. *num.*3. pariter ſecluſo ſcandalo, aut ſuo gravi detrimento. Per ſe tamen loquendo non teneri: quia confeſſio fuit legitima, & peccata illa omninò fuere remiſſa, & aliundè moleſtum eſſet pœnitentibus, illos iterum ad conculcandam confeſſionem accerſere, atque ita ſufficere confeſſarium dolere de peccato ſuo, ſi fortè ob ejus negligentiam fuit confeſſio minus exacta, admittunt Suarez, Nuñus, Filliucius, Diana, & apud ipſum Reginaldus, quos citat, & idem ſequitur.

Averſa *loco citato*. Et idem docet Graoados *de pœnit. tract.* 10. *diſp.* 10. *n.* 1. Et hanc ſecundam ſententiam veram eſſe cenſemus, cum Lugone *diſp.* 22. *ſect.* 3. *num.* 73. & cum Dicaſtillo *diſp.* 10. *dub.* 27. *n.* 528.

Quid quando negativè ſeu purè omiſſivè ſe habuit circa hunc defectum?

47. Quando negativè aut purè omiſſivè ſe habuit Confeſſarius, ſivè culpabiliter, ſivè inculpabiliter non interrogando aliquorum numerum, aut circumſtantias, quæ interrogari deberent: quia poſtquàm Confeſſarius ſententiam protulit, & functus eſt officio ſuo, non obligatur amplius præcepto interrogandi, & examinaodi: & aliundè ipſe noo eſt cauſa, quod pœnitens poſteà oon confiteatur illa peccata, ut ſupponimus: quia neque ipſe id dixit formaliter, nec virtualiter, ita ut pœnitens ab ejus auctoritate moveatur ad illa non confitenda, ſed à ſua oblivione, vel imperitia, & licet debuerit ex officio eum docere in actu confeſſionis, non tamen poſt peractum judicium Sacramentale.

Quid quando fuit cauſa, quod pœnitens non confiteretur integrè?

48. Si verò confeſſarius fuit cauſa, quod pœoitens non confiteretur integrè, dicendo, v.g. non oportere explicare aliter numerum, ſpecies, aut circumſtantias peccstorum, ſeu ita omittendo interrogationes, ut perindè eſſet, ac ſi diceret non eſſe neceſſarium alia, vel magis explicare, ita ur pœnitens ejus auctoritate nixus non curet amplius hæc inpoſterum confiteri; in hoc quidem caſu debet monere pœnitentem, ad id petitâ licentiâ sb ipſo pœnitente, ſivè culpabiliter, ſivè inculpabiliter id fecerit: quia debet, qui alteri eſt cauſa violandi etiam materialiter præceptum grave, curare, ſi commodè poteſt, admonere de errore, ut ille præceptum non tranſgrediatur. Si ergò confeſſarius ſua auctoritate cauſa eſt, quod pœnitens non confiteatur illa peccata, quæ ex Chriſti præcepto confiteri debet, obligationē habet auferendi illum errorem à ſe poſitum aut conſervatum, ut pœnitens non violet Divinum præceptum, niſi damnum inde proveniret confeſſario, quod præponderaret. Sicur enim pœnitens non obligatur ad integritatem materialem confeſſionis cum gravi ſuo incommodo: ita neque confeſſarius cum gravi incommodo tenebitur; quod meritò habet locum, etiamſi culpabiliter dediſſet cauſam: obligari enim non debet cum majori rigore ad procurandam integritatem materialem confeſſioois pœniteotis, quam pœnitens ipſe, qui cum gravi incommodo non obligaretur; quando verò non procedit ex gravi confeſſoris culpa, multò minor cauſa ſufficit ad excuſandum confeſſarium: quæ omnia rectè advertunt N. Anton. *n.* 1494 Lugus, & Dicaſtillus citati.

Quid quando pœnitens ad aliam redit confeſſionem?

49. Advertendum tamen eſt cum N Gabriele à Sancto Vincentio *de pœnitent. diſput.* 9. *quæſt.* 8. & cum Dicaſtillo *num* 77. quod ſi poſteà pœnitens ad aliam redeat confeſſionem, in illa præteritæ confeſſionis defectus illi à confeſſario corrigi debent, non propriè ad ſupplendum alterius præcedentis confeſſionis defectum, ſed ut præſens confeſſio legitimè fiat, & cum examine, & integritate debita: prior enim confeſſin jam tranſijt, adeoque corrigi, ant emendari non pnteſt, ſed poſterior poteſt, & debet integrè fieri: ad cujus integritatem ſpectat, quod peccata in præcedenti confeſſione relicta, in præſenti ſubijciantur, & explicentur, alioqui hæc coofeſſio non erit integra: cum quædam oon ſit pœnitens debitè confeſſus.

An & quomodo debeat ſupplere defectum in damnum tertij?

50. Secundus defectus contingere poteſt, ſi confeſſarius committat errorem circa obligationes pœnitentis, quem v.g. non obligavit ad reſtitutionem debitam, vel obligavit ad indebitam; & quidem ſi poſitivè dixit non reſtituendum contrà jus alterius, & id ex culpa gravi, hoc eſt, mortali contrà juſtitiam, tenetur poſteà veritatem docere, vel intrà confeſſiooem, ſi pœnitens brevi ad confitendum redeat, vel ſi noo redeat, vocando illum, & petendo licentiam, ut de re ad ejus conſcientiam pertinente, extrà confeſſionem loquatur, eſtqoe hæc obligatio gravis per ſe loquendo, alioquin ſi nnn admonet, vel ſi admonitus jam non poſſit reſtituere, cum prius poſſet, ipſe confeſſarius debet, proot potuerit, reſtituere, ſi pœnitens alioquin reſtituiſſet. Ita Sylveſter, Gabriel, Navarrus, Nuñus, Zanardus, Sylvius, & alij, quos adducit, & ſequitur Lugus *diſput.* 22. *ſect.* 3. *num.* 60. *&* 61. Granados *tract.* 10. *diſput.* 10 *num.* 2. & plures alioa referens Averſa *quæſt.* 16. *ſect.* 13. N. Gabriel *loc. cit.* Anton. *num.* 1488. Franciſcus B.S. *n.* 53. Quia conſulens furtum, ſi ex malitia, vel culpa gravi id faciat, cooperatur furi, & teoetur ad reſtitutionem, fure oon reſtituente: ergò qui ſuo conſilio injuſto impedivit reſtitutionem rei alienæ, non minus tenebitur: nam dominus rei habet jus contra conſulentem, ne impediat furem à reſtitutione facieoda. Idem eſt ſi culpabiliter pœnitenti reſtitutionem præcepit, quando reſtituere non debebat: quia jam ſua actione injuſtâ cauſa fuit illius damni decipiendo pœniteotem.

Quid quando abſque gravi culpa erravit?

51. Si tamen confeſſarius abſque ſoa gravi culpa, ſed vel bona fide, vel ad ſummum levi negligentia deceptus, falſo docuit pœniteotem, non teneri reſtituere; melius poſteà ſapiens tenebitur quidem, ſi poterit, monere pœnitentem de ſuo vero debito, ur illam erroris cauſam amoveat: ſi tamen admonere non poſſir, vel pœnitentem inveniat inhabilem ad reſtituendum, tunc non tenebitur ipſe de ſuo reſtituere: quia non deliquit graviter contra juſtitiam: ſicut qui abſque ſua culpa admovit ignem, ex quo ſequitur incendium, tenetur quidem quantum commodè poteſt reſpectivè ad damnum, incendium extinguere; ſed ſi ſic non poteſt, non tenetur reſarcire. Ita Averſa, Lugus, & Dicaſtillus, N. Gabriel, & Antonius citati.

Quid quando ſolùm negativè defecit?

52. Si verò confeſſarius ſolùm negativè omiſit obligare ad reſtituendum, ſi delegatus eſt, ſola lege charitatis tenetur admonitionem faciendam: quia ſolùm contra Religionem, debitamque Sacramenti adminiſtrationem deliquit. At ſi Parochus eſt, lege juſtitiæ admonere tenetur pœnitentem: quia peccavit contra debitum ſui officij, ex vi cujus adſtringitur ſubditos ab erroribus liberare, & in viam veritatis dirigere; non tameo tenetur creditori reſtituere: quia obligatio Parochi non eſt comparatione creditoris, ſed pœniteotis, & ſubditi: ſicuti rectè notant

Suarez, Vazquez, Coninchus, quos citat, & ſequitur Palaus *de pœnitent. tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 18. §. 3. *num.* 6. & cum multis Averſa *loco citato.*

An, & quomodò debeat ſuppleri defectus invaliditatis confeſſionis

53. Tertius defectus contingere poteſt, quoad valorem, & ſubſtantiam Sacramenti, ut ſi Sacerdos non protulit integram, & neceſſariam abſolutionis formam, vel caruit intentione abſolvendi pœnitentem, vel abſque juriſdictione ex parte ſua, vel ſinè diſpoſitione neceſſaria ex parte pœnitentis eum abſolvit. Et quidem in hac re inprimis certum eſt, non poſſe confeſſarium proferre denuò abſolutionem in abſentem: quia prorsùs non valeret; abſolutio tamen à cenſura valere, & dari poteſt etiam in abſentem, ſi vel quando habet poteſtatem Sacerdos illam conferendi: uti rectè notant Averſa *loco cit.* & meritò ſolet ab Auctoribus admitti, inter quos Suarez, Vazquez, Lugus, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *num.* 500.

Debet per ſe loquendo.

54. Præterea, quando defectus commiſſus eſt in aliquo eſſentiali, ſinè quo Sacramentum Pœnitentiæ fuit nullum, nobis dubium non eſt, quin poſſit, & teneatur confeſſarius per ſe loquendo, id eſt, quando ſinè gravi damno proprio, vel alieno, aut ſinè ſcandalo fieri poteſt, vocare pœnitentem: & quando defectus fuit etiam commiſſus ex parte pœnitentis, vel quando non poteſt induci, ut eidem Sacerdoti iterùm confiteatur, petitâ licentiâ detegere veritatem, & clarè admonere de priori errore, ut emendetur. Quando verò error fuit tantùm ex parte confeſſoris, curare pœnitentem iterùm ſibi confiteri de peccatis poſt priorem confeſſionem commiſſis, & in ea confeſſione generaliter cum interrogare: an de omnibus, quæ dixit in priori confeſſione, cujus confuſam memoriam adhuc habet Confeſſarius, doleat, eaque ſi neceſſè ſit, quantùm poteſt, confiteatur, & tunc abſolutio directè terminabitur ad illa omnia. Ita Suarez *diſp.* 32. *ſect.* 6. *num.* 6 Filliocius *tract.* 7. *de confeſſ. cap.* 12. *num.* 372. Lugus *diſp.* 22. *ſect.* 3. *num.* 54 & alij, quos congerit Leander *de pœnit. diſp.* 11 *quæſt* 134 Nam tunc poteſt prodeſſe monitio, vel diligentia confeſſoris, & commodè eam adhibere valet: ergò ad id tenetur; tum quia in univerſum Judex ſi malè tulit ſententiam, tenetur eam declarare ſi commodè poteſt; tum etiam ob damnum ipſius pœnitentis, cui ob nullitatem Sacramenti non fuerunt in ea confeſſione peccata remiſſa.

Quando excuſari poſſit?

55. Excuſari tamen aliquando poteſt Confeſſarius ab hac obligatione, ſi indè reſultet damnum, quod præponderet, ut benè obſervant Suarez ubi ſuprà *ſect.* 6. *num* 7. Granados *n.* 5. & alij.

Quæſitum.

Rogabis: An ſi confeſſarius nequeat ſinè gravi diſpendio, aut ſcandalo monere pœnitentem de defectu circa valorem Sacramenti Pœnitentiæ commiſſo, ad id teneatur? Diſtinguunt Lugus *diſp.* 22. *nu* 58. & Leander *diſp.* 11. *qu.* 135. & dicunt inculpatum confeſſarium non teneri cum gravi damno ſuo, aut alieno, niſi quando fortè ſubeſſet periculum damnationis pœnitentis, ut ſi moreretur cum illa invalida abſolutione. Confeſſarium verò, qui in gravi culpa fuit nullitatis Sacramenti, teneri etiam cum gravi ſuo detrimento (dummodò non præponderet) adhuc extrà mortis articulum: quia non videtur tanta obligatio ejus, qui inculpabiliter ſe habuit, ac ejus, qui ſcienter & culpabiliter errorem commiſit. Verum alij viri ſapientes, & prudentes Theologi probabiliter cenſent non teneri confeſſarium monere de defectu eſſentiali extrà mortis periculum cum gravi damno abſque ullo diſcrimine, ſivè confeſſarius culpabiliter, ſivè inculpabiliter prædictum errorem commiſerit. Ita Suarius *loco citato num.* 6. Vazquez *q.* 93. *art* 3. Hurtado *diſp.* 10. *diff.* 22. Filliucius *tract.* 7. *de pœnit. c.* 12. *n.* 373. ubi ſic ait: *Si ſequatur grave incommodum, aut ſcandalum, non tenetur, ſed ſatis eſt dolere de peccato commiſſo, & relinquere pœnitentem in bona fide: quia per ſubſequentes confeſſiones juſtificabitur*, Averſ. *q.* 16. *ſect.* 13. & meritò idem probabile eſſe ſentit Dicaſtil *diſp.* 10. *dub.* 27. *n* 512. Tum quia tot viris ſapientibus, & prudentibus Theologis videtur, id præceptum non eſſe tam ſtrictum, ut cum tanto diſpendio obliget. Tum etiam: quia ſicut ipſemet pœnitens non teneretur cum ſuo notabili damno, aut periculo ea peccata confiteri, ſi jam eſſet monitus: ita neque confeſſarius illum cum notabili damno monere, ut ea confiteatur: tota enim obligatio confeſſarij eſt, ut pœnitens faciat, quod ſciens ſe non abſolutum deberet.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

De caſuum reſervatione, & reſervatorum abſolutione in Pœnitentiæ miniſterio.

Caput iſtud ſub ſe continet ſex Puncta.

- P. 1. *An, & quis habeat in Eccleſia poteſtatem reſervandi peccata?*
- P. 2. *Quæ peccata reſervari poſſint, & reſerventur.*
- P. 3. *Quis, & quando poſſit pœnitentem abſolvere à reſervatis.*
- P. 4. *Qualiter Prælatus, cui ſunt caſus reſervati ſe gerere debeat: tum in abſolutione concedenda: tum in ea delegandâ.*
- P. 5. *Qualiter ex confeſſione facta habenti poteſtatem abſolvendi à reſervatis, ceſſet reſervatio: ita ut pœnitens poſſit ea peccata fateri Sacerdoti juriſdictionem habenti in peccata non reſervata.*
- P. 6. *Qualiter Confeſſarius inferior poteſtate carens in reſervata, ſe gerere debeat cùm pœnitens ad ipſum accedit.*

An,

PUNCTUM I.

An, & quis habeat in Eccleſia poteſtatem reſervandi peccata?

1. aſſertio. 1. CErtum eſt, in Eccleſia poteſtatem eſſe quædam peccata reſervandi, à quibus inferiores confeſſarij non poſſint abſolvere. Aſſertio hæc definita eſt à Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & *can.* 11. & probata uſu antiquorum Patrum, & praxi totius Eccleſiæ. Ratione verò probatur: quia reſervatio in præſenti nihil aliud ſignificat, quàm coarctationem, aut limitationem juriſdictionis commiſſæ inferioribus Sacerdotibus, ut nimirùm ab aliquibus peccatis abſolvere nequeant in Sacramento Pœnitentiæ: manifeſtum eſt autem poſſe ſuperiores Prælatos hanc limitationem efficere, idque non ſolùm reſpectu eorum Sacerdotum, quibus ipſi juriſdictionem delegant, ſed etiam reſpectu eorum, qui ordinariam juriſdictionem habent, dependentem tamen, & ſubordinatam ad ipſos ſuperiores. Quod certè in quibuſdam caſibus facere eſt valde utile, ac pium: quia ſunt quædam genera delictorum, à quibus fideles abſterrere oportet peculiariſſimis de cauſis, quæ ſi reſerventur, ſuperiores aptiora remedia ſcient, & poterunt adhibere: Confeſſarij efficientur diligentiores, & pœnitentes ipſi ob difficultatem abſolutionis impetrandæ reddentur cautiores ad ſimilia crimina præcavenda.

2. aſſertio. 2. Superiores, qui reſervare poſſunt, ſunt Summus Pontifex in univerſa Eccleſia, Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, Prælati in ſuis Religionibus, & Parochus in ſua Parochia reſpectu Sacerdotum, quibus ipſe delegat poteſtatem; quamvis Parochi id facere non conſueverint. Ita Major *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 5. Vazquez *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. Granados, *tract.* 10. *diſp.* 6. *n.* 1. Dicaſtill. *diſp.* 11. *dub.* 1. *n.* 4. N. Anton. à Spir. S. *n.* 920. Gabriël à S. Vinc. *diſp.* 9. *q.* 1. & alij.

3. aſſertio. 3. Licèt Summus Pontifex poſſet alia peccata reſervare, at re ipſa de facto non reſervat, niſi ea, quæ annexam cenſuram & ſibi reſervatam habent, ut ex communi ſententia docent Suarez, *diſp.* 29. *ſect.* 2. Henriquez *lib.* 6. *ſummæ*, *cap.* 14. Thomas Sanchez *lib.* 2. *ſummæ*, *cap.* 8. *n.* 5. Granados *n.* 2. Palaus, *tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 15. §. 2. Dicaſtillus, *dub.* 3. *n.* 1. & alij. Imò nullum eſſe hodiè peccatum reſervatum Pontifici, cui non ſit annexa excommunicatio ipſi reſervata, communis eſt ſententia, ut teſtatur Palaus *loco citato*. Excipiunt Coninchus, *diſp.* 8. *n.* 82. & alij promoventes, & promotos ad Ordines Symoniacè, quorum peccatum Sixtus V. in Bulla data anno 1589. ſibi reſervavit, & ſuſpenſionem annectit, non verò excommunicationem. Sed non eſt admittenda hæc exceptio, ut benè docet Palaus: quia eſto Sixtus V. prædicto peccato excommunicationem reſervatam non impoſuerit, poſita tamen eſt à Paulo II. in extravaganti: *Cum deteſtabile de Symonia inter communes*, ubi poſtquam de Symonia in ordine mentionem fecerat, ſubdit cenſuram excommunicationis latæ ſententiæ, & Papæ reſervatæ contra omnes, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo Symoniam commiſerint.* Quæ cenſura excommunicationis latæ ſententiæ, & Papæ reſervatæ, cadit in dantes, & recipientes Symoniacè Ordines, ut ex communi interpretatione tradit Suarez, *tom.* 1. *de Religione, lib.* 4. *de Symonia*, *cap.* 56. *n.* 4. & idem docent Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 24. *n.* 133. cum Navarro, *cap.* 23. *n.* 111. Palaus *de Symonia, diſp.* 3. *punct.* 14. *n.* 1. Bonacina, *de excommunicatione in particulari extra Bullam Cœnæ, diſp.* 2. *q.* 3. *punct.* 24. *n.* 17.

Quæſitum. 4. Quæri autem ſolet: an peccata reſervata Pontifici, ſolùm quoad cenſuram reſerventur? Vel etiam quoad culpam? Durandus, *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 15. *n.* 13. putat tantùm reſervari quoad cenſuras, non quoad culpam, & pro hac ſententia refert Suarius, *diſp.* 29. *ſect.* 2. *num.* 7. Cajetanum *in ſumma*. Oppoſitum tamen, nempè reſervare quoad culpas, & non ſolùm quoad cenſuras meritò docent Sotus, Henriquez, Suarius, Coninchus, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *n.* 21. Vazquez, *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 1. *n.* 15. Lugus, *diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 26. Hurtado, Fagundez, Filliucius, Molfeſius, & alij, quos congerit, & ſequitur Leander *de pœnit. diſp.* 11. *q.* 14. Tum quia Pontifices in ſuis reſervationibus abſquè ulla limitatione loquuntur, cumque ſecundùm utramque rationem poſſint reſervare, abſquè fundamento negabitur id ita facere. Tum quia videtur id tenere communis Eccleſiæ ſenſus, & uſus.

Illatio 1. 5. Hinc fit primò, durante excommunicatione Pontifici reſervata, non ſolùm ipſam, ſed & peccatum per ſe, & immediatè reſervatum eſſe, ita ut ab alio, quàm ab eo, cui cenſura reſervatur, abſolvi non poſſit, ut benè docent Coninchus, Suarez, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *dict. punct.* 15. §. 2. *n.* 1.

Illatio 2. 6. Fit ſecundò, abſolutionem impenſam cuicumque affecto excommunicatione Pontifici reſervata, eſſe irritam ſinè legitima poteſtate abſolventis factam non tantùm quoad cenſuram, ſed etiam quoad peccatum, quamtumvis bona fides Confeſſoris, & pœnitentis adſit; undè peccatum illud eſt neceſſariò iterùm fatendum, ut notant Thomas Sanchez, & Dicaſtillus citati, Filliucius, *tract.* 7. *de conf. c.* 10. & alij.

Doctrina communis & vera. 7. Sublatâ tamen excommunicatione Pontifici reſervatâ, vel illa per ignorantiam non incurſa, eſto peccatum graviſſimum ſit, reſervatum non eſt: quia non aliter, quàm ſimul cum cenſura reſervatur; & ſicut à principio, & veluti in fieri, ita connexa fuerunt cenſura, & peccatum, ut peccatum ſinè cenſura non reſervaretur: ita poſtea in conſervari quaſi mutuo dependent, & connectuntur, ut ablatâ cenſurâ, ſeu illius reſervatione, cenſeatur etiam ablata reſervatio culpæ: ſicuti docent Coninch. Thom. Sanch. Vazqu. Layman, quos adducit & ſequitur, Palaus *loco citato* Granad. *diſp.* 6. *n.* 1. Suar. quem citat, & ſequitur Dicaſtil. *diſp.* 11. *dub.* 3. & 4.

4. aſſertio. 8. Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus reſervare poſſunt: & reipſa reſervant peccata non habentia excommunicationem annexam, eſt communis, & certa concluſio, ut teſtatur Granados *loco citato*, & probat ratio ducta ex dependentia juriſdictionis in inferioribus à ſuperioribus, ſimul cum uſu, & praxi Epiſcoporum.

5. aſſertio. 9. Prælatis Religionnm antiquo tempore plures erant caſus reſervati, eaque de cauſa Clemens VIII. quodam motu proprio edito anno 1593. poteſtatem Prælatorum reſtrinxit, ut præter undecim caſus, quos ibi enumerat, nullum alium reſervare poſſint abſquè conſenſu Congregationis Generalis, vel Provincialis, caſus autem Clementis ſunt ſequentes. 1. Apoſtaſia etiam retento habitu. 2. Nocturna, ac furtiva egreſſio è Monaſterio. 3. Veneficia, incantationes & ſortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus Monaſterij. 6. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. 7. Juramentum falſum in judicio legitimo. 8. Procuratio, conſilium, ſeu auxilium ad abortum fœtus animati, etiam effectu non ſecuto. 9. Occiſio, ſeu vulneratio, aut gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ. 10. Falſificatio manûs aut ſigilli Officialium Monaſterij. 11. Malitioſum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, velècontrà. Hos verò caſus explicatos reperies apud N. Antonium à Spiritu S. *in Direct. Confeſſar. tract. 5. diſp. 14. ſect. 13.* per totam: ſed notandum quod in hoc Decreto, ut benè advertunt Suarez, *tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. c. 18. n. 14.* & Palaus ubi ſuprà, *n. 5.* nullum ſit verbum ſuperioribus præcipiens horum, vel alicujus ex illis caſibus reſervationem, ſed præceptum eſt, nè alij, quàm ibi deſignati reſerventur, niſi de conſenſu Capituli Generalis, vel Provincialis: illos verò caſus, & quemlibet illorum tum Generali in toto Ordine, tum Provinciali in ſua Provincia, tum Prælato Conventuali in ſuo Convento permittit reſervare, ſi aliàs poteſtatem reſervandi habeant: conſulenda ergò ſunt ſingularum Religionum ſtatuta, ut indè conſtet, quænam peccata reſerventur. Undè in N. Carm. Diſc. Religione Congregationis Italicæ tres dumtaxat caſus Superioribus reſervantur: ſcilicet. 1. Apoſtaſia. 2. Violenta manuum injectio in Clericos. 3. Tranſgreſſio præcepti, ſub pœna excom. aut alterius cenſuræ impoſitæ à quovis Congregationis Superiore. Ita habetur *in declarationibus Conſtitutionum, num. 6.*

PUNCTUM II.

Quæ peccata reſervari poſſint, & reſerventur.

Quid de peccatis venialibus. 10. ET quidem ſi de peccatis venialibus loquamur, etſi aliquorum abſolutionem ſibi reſervari poſſit Summus Pontifex, cùm omnis juriſdictio in alios à Pontifice derivetur, uti docent Suarez, & Coninchus, quos refert, & ſequitur Palaus, *tract. 23. diſp. unic. punct. 15. §. 1.* Granad. *loco cit.* Averſa *q. 17. ſect. 2.* & alij, qui nobiſcum ſentiunt juriſdictionem ad abſolvendum à veniali dari ab Eccleſia, & non à ſolo Chriſto, quos ſup. *c. 11. punct. 2. n. 9.* retulimus contra Vazquezium, *q. 91. art. 3. dub. 2.* & contra alios; inutilis tamen eſſet ea reſervatio partim, quia ſinè illorum manifeſtatione abſolutio Sacramentalis obtineri poteſt, partim quia aliâ viâ, quàm Sacramento illorum venia poteſt impetrari: Certumque eſt venialia de facto non eſſe reſervata, neque verò ab alio, quàm à Summo Pontifice reſervari modò poſſe credimus, ut benè docent Coninchus, & Layman, quos citat, & ſequitur Palaus *loco cit.* & alij paſſim. Et idem, quod de venialibus, dici poteſt de mortalibus, quæ jam iterùm in confeſſione ſunt clavibus legitimè ſubjecta, & remiſſa, ut benè notat Lugus, *diſp. 20. ſect. 2. n. 12.*

11. Deindè ſi loquamur de peccatis mortalibus merè internis, certum eſt loquendo de poſſibili, poſſe reſervari: quia eo ipſo quod neceſſaria eſt juriſdictio, poteſt Eccleſia eam non conferre, ſed ſubtrahere circa talia peccata; at de facto Eccleſia externis reſervandis contenta eſt, ut docent cum multis Palaus ubi ſuprà, Granados, N. Anton. *n. 939.* Dicaſtillus, & Averſa citati. Probatur, nam ſi loquamur de reſervatis, quæ habent annexam excommunicationem, non eſt dubium: quia excommunicatio numquam fertur ab Eccleſia pro culpa omninò interna, undè hæreſis omninò interna nulli eſt reſervata, ut optimè docent Thomas Sanchez *in ſumma, lib. 2. c. 8.* Covarruvias, Simancas, Gutierrez, Aragon, quos adducit, & ſequitur Dicaſtill. *diſp. 11. dub. 4. n. 34.* Si verò loquamur de peccatis, quæ non habent annexam excommunicationem, externis etiam tantùm reſervandis Eccleſia contenta eſt: quia dum hujuſmodi reſervationem imponit, punire intendit gravem culpam, cujus gravitas ſit perceptibilis, ac proindè externa: merè enim internorum reſervatio valdè aliena eſt à ſuavi Eccleſiæ gubernatione, ut omnes fatemur. *Quid de peccatis internis.*

12. Ex his infertur, quod cùm ſola peccata mortalia externa reſerventur in Eccleſia, non incurrat caſum reſervatum, qui facit aliquod opus externum, quod non eſt ſufficiens ſecundùm ſe ad mortale peccatum, quantumvis internus animus fuerit peccandi lethaliter, ut ſi Religioſus obolum furaretur, animo furandi multos argenteos, non committeret peccatum reſervatum: quia licèt læthaliter peccaret ratione internæ voluntatis, at opus externum leve eſſet. Ita Granad. *tract. 10. diſp. 6. n. 7.* Henriquez, Suarius, Lugus, Diana, & alij, quos refert, & ſequitur Dicaſtil. *n. 33.* è NN. Anton. *n. 940.* Lezana verbo, *caſus reſervatus,* Franciſcus B. S. *diſp. 10. n. 15.* Stephanus à S. P. *n. 250.* contra Luyſium, Turrian. *Corollarium.*

13. Prætereà ſi ſermo ſit de peccatis mortalibus dubijs, id eſt, de quibus homo dubio proprio, ſeu negativo dubitat: an ea commiſerit: vel an fuerint mortalia, poſſe ea reſervari docent communiter Doctores, ut videre eſt apud Thom. Sanch. Armill. Cordub. Henriqu. Suarium, Lugonem, quos citat, & ſequitur Dicaſtill. *n. 88.* Et ratio eſt: quia eo ipſo quod neceſſaria eſt juriſdictio, aut completio illius ab Eccleſia, poteſt eam limitare, & pro aliquibus peccatis dubijs non conferre. *Quid de peccatis mortalibus dubijs.*

14. Difficultas ergò eſt: An de facto in ſimplici, & ordinaria reſervatione includantur etiam peccata dubia, nullâ factâ mentione dubij, aut certitudinis in reſervatione, quando ſcilicet dubium eſt: an ſit commiſſum, aut ſi certum eſt fuiſſe commiſſum, dubium eſt eſſe mortale, ſivè ex levitate materiæ, ſivè ex defectu *An de facto in ſimplici, & ordinaria reſervatione includatur? 1. ſententia.*

per-

perfectæ deliberationis? Affirmant Armilla, & Frias apud Averſam *q.* 17. *ſect.* 2. Corduba, Franciſc. B. S. à *n.* 8. & alij, apud Dicaſtill. *diſp.* 11. *dub.* 6. *n.* 90. & ex parte Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decalogum*, *c.* 10. *n.* 7. & Alphonſus de Leone, *p.* 1. *de poteſtate confeſ. reſol.* 15. *n.* 25. quando ſcilicet in foro externo præſumitur delictum, ſed dubitatur: an ex animo, & aſſenſu interno, tunc enim præſumitur talis animus.

2. & vera.

15. Meritò tamen abſolutè negant Suarez *de cenſuris*, *diſp.* 40. *ſect.* 6 *n.* 5. Henriquez, Saà, Hurtado, Lugo, Filliucius & alij, quos adducit, & ſequitur Averſa, *q.* 17 *ſect.* 2. Portel, & Merola apud Dianam, 4. *p tract.* 3. *reſol.* 4. Dicaſtil. *n.* 91. N. Lezana *n.* 13. N. Gabriël à S. Vinc. *diſp.* 9. *q.* 3. Anton. à Spir. S. *n.* 944. Herinx *diſp.* 6. *n* 7. & hoc ſivè merum peccatum ſit reſervatum, ſivè ſimul cum cenſura ipſo facto impoſita. Et ratio eſt, quia cùm reſervatio ſit odioſa, & ſtrictè interpretanda, nec videtur ſuperior velle reſervare talia peccata, quando manent ſub dubio, niſi expreſsè oppoſitum explicet. Ac etiam in eo caſu, quo præſumitur in foro externo delictum, non ſemper habet locum etiam in foro interno, ubi cùm omnes circumſtantiæ & rationes dubitandi magis conſtent, poteſt adhuc perſeverare dubium proprium, & negativum non obſtante illâ conjecturâ, & hic eſt caſus noſter, quod ſi aliquando non perſeveret dubium proprium, & negativum, omnibus penſatis jam ille non eſt caſus, de quo modò diſputamus, ut advertit Dicaſtillus *loco citato.*

Alia difficultas.

16. Quod ſi petas: An qui ab inferiore Confeſſario abſolvitur à peccato dubio in materia alioquin reſervata, liberetur à reſervatione, licèt poſteà peccatum certò conſtet? Reſpondetur nullam eſſe ampliùs reſervationem, poſtquàm quis: v. g. fuit abſolutus à peccato hæreſis dubio, de quo ſcilicet non erat certus an commiſiſſet, etiamſi poſt acceptam abſolutionem certò conſtet peccatum fuiſſe commiſſum. Ita Lugus, *diſp.* 20. *n.* 22 & 23. Dicaſtillus *num.* 99 Averſa *q.* 17. *ſect.* 2. N. Gabriël *loc. cit.* Antonius *n.* 946. non quia pœnitens ſimpliciter ſit immunis à confitendo tali peccato tamquam certo, ſi poſt acceptam abſolutionem certò conſtat peccatum illud fuiſſe commiſſum: tenetur enim ſic confiteri, ut diximus ſuprà *c.* 8. *n.* 47. ſed quia poterit apud quemcumque ordinarium Confeſſarium de illo confiteri: quia reſervatio, cujus eſt uſus in Eccleſia Dei, eſt peccati certò commiſſi, & nunquàm per legitimam abſolutionem remiſſi. Undè etiamſi certò commiſſum eſſe conſtet, quia tamen in caſu poſito per legitimam abſolutionem fuerat remiſſum, ideò peccatum illud non habet quidquid requiritur ad reſervationem, quæ hodie eſt in uſu recepta in Eccleſia Dei.

An ſi Pontifex abſquè legitima cauſa peccatum aliquod reſervaret, cenſenda eſſet valida reſervatio?

17. Sed quid ſi ſuperior indiſcretè, & irrationabiliter peccatum aliquod reſervaret? Peccaret quidem: quia id non in ædificationem, & utilitatem ſubditorum cederet, ſed in deſtructionem, & damnum contra debitum proprij officij, & reddendo nimis oneroſum, ac durum hujus Sacramenti uſum, abſterreret peccatores ab ejus ſuſceptione, & Sacerdotes à miniſterio: quæ conſideratio, & obligatio etiam in Summo Pontifice procedit. Si tamen Summus Pontifex indiſcretè, & irrationabiliter in hoc excederet, valeret quidem reſervatio, quamvis ipſe peccaret: quia juriſdictio omnium inferiorum dependet à Summo Pontifice: undè licèt ipſe delinqueret in tali reſervatione, ea tamen valida foret, uti benè tradunt Suarez, *diſp.* 29. *ſect.* 4. *nu.* 6. Lugus *nu.* 30. Coninchus *diſp.* 8 *dub.* 11. Averſa *q.* 17. *ſect.* 1. Villalobos, *tract.* 9. *difficul.* 57. *n. ultim.* Granados *diſp.* 7. *n.* 8 & alij, quos congerit, & ſequitur Leander *diſp.* 12. *quæſt.* 18. & alij.

Quid quando Prælati inferiores excederent nimis limitando Confeſſarios, quibus ipſi delegant juriſdictionem?

18. Si etiam inferiores Prælati excederent, nimis limitando authoritatem Confeſſariorum, quibus ipſi voluntariè juriſdictionem delegant, peccarent quidem, valeret tamen quoquè reſervatio, non ſolùm ſi fiat antecedenter in ipſa delegatione, ſed etiam ſi fiat conſequenter alio poſteriori tempore: quia tota ea juriſdictio ex ejus voluntate dependet, ut ex communi ſententia tradunt Suarez, Sylveſt. Henriqu. Coninch. Villalob. & Averſa citati, Bonacina *diſp.* 5. *q* 7. *punct.* 5. §. 2. & plurimi, quos congerit Leander *quæſt.* 19.

Quid quando Epiſcopus indiſcretè reſtringeret facultatem Parochorum?

19. Si autem Epiſcopus indiſcretâ reſervatione vellet nimis reſtringere facultatem Parochorum, qui ordinariam juriſdictionem habent, talem reſervationem eſſe nullam, & irritam, cenſent Sotus, Ricardus, & alij, quos adducit, & ſequitur Leander, *dict. q.* 19. nec non Becanus *de Sacram. c.* 40. *q.* 5. *n.* 3. Moventur: quia non poteſt Epiſcopus pro libito amovere Parochum à ſuo officio, ſed ſolùm ex cauſa propter ineptitudinem, vel in pœnam: ergò nec poteſt pro libito auferre illi juriſdictionem neceſſariam ad exercendum ſuum officium Econtra verò prædictam reſervationem fore validam affirmant Henricus *quodlib.* 1. *q.* 7. Sylveſt. *verb. Confeſſor.* 1. *q.* 3. Suarez, *diſp.* 29. *ſect.* 4. & alij. Ducuntur: quia juriſdictio Parochorum ſaltèm ſubordinatur prorsùs Epiſcopo, & Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 14 *cap* 7. non coarctavit poteſtatem Epiſcoporum, dicens: licere illis reſervare peccata in ædificationem, non in deſtructionem: illis enim verbis indicavit illicitam ſolùm fore, non autem invalidam indiſcretam reſervationem. Verùm inter has duas extremè oppoſitas ſententias mediâ viâ rectè incedunt Lugus, *diſp.* 20. *ſect.* 3. & Averſa *q.* 17. *ſect.* 1. aſſerentes, reſervationem ita indiſcretam, ut coanguſtaret Parochos, & à ſuo officio impediret, & quæ eſſet quaſi eorum privatio, ac depoſitio ab hoc miniſterio, & ſi tota ſimul fiat, totam fore invalidam; ſi per partes, poſteriorem ſolùm partem, & hoc probat ratio adducta pro prima ſententia; valituram verò, quæ aliquantum excederet, quamvis cum gravi culpa Prælati: & hoc ſuadet fundamentum pro ſecunda ſententia allatum: & hinc in ordine ad praxim vix unquam accidet, ut reſervatio cenſeatur invalida, nec poterunt inferiores pro libito eam coarctare, aut omninò auferre.

PUNCTUM III.

Quis, & quando poſſit pœnitentem abſolvere à reſervatis.

Aſſertio prima citra controverſiam.

20. ET quidem inprimis citra controverſiam eſt, eum, qui caſum reſervavit, poſſe abſolvere à prædicto caſu: nam reſervatio eſt ſubſtractio juriſdictionis, habet ergò ille, qui reſervat, juriſdictionem in ſe ſufficientem ad dandam, & tollendam alijs, ac per conſequens ad abſolvendum, dummodò habeat etiam ordinis poteſtatem; alioqui ſi non ſit ordinatus Sacerdos, poterit quidem ex poteſtate juriſdictionis reſervare, non tamen abſolvere: quæ reſervatio tunc habebit vim, ut vel oporteat, pœnitentem accedere ad aliquem, vel aliquos ab eo pro caſibus reſervatis communiter deputatos, vel ab eo ſpecialis licentia exigatur.

Secunda.

21. Indubitatum quoquè eſt, poſſe illum, qui in eo genere, & foro ſuperior eſt reſervante, ſimiliter abſolvere à peccato, quod à ſuo inferiori reſervatum eſt: quia quidquid inferior Prælatus poteſt, poteſt etiam, qui in eodem genere, & foro præfertur illi, cùm non ſolùm æqualem, ſed majorem juriſdictionem habeat comparatione ſubditorum. Sic Papa abſolvere poteſt à reſervatis Epiſcopo, Generalis à reſervatis Provinciali, & ſic de alijs. Diximus autem *in eodem genere, & foro*, ad quod pertinet reſervatio, aut ſimilis juriſdictio: nam cùm ſuperioritas eſſet in alio genere, & foro, non ſufficeret ad abſolvendum à reſervatis inferiori Prælato. Sic enim, ut benè notant Suarez, *diſp.* 30 *ſect.* 1. *n.* 1. & Granados, *tract.* 10. *diſp.* 7 *n.* 2. Archiepiſcopus non poteſt abſolvere à reſervatis Epiſcopo: quia non habet immediatam juriſdictionem in Diœceſibus ſuffraganeorum in hoc foro, niſi fortaſsè quando actu viſitat illas.

Difficultas.

22. Sed difficultas eſt: An peregrinus veniens ad alium Epiſcopatum bonâ fide, poſſit ibi confiteri, & abſolvi à peccatis reſervatis? Supponimus autem eum non veniſſe animo mutandi domicilium, alioquin jam non eſt regendus legibus loci, undè profectus eſt. Triplex verò reſervationis varius ſtatus contingere poteſt. Primus: ſi caſus ſit utrobique reſervatus. Secundus: ſi erat reſervatus in loco, è quo peregrinus diſceſſit, ſed non in loco, in quo invenitur, dum confiteri vult. Tertius: ſi non erat reſervatus in loco, è quo diſceſſit, ſed benè in loco, ad quem divertit.

In primo ſtatu facilè conveniunt omnes, teſte Averſa, *q.* 17. *ſect.* 3 peregrinum reſervatione ligari, & non poſſe abſolvi à Confeſſario non habente poteſtatem circa caſus reſervatos.

An reſervatio unius Prælati ſe extendat erga ſuos ſubditos in alium locum digreſſos? 1. ſententia.

23. In ſecundo ſtatu, quo ſcilicet caſus erat reſervatus in loco diſceſſus, ſed non in loco adventus, adhuc reſervationem illius loci, & Prælati ad hunc quoque locum extendi, nec poſſe ibi pœnitentem à Sacerdote non habente authoritatem ad caſus reſervatos abſolvendi cenſent Sotus, Graffius, Vega, quos refert, & ſequitur Fagundez, *lib.* 3. *de* 2. *Eccleſiæ præcept. c.* 8. *n.* 20. quibus adde Nuñum, Comitolum, Belochium, Floronum, apud Averſam, *dict. ſect.* 3. & alios apud Dianam, *tom.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 103. Fundantur præcipuè, tum in authoritate Bonifacij VIII. *cap. Si Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. lib.* 6. ubi ait: *Si Epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſorem, ille, quem is elegerit in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam habet penitùs poteſtatem.* Tum etiam: quia præſumitur, illum pœnitentem in fraudem ſe aliò contuliſſe, ut fugeret reſervationem peccati commiſſi.

2. & verior.

24. Contraria ſententia, quæ aſſerit poſſe peregrinum in caſu poſito abſolvi à Confeſſario non habente poteſtatem ad reſervata, ſi tamen illud peccatum in loco confeſſionis non ſit reſervatum, verior nobis videtur. Hanc tenet Cajetanus, Paludanus, D. Antoninus, quos affert, & ſequitur Suarez, *diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 4. Henriquez, Diana, & alij, quos citat, & ſequitur Lugus, *diſp* 20. *ſect.* 5. *n.* 71. Præpoſitus, Bonacina, & alij, quos adducit, & ſequitur Averſa, *q* 17. *ſect.* 3. N. Gabriël à S. Vinc. *diſp.* 9. *q.* 3. Anton. à Spir. S. *n.* 926. Herinx *diſp.* 6. *n.* 13. Franciſcus B. S. *n.* 78. Quia peregrinus in noſtro caſu habet facultatem conſuetudine, & approbatione Prælatorum introductam, quam Eugenius Papa IV. approbavit, quâ poteſt dum in alieno Epiſcopatu bonâ fide verſatur, gerere ſe in ordine ad confeſſionem, ſicut alij, qui ſunt incolæ illius loci, atquè adeò abſolvi à Confeſſario non habente poteſtatem ad reſervata à peccatis, quæ ibi reſervata non ſunt, & ita uſu ipſo, & praxi ſervatur; nec enim Confeſſarij dum peregrinos audiunt, ſolliciti ſunt interrogare, nec ſcire tenentur, aut commodè poſſunt, ſi qui caſus ſint in eorum patria reſervati.

Fit ſatis contrariæ ſententiæ fundamentis.

25. Ad 1. fundamentum contrariæ ſententiæ. Reſpondet Lugus, Bonifacium Papam, loqui de ſubdito manente in ſuo Epiſcopatu, cui Epiſcopus non intelligitur dediſſe facultatem pro reſervatis. Ad 2. dicendum, in foro interno ceſſare omnes præſumptiones: quarè ſi pœnitens certò ſcit, ſe non eo animo diſceſſiſſe ab alio loco, nequè in fraudem, ſed propter alia negotia, nequit habere locum præſumptio illa.

An reſervatio unius loci comprehendat etiam peregrinos?

26. In tertio ſtatu, quo caſus eſt reſervatus ſolùm in loco ubi peregrinus verſatur, & non in loco ſuæ patriæ, licèt Fagundez *in* 2. *præcept. lib.* 8 *cap.* 8. *num.* 21. ſentiat talem reſervationem non comprehendere peregrinos: nequè extendi extra proprios ſubditos, & incolas talis loci, & Prælati: atquè adeò liberè poſſe pœnitentem à quolibet Confeſſario ibi abſolvi; & loquitur etiam quando peregrinus in eodem loco peccatum ibi reſervatum commiſit. Nihilominùs ex oppoſito dicendum eſt, reſervationem in quocumque loco comprehendere etiam peregrinos, comparatione Confeſſariorum, quorum juriſdictionem prout potuit Epiſcopus illius loci per reſervationem defacto limitavit, ac proindè ab his non poterit abſolvi, ut docent Suarez, Lugus, Villalobos, Diana, quos refert, & ſequitur Averſa *dicta ſect.* 3. Dicaſtillus *diſp.* 11. *dub.* 16. & alij. Ut juſta enim ſit conceſſio, debet eſſe utrimque æqualis, & qui liberatur uno onere, debet ſentire aliud, quod ex illo ſequitur: ſed talis peregrinus poteſt abſolvi à quocumque Confeſſore de peccatis reſervatis à ſuo Epiſcopo, ſi ibi reſervata non ſint: ergò

ergo è converſo à peccatis ibi reſervatis non poterit ab eiſdem abſolvi à quocumque confeſſore, etiamſi reſervata non ſint à ſuo Epiſcopo.

Aliud quæſitum,

27. Sed quid ſi confeſſarius in caſu poſito haberet juriſdictionem in illo Epiſcopatu domicilij pœnitentis, à quo peregrinus diſceſſit, & in quo non erat reſervatio? Et quidem, quod ſi Parochus proprius ſimul veniret cum hoc peregrino ſuo ſubdito, poſſet hic illum abſolvere ſinè licentia ad reſervata ab illo peccato, quod in ejus diœceſi non erat reſervatum, licet hic eſſet reſervatum, ſupponit Lugus *num.* 73. Imò Dicaſtillus *num.* 241. docet, quod ſi confeſſarius ille habebat juriſdictionem ſaltem delegatam in illo Epiſcopatu domicilij pœnitentis, à quo diſceſſit peregrinus, & in quo non erat reſervatio, poteſt abſolvere prædictum pœnitentem, etiamſi caſus ſint reſervati in Epiſcopatu, in quo eſt, dum confitetur: quia poteſt eum abſolvere utens juriſdictione, quam habet in Epiſcopatu domicilij pœnitentis, comparatione cujus juriſdictionis ille caſus non eſt reſervatus.

Quis habeat facultatem delegatam ad abſolvendum à reſervatis?

28. Certum eſt illum habere facultatem delegatam ad abſolvendum à reſervatis, qui eam obtinuit à reſervante, vel à ſuperiore reſervantis, vel ab eo, qui habet ordinariam poteſtatem ad eorum abſolutionem. Hac ratione multa reſervata poſſunt abſolvere Religioſi, maximè mendicantes: item ille, qui eligitur à pœnitente potentè virtute Bullæ cruciatæ, aut Jubilæi eligere confeſſarium, qui eum abſolvat à reſervatis, ut DD. communiter docent, & nos latè trademus. Hac etiam ratione Generalis, Provincialis, aut immediatus ſuperior in caſibus jure permiſſis reſervans peccata, poteſt abſolvendi poteſtatem delegare, ut benè notat Dicaſtillus *num* 238. Hoc pacto etiam quando congregatio, ſeu Capitulum generale reſervat caſus ſuperioribus ordinarijs, tunc ille ſuperior pro caſibus, quos neque ipſe reſervavit (nec fortè potuit reſervare propter Bullam Clementis VIII.) poteſt conferre facultatem alteri abſolvendi, à quibus ipſe ordinaria poteſtare abſolvere poteſt, ut tradit idem Dicaſtillus. Circa facultatem autem defacto conceſſam, aut concedi ſolitam pro abſolutione à caſibus reſervatis, quatuor explicanda ſunt. Primum: circa licentiam ex Tridentino conceſſam Epiſcopis. Secundum: ex privilegio Regularibus. Tertium: circa licentiam, quæ conceditur interdum pro Jubilæis. Quartum: per Bullam cruciatæ.

Licentia conceſſa ex Tridentino Epiſcopis.

29. Circa primum igitur ex ſpeciali decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. conceſſum eſt: *Vt liceat Epiſcopis in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem, & in hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs ſit permiſſum.*

Qui Epiſcoporum nomine in hac facultate veniant.

30. Nomine autem Epiſcoporum, quibus hæc facultas conceſſa eſt, ſunt omnes illi intelligendi, qui ſunt electi, & confirmati, & habent Diœceſim; neceſſe tamen non eſt eſſe conſecratos, imò neque eſſe Sacerdotes, ut poſſint ab excommunicatione reſervata abſolvere: quia non debet abſolutio Sacramentalis impendi, ut cum Thoma Sanchea, & alijs, docet Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *punct* 3. §. 1. & cum Granado, & Suario, tradit Leander *tract.* 2. *de excom. diſp.* 17. *q.* 42. Requiritur etiam, ut ſint Epiſcopi illarum regionum, in quibus receptum eſt Tridentinum, alias non poterunt uti hac facultate: quia par debet eſſe favorum, & onerum ratio: ut rectè docent Thomas Sanchez, Barboſa, Garcia, Suarez, quos refert, & ſequitur Palaus *loco cit.* Alterius *tom.* 2. *diſp.* 8. *de ſuſpenſ. cap* 3. *concl.* 4. ubi ait, ita declaraſſe Sacram Congregationem Cardinalium ſuper Concilium.

An capitulum ſede vacante nomine Epiſcopi in hac facultate veniat intelligendum

31. In hac etiam facultate abſolvendi, & diſpenſandi circa omnes alios caſus præter hæreſim occultam, communis eſt ſententia, nomine Epiſcopi capitulum ſede vacante venire intelligendum: quia hæc facultas licet competat Epiſcopo ſpeciali jure, & privilegio; at competit illi jure communi, & juriſdictione ordinaria: quæ autem ſic competunt, tranſeunt in capitulum, ut multis allegatis docet Barboſa 2. *p. de poteſt. Epiſcopi, allegat.* 39. *n.* 16. *& in remiſſion. Concilij*, Palaus *loco cit.* Zenedo, Aragon, Manuel quos refert, & ſequitur Thomas Sanchea *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 1. *n.* 10. *& lib.* 2. *ſummæ, cap.* 11. & alij, quos congerit Leander ubi ſuprà *q.* 43.

An Abbates alijque Prælati?

32. Sed & Abbates, & alios Prælatos habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Diœceſim propriam venire intelligendos in hac Tridentini facultate, nomine Epiſcopi docent generaliter Sayrus, Avila, Henriquez, quos citat, & ſequitur Palaus *loco cit. num* 4. & in caſu hæreſis occultæ tenent Thomas Sanchez *lib.* 2. *cap.* 11. *num* 5. Manuel 2 *tom. ſummæ, cap.* 20. *num.* 9. *concluſ* 6. & Palaus *dicto numero* 4. & cum alijs Leander *loco cit. q.* 44. contrà Sylveſtrum, Toletum, Suarium, Garciam, Bonacina, Barboſam, Zenedum, Petrus de Ledeſma, & alios apud Palaum, & Leandrum, qui ſatis probabiliter id negant.

Quid de Prælatis regularibus?

33. Prælatos quoque Regulares intelligi nomine Epiſcopi in hac facultate abſolvendi, & diſpenſandi affirmant Rodriguez, *tom.* 1. *quæſt Regular. q.* 61. *art.* 9. Candidus, *tom.* 1, *diſq.* 3 *art.* 26. *dub.* 2. Cæterum credimus hanc facultatem hujuſmodi Prælatis non competere ex decreto Tridentini, ut docent Thomas Sanchea, quem refert, & ſequitur Palaus, *num* 5. Garcia *de benef.* 7. *part. cap.* 11. *num.* 13 ubi teſtatur à Cardinalium Congregatione deciſum eſſe. Barboſa *num.* 18. & alij. Ratio eſt: quia illis videtur ſolùm conceſſa hæc facultas, qui Diœceſim habeant, ut conſtat ex illis verbis: *Pro Diœceſi ſua*: ergò cum hi Prælati non habeant Diœceſim, non videntur comprehendi in hac poteſtate. At eſto in facultate à Tridentino conceſſa non comprehendantur; comprehenduntur tamen ex particulari extenſione, quam Pius V. fecit: nam in quodam motu proprio relato ab Eman. Rodriguez, *loc. cit.* in fine ſic habetur:

Digitized by Google

Quia ſacrum œcumenicum Concilium Tridentinum conceſſit Epiſcopis, ut abſolvere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ. 24. cap. 6. habetur: ne Prior Conventualis, & ſuperiores Prælati dicti Ordinis, tàm in dicta Provincia, quàm extra eam, ubilibet in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut ſæculares exiſtant, eiſdem Priori Conventuali, & ſuperioribus Prælatis, ut ipſi per ſeipſos idem omnino poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quoad abſolvendi, & diſpenſandi hujuſmodi, quàm alias quaſcumque facultates eiſdem authoritate tenore etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus, præſentes litteras perpetuò durare, & valere.

Verùm non parva lis eſt inter Auctores: an dictæ conceſſiones, tam quæ facta eſt in Tridentino Epiſcopis, quam quæ data eſt Prælatis Regularibus in dictu motu proprio à Pio V. derogatæ ſint per Bullam cœnæ, ſaltem quoad caſus in ea contentos per novam reſervationem ipſorum, quæ quotannis fit in publicatione prædictæ Bullæ: ſed de hac re in tractatu de cenſuris ex profeſſo agemus, ubi ſpeciali capite ea, quæ ad explicationem Bullæ Cœnæ pertinent, ſigillarim diſcutiemus.

An Epiſcopi poſſint abſolvi à reſervatis ſibi?

34. Petes; An Prælatus poſſit abſolvi à reſervatis ſibi? Et quidem ſi ipſe Prælatus ſit, qui peccatum reſervavit, ejus peccatum non eſt reſervatum: ipſe enim ſeipſum non ligat, ne poſſit confiteri, cui voluerit, ut benè advertit Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 5. *n.* 57. Si verò fuit reſervatum ipſi Prælato, ſed ab alio ſuperiori, ut à Summo Pontifice, vel ab alia poteſtate ſuperiore, ipſi Prælato. Tunc ſi loquamur de Epiſcopis, omnes communiter dicunt, poſſe ipſos abſolvi à ſuo confeſſario ab his, à quibus Epiſcopi poſſunt alios abſolvere, ut benè firmat Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio diſput.* 3. *num* 3. & extendit ad caſus illos, qui in Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 6. Epiſcopo committuntur, licet ſint reſervati Papæ, atque ita Sacra Cardinalium Congregatio declaravit Tridentinum *in dicto cap.* 6. ut teſtatur Diana *tom.* 3. *tract.* 4 *reſol.* 142. Et ita communiter aſſerunt Doctores, Majolus, Suarez, Henriquez, Sayrus, Franciſc. B. S. *n.* 76. & alij, quos citat, & ſequitur idem Diana ibidem, Dicaſtillus *diſp.* 11. *dub.* 16. *num.* 285. Lugus, Layman, & alij, quos affert, & ſequitur Leander *d.* 12 *q* 22. N. Antonius *n.* 1244. quia alias Epiſcopi deterioris conditionis eſſent, quam ejus ſubditi.

Quid de Vicario Epiſcopi.

35. Si verò ſermo ſit de Vicario Epiſcopi, qui poteſtatem ſubdelegandi habet: an poſſit abſolvi ab alio, ſi incidit in caſum reſervatum à ſuo Epiſcopo? Negat Jacobus de Graffis *in appendic. ad deciſ. aur. lib* 3. *cap* 8. *num.* 22. Sed reſpondendum eſt poſſe abſolvi: quia ſicut ex facultate, quam Vicarius habet conſtituendi confeſſarios ordinarios cum poteſtate ad caſus non reſervatos, poteſt conſtituere confeſſarium, cui ipſemet poſteà confiteatur peccata non reſervata: ita ex poteſtate, quam habet conſtituendi confeſſarios, qui abſolvant à reſervatis, poteſt conſtituere confeſſarium, cui ipſemet poſteà confiteatur peccata reſervata: eodem enim modo habet utramque poteſtatem pro tota diœceſi: ac proinde ſicut prior non excludit ipſummet Vicarium, nec poſterior excludet, atque ita docent Ugolinus, & Floronus, quos citat, & ſequitur Diana *dicta reſol.* 142. Lugus *num.* 58 Leander *q.* 23. Miranda, & Bordonus, quos citat, & ſequitur Averſa *q.* 17. *ſect.* 7. Anton. *n* 1245. Gabriel à S. V. *diſp.* 9 *q.* 4. & alij.

Quid de Regularibus?

36. Si denique agamus de Regularibus, ſi Generalis reſervet aliquem caſum, & conſtituat in ſingulis domibus proprium Prælatum, vel alium miniſtrum cum facultate abſolvendi, & ſubdelegandi, hic inquam poterit ſubdelegare, & ſubſtituere etiam pro ſe ipſo abſolvendo, ſi indigeat, niſi tamen in aliqua Religione extet oppoſita regula, aut declaratio. Ita Lugus à *num* 60 Averſa *loco cit.* Fragoſus *tom.* 2. *diſp.* 24. §. 8. *num.* 9. & alij. Prælati etiam Regulares, qui per privilegia non revocata ſubditos abſolvunt à pluribus caſibus, & pœnis Pontifici reſervatis, ab eiſdem liberari poſſunt per alios confeſſores ejuſdem Ordinis à ſe electos. Ita N. Lezana *tom.* 5. *in mari magno Minorum, num.* 111. & cum alijs N. Antonius à Spir. S. *in director. Regular. part.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 1. *n.* 56.

An quando ſubditus petit facultatem à ſuperiore pro una perſona pro caſibus reſervatis, poſſit uti pro ſua perſona.

37. Sed ſi aliquis confeſſarius petat, & obtineat licentiam pro reſervatis à prælato pro abſolutione cujuſdam pœnitentis vagè, & indefinitè, non deſignando perſonam, dubium eſt, num poſſit idem, qui petijt, uti hac licentiâ pro ſe ipſo, ut ſe faciat abſolvi ab alio confeſſario? Affirmant Floronus, Alfonſus de Leon, Villalobos, quos refert, & ſeq. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 142. quod verùm exiſtimamus, ſi petatur, & concedatur licentia à Prælato vagè, tam ex parte petentis, quam ex parte confeſſarij; ſecùs verò ſi Prælatus dicat ipſi confeſſario licentiam petenti, ſe eam illi concedere ad abſolvendum quemdam pœnitentem: tunc enim non poterit idem confeſſarius facere ſe ab alio abſolvi, ut benè advertit Averſa *quæſt.* 17. *ſect.* 7. quia Prælati in tali caſu contulit auctoritatem abſolvendi determinatè ipſi confeſſario, qui proindè non poſſet hanc auctoritatem transferre in alium confeſſarium ad abſolvendum alterum pœnitentem: quare nec poteſt transferre ut faciat ſe ipſum abſolvi.

Quid ſi differatur uſus facultatis, & poſtea fiant alia peccata

38. Quæri ſolet 1. An facultas, quæ petitur, & datur pro hac vice abſolvendi aliquem à caſibus reſervatis, extendatur ad peccatum etiam commiſſum poſt petitam, & obtentam facultatem antequam fiat confeſſatio? V. g. ſi in illo tempore intermedio ſubditus lapſus ſit in alia duo, vel tria peccata reſervata? Extendi affirmant Bonacina *diſp.* 1. *de legib. quæſt* 3. *punct.* 7. §. 1. *n.* 11. Præpoſit. *in* 3 *p. q.* 9. *de reſervat caſuum, dub.* 3. *n.* 22. Diana *tom.* 4. *reſ.* 109. & alij, apud Leandrum *diſp.* 12. *q* 16. & id ampliat Præpoſitus, etiamſi confeſſarius petens licentiam expoſuiſſet ſuperiori non adeſſe amplius periculum relabendi. Alij veròècontrà abſolutè negare videntur. Sic Azorius *tom.* 1. *cap.* 5 *quæſito* 3. Floron. *de caſibus reſervat.* 1. *part. cap.* 4. §. 3. *n* 29. & alij. Aliqui affirmant, quando confeſſarius petijt licentiam abſolvendi; negant verò quando idem pœnitens petijt licentiam, ut poſſet abſolvi. Ita cenſent Ugolinus, Barboſa, Alfonſus de Leone, & Diana, apud Averſam *q.* 17 *ſect.* 7.

quia

quia quando pœniteus ipſe petijt licentiam, indè ſumeret anſam liberius peccandi ſub ſpe confeſſionis, atque adeò extenſio eſſet illicita. Argumento legis *ſi unus*, §. *illud nulla, ff. de pactis.* Alij aliter, teſte Dicaſtillo *diſp.* 11. *dub* 20 *n.* 341. diſtingunt inter peccata commiſſa poſt datam quidem licentiam, ſed nondum acceptatam à pœnitente, & inter commiſſa poſt jam acceptatam: ac de bis negant; de illis verò affirmant poſſe abſolvi. Alij verò putant poſſe abſolvi etiam peccata poſteà commiſſa, non tamen ſi committerentur ea occaſione præcipitando ſe, quia peccator videt ſe jam habere licentiam, ut abſolvatur.

Quid dicendum? 39. Verùm diſtinguendum nobis eſt: & ſi facultas concedatur ſuper præmiſſis, vel à præmiſſis, vel ſuper expoſitis, & narratis, vel ſuper peccato ſemel, aut toties commiſſo, non intelligetur pro alijs poſteà commiſſis, quamvis ejuſdem generis, & ſolo numero differentibus: quia ex tenore verborum reſtringitur licentia ad enarrata, quæ expoſita fuerunt: quæ ſi ſint jam præterita, non habet locum pro committendis. Ita Lugus, quem refert, & ſequitur Dicaſtillus *num.* 345. Averſa *q.* 15. *ſect.* 7. Leander *diſp.* 12. *q.* 46. N. Gabriel *q.* 5. Antonius à Spir. S. *diſp.* 5. *ſect.* 9. Si vero licentia concedatur indefinitè de caſibus reſervatis, ut ſcilicet pœnitens eligat confeſſarium, qui pro bac vice eum poſſit à reſervatis abſolvere: vel confeſſario datur facultas audiendi illum, & abſolvendi à reſervatis hac vice, intelligetur etiam de commiſsis poſt, conceſſionem, uſque ad confeſſionem, dummodo tamen non nimium dilata fuerit confeſſio, & inter nova peccata reſervata commiſſa ſint, ita ut appareat extra mentem concedentis tanta diſtantia novorum peccatorum. Ita Lugus, Dicaſtillus, & Averſa, Anton. Gabriel à S. V. citati. Et boc totum pariter procedit ſive confeſſarius, ſive pœnitens licentiam petierit: & hac ratione explicatam ſententiam Bonacinæ, & Præpoſiti admittendam putane Lugus, & Dicaſtillus. Neque obſtar, quod quis fortaſsè ſumat occaſionem peccandi, videns, quod poſsit facilius obtinere abſolutionem: id enim per accidens eſt, nec proptereà redditur illicita, vel conceſsio facultatis, vel illius petitio, ſive petatur à confeſſario, ſive à pœnitente. Sicut non redditur illicita licentia conceſſa per Jubilæum, aut Bullam cruciatæ, aut per eumdem confeſſarium impetrata, & pœnitenti notificata: etiamſi per accidens poſsit ex illa ſumere anſam peccandi, videns, quod poſsit facilius obtinere abſolutionem. Quod ſi licentia concedatur ſpecificè pro certo genere peccatorum, & interim committantur alia reſervata diverſi generis, utique ea licentia non valebit pro his alijs, ut rectè advertit Averſa. Denique cum licentia intelligenda ſit juxta verba petentis, ſi bic petat ad abſolvendum à peccato commiſſo, non videtur poſſe extendi ad nondum commiſſum, cum talis licentia petira non ſit, niſi ſuperior licentiam magis amplam concederet, ut ſi petenti ad abſolvendum ab uno peccato diceret: *Ego concedo tibi totam meam facultatem, ut poſſis illum audire, & abſolvere ab omnibus*, & tunc videretur etiam incluſum peccatum commiſſum poſt hanc conceſſionem antè confeſſionem. Ita Lugus, Leander, & Dicaſt. citati.

40. Quæri ſolet 2. An facultas abſolvendi à reſervatis extendatur ad reſervata commiſſa ob confidentiam talis facultatis? Covarruvias *lib.* 2. *variar. cap.* 2. *num* 26. indicat non extendi, atque ita non poſſe, ſeu non debere virtute ejus licentiæ peccatorem abſolvi: quia remedio conceſſo in ſalutem animæ, abutitur ad ruinam. Sed meritò alij communiter affirmant extendi, atque adeò poſſe, adhuc & debere abſolvi. Ita Thomas Sanchez, Villalobos, & alij, quos citat, & ſequitur Lugus *diſp.* 20. *num.* 130. Acoſta, Bonacina, Molfeſius, Alfonſus de Leone, & alij, qnos adducit, & ſequirur Averſa *q.* 17. *ſect.* 7. N. Gabriel *loc. cit.* & alij, quos congerit, & ſequitur Leander *diſp.* 12. *q.* 48 Et ratio eſt: quia in ipſa conceſſione licentiæ nec explicitè, nec implicitè continetur talis limitatio, & exceptio: & quamvis mens concedentis ſit, ut peccatores à præteritis reſurgant, ne nova committant; non per hoc excludit quominùs, etiam illi, qui hac ſpe, & confidentia peccant, poſſint abſolvi, dummodo in actu confeſſionis verè, & ex animo reſipiſcant, ſicut oportet ad valorem, & fructum Sacramenti. Et idem dicendum eſt, ſi pœnitens peccaverit ſpe obtinendæ abſolutionis ex vi Jubilæi, ut cum Thomas Sanchez, Lugone, & alijs tradit Dicaſtillus *diſp.* 11. *num* 254. N. Gabriel *loco cit.* *An facultas abſolvendi valeat etiam pro commiſſis intuitu licentiæ?*

41. Quæri ſolet 3. An ceſſet reſervatio, quando confeſſio facta Prælato, vel delegato illius fuit invalida? Reſpondetur, conceſſa per ſuperiorem, vel illius delegatum abſolutione à caſibus ſibi in confeſſione declaratis, tametſi abſolutio nulla ſit: quia vel confeſſio non fuit integra, vel non fuit cum dolore requiſito, reſervationem tolli reſpectu peccatorum in confeſſione manifeſtatorum: nec amplius manere obligationem recurrendi ad ſuperiorem, cui erant reſervata, ita ut quamvis ſint neceſſariò confitenda, non maneant amplius reſervata. Ita ex communi ſententia tradunt Sylveſter, Cajetanus, Suarez, Conincbus, quos citat, & ſequitur Palaus, *tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 15. §. 6. Lugus, quem adducit, & ſequitur Dicaſtillus *n.* 124. Averſa *q.* 17. *ſect.* 8. & alij, quos adducit, & ſequitur Bonacina *diſp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 9. Quia reſervatio tantum ordinatur, ut peccata reſervata in confeſſione dicantur habenti juriſdictionem in illa, & ipſe judicet pro eis pœnitentiam imponendo, & impendendo abſolutionem, quod totum factum fuit in dicta confeſſione invalida. Neque obſtat delegatum non poſſe tollere reſervationem peccati, niſi media abſolutione Sacramentali, qualis non eſt, in qua pœnitens eſt indiſpoſitus, vel quia confeſſio non fuit integra, vel non fuit cum dolore requiſito. Reſpondetur enim, quod eſto delegatus per ſe reſervationem peccati non auferat in propoſitis caſibus, ſuperior tamen ex recepta conſuetudine communi Doctorum auctoritate firmata, eam tollit, eo ipſo, quo à ſuo delegato pœnitens abſolvitur, ut rectè docet Palaus. *An conceſſa abſolutione à reſervatis, ſed invalidè tollatur reſervatio?*

42. Ab hac tamen doctrina Bonacina, &

Quid ſi loquamur de abſolutione à reſervatis virtute Iubilæi.

apud ipſum Rodriguez; nec non Averſa, & alij excipiunt quando in Jubilæo concedente caſus reſervatos, pœnitens non babet iotentionem faciendi confeſſionem validam, & conſequenter caret intentiooe lucrandi Jubilæum, ſinè qua intentione nequaquam à reſervatis abſolvi poteſt: quia non cenſetur Pootifex facultatem prædictam concedere, oiſi in ordine ad Jubilæum lucrandum: ſi igitur pœnitens non vult Jubilæum lucrari, rationi conſonum non eſt, ut poteſtate ob eum finem conceſſa fruatur. Hoc tamen noo videtur procedere, ut inquit Bonacina, in abſolutione cenſurarum obtenta ab eo, qui invalidè confeſſus eſt; ſed nihilominus intentionem habebat iterum validè confitendi ad obtinendum Jubilæum: nam abſolutio cenſurarum per ſe loquendo poteſt exrra confeſſionem obtineri, niſi aliter decernatur. Monet autem benè Dicaſtil. *diſp.* 11. *dub.* 8. *num.* 124. cum Vazquio, & Lugone contra Suarium, quando confeſſio invalida fuit, licet reſervationem abſtulerit, debere pœnitentem admonere confeſſarium, cui poſteà validè confitetur illa reſervata, à quibus invalidè eum abſolvit ſuperior, quam pœnitentiam pro eis impoſuerit, ut eamdem iterum Sacerdos inferior imponat: quia cum hoc onere videtur ſuperior reſervationem abſtuliſſe. Nec ſufficeret, quod ipſe pœnitens eam propriè ſpontè aſſumat: quia ſic aſſumpta non erit Sacramentalis.

An caſus prætermiſſi ex oblivione, invincibili remaneant.

43. Quæri ſolet 4. An eadem reſervatio auferatur comparatione caſuum, quos pœnitens fuit invincibiliter in confeſſione oblitus? Et quidem de oblitis vincibiliter manifeſtum eſt, ut docet Palaus *loc. cit.* §. 6. reſervationem non tolli. Undè ſolùm quæritur de oblitis invincibiliter. Et ratio dubitandi eſt: quia de his adhuc loquendo videtur reſervationem non tolli: quia fini reſervationis, qui eſt, ut pœnitens ſe ſiſtat ſuperiori, pœnitentiam, & medicinam peccati reſervati accepturus, ſatisfactum non eſt. Nihilominus reſervationem ſublatam eſſe per confeſsionem factam apud legitimum miniſtrum babentem facultatem ab his abſolvendi, & abſolutionem ab eo datam, ita ut pœnitens de his poſteà in memoriam redeuntibus poſsit liberè cooſiteri, & directè abſolvi à quocumque communi confeſſario, communis firmat ſententia, quam tradunt Gabriel, Adrianus, Sylveſter, Covarruvias, Navarrus, Saà, Henriquez, & Coninchus, quos citat, & ſequitur Palaus *dicto* §. 6. *n.* 3. Item Nuñus, Ledeſma, & alij, quos adducit, & ſeqoitur Averſa *quæſt.* 17. *ſect.* 8. Franciſc. B. S. *n.* 89. Antonius à Spir. S. *n.* 1260. Gabr. à S. V. *diſp.* 9. *q.* 4. Tum quia habens poteſtatem abſolvendi à reſervatis, cenſetur velle pœnitentem legitimè diſpoſitum à peccatis liberare quaotum poteſt: cum autem poſsit à peccatis oblitis pœnitenrem liberare quoad reſervationem; tametſi non quoad obligationem ea directè confitendi, cenſetur idipſum velle. Tum etiam, quia quando pœnitens expreſsè petit, & miniſter dare intendit abſolutionem adæquatè juxta omnem poteſtatem quam babet, verè tollitur omnis cenſura, & reſervatio: atqui ſemper cenſetur pœnitens ſaltem tacitè id petere, & Sacerdos idem intendere, niſi expreſsè oppoſitum determinet: ergo ſemper per conſuetam abſolutionem tollitur omnis ceoſura, & reſervatio, quæ à tali miniſtro tolli poteſt.

Sive habeant cenſuram annexam, ſive non.

44. Et boc ſive caſus reſervati habeant annexam ceoſuram, ſive non. Et quidem quando peccata ob cenſuram reſervantur, manifeſtum eſt, ſiquidem confeſſarius abſolvens à peccatis prius intendit, ſi licitè poteſt, pœnitentem à cenſura abſolvere, quâ ligatus eſt: quia abſolutio cenſuræ abſolutiooi Sacramentali præmittitur; ſublatâ verò cenſurâ tollitur quoque reſervatio peccati, cui erat annexa, ut eſt communis regula, ſub qua non debet bæc exceptio induci. Ulterius verò ab illis caſibus, quibus non erat annexa cenſura, tollitur reſervatio, quæ eos afficiebat: quia cenſetur miniſter velle facere quantum poteſt, & ideò ſicut intendit tollere cenſuram, ubi adeſt cum reſervatione: ita quodammodò à fortiori reſervationem, ubi adeſt ſinè cenſura; ſiquidem boc eſt minus vinculum, & regulariter præſumitur levior caſus.

Sive confeſſio facta ſit apud Prælatum ſive apud delegatum.

45. Nonnulli limitant, ne procedat in delegatis; ſed tantùm io ordinarijs: quippè ordinarij, nulla confeſſione audita, reſervationem ſuo arbitrio tollere poſſunt, quia ab ipſis pendet. Delegati verò, quibus ſola poteſtas abſolvendi à reſervatis commiſſa eſt, reſervationem non videtur tollere poſſe, niſi abſolutione conceſſa. Hæc tamen limitatio admittenda non eſt. Primò: quia Doctores citati indiſcriminatim de utroque confeſſore, ordinario ſcilicet, & delegato loquuntur, & ex generali ipſorum aſſertione, cujus Pontifices, alijque ſuperiores conſcij eſſe præſumuntur, probabilis deſumitur interpretatio, quoties ſoperiores delegatum conſtituunt, concedere facultatem, ut abſolvendo à peccatis, reſervationem tollat illorum, quorum pœoitens fuerit invincibiliter oblitus. Secundò: quia ſicut quando ſuperior ipſe abſolvit, eo ipſo quod pœnitens confiteatur bona fide, quidquid memoriæ occurrit, cenſetur ipſe ſuperior eſſe contentus illa confeſſione ſibi facta, & velle per illam liberare ab omni onere reſervationis: ita ſimiliter cenſetur eſſe contentus illa confeſſione facta alteri, quem ſuperior loco ſui deſignat, ut hac ratione liberetur ab omni onere reſervationis. Tertiò: quia confeſſarius à pœnitente electus per Jubilæum, aut per Bullam cruciatæ, eſt merè delegatus, non potens ſubdelegare, aut alteri licentiam tribuere, & tameo (ut etiam Auctores partis adverſæ fatentur) tollit adbuc reſervationem mediante abſolutione indirecta à caſibus oblitis: quare idem in univerſum admitti poteſt, & debet: atque ita tradunt Coninchus *diſp* 8. *de pœnit. dub.* 12. *num.* 94. Palaus §. 6. *num.* 5. Averſa *quæſt.* 7. *ſect.* 8. & alij.

Quid de caſibus prætermiſſis ex juſta cauſa in dictis caſibus?

46. Id, quod dictum eſt in omnibus caſibus prædictis de peccatis oblitis, pariter aſſerendum eſt de peccatis ex neceſſitate, ſive ex juſta cauſa ſcienter prætermiſſis: v. g. ob vitandum grave damnum ipſius pœnitentis, vel alterius, quod ex illorum peccatorum confeſſione prudenter timebatur: pariter enim aufertur illorum reſervatio, ſicuti oblitorum, ita

ut

Google

ut poſſint cuilibet confeſſario aperiri: & aufertur cenſura per abſolutionem generalem cenſurarum. Ita notant Homobonus *in examin. Eccleſ. p. 1. tract. 5. c. 6. q. 38.* Diana 3. *p. tract. 4. reſol.* 150. Lugus *diſp. 20. ſect. 7. in fine*, Averſa *loco cit.* & alij.

Privilegia Regularium pro abſolutione à caſibus reſervatis erga Religioſos.

47. Accedamus jam ad ſecundum, circa facultatem conceſſam ex privilegio Regularibus pro abſolutione à caſibus reſervatis. Et quidem ſuprà *n.* 33. jam retulimus extenſionem Pij V. ad id factam in favorem Regularium, ut Prælati per ſe ipſos idem omninò poſſint in fratres, & moniales ſui Ordinis ſibi ſubditas, quod Epiſcopis in Tridentino *ſeſſ. 14. c. 6.* conceſſum eſt, quæ conceſſiones an ſint revocatæ quoad caſus Bullæ Cœnæ, alibi examinandum eſt.

Privilegium Sixti IV. ut ſemel in vita Minores poſſint eligere Confeſſorem ex Ordine.

48. Loquendo verò de caſibus reſervatis in Religione, videndum eſt, an ſit aliquod privilegium, virtute cujus Religioſi ab alio, quam à ſuo Prælato valeant abſolvi? Emanoel Rodriguez *tom. 1. quæſt. 62. art. 6.* refert inter alia privilegium Sixti IV. Minoribus conceſſum, ut ſemel in vita eligere poſſint ex ſuo ordine confeſſorem, qui, injunctà pœnitentià ſalutari, eos abſolvat ab omnibus criminibus, exceſſibus, & cenſuris, &c. Quo privilegio, ut docent Palaus, *tract. 23. diſp. unica, punct. 4. §. 4. num. 6.* Noſter Lezana, & Pellizarius, quos citat, & ſequitur Noſter Antonius à Spiritu Sancto *de privilegijs, tract. 2. diſp. 2. n. 35.* non eſt dubium poſſe Religioſum Minorem ſemel in vita frui, eoque abſolvi ab omnibus reſervatis: debet tamen neceſſariò eligere Sacerdotem ſui Ordinis à ſuo Prælato approbatum, & in Confeſſorem deſignatum, ut tradit Suarez, *tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 19. n. 7.* & notat Palaus *loco cit.* ubi etiam benè advertit, prædicto privilegio uti poſſe omnes alios Religioſos communicantes in privilegijs cum Mendicantibus, modò tamen à ſuis Superioribus eorum uſus interdictus non ſit.

Privilegium ejuſdem in articulo mortis.

49. Item refert idem Emanuël Rodriguez, privilegium ejuſdem Sixti IV. quo concedit, ut quilibet Confeſſor poſſet quemlibet Minorem Religioſum in articulo mortis, à quibuſvis caſibus abſolvere, acſi Summus Pontifex ibi adeſſet, ex vi cujus privilegij ſic abſolvitur Religioſus à ſuis exceſſibus, & peccatis, ut nullatenùs obligatus ſit comparare coram Superiore, ſi poſtmodùm convaluerit, tametſi peccata cenſuram reſervatam habeant, uti obſervant idem Rodriguez, *dict. q. 62. art.* 8. Suarez, *dict. c. 19. n.* 12. & 13. & Palaus, *dict. §. 4. n. 7.*

Alterum Privilegiũ Eugenij IV. & alterum Innocentij VIII.

50. Alterum privilegium conceſſit Eugenius IV. Bulla 1. apud Rodriguez in Bullario, ut omnes Fratres etiam Donati, & Novicij, poſſint ſemel in vita eligere Confeſſorem, qui eos abſolvat ab omnibus caſibus & cenſuris, etiam ab illis, propter quæ Sedes Apoſtolica conſulenda eſſet. Et alterum conceſſit Innocentius VIII. in Bulla, quam refert N. Lezana, *tom. 5. in mari magno* ſervitarum, *pag.* 996. in quo concedit Pontifex, ut Religioſi poſſint eligere Confeſſorem idoneum ſui Ordinis, qui ſemel in vita abſolvat ab omnibus caſibus, etiamſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica conſulenda eſſet; & eſt valdè notandum, quod nullam poſtulat deputationem Prælati in Confeſſore, ut poſtulant alia privilegia relata, & quæ communiter referri ſolent, ut advertit N. Antonius à Spiritu S. qui etiam benè obſervat, hæc omnia privilegia, quoad abſolutionem ab hæreſi, etiam occulta, revocata eſſe per multa privilegia ſpecialia S. Tribunali Inquiſitionis conceſſa, per quæ revocantur alia privilegia in communi concedentia abſolutionem ab hæreſi, ut teſtatur Portel. in additament. *ad dub. Regularia.* verb. *Abbas*, *n.* 11. Alia etiam privilegia pro abſolutione quoad Regulares affert idem N. Antonius à Spiritu S. *loco cit.* inter quæ reperitur privilegium Sixti IV. ut teſtantur etiam N. Lezana & Franciſcus B. S. in quo declaratur Regulares, *dumtaxat eſſe meritò ad Sedem Apoſtolicam præmittendos, Hæreticos relapſos, Schiſmaticos, qui litteras Apoſtolicas falſificant, & qui ad Infideles prohibita detuliſſent.* Suarez tamen, *de Religione cap. 21. n. 2.* (ut refert P. Herinx *diſp. 7. n. 16.*) docet exceptiones illas eſſe ſublatas, & ſignanter Gregorium XIII. dediſſe facultatem abſolvendi etiam relapſos in Hæreſim. Sed hoc magis verum eſſe poteſt in Belgio, aliuſvè partibus, in quibus non viget Tribunal S. Inquiſitionis, ſecus in Hiſpania: at hæc omnia latius explicanda ſunt *tract. de cenſuris, cap. 2. puncto 5. & 6. & cap. 4. à n.* 57.

Quid ex privilegio poſſint Regulares pro abſolutione à reſervatis pro ſæcularibus?

51. Quoad ſæculares verò multa privilegia Regularibus conceſſa erant, ut abſolvere poſſent pœnitentes à caſibus reſervatis, quæ præſertim referunt Sorbus *verb. Abſolutio quoad ſæculares*, Portel. *in dubijs regularib. verb. Confeſſor erga ſæculares, num.* 22. & N. Antonius à Spiritu S. *tract 2. de privilegijs, diſp. 3. ſect. 1. n.* 23. præcipua ſunt Eug. IV. qui Bulla 2. conceſſit Benedictinis, ut abſolvere poſſent ab omnibus caſibus Epiſcopo, tam ab ipſo, quam à conſuetudine, quam à jure reſervatis. Item Urbani IV. ut conſtat ex Bulla Sixti IV. qui conceſſit Carmelitis, ut audire poſſent fidelium confeſſiones, & ab omnibus caſibus eos abſolvere, niſi talia forent, propter quæ meritò Sedes Apoſtolica conſulenda eſſet. Item Eugen. IV. ut conſtat ex eadem Bulla Sixti IV. qui conceſſit eiſdem Carmelitis eamdem in hoc facultatem, quam habent ex officio minores pœnitentiarij Romanæ Curiæ. Item Paul. III. Pij V. Julij II. qui idem conceſſerunt Societati, ut teſtatur Palaus, *tom 4. tract. 13. diſp. unic. punct. 14. n.* 14. Item Sixti IV. qui idem conceſſit Minimis Bulla 2. apud Peyrin. ad *conſt. 1. Iulij* §. 36. *n.* 67. Verum hæc privilegia per Decretum Clemen. VIII. editum anno Domini 1601. die 9. Januarij, & iterum anno 1602. die 26. Novemb. & rurſus Pauli V. anno 1617. die 7. Januarij limitata, & declarata ſunt quoad hanc partem extrà Romam, & intrà Italiam ad abſolvendos ſæculares à caſibus reſervatis, ut nempè non valeant quoad caſus Epiſcopis reſervatos; neque quoad caſus Sedi Apoſtolicæ reſervatos in Bulla Cœnæ; neque propterea quoad hos alios quinque caſus, nempè percuſſionis Clericorum, duelli in terminis conſtitution. Greg. XIII. violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis Greg. XIV. violationis clauſuræ Monialium ad malum finem; ſymoniæ realis, & confidentialis in Eccleſiaſticis beneficijs, & apponit pœnam excommunica-

Digitized by Google

tionis ipſo facto incurrendæ, & Pontifici reſervatæ adverſus regulares ſecùs abſolvere præſumentes. Sed noviſsimè Sacra Congregatio de mandato Urb. VIII. decreto edito an. 1628. die 17. Novemb. de quo teſtatur Diana, *p.* 1. *tract.* 17. *reſ* 30. & Peyrin. *tom.* 3. *cap.* 2. *n.* 38. derogavit privilegijs regularium abſolvendi à caſibus reſervatis Epiſcoporum, etiam extra Italiam: ſicut etiam declaravit tam extra, quàm intra Italiam non poſſe Regulares abſolvere à caſibus in Bulla Cœnæ contentis per ſua privilegia, utpotè per annuam ipſius Bullæ publicationem, ſublata. Ita Averſa, Peyrinus, Peregrinus, N. Lezana, Bordonus, Ludovicus à Cruce, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 51. & *tom.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 22. & contra plures N. Franciſcus B. S. *de pœnit. diſp.* 10. à *n.* 22. Stephanus à S. Paulo à *n.* 251. addentes ne quidem Mendicantes in Belgio hodie abſolvere poſſe à caſibus Ordinario reſervatis, maximè propter hanc ab Alexandro VII. damnatam 1659. propoſitionem ut *falſam, authoritati* Epiſcoporum, & Sedi Apoſtolicæ injurioſam, & 1665. ut ad minimùm ſcandaloſam. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtentâ ab id Epiſcoporum facultate.* Quam meritò damnatam noviſſimè aſſerit, & clarè diſcutit N. Gabriël à S. Vin. *de remedijs ignorantiæ, diſp* 12.

Quinam autem caſus Epiſcopis ſint reſervati in Luſitania, refert & examinat N. Antonius à Spir. S. *in Direct. Confeſſ. diſp.* 14. *de pœnit.* à *ſect.* 10. qui verò Epiſcopis Belgij & partium vicinarum: N. Franciſcus B. Spei hic *diſp.* 10. à *n.* 28. inter illos Archiepiſcopus Mechlinienſis reſervat ſequentes. 1. Sodomiam cum alijs delictis gravioribus ejuſdem generis. 2. Raptum virginum. 3. Homicidium voluntarium. 4. Incendium ex deliberata voluntate procuratum. 5. Simoniam. 6. Hæreſim. 7. Apoſtaſiam. 8. Inceſtum cum conſanguineis, aut ſanctimonialibus. 9. Injectionem manuum violentam, deliberato propoſito, cum læſione in parentes. 10. Sortilegium. 11. Adulterium notorium & omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reſervatam habent: ijdem caſus reſervantur Epiſcopo Iprenſi (qui addit caſum ſacrilegij) Brugenſi, Gandenſi, Antverpienſi, Ruræmundenſi: & hi ferè omnes modò reſervare ſolent peccatum carnis opere completum cum pœnitente.

Quid de caſibus, qui de jure communi reſervantur.

52. Nota tamen primò, ſub caſibus Epiſcopis reſervatis in Decreto Urbani VIII. non comprehendi caſus reſervatos de jure communi, ſed tantùm eos, qui peculiaribus edictis Epiſcopi ſibi reſervant, uti aſſerunt Averſa, quem refert, & ſequitur Diana, *tom.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 71. Sanchez, Merola, quos refert, & ſequitur Delbene, *tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 69. *n.* 15. Pellizarius, *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *ſect.* 2. *n.* 61. Peyrinus, Belochius, N. Lezana, Vidal, quos adducit, & ſequitur N. Antonius à Spiritu S. *n.* 16. Dicitur enim in Decretis Clementis: *Nec etiam à caſibus, quos Ordinarij locorum hactenùs reſervarunt, vel in poſterùm ſibi reſervabunt.* Et licèt in alijs Decretis Pauli, & Urbani abſolutè nominentur caſus Epiſcopis reſervati; intelliguntur tamen ſicut in illis Decretis Clementis. Ex quo inferunt & benè Peyrinus, & Pellizarius, & alij apud ipſos, quod cùm excommunicatio lata contra procurantes abortum ex Bulla Gregorij XIV. reſervetur Ordinarijs, adeòque ſit inter cenſuras jure communi reſervatas Epiſcopis, poterunt ab ea abſolvere etiam Regulares privilegiati.

A quibus extra Italiam Regulares abſolvere poſſunt?

53. Nota ſecundò, Regulares privilegiatos poſt Clementis VIII. Decretum extra Italiam abſolvere poſſe à cenſuris violationis immunitatis Eccleſiaſticæ, violationis clauſuræ Monialium ad finem malum: provocantium, vel pugnantium in duello, ſymoniæ realis ſcienter contractæ, atquè etiam confidentiæ beneficialis: injicientium manus violentas in Clericos, ſivè læſio fuerit levis, mediocris, vel enormis. Ita N. Lezana, *tomo* 3. verbo *Clericus*, *n.* 18. N. Antonius à Spiritu S. *n.* 33. & apud ipſum Diana, Naldus, Bordonus, Sanchez, Merola, Delbene, Vidal, quia omnes hi caſus ſunt Papales extra Bullam Cœnæ, & ſolùm reſervantur in Decreto Clementis VIII. intra Italiam; non verò extra illam ſub illis verbis, *per univerſam Italiam extra urbem degentibus*, ut notant Portel. *loco cit.* Rodriguez, & alij, quos refert, & ſequitur Villalobos, *p.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 62. *n.* 1. & plures referens N. Antonius à Spiritu S. *n.* 24.

Conceditur interdum licentia per Jubilæum, excepto caſu Hæreſis.

54. Quantùm ad tertium, quod ſupra *n.* 28. propoſuimus; conceditur interdum à Summis Pontificibus Jubilæus univerſalis, in quo continetur facultas ut quiſque abſolvi poſſit ab omnibus caſibus tam Summo Pontifici etiam in Bulla Cœnæ, excepto caſu hæreſis, quam cuicumque Epiſcopo reſervatis à Confeſſario approbato, quem ipſe ſibi elegerit, prout in ipſa Jubilæi Bulla exprimitur. Sunt autem circa hujuſmodi abſolutionem à reſervatis per Jubilæum aliquæ expediendæ difficultates.

1. difficultas.

55. Prima eſt: An qui virtute Jubilæi fuit abſolutus à peccatis, per illam abſolutionem maneat liber à reſervatione pro oblitis, ita ut finito etiam tempore Jubilæi, poſſit ab ijs directè abſolvi per communem Confeſſarium? Reſpondetur affirmativè, ut expreſſè docent Coninchus, Nuñus, Molſeſius, Megala, & alij, quos citat, & ſequitur Diana *tract. de Bulla cruciata*, *reſol.* 19. Lugus, *diſp.* 20. *n.* 99. citans Suarium, Vazquium, & Bonacinam: ſic etiam Luyſius *diſp.* 31. *dub.* 4. & Leander *diſp.* 12. *q.* 36.

2. difficultas.

56. Secunda difficultas eſt: An ſi pœnitens tempore Jubilæi confeſſus ſit cum intentione lucrandi illum, & poſteà non lucretur, non ſervando reliqua requiſita, maneat liber à reſervatione peccatorum, quæ confeſſus eſt? Affirmant quidam, hunc reincidere in priſtinam cenſurarum reſervationem, à quibus abſolutus erat, quod ea abſolutio tacitam habeat conditionem: *ſi poſteà Jubilæus obtineatur*. Ita Angles, & Manuel, quos citat Thomas Sanchez, *in ſum. lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 43. & alij Neotherici apud Cordubam infra referendum. Sed dicendum eſt reſervationem non reviviſcere, & manere illum verè abſolutum: quia quamvis ea abſolutio impartita fuerit in ordine ad futuram Jubilæi conſecutionem; at non pendet ab ea, ut à conditione de futuro, nequè abſolutio illa à cenſuris eſt data ad reincidentiam: id enim Jubilæus non explicat, & ſolet Pontifex exprimere quando id intendit, ut conſtat ex cap. *Eos, qui de ſententia excom. in* 6. Et ita docent Corduba *in ſumma, q.* 21.

Na-

Navarrus, Henriquez, Saà, & alij, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *loco cit.* Leander, *diſp.* 12. *q.* 37. & 40. & apud ipſum Vazquez, Hurtado, & alij.

3. *difficultas.* 57. Tertia difficultas: An peccet graviter pœnitens, non obſervando reliqua requiſita ad Jubilæum lucrandum, poſtquàm virtute illius abſolutionem à reſervatis obtinuit? Affirmant Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 2. *cap* 6. *n* 11. Coriolanus *de caſibus reſervatis*, *q.* 1. *ſect.* 3. *art.* 17. Negant tamen probabilius Thomas Sanchez, & Henriquez, quos refert, & ſequitur Lugus, *diſp.* 20. *ſect* 7. *n.* 100. Sanctarellus, Naldus, Floronus, & Portel. quos adducit, & ſequitur Diana *tom.* 3 *tract.* 4. *reſol.* 145. & alij, quos affert, & ſequirur Leander *q.* 38. quia nullum ſufficiens fundamentum invenitur ad inducendam talem obligationem.

4. *difficultas.* 58. Quarta difficultas eſt: An qui tempore Jubilæi oblitus peccatorum reſervatorum, confeſſionem non fecit, quia facto examine, non invenit mortale, quod deberet confiteri, & in ſententia probabili, quod ad Jubilæum non requiratur neceſſariò confeſſio, quando quis non invenit apud ſe materiam neceſſariam confeſſionis, lucratus ſit iſte talis Jubilæum, vel quia v. g. babuit actum contritionis, vel quia ante illud tempus confeſſus jam fuerat oblitus illorum reſervatorum: an poſſit poſteà virtute Jubilæi præteriti abſolvi à reſervatis oblitis, & antè Jubilæum commiſſis à quocumque Confeſſario? Reſpondetur affirmativè: quia ipſe Jubilæus lucratus, ſinè interventu Confeſſarij tollentis reſervationem, dat jus, & privilegium illum lucranti, ut poſſit abſolvi à reſervatis oblitis, ſuppoſitâ ſententiâ probabili, quod confeſſio Sacramentalis non requiratur ad lucrandum Jubilæum, quando quis non invenit apud ſe materiam neceſſariam confeſſionis. Ita Thomas Sanchez, quem refert, & ſequitur Lugus, *n.* 102. Sanctarellus, Alfonſus de Leone, & Zanardus, apud Dianam, *reſol* 150. Leander, *q.* 41. contra Fauſtum, Luyſium, & alios.

An verò Regulares, ut tempore Jubilæi à reſervatis abſolvantur confiteri debeant Confeſſario ab Epiſcopo approbato. Reſpondet probabilius negativè cum Bonacina N. Gab. à S. Vinc. *diſp* 9. *q.* 5. quia in Jubilæo facultas datur, ut quis abſolvatur per Confeſſarium ab Ordinario approbatum, Ordinarius autem Regularium eſt illorum Prælatus, ergò ſufficit ab illo approbato confiteri, vide eum latius *loco cit.*

PUNCTUM IV.

Qualiter Prælatus, cui ſunt caſus reſervati, ſe gerere debeat: tum in abſolutione concedenda: tum in ea deleganda.

1. *difficultas.* 59. PLures ſunt circa hoc punctum difficultates enodandæ. Prima eſt: An Superior, cui caſus ſunt reſervati, auditis ſolùm reſervatis, poſſit pœnitentem abſolvere, & illum remittere ad inferiorem Confeſſarium pro abſolutione non reſervatorum? Sed hanc difficultatem jam expedivimus ſup. *cap.* 8. *punct.* 5. *n.* 129. & deinceps ubi etiam notavimus in Romana Curia, reſervata ſæpè non audiri, ut Sacramentaliter abſolvantur, ſed audiri, ut ſublatâ cenſurâ, Confeſſario ordinario remittantur Sacramentaliter abſolvenda.

60. Secunda difficultas eſt: An ſubdito per ſe, vel per Confeſſarium petenti à Superiori facultatem, ut alteri confiteri poſſit reſervata, teneatur ſuperior eam contribuere? Conſentiunt Doctores teneri ſuperiorem eam concedere facultatem, non ſolùm quando ſunt aliquæ cauſæ extrinſecæ comparatione ſubditi erga ſuperiorem, ob quas ſubditus, ſi non eſſet alius Confeſſarius, poſſet non confiteri, aut non confiteri integrè, juxta doctrinam ſuprà à nobis traditam circa cauſas excuſantes ab integritate materiali confeſſionis; ſed etiam quoties niſi ſuperior concedat illam licentiam, prudenter timetur grave aliquod nocumentum ſpirituale ſubditi, ut perſæpè cordatè metuitur ob humanam fragilitatem, ſubditum, cui negatur facultas, non fore ſua peccata ſaltem integrè Superiori confeſſurum. Cùm enim reſervatio in ſubditorum bonum conceſſa ſit, non debet retorqueri in eorum diſpendium. Undè regulariter petenti facultatem, ut abſolvatur à reſervatis, concedendam eſſe non immeritò docent Sotus, Suarez, Coninchus, Layman, quos citat, & ſequirur Palaus, *tract* 23. *diſp. unica*, *punct.* 15. *n.* 4. Averſa, *quæſt.* 17. *ſect.* 4. Franciſcus *diſp.* 10. *dub.* 9 & favet D. Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 4 *quæſtiunc.* 4. *ad* 6. niſi vel ex Superioris licentia, & conceſſione prudenter timeatur damnum aliorum, ut facilitas in peccando ſpe ſimilis facultatis obtinendæ; tunc enim non tantùm poteſt, ſed debet negare facultatem: quia tenetur potiùs proſpicere bono communi, quàm particularis perſonæ, ut rectè limitant Dicaſtillus, *diſp.* 11. *dub.* 19. *n.* 326. N. Antonius à Spir. S. *n.* 1272. & alij. Vel quando ſuperior prudenter timet conceſſionem facultatis futuram eſſe ſubdito occaſionem peccandi; tunc enim tenetur etiam negare: quia curare debet, ne ulterius ſerpat malum, ut tradunt Coninchus, *diſp.* 8. *dub.* 14. Dicaſtillus, Antonius, Franciſcus ubi ſuprà, & alij multi: vel ſi nullum damnum ex negatione licentiæ timeatur, aut minor fructus ſubditi: & poteſt denegatio prodeſſe ad præcavenda futura peccata, qui eſt finis, in quem ordinatur reſervatio; tunc enim expedit licentiam negare, ut docet idem Dicaſtillus *loco citato*, *num.* 327.

61. Non tenetur tamen Superior cuilibet licentiam concedere, ſed poterit unum, vel alios præſcribere. Sinè juſta tamen cauſa non debet repellere eum Confeſſarium, qui licentiam poſtulat, & adigere pœnitentem, ut denuò alteri ſua crimina patefaciat, ut benè advertunt Coninchus, Palaus, & Averſa citati; Villalobos *in ſumma*, *tract.* 9. *de pœnit. diffic.* 65. *n.* 3. *Non eſt obligatus ſuperior cuilibet licentiam concedere.*

62. Tertia difficultas eſt: An caſu, quo Superior injuſtè neget facultatem abſolvendi ſubditum à reſervatis, pœnitens poſſit abſolvi? Tunc ex ipſo communi jure poſſe Confeſſarium inferiorem per ſe à peccato reſervato abſolvere pœnitentem admittunt Rodriguez 1. *to. ſummæ*, *cap.* 55. *n.* 11. Henriquez, *lib.* 6. *cap.* 15. *n* 6. & prius *cap.* 13. *n* 4. & alij apud Leandrum *diſp.* 12. *q.* 66. Idem cum alijs, quos refert, probabile putat Diana, 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 77 eo *3. difficultas.*

quod

quod cenſeatur ex tali cauſa habere licentiam ab alio ſuperiore Prælato, ut à Provinciali, vel Generali reſpectu Conventualis, vel ab ipſo Pontifice reſpectu omnium. Id tamen communi jure admittendum non eſt juxta principia generalia eſſentialiter requiſitæ juriſdictionis; atquè ita non poſſe tunc Confeſſarium per ſe à peccato reſervato abſolvere pœnitentem eſt communis, & tenenda nobis ſententia, quam tradunt Sotus, Medina, Philiarcus, Navarra, Llamas, Suarez, quos referunt, & ſequuntur Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. *n.* 3. Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 8. *n.* 148. Dicaſtillus *n.* 335. Item Bonacina, *quæſt.* 7. *punct.* 5. §. 2. *n.* 20. Averſa, *q.* 17. *ſect.* 4. Antonius à Spir. S. *n.* 1276. & alij plurimi apud Leandrum *loco citato*. Quia injuſta denegatio facultatis valida eſt; ſicut eſt valida injuſta reſervatio, & ad vitanda inconvenientia ſufficit, quod urgente aliqua gravi neceſſitate, Confeſſarius inferior poſſit abſolvere pœnitentem ab his, à quibus directè poteſt; reſervata verò remittantur ſolùm indirectè, ut non ſit ſufficiens fundamentum ad credendum facultatem abſolutè concedi ab alio Prælato ſuperiore.

Quid in hac parte ſit in Religionibus ſpecialiter declaratum? 63. Hæc in genere dicta ſunt. Specialiter tamen circa Regulares Clemens VIII. declaravit, ut referunt Lugus, Averſa, Franciſcus B. S. Gabriël à S. Vinc. *diſp.* 9. *q.* 5. & alij, quod Confeſſarius ordinarius Regularium, petitâ facultate à Prælato ad abſolvendum ſubditum, ſi tamen ſuperior eam neget contra id, quod Confeſſarius judicat fieri debere, poſſit pro ea vice pœnitentem Regularem, etiam non obtentâ à ſuperiore facultate, abſolvere.

4. difficultas. 64. Quarta difficultas eſt: An Epiſcopus, vel Prælatus Regularis concedens ſubdito poteſtatem eligendi Confeſſorem, cenſeatur concedere poteſtatem abſolvendi à ſibi reſervatis? Reſpondetur negativè cum Palao, *tract.* 23. *diſp. unica, puncto* 11. *num.* 10. & cum communi ſententia: quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie non eſſet verò ſimiliter conceſſurus, ut habetur *in cap.* 2. *de pœnit. in* 6. & tradunt Navarrus *cap.* 27. *n.* 161. & alij.

5. difficultas. 65. Quinta difficultas eſt: An poſſit ſuperior facultatem abſolvendi à reſervatis concedere cum onere imponendi, ſeu acceptandi talem, vel talem pœnitentiam, pro tali, vel tali delicto? Affirmant communiter Theologi, Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 5. *n.* 3. Coninchus *diſp.* 8. *de pœnit. dub.* 14. *in fine*, Villalobos *diffic.* 65. & alij. Nam ad hoc jus habet ſuperior: cùm enim ſit ordinarius Judex in illa cauſa, poteſt eam non ſimpliciter committere, ſed præſcribendo modum, ſeu taxando pœnam ferendam: & aliundè hoc poteſt expedire ad bonum pœnitentis. Sic olim in Eccleſia erant Canones pœnitentiales, qui pro diverſis peccatis diverſas pœnitentias præſcribebant. Verùm cùm juxtà occurrentes circumſtantias augeri, vel minui pœnitentia debeat, communiter conſultius eſt hac in re multum prudentiæ Confeſſarij fidere, qui ex circumſtantijs melius diſpiciet quid expediat: aſſignationemque pœnitentiæ à ſuperiore fieri per modum cujuſdam directionis, & ordinationis, & non per modum præcepti, uti prudenter advertunt Palaus *punct.* 15. §. 5. *n.* 11. Suarez, & Coninchus, citati.

66. Sexta difficultas eſt: An poſſit concedi facultas abſolvendi à reſervatis ſub onere, & obligatione ſe ſuperiori præſentandi? *6. difficultas.* Conveniunt Doctores (teſte Dicaſtillo *diſp.* 11. *n.* 202.) aliquâ ratione poſſe ſubditum abſolvi cum onere comparendi coram ſuperiore, vel ut ipſe iterum reſervata Sacramentaliter confiteatur, abſolutionemque accipiat, vel ſaltèm ſuperiori rationem peccati reſervati reddat, & pœnitentiæ ſibi ab inferiore impoſitæ: atquè id non ſolùm in caſibus, in quibus eſt annexa excommunicatio, ſed etiam in illis, in quibus non eſt, ut ex praxi, & uſu Eccleſiæ ſatis conſtat. Quo accepto obligatum eſſe ſubditum ſub mortali, ſe ſuperiori, vel ejus vice tenenti præſentare, firmant Navarrus, Henriquez, Suarez, Coninchus, Layman, quos citat, & ſequitur Navarrus ubi ſuprà *num.* 15.

67. Et quidem ſi pœnitenti immediatè concedatur à ſuperiore facultas eligendi Confeſſorem, cui ipſe ſuperior immediatè juriſdictionem concedat, ſicuti in pluribus Religionibus eſt uſus comparatione hoſpitum, & peregrinorum, tunc non eſt dubium concedi poſſe ſub eo onere, & conditione, ut ſubditus obligetur ſe ſuperiori præſentare, ut benè docet Palaus *n.* 16. *Via, & modus imponendi hanc obligationem.* Quia cùm cedat ſuperior juri reſervationis concedendo ſubdito facultatem, quam concedere non tenetur, mirùm non eſt, quod nolit eam concedere, niſi ipſe ſubditus eam obligationem ſuſcipiat, quam neceſſariò ſuſcipit, eo ipſo, quod acceptat ab alio, quàm à ſuperiore abſolvi. Si verò Confeſſario facultas abſolvendi à reſervatis concedatur, poteſt adhuc ſub eo onere, & pacto fieri, ut ſuperior non concedat facultatem hanc, niſi ſubditus promittat ſe ſuperiori præſentaturum, quod onus cenſetur ſubditus ſuſcipere, eo ipſo, quod utitur tali facultate. Ita Dicaſtillus ubi ſuprà, *n* 207. Quem modum, etiam amplectitur Lugus, *diſ.* 15. *n.* 117. qui etiam benè addit: obligationem illam non extorqueri à ſubdito injuſtè, & per violentiam: quia Prælatus utitur jure ſuo, nec tenetur dare Confeſſario facultatem abſolvendi à reſervatis, ut ſupponimus, nec obligat ſubditum ad acceptandam facultatem ſub eo onere, ſed offert facultatem, ut vel reſpuat, vel liberè eam ſub tali onere acceptet. Hanc difficultatem latius movet N. Antonius à Spir. S. *in direct. Confeſſ. tract.* 5. *diſp.* 15. *ſect.* 11. & in partem negativam, poſſe Prælatum concedere facultatem abſolvendi à reſervatis cum onere comparendi inclinare videtur, maximè propter Decretum Urbani VIII. & favet Franciſcus B. S. *de pœnit. diſp.* 10. *n.* 112.

PUNCTUM V.

Qualiter ex confeſſione facta habenti poteſtatem abſolvendi à reſervatis, ceſſet reſervatio: ita ut pœnitens poſſit ea peccata fateri Sacerdoti juriſdictionem habenti in peccata non reſervata.

68. SI pœnitens faſſus eſt ſuperiori peccatum reſervatum, ipſe verò non abſolvit Sacramentaliter, ſed miſit pœnitentem ad inferiorem pro abſolutione Sacramentali obtinenda, *1. concluſio.*

ſubla-

ſublata eſt reſervatio : quia illa remiſſio ad inferiorem eſt tacita juriſdictionis delegatio. Ita Suarez, *diſp.* 31. *ſect* 4. *num.* 2. Palaus, *tract.* 23. *punct.* 15. § 6. *num.* 1.

2. concluſio. 69. Si Sacerdoti delegato peccatum reſervatum pœnitens fateatur, Sacerdos verò delegatus abſolutionem illius non conceſſerit, ſed alteri abſolutionem remiſerit, nihil faciet, ſed tam reſervatum illud relinquet, ſicut antea: quia non poteſt ipſe delegare juriſdictionem ad abſolvendum, ſicut ſuperior. Illa autem ablatio reſervationis illo modo non fit, niſi committendo alteri juriſdictionem ad abſolvendum. Ita Suarez, & Palaus citati.

Alia huc ſpectantia in ſuperioribus enodata. 70. An autem conceſſa abſolutione à reſervatis, ſed invalidè, tollatur reſervatio? Et quid ſi loquamur de abſolutione à reſervatis virtute Jubilæi : & an caſus prætermiſſi ex oblivione invincibili remaneant liberi à reſervatione, ſivè habeant cenſuram annexam, ſivè non, ſivè confeſſio facta ſit apud Prælatum, ſivè apud delegatum. Et quid de caſibus prætermiſſis ex juſta cauſa? Jam à nobis deciſum eſt, ſupra *punct.* 3. *à n* 41. uſq; ad 46. incluſivè.

PUNCTUM VI.

Qualiter confeſſarius inferior poteſtate carens in reſervata ſe gerere debeat cum pœnitens ad ipſum accedit.

Aſſertum 1 71. QUi occaſione raro urgente fuit à Superiore Sacramentaliter abſolutus à ſolis reſervatis, ea inferiori non tenetur fateri, ſed ſufficit fateri non reſervata. Ita Navarrus, *c.* 9. *num.* 7. Suarez, *diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 10. Valentia, Layman, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus. Quia eſto uni, & eidem Sacerdoti per ſe loquendo omnia peccata manifeſtari debeant; ſecus verò per accidens, & in caſu extraordinario: uti eſt cum ob raro urgentem occaſionem aliqua tantum peccata confeſſioni & abſolutioni ſubijciuntur : tunc enim poſtmodum non ea, ſed ea, quæ ſuperfuerunt, ſubijci debent. Qui verò à ſuperiore Sacramentaliter abſolutus non fuit, ſed ſolum à reſervatione peccatorum liberatus, non eſt dubium obligatum eſſe inferiori Sacerdoti omnia peccata mortalia tam reſervata, quam non reſervata fateri: quia indiget omnium illorum abſolutione Sacramentali, quæ per ſolam liberationem à reſervatione non conceditur.

Aſſertum 2 72. Sacerdos poteſtate carens in reſervata, præciſa neceſſitate, vel rationabili cauſa, abſolvere non poteſt pœnitentem à non reſervatis, ipſumque mittere ad ſuperiorem pro abſolutione à reſervatis : quia tale factum repugnat integritati Sacramenti; quæ eſt de jure Divino, & ideò numquam licet illam ſinè cogente cauſa prætermittere. In illo autem caſu confeſſio non eſt integra : quia licet ille pœnitens proferat peccata omnia; tamen revera in ordine ad Sacramentum confeſſio non eſt integra: quia Sacramentalis confeſſio non eſt quælibet manifeſtatio peccati, ſed eſt accuſatio ſui coram legitimo judice, ac proindè non eſt integra confeſſio Sacramentalis, & conſequenter nec abſolutio eſt integra: quia non eſt ſententia prolata à judice habente juriſdictionem pro integra cauſa. Ita plures quos cit. & ſeq. Dicaſtillus *diſp.* 11. *num.* 294. Vazquez, & Laym. quos ref. & ſeq. Palaus, *punct* 15. § 7. *n.* 2. contra nonnullos alios apud Dicaſtillum, aſſerentes inferiorem poſſe audita omnium peccatorum confeſſione abſolutionem à non reſervatis impendere, & mittere ad ſuperiorem pro reſervatis, ſecluſâ cenſurâ, ſub qua non poteſt.

73. Confeſſarius inferior extra articulum, *Aſſertum 3*
ſeu periculum mortis non poteſt directè abſolvere à reſervatis, etiamſi non ſit annexa excommunicatio, aut ſimul confiteatur pœnitens non reſervata. Nam licet ad directam abſolutionem neceſſarium ſit peccatum in confeſſione aperiri; tamen id non ſufficit, niſi Sacerdos habeat juriſdictionem in tale peccatum : quia abſolutio directa eſt actus talis juriſdictionis. Quod concordat cum Concilio Tridentino, aſſerente inferiorem extra articulum mortis nihil poſſe in caſibus reſervatis : quia talis Sacerdos non habet juriſdictionem in hujuſmodi caſus, & ideò ab eis non poteſt directè abſolvere. Dicitur enim in eis nihil poſſe poteſtate ſcilicet directa ad abſolvendum, circa quam nihil poteſt, quod ſufficit, ut abſolutè dicatur nihil poſſe. Ita Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 3. *n.* 4 & plures alios referens Dicaſt. ubi ſupra *n.* 295.

74. In caſu neceſſitatis, ut cum neceſſe eſt, *Aſſertum 4*
aut implere præceptum annuæ confeſſionis, aut communicare, vel ſacrum facere, ita ut non poſſit omitti ſinè gravi ſcandalo, aut infamia, & pro tunc non patet aditus ad ſuperiorem, poteſt inferior Sacerdos habens juriſdictionem circa peccata non reſervata, illa directè abſolvere, & abſolvendo verùm conficere Sacramentum, per quod ſaltem indirectè tollentur peccata reſervata. Ita Suarez *n.* 3. Franciſcus *n* 114. Palaus *punct.* 15. & apud ipſum Coninch. Henriquez, Rodriguez, Layman, & Bonacina. Et ratio eſt : quia licet ea confeſſio fieri non poſſit materialiter integra ob defectum juriſdictionis in Sacerdote in peccata reſervata; ſufficit ſervari formalem integritatem, & miniſtrum habere juriſdictionem circa aliqua peccata, ut abſolvendo verum conficiatur Sacramentum, per quod indirectè tollantur peccata reſervata, & integritas confeſſionis, & abſolutionis directæ omnium peccatorum pœnitentis non eſt de eſſentia, & neceſſitate Sacramenti pœnitentiæ, ſed præcepti divini, cujus omiſſio ſæpè honeſtatur ob impotentiam etiam moralem, tum pœnitentis, tum confeſſarij, tum aliorum.

75. Quod verum credimus, non ſolùm *Quid ſi peccata reſervata habeant excommunicationem annexam.*
quando caſus reſervati non habent excommunicationem annexam, verùm etiamſi habeant, & ipſa excommunicatio per Sacerdotem auferri non poſſit : excommunicatio enim non irritat Sacramenti pœnitentiæ valorem, ſed prohibet illius ſuſceptionem, cum non urget neceſſitas: at ſtante urgente neceſſitate, ſicuti non impedit communionem, ſic nec pœnitentiam, ut benè notarunt Suarez *num* 6. Henriquez, Coninchus, Layman, quos adducit, & ſeq. Palaus § 7. *n* 6. Item Dicaſt. *diſp.* 11 *n* 313.

1. Objectio, & illius ſolutio.

76. Sed argues 1. Hinc ſequi in caſu poſito, nollo modo teneri pœnitentem Sacerdoti inferiori confiteri peccata reſervata; ſi enim ille nullam babet juriſdictionem directam, ſed tantùm illa peccata reſervata indirectè debent remitti, non eſt cur obligetur ad confitendum integrè illi Sacerdoti dicendo etiam illi reſervata. Nam ad ſolam indirectam remiſſionem non eſt neceſſaria confeſſio peccatorum, quæ ſic abſolvuntur. Ad hoc Alexander concedit ſequelam, & alij, quos retulimus *tract. 4. cap. 7. punct. 3. num* 63. quod etiam probabile putant Major, Petrus Soto, & alij à nobis relati ſuprà, *cap. 8. punct. 5. num.* 132. Sed quia alij communiter cootrarium docent, quod rutius, & conſulendum eſſe ibidem diximus. Reſpondetur cum Suario negando ſequelam. Quia eſto non abſolvat Miniſter directè à reſervatis, tamen ut pœnitens poſſit abſolvi à non reſervatis, oportet ut ſit circa omnia benè diſpoſitus: quia diſpoſitionem debet examinare Miniſter, & ideò habet jus cognoſcendi totam cauſam, & totam conſcientiam pœnitentis, & omnes occaſiones, vel obligationes ejus, ut poſſit illum abſolvere.

2. Objectio, & reſponſio ad illam.

77. Argues 2. Quia ſequitur, ſi quis habeat babeat conſcientiam peccatorum venialium, & mortalium, & occurrat eadem neceſſitas confitendi, poſſe confiteri Sacerdoti ſimplici, ſi allus non inveniatur. Patet ſequela: quia ille habet juriſdictionem circa venalia: poterit ergò ab illis abſolvere, & perficere Sacramentum, & ita indirectè tollere mortalia, quamvis, illa poſteà confitenda ſint proprio Sacerdoti. Reſpondetur negando ſequelam. Et ratio diſparitatis ſumitur ex uſu, & ex Eccleſiæ conceſſione. Licentia enim data omnibus fidelibus, ut poſsint confiteri peccata venialia euicumque Sacerdoti, originem habuit ex conceſſione Eccleſiæ, & tradinone, ac conſuetudine retinetur: undè extendenda ooo eſt ultra id, quod conſuetudine receptum eſt; conſuetudine autem ſolum videtur, introductum, ut tunc fideles habeant hanc licentiam, quando non habent conſcientiam peccati mortalis, ideoque quando illam habent, jam non licet eis confiteri ſimplici Sacerdoti extra articulum mortis, ac proindè ſi ita confiteantur, nullum fit Sacramentum.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

De Sigillo Confeſſionis.

Caput iſtum clauditur quatuor Punctis.

P. 1. *Quid ſit ſigillum, & qualis ejus obligatio.*

P. 2. *Ex qua confeſſione, & ad quæ ſacrum ſigillum extendatur.*

P. 3. *Qualiter ſacrum ſigillum ſervandum ſit.*

P. 4. *Qui teneantur confeſſionis ſigillo.*

PUNCTUM I.

Quid ſit ſigillum, & qualis ejus obligatio.

Vnde dicatur ſigillum, & quid ſit.

1. Sigilli nomen ſignificat inſtrumentum, quo ſolent obſignari litteræ, quæ eo durante nec legi, nec aperiri poſſunt. Indè autem tranſlatum eſt hoc nomen adjuncto vocabulo confeſsionis ad ſignificandam ſtrictiſsimam obligationem non manifeſtandi ea, quæ in coofeſsione cognita ſunt.

Quo jure obligetur confeſſarius ad ſervandum ſigillum confeſſionis.

2. Certa eſt, & conſtans omoium Doctorum ſententia graviſsima obligatione teneri confeſſarios ſigillum non violare. Et quidem obligatio iſta oritur in primis ex jure naturali ſervandi ſecreti, præſertim eorum, quæ ſub ea conditione dicta, & accepta ſunt. Verè autem pœnitens banc conditionem ſecreti apponit confeſſario, & ipſe tacitè impleturom ſe promittit: ac proindè jure naturæ tenetur ad ſervandum ſecretum peccatorum auditorum in confeſsione. Ita communiter Doctores, quos cit. & ſequit. Dicaſtillus *diſp.* 12. *n.* 2. Palaus *tract.* 23. *diſp. unica, punct* 19. *num.* 2. Granados, *de pœnitent. tract.* 12. *diſp.* 1. N. Gabriel à S. Vinc. *diſp.* 10. Antonius, *n.* 1498. & alij multi. Oritur etiam hæc obligatio ex jure Eccleſiaſtico. Ita conſtat in Canone *Sacerdos de pœnit. diſtinct.* 6. & in cap. *Omnis utriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſionibus.* Ubi hoc ſtrictiſsimè præcipitur ſub pœna infligenda depoſitionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto monaſterio. Sed potiſsimum oritur hæc obligatio ex jure Divino, ex ipſa nimirum Chriſti Domini inſtitutione, & poſitiva juſsione. Etiam ut rectè ootaot Averſa, *quæſt.* 18. *ſect.* 1. Gabriel à S. V. Antonius, Granados, & Palaus citati, ex perpetua praxi, & exiſtimatione Eccleſiæ, de arctiſsimo vinculo hujus ſecreti, ut nullo omninò eventu, & propter nullum omninò finem liceat hujus ſacratiſsimi ſigilli violatio, etiam circa peccata venialia, de quibus non extat obligatio pœnitentis ad confitendum; & quia tale vinculum ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſicut & lex confeſsionis, ſervatum eſt, ſufficienter conſtat, Chriſtum Dominom inſtituendo boc Sacramentum, hanc legem ſecreti tuliſſe, ne ob ullam cauſam ibi cognita manifeſtentur, ut hac ratione Sacramentum, neque odioſum, neque oneroſum redderetur. Nec enim ſola lex naturalis, aut Eccleſiaſtica tam ſtrictè obligaret ad ſecretum, atque poſitivum præceptum de facto à Chriſto Domino latum, docent etiam Vazquez, *quæſt.* 93. *art.* 4. *dub.* 1. Coninchus, *diſp.* 9. *dub.* 2. & alij plures.

3. Ex

Digitized by Google

Corollarium 1.

3. Ex dictis infertur 1. Confeſſarium violando ſigillum, contra fidelitatem, & juſtitiam, & contra Religionem delinquere. Contra fidelitatem quidem, ob tacitam promiſſionem non revelandi, quæ ſub ea conditione dicta, & accepta ſunt. Contra juſtitiam: quia hæc obligat, ne aliena peccata revelentur. Et contra Religionem: quia aliquo modo derogatur inſtitutioni Sacramenti: ſicut benè docent Suarez, Coninchus, Fagundez, Bonacina, & alij quos refert & ſeq. Palaus, *dicto punct.* 19 §. 1. *n.* 2.

Corollarium 2.

4. Infertur 2. in nullo caſu, quantumvis graviſſimo, ſivè boni conſequendi, ſivè mali vitandi abſque licentia, & voluntate pœnitentis, ceſſare ſtrictiſſimam obligationem ſigilli, & ita ex communi ſententia tradunt Suarez, & Palaus citati, Navarrus *cap.* 8. *num* 2. N. Philippus *diſp.* 11. *dub.* 7. Antonius a Spir. S. *n.* 1497. Franciſcus B.S. *diſp.* 13. *n.* 2. Gonet *diſp.* 11. & alij paſſim. Et colligitur ex cap. *Sacerdos de pœnit.* & cap. *Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſion.* Nec excipiendus eſt caſus, quo Sacerdos ſuum peccatum explicare non poſſet abſque manifeſtatione peccati pœnitentis in confeſſione auditi: quia cædit maximè in Sacramenti bonum, ſi omnes ſciant in nullo caſu abſque pœnitentis licentia violari poſſe, quippè ejus uſus facilior, & ſuavior redditur. Undè fortius urget præceptum ſigilli, quam integritas confeſſionis. Ita Vazquez, Suarez, Gutierrez, Fagundez, Coninchus, Layman, quos adducit, & ſequitur Palaus, *num* 4. Lugus *diſp.* 13. *num.* 144. & alij, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 12. *dub.* 4. *num.* 69. Neque etiam excipiendus eſt caſus, quo pœnitens mortuus ſit, & illius confeſſionis revelatio neceſſaria ſit ad impediendum grave malum: etenim fama in vita, & poſt mortem pœnitentibus neceſſaria eſt, & deterrentur homines ab uſu confeſſionis, ſi ſcirent poſt eorum mortem peccata ad impediendum damnum revelari poſſe. Ita ex communi ſententia, & Eccleſiæ conſuetudine tradit Covarruvias, 2. *part. decreti, cap.* 8. §. 11. *n.* 9.

Licet revelare ex licentia expreſſa pœnitentis.

5. Quocirca ea ſolùm exceptio admittenda eſt, licere ſcilicet revelare ex licentia expreſſa pœnitentis: quia hæc ſigilli obligatio per ſe primù inſtituta eſt in favorem pœnitentis, & tota reverentia confeſſionis, quæ in hoc ſigillo ſervando apparet, in eo ſita eſt, ut confeſſio non fiat oneroſa, & odioſa pœnitenti. Quare ſi pœnitens vult, & expreſsè concedit licentiam revelandi, non fit illi ex revelatione oneroſa confeſſio. Neque in hoc pœnitens diſpenſat in jure Divino, ſed aufert circumſtantiam neceſſariam, ut illud jus obliget. Nam jus divinum non obligat abſolutè, & ſimpliciter ad non revelandum, ſed ad non revelandum contra voluntatem pœnitentis, & ſinè illius expreſſa licentia, in cujus perſonæ gratiam ea obligatio exiſtit: ac proindè quando revelatio non fit contra voluntatem pœnitentis, ſed de ejus expreſſa licentia, non eſt contra jus divinum. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt* 21. *quæſt.* 3. *art.* 2. Ricardus, Suarez, Vazquez, Coninchus, Lugus, Diana, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *loco citato, num* 73. Thomas Sanchez *lib.* 6. *moral. cap* 18. *num.* 43. Layman, Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Palaus § 2. *num.* 6. N. Philippus *loc. cit.* contra Scotum, Durandum, Majorem, Alenſem, apud ipſum, & contra Alexandrum, Gabrielem, Angelum, apud Dicaſtillum, *loco citato*. Exiſtimantes, cujuſlibet particularis licentiam inſufficientem eſſe: ſicuti non ſufficit, ut Clericus ad ſæculare judicium trahatur. Sed eſt longè diverſa ratio: nam hoc privilegium in gratiam pœnitentis latum eſt; at privilegium Clericorum non eſt tantùm in favorem particularis Clerici cujuſcumque, ſed in honorem ſtatus Clericalis, attendendo ad illius ſtatus dignitatem, & decentiam.

Non ſufficit præſumpta.

6. Hæc tamen licentia pœnitentis debet eſſe expreſſa: nec ſufficit etiamſi confeſſor firmiſsimè præſumat pœnitenti fore gratum revelare peccatum in confeſſione auditum, uti docent communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Palaus *num.* 7. contra Altiſiodorenſem, *lib.* 4. *tract* 6. *cap.* 3 *quæſt.* 7. Item Reginaldus, Nuñus, Lugus, & Dicaſtillus, *diſ.* 12. *num.* 70. & Diana cum multis, 1. *p. tract.* 11. *reſol.* 10. N. Anton. *n.* 1577. Et meritò ne aliquando contra voluntatem pœnitentis ejus confeſſio reveletur: fieri enim poteſt, ut confeſſarius id ſibi perſuadeat, & tamen pœnitens id non approbet, undè confeſſio redderetur odioſa.

Licentia debet eſſe ſpontanea & libera.

7. Debet etiam licentia eſſe ſpontanea, & libera. Nam vi, metu, aut deceptione extorta, erit invalida, non ſolùm ne foveantur injuriæ: ſed etiam quia cederet in magnam irreverentiam ipſius Sacramenti. Ita Navarrus, Fagundez, Graffis, quos refert, & ſequitur Palaus ubi ſupra *num.* 8. Suarez, *diſp.* 33. *ſect.* 5. *num.* 14. & cum alijs Diana, *tom.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 10. addens licentiam debere eſſe non per præces importunas, neque per metum reverentialem ipſius confeſſarij obtentam.

Quæſitum.

8. Rogabis: Quid faciendum, ſi pœnitens teneatur peccatum ſuum aperire ad impediendum damnum grave innocentis, & neque ipſe pœnitens revelare velit, neque in revelationem per confeſſarium faciendam conſentire? Reſpondetur certum eſſe in tali caſu etiam obligare ſigillum: uti benè docent Diana *tom.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 33. Suarez ubi ſuprà *num.* 14. Layman, Coninch. quos citat, & ſeq. Palaus *num.* 8. Undè cum hæc obligatio pœnitenti incumbat, antequam abſolutio ei concedatur, urgendus eſt pœnitens ad avertendum innocentis damnum, atque recuſanti abſolutio deneganda. Si verò poſt datam abſolutionem ea obligatio noſcatur, petitâ licentiâ, monendus eſt pœnitens, & rogandus, ut concedat, & ſi renuat, diſſimulandum eſt. Præferri enim debet ſigilli inviolabilis obſervatio, vitationi cujuſcumque damni, quæ fieri poterat violatione ſigilli. Ita Doctores cit.

Obligatio ſervandi ſigillum non admittit levitatem materiæ.

9. Obligatio ſacri ſigilli ſervandi ita gravis eſt, ut levitatem materiæ non admittat, quia Sacramentum in cujus reverentiam ſigillum præcipitur, cujuſcumque peccati revelatione graviſſimè offenditur. Ita ex communi ſententia docent Navar. Coninch. Suarez, Henriq. Bonacin. quos citat, & ſeq. Palaus *n.* 12. & alij quos adducit, & ſequitur Leand. *diſp.* 10. *q.* 5. Gabr. à S. V. *diſp.* 10. *q.* 3. Herinx *diſp.* 8 *num.* 5. adverſus Ledeſmam, 2 *part. quæſt.* 11. *art* 1. *cap.* 5. aſſerentem revelationem venialis peccati leve peccatum eſſe, quando

Sacerdos nullo modo indicat, ſe id ſcire ex confeſſione. Ex defectu tamen deliberationis, aut advertentiæ non eſt dubium poſſe venialiter confeſſorem delinquere, ut notant Angles *art. ultimo, difficult.* 3. Leander q. 5. Lugus *diſp.* 23. *num* 69. & alij.

Multæ pœnæ ipſo jure violantibus impoſitæ.

10. Pœnæ confeſſoribus violantibus ſigillum impoſitæ ſunt in Can. *Sacerdos de pœnit. diſt.* 6. & in cap. *Omnis utriuſque ſexus de pœn. & remiſſionibus.* In priori loco depoſitionis & coactionis ad perpetuam, & ignominioſam peregrinationem. In poſteriori vero pœna reclusionis in aliquo monaſterio, inquam pœnam mutata eſt illa prima. Neutra tamen incurritur ipſo facto antè ſententiam judicis, ut rectè docent Suarez, Coninchus, Lugus, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 12. *dub.* 8. *num.* 181. Palaus ubi ſuprà *num.* 13. Nec etiam ipſo facto irregularitas incurritur ex revelatione confeſſionis, ut contrà Majolum docet idem Dicaſtillus *num.* 184 cum Onufrio, Suario, Filliucio, Bonacina, & alijs. Quia irregularitas non incurritur, niſi ſit jure expreſſa, & hæc talis non eſt. Pœnæ alijs perſonis à confeſſarijs non ſunt impoſitæ in prædictis juribus; puniri tamen debent arbitrio judicis mitioribus pœnis: ut tradunt Coninchus, Henriquez, Reginaldus, & alij, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 10. *dub.* 1. *num.* 33.

PUNCTUM II.

Ex qua confeſſione, & ad quæ ſacrum ſigillum extendatur.

Ex qua confeſſione naſcitur obligatio ſigilli.

11. Obligatio ſacri ſigilli ſervandi naſcitur ex omni, & ſola confeſſione Sacramentali. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 3. *art.* 1. Henriquez, Suarius, Coninch. Vazquez, & alij, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 12. *dub* 2. *n.* 24. Palaus *dicto punct.* 19. N. Gabriel *diſp.* 10. *q.* 3 Antonins *n.* 1500. Herinx *diſp* 8. *q.* 2. & alij communiter. Illa autem dicitur confeſſio Sacramentalis: quæ fit manifeſtando peccata miniſtro pœnitentiæ, ſaltem exiſtimato, animo ſe accuſandi ad obtinendam abſolutionem.

Illatio 1.

12. Hinc fit 1. eum, qui fingens eſſe Sacerdotem confeſſarium cum bona fide pœnitentis audit confeſſionem, teneri ad ſigillum: quia pœnitens confitetur bona fide, & intentione recipiendi abſolutionem, ac proindè debet ei ſervari ſigillum, alias ipſi Sacramento, & pœnitenti maxima fieret injuria, quæ omnia neceſſaria ſunt, ut Sacramentum de ſe oneroſum ſuave reddatur. Ita Scotus, Suarez, Vazquez, Layman, Coninchus, Bonacina, quos citat, & ſequitur Palaus ubi ſuprà §. 2 *n.* 1. Franciſcus, Antonius, Stephanus à S. Paulo *de pœnit. num.* 215. & alij, quos adducit, & ſequitur Diana *tom.* 5. *tract.* 11. *reſol* 15. contrà nonnullos exiſtimantes non teneri niſi ſecreto naturali ad celanda ea, quæ ex tali confeſſione audivit.

Illatio 2.

13. Fit 2. ſi pœnitens confiteatur cum laico, exiſtimans poſſe in abſentia Sacerdotis abſolvi, teneri laicum celare peccata audita ſub ſigillo, non minus quam qui ſe finxit confeſſarium: quia tunc cognovit peccatum ex confeſſione intentionaliter Sacramentali. Ita Hurtado, & Ioannes Præpoſitus, quos citat, & ſequitur Diana *dicto tract.* 11. *reſol* 13. contra nonnullos alios apud Dicaſtillum, *diſp.* 11. *num.* 30. contrarium exiſtimantes, & aſſerentes, ignorantiam juris non ſufficere ad obligandum ad ſecretum ſigilli, ſicuti ignorantiam facti. Ipſe autem Dicaſtillus meritò aſſerit in praxi conſultius eſſe ſigilli ſecretum agnoſcere, & ſervare, etiam in hoc caſu.

14. Fit 3. ſi pœnitens alia intentione, quam recipiendi abſolutionem Sacerdoti peccatum fateatur, tametſi indè obligatio ſecreti naturalis oriatur; non oriri tamen obligationem ſacri ſigilli: quia ea confeſſio etiam ex intentione pœnitentis non eſt Sacramentalis. Undè ſi gratia ſolùm petendi conſilij pœnitens ad Sacerdotem acceſſerit, petieritque, ut ſub ſigillo confeſſionis dicenda recipiat, non ob indè Sacerdos ſacro ſigillo obligatur. Ita Navarrus, Thomas Sanchez, Suarez, Vazquez, Layman, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus *loco cit. n.* 2. Lugus, Stephanus à S. P. & alij, quos adducit, & ſequitur Dicaſtillus ubi ſuprà *num.* 31. Quod à fortiori procedit, ſi pœnitens peccatum manifeſtavit, non animo impetrandi abſolutionem, ſed decipiendi, vel ad malum inducendi confeſſorem. Sicuti notarunt N. Anton. à Spir S. *n.* 1504. Suarez, Vazquez, Henricus, Coninchus, Bonacina, & Palaus citati. *Illatio* 3.

15. Fit 4. ex confeſſione Sacramentali oriri ſacri ſigilli obligationem, etiamſi confeſſio non perveniat ad abſolutionem, ſive id proveniat ex aliquo defectu ex parte Sacerdotis, ſive ex parte pœnitentis; aliàs confeſſio fieret odioſa. Undè quod pœnitens ſit abſolutioni indiſpoſitus, vel ob defectum doloris, vel quia non vult tollere occaſionem, quam debet vitare, non tollit obligationem ſigilli; ſicut etiam eam non tollit, quod Sacerdos, vel ex defectu poteſtatis, utpotè non habens juriſdictionem, ſeu inveniens caſum aliquem reſervatum, vel ad faciendam majorem aliquam diligentiam, vel ob indiſpoſitionem pœnitentis differat, aut prorſus deneget abſolutionem. Ita ex communi ſententia tradunt Suarez, *diſp* 33. *ſect.* 2. *n.* 8. Palaus *dict.* §. 2. *n.* 1. Dicaſtil. *diſp.* 12. *n.* 24. Averſa *quæſt.* 18. *ſect.* 3. & alij. *Illatio* 4.

16. Fit 5. ſi pœnitens accedat ad confeſſarium tamquam ad judicem conſtitutum in foro pœnitentiæ, eique propriè ſe accuſet de ſuis peccatis, ut ſaltem ejus auxilio diſponatur ad abſolutionem recipiendam, vel remedium accipiat, quo ſe diſponere valeat, aut abſolutionem opportunè differat, verè talem pœnitentem imponere obligationem Sacramentalis ſigilli: quia verè facit, ſeu inchoat Sacramentalem confeſſionem, obligatus ſub reatu ſacrilegij non mentiri, ut rectè notat Averſa *ſect.* 3 *cit.* *Illatio* 5.

17. Fit 6. confeſſarium non teneri obligatione ſacri ſigilli, quando quis ad ipſum acceſſit, non ut confiteretur, ſed ut ipſum pertraheret ad peccatum: quia talis confeſſio nullo modo eſt ſacramentalis, nec cedit in præjudicium confeſſionis à Chriſto inſtitutæ, ſi non ſit tunc obligatio ſub ſigillo. Ita Coninchus, & plures, quos ſeq. Bonacina *diſp.* 5. *q.* 6. *ſect.* 5 *punct.* 2. *n.* 5. & omnes fatentur. Undè confeſſarius crimen ita auditum teneretur aperire, quando hoc eſſet neceſſarium *Illatio* 6.

ad

ad grave malum innocentis, & præſertim reipublicæ, avertendum.

Quæſitum.

18. Petes: An confeſſarius teneatur ad ſigillum confeſſionis, quando dubitat: an aliquid ſibi revelatum fuerit à pœnitente per ordinem ad confeſſionem? Reſpondetur affirmativè: quia rationabiliter præſumendum eſt in favorem confeſſionis & pœnitentis, ne confeſſio fiat odioſa. Ita Suarius, Bonacina *loc. cit. n.* 4. Noſt. Anton. *n.* 1516. Leander *diſp.* 10. *q.* 84. & alij.

Expenduntur in particulari, quæ cadunt ſub ſigillum

19. Cadunt ſub ſacrum ſigillum primò peccata mortalia, etiam in genere; revelare enim pœnitentem peccatum mortale commiſiſſe, reddit Sacramentum exoſum. Sic omnes Doctores, ut teſtantur Coninch. *diſp.* 9. *n.* 10. & Palaus *dicto* § 2 *n.* 4. Anton. *n.* 1519. N. Gabr. *q.* 3.

Secundò.

20. Secundò: ſub ſigillum cadunt peccata quantumvis publica, quæ alias ignota erant confeſſario: quia dum ex ſola confeſſione novit, ſigillata eſt ea notitia, ut benè Coninchus *n.* 22. & Palaus *dict.* §. 2. *num.* 4. Bonacina *loco cit. n.* 9. ſi verò aliundè noverat, poteſt ſine fractione ſigilli extrà confeſſionem loqui, eo modo, quo anteà noverat, modo propter notitiam ex confeſſione acceptam aliquid amplius, vel certius non affirmet. Ita Navarrus, Coninch. Nuñus, Onufrius, quos citat, & ſequitur Bonacina *dict. n* 9. D. Thomas, Valentia, Layman, quos adducit, & ſequitur Palaus, *num.* 3. Anton. *n.* 1527. Exempli gratia, ſi extra confeſſionem noveris Petrum res tuas furatum eſſe, poteris non obſtante confeſſione facta, ipſum citra violationem ſigilli denunciare, modo non utaris ſcientia confeſſionis, nec majora adduceas indicia ob audita in confeſſione: nec oſtendas, te illud ſcire ex confeſſione, aut ex ea ſcientia opereris. Ita ex Soto, Bonacina *loco cit.* Layman, *cap.* 14. *n.* 3. & cum alijs Palaus. Item ſi Parochus extra confeſſionem ſciat Petrum eſſe publicum uſurarium, poterit eum à communione repellere, utendo ſcientiâ, quam habuit extra confeſſionem, etiamſi id ipſum noverit in confeſſione; cavendo tamen, ne id appareat facere ex ſcientia in confeſsione. Ita D. Thomas, Nuñus, Graſſis, Vazq. Navarr. Reginal. Onufrius, quos citat, & ſequitur Dicaſtill. *num.* 49. N. Urban. *tract.* 2. *cap.* 10. Bachonius *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 2. *art.* 4. rectè monens id non facilè fieri debere propter periculum ſcandali.

Tertiò.

21. Tertiò: ſub ſigillum cadit propoſitum committendi aliquod peccatum, quod pœnitens manifeſtavit in confeſsione ex intentione ſe diſponendi ad abſolutionem medijs Sacerdotis exhortationibus: quia ea confeſsio dicitur ſacramentalis. Ita Layman, Suarez, Coninch. Bonacina, quos refert, & ſeq. Palaus *n.* 4. Anton. à Spir S. *n.* 1522. & favet N. Gabriel *diſp.* 10. *q.* 3. & alij plurimi, quos citat, & ſeq. Leander *diſp.* 10. *quæſt.* 13. contra nonnullos apud ipſum.

Quartò.

22. Quartò, ſub ſigillum cadunt peccata venialia in particulari. Undè ſi confeſſarius dicat, vel aliter ſignificet, pœnitentem feciſſe, aut confeſſum fuiſſe peccatum: v.g. mendacij, contra ſigillum graviter peccabit: quia pœnitentem commiſiſſe illud peccatum, & confeſsioni detuliſſe, non eſt per ſe cognitum. Ita Coninchus, *diſp* 9. *de pœnit. n.* 10. Palaus, N. Gabr. Anton. *cit.* Dicaſtillus *n.* 50. & alij paſsim. Item peccabit confeſſor contra ſigillum, ſi dicat, pœnitentem plura, aut gravia peccata venialia patraſſe, & faſſum eſſe: quia id non conſtat ex eo quod confiteatur quis. Ita Dicaſtillus ubi proximè, Gaſpar, Hurtado, *diſp.* 12. *de pœnit. difficult.* 4. Leander *diſp.* 10. *quæſt.* 11. Malderus, *tract. de ſigillo, c.* 12. Anton. *n.* 1520. Secus eſt autem ſi diceret, pœnitentem feciſſe, ſeu confeſſum fuiſſe peccata venialia, nihil aliud addendo, vel dicendo illum non habuiſſe niſi materiam venialem, quia manifeſtum eſt eo ipſo, quod quis confitetur, & abſolvitur, confiteri ſaltem peccata venialia, eaque feciſſe, alioquin non poſſet eſſe confeſsio. Ita Navarrus, Suarez, Fagundex, Lugus, Diana, quos citat, & ſequitur Leand. *q.* 15. Dicaſtillus, *dicto n.* 50. Franciſc. *n.* 29. Gabriel, Anton. *cit.* & alij.

23. Quintò, ſub ſigillum cadunt non ſolùm peccata, verumetiam circumſtantiæ, & ea omnia, quæ ad peccati confeſsi explicationem dicta ſunt, v.g. ſi pœnitens ad manifeſtandum aliquod peccatum dixit, ſe eſſe, vel ſpurium, vel pauperem, vel impotentem, vel eunuchum, aliumve defectum naturalem civilem, aut moralem manifeſtavit: quia licet prædicta non ſint materia confeſsionis, dicta tamen ſunt in ordine ad confeſsionem, à qua poſſent retrahi pœnitentes, ſi ſcirent prædicta evulgari in aliquo caſu poſſe, mallentque ſæpè eorum peccata revelari, quam eos defectus, & circumſtantias. Undè contra confeſsionis reverentiam, & inſtitutionem magna ex parte eſt, revelare tales defectus, aut circumſtantias, quas ſæpè pœnitentes, ut ſe facilius explicent, dicunt. Ita Suarius, Coninchus, & plures quos ſeq. Dicaſtillus *n* 51. Bonacina, Palaus *n.* 6. & alij communiter contra Vazquium *quæſt.* 93. *art.* 4. *dub.* 3 *n.* 3. Secus verò dicendum eſt de iis, quæ ad explicationem peccatorum dicta non fuerunt, ſed incidenter, & tamquam nullo modo ſpectantia ad confeſsionem, narrata ſunt: quia nulla ſubeſt cauſa, ob quam ſub ſigillo confeſsionis contineri debeant. Ita Palaus, Dicaſtillus, N. Gabriel à S. V. *diſp.* 10. & Antonius à Spiritu S. *p. diſp.* 19. *ſect.* 4. plures alios caſus referentes. *Quintò.*

PUNCTUM III.

Qualiter ſacrum ſigillum ſervandum ſit?

24. Confeſsio ſic debet eſſe ſub ſigillo clauſa, ut neque directè, nec indirectè reveletur, nec verbis, nec factis, aut ſignis. Ita recepta omnium ſententia. Et eſt expreſſum in Capit. *Omnis utriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſsion.* ibi: *Caveat autem omninò, nec verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodas pœnitentem.* Pluribus autem modis contingere poteſt revelatio indirecta, aut per ſigna: placeat autem ex his frequentiores caſus referre. *Nec verbis, nec factis, aut ſignis, nec etiam indirectè manifeſtanda eſt confeſsio.*

25. Primò ergo fit contra ſigillum, ſi confeſſarius dicat aliquod peccatum auditum in confeſsione cum talibus circumſtantijs, ut ex eis deprehendatur perſona peccatoris: uti rectè advertit Averſa *q.* 18. *ſect.* 1. *1. Caſus revelationis indirectè aut per ſigna.*

26. Secundò, ſi duorum, vel trium confeſsiones excipiens, unum nimis laudet, ex quo inferatur reliquos eſſe deficientes, ut ſi, v.g. de uno *2. Caſus.*

dicat tantùm venialia faſſum eſſe, ex quo tacitè denotetur, reliquos mortalia habuiſſe. Ita Averſa *loc. citat.* & cum alijs Palaus ubi ſupra §. 3. *n.* 2. Granados, *tract.* 11, *diſp.* 3. *n.* 4. & alij multi apud Leandrum, *diſp.* 10. *quæſt.* 38. N. Anton. *num.* 1521.

3. *Caſus.* 27. Tertiò, ſi confeſſarius aſſerat, ſe pœnitentem non abſolviſſe, quia licet ſint variæ honeſtæ cauſæ non abſolvendi abſque defectu pœnitentis, indè tamen niſi aliud declaret, ſiniſtra de pœnitente ſuſpicio concipitur: nimirum, quod non fuerit abſolutus, ſivè ob defectum diſpoſitionis, ſive ob caſum reſervatum, quod totum eſt contra ſigillum. Ita Coninchus, Suarez, Lugus, &c. quos contra alios refert & ſequitur Dicaſtill. *diſp.* 22. *num.* 113. Item Bonacina, & Layman, quos citat, & ſeq. Palaus *dicto* §. 3. *n.* 3. Gabriel à S. V. *q.* 3. *cit.* Quod ſi exprimeret non conceſſæ abſolutionis cauſam, ut quia fuit impeditus à ſupervenientibus; aut quia non invenit in illo ſufficientem materiam, aliquibus videtur non frangere ſigillum: quia in his ſolùm manifeſtat, pœnitentem confeſſum non eſſe. Nec pœnitens agnoſcitur peccator indè magis, quam antea. Verum hoc limitandum eſt cum Dicaſtillo *num* 114. niſi ex ea reſponſione præbeatur occaſio ſuſpicandi, vel indiſpoſitionem pœnitentis, vel aliquod peccatum impediens abſolutionem, cujus occaſio videtur dari, eo ipſo quod ſatis notum ſit, pœnitentem eſſe alioqui peccatorem, aut vitæ communis, & qui rarò, vel ſemel in anno confitetur, de quo ſi confeſſarius interroganti, an illum abſolverit, reſpondeat: *Non abſolvi, quia adhuc non inveni in illo ſufficientem materiam*: nemo ſibi perſuadebit illum eſſe tam ſanctum, ut hoc de illo verificetur, quin potiùs ſuſpicabitur, ideò dici non præbuiſſe ſufficientem, quia cum haberet nimis multam, nondum totam expoſuerit, vel nondum rectè ſit diſpoſitus circa illam.

Illatum 1. 28. Undè fit 1. ſi confeſſarius interrogetur, an prædictum pœnitentem abſolverit, conſultius eſſe in tali caſu, & alio ſimili reſpondere, *functus ſum meo officio*, ut tradit Reginaldus *lib.* 3. *n.* 49. & Dicaſtillus *n.* 114. Granados *diſp.* 6. *n.* 3. Lugus *diſp.* 23 *n.* 85. &c.

Illatum 2. Fit 2. Si quærat Sacriſta, vel miniſter Miſſæ, an apponenda ſit formula, ut conſecretur pro communione pœnitentis nondum abſoluti: reſpondere poſſe confeſſarium, ut ab ipſo pœnitente quæratur: uti notant Henriq. *lib.* 6. *c.* 21. *littera* X. Granados *dicto n.* 3.

Illatum 3. 30. Fit 3. confeſſarium, quando ſcitur, ad eum pœnitentem acceſſiſſe, poſſe imò & debere dare ſchedulam confeſſionis ei, quem non abſolvit, ſi expoſtulaverit, ut hero, vel alijs ſatisfaciat, qui factæ confeſſionis ſolent teſtimonium inquirere, ne hoc teſtimonium denegando tacitè pœnitentis indiſpoſitionem, & impœnitentiam declaret, vel ſaltem illius ſuſpicionem gignat. Nec dando teſtimonium illud, mentitur: qui tantùm teſtatur eum eſſe confeſſum, quod verum eſt. Etſi pœnitens abutatur ſchedulâ ad decipiendum, & perſiſtendum in peccato; non tamen eo caſu confeſſarius ad hanc fraudem concurrit, ſed illam permittit, ne revelet ipſe confeſſionem. Ita rectè docent Medina, Henriquez, Fagundez, Coninchus, Layman, quos citat, & ſequitur Palaus *loco cit. n.* 4. Moſcoſus *in ſumma tract.* 7. *c.* 15. *n.* 3. Diana, 5. *p. tract.* 11. *reſol.* 22. Averſa *q.* 18. *sect.* 2. N. Gabriel *loco cit.* contra N. Anton. *n.* 1542. Franciſc B. S. *n.* 4. & alios plures. Quod à fortiori dicendum eſt, quando confeſſarius ſolùm diſtulit abſolutionem, ut pœnitens ſe melius pararet, & ſperat ſuo tempore redditurum.

31. Quartò, eſt contra ſigillum, quo tenetur confeſſarius tacere audita in confeſſione, quandò confeſſarius affirmat, ſe in confeſſione audiviſſe peccatum publicum, & notum pœnitentis, ut furtum publici latronis, homicidium publici homicidæ, &c. quia ea ſignificatio peccati auditi in confeſſione per ſe ex ſuo objecto eſt diſplicens pœnitenti, poteſtque illum retrahere à confeſſione quantumvis per accidens reſultet in laudem pœnitentis. Per ſe enim attenditur, ne poſſit umquam loqui confeſſarius de his, quæ audivit, ne ſemel data exceptione, ſæpè loquatur, ſinè cauſa ſufficienti. Ita Suarez *sect.* 3. *num* 6. cum D. Thoma, D. Bonaventura, Gabriele, & alijs multis, quos affert. Item Vazquez, quem citat, & ſequitur Lugus *diſp.* 23. *n.* 61. Gabriel à S. Vinc. *q.* 3. Franciſc. *n.* 33. Dicaſtill. *diſp.* 12. *n.* 109. dicens eſſe communiter. 4. *caſus.*

32. Quintò, à fortiori violatur ſigillum, ſi confeſſarius de peccatis ſibi confeſſis ſermonem habeat cum his, qui ea rectè norunt, ſi aliundè quam ex confeſſione ipſi nota non erant. Nam quatenus ex ipſo illa locutio procedit, manifeſtat, quæ omninò celanda ſunt. Ut benè notant Layman, *lib.* 5. *ſummæ tract.* 6. *c.* 14. *n.* 9. & Palaus *loco cit. n.* 7. 5. *caſus.*

33. Septimò, quamvis ſigillum plerumque non violet confeſſarius aſſerendo, aliquem ſibi confeſſum eſſe: aliquando tamen id ita affirmare poteſt, ut ex circumſtantijs ſuſpicionem ingerat, caſum reſervatum, vel aliam gravem culpam confeſſum fuiſſe. Quo caſu eſſet indirecta revelatio: ſicuti rectè advertunt Suarez, *diſp.* 33 *sect.* 3 *n.* 9. & Palaus *n.* 8. 6. *caſus.*

34. Septimò, non poteſt confeſſarius ſinè fractione ſigilli manifeſtare in particulari pœnitentiam, quam impoſuit pœnitenti, ſi illa fuerit ſignum culpæ mortalis, certæ, aut dubiæ, aut peccatorum venialium ſpecialium, quoad numerum, vel ſpeciem; ſecus ſi fuerit ita levis, ut ex illa colligi nequeat, niſi tantum quod certum & commune eſt, ſcilicet pœnitentem confeſſum fuiſſe venialia. Ita Granado 2. 2. *controverſ.* 7. *tract.* 12. *diſp.* 6. *num.* 5. Diana *tom.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 31. Lugus *diſp.* 23. *n.* 89. Dicaſtil. *diſp.* 12. *n.* 122. Stephan. à S. P. *n.* 218. & alij. 7. *caſus.*

35. Octavò, ſi confeſſarius de pœnitente dicat, impertinentijs, ſcrupulis, & nænijs caput ſibi obtundere, poſſe facilè ea locutione frangi indirectè ſigillum, ſentiunt probabiliter Coninchus *diſp* 9. *de pœnit. dub.* 1. *n.* 12. Layman, *lib.* 5. *ſummæ tract* 6. *c.* 14 *n.* 6. Palaus *loco citato num.* 9. Granad. 3. *p. controv.* 7. *tract.* 11. *diſp.* 3. *n* 3. Hurtado, *diſp.* 12. *difficult.* 4. Tamburinus *in append. c* 3. Franciſc. B. S. *n.* 32. & alij. Et licet è contra Navarrus, Lugus, Diana, & alij, quos referunt, & ſequuntur Leander *diſp.* 10. *q* 37. & Averſa *q.* 18. *sect.* 4. etiam probabiliter aſſerant 8. *caſus.*

præ-

prædicta locutione ſigillum à Confeſſario non frangi : etenim hos defectus non addiſcit Confeſſarius, tanquam confeſſionis materiam ex teſtimonio ipſius pœnitentis, quaſi de his ſe accuſantis (ut ſupponimus) ſed per ſe videt, aut deprehendit ex evidentia rei : ſicut videt pœnitentem eſſe juvenem, aut ſenem, promptum, aut impeditum in loquendo, & ſimilia. Cavenda tamen nihilominùs eſt, ac ſanè vitanda prædicta locutio, in qua manifeſtatur nimietas, & defectus cognitus in confeſſione : & quæ de ſe aliquomodo eſt ignominioſa pœnitenti, poteſt erubeſcentiam gignere, & à confeſſione retardare : quæ omnia cautè admodùm effugienda, & evitanda ſunt. Et quidem ſi ſcrupuloſitatem pœnitens confiteatur, aut eam ad declaranda peccata, vel conſcientiam afferat, ſub ſigillum cadere indubitatum eſt, ut planè Lugus fatetur.

9. caſus. 36. Nonò ; ſi Confeſſarius etiam generatim dicat, in hoc oppido, & fortè non amplo, ubi paulò antè confeſſiones excepit, committi gravia crimina, adulteria, veneficia ; graviſſimum periculum eſt violandi ſigilli. Etenim ex tali dicto communitas infamatur, quæ infamia etiam in pœnitentes, tanquam membra communitatis redundat. Et qui de aliquibus in particulari ſiniſtram opinionem conceperant, in ea firmantur. Atquè ita docent S. Antoninus, Navarrus, Henriquez, Coninchus, Layman, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus *loco cit. n.* 11. & hæc maximè urgent, quando ſimilia dicerentur de aliqua exigua Communitate ; & alioqui Religioſa, Collegio ſcilicèt, Conventuque Religioſorum. In eis enim meritò credit Coninchus omninò ſigillum violari : redderetur enim comparatione particularium confeſſio odioſa, & oneroſa. Tum quia etiam infamia illius Communitatis Religioſæ, redundat in particularium infamiam, atquè adeò ipſius particularis pœnitentis. Tum quia ſunt aliqui Religioſi adeò ſuæ communitatis amantes, ut æquè ferè graviter ferant propriam communitatem, atquè propriam perſonam infamari ex dictis à ſe in confeſſione : uti rectè notant Lugus, *n* 63. & Dicaſtillus *n*. 97.

10. caſus. 37. Decimò : non ſolùm eſt contra ſigillum ſi clarè confeſſarius exprobret peccatum pœnitenti, ſed etiam ſi ſeveriorem vultum ea de cauſa illi oſtendat, aut minus gratè colloquatur. Ita Graffius, & Bonacina, quos adducit, & ſeq. Lugus *n*. 104.

11. caſus. 38. Undecimò : hoc ſigillum obligat ne confeſſarius non ſolùm certam notitiam, ſed neque etiam dubitationem, aut rationabilem ſuſpicionem ingerat de rebus ſibi in confeſſione notis. Ita Averſa q. 18. *ſect*. 1. & cum alijs Lugus *loc. cit n*. 106.

Quæſitum primum. 39. Rogabis primò : An confeſſarius poſsit extra confeſſionem loqui cum pœnitente antè conceſſam facultatem de peccatis auditis in confeſſione ? Conſentiunt omnes extrà confeſſionem id non licère : quia alioqui oppoſitum eſſet nimiù acerbum pœnitenti, & redderet confeſſionem valdè odioſam, & moleſtam : quod neceſſariò tamquam maximum malum vitandum eſt. Nec ſufficere licentiam præſumptam, ut in ſimili diximus, *punct*. 1. *num* 6. Poſſet enim pœnitens retrahi à confeſſione, timens nè confeſſarius falsò præſumens licentiam, ipſi loquatur de peccatis in confeſſione auditis, & rubore ſuffundatur. Undè licet aliqui dicant, hoc peccatum fore quidem contra reverentiam debitam Sacramento, non tamen propriè contra ſigillum. Loquendum nihilominus eſt communi aliorum modo, qui dicunt eſſe violationem ſigilli, ut teſtantur Averſa *q*. 18. *ſect*. 6. & Granados, *tract*. 11. *diſp*. 5. Dicaſtillus *num*. 87. Quia tamen ex hoc preciſè non eſt confeſſionis revelatio, non eſt hoc peccatum puniendum pœnis jure aſſignatis contra revelantes confeſſionem. Sed poteſt ſufficienter plecti mitiori pœna, ut docent Hurtado, & Granados, quos citat, & ſequitur Averſa, *loco cit*. & cum Diana, Dicaſtillus *n*. 89.

40. Excipiunt aliqui, ut poſſit confeſſarius ad bonum ſpirituale pœnitentis promovendum loqui cum illo de auditis ejus in confeſſione, abſque alia licentia. Ita Puteanus *in* 3 *part* 2. *q*. *ult. dub. ult. concl.* 3. *notabili* 2. Hæc tamen exceptio nullatenus eſt admittenda : quia, teſte Lugone, *n*. 130. repugnat communi Theologorum, & fidelium ſenſui, & non conſonat cum rigore ſigilli. *Aliquorum exceptio non admittitur.*

41. Diximus, *ante conceſſam licentiam, ſeu facultatem expreſſam pœnitentis* : quia ſi ex ea id fiat, licitum eſt : cenſetur autem pœnitens licentiam expreſsè concedere, ſi ipſe prius loqui incipiat cum confeſſario de aliquo, quod dixit in confeſſione : ut docent Suarez, Layman, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus ubi ſupra *num* 14. Lugus *n*. 131. *Licentiam dare cenſetur pœnitens, quando ipſe interrogat.*

42. Diximus etiam, *extra confeſſionem* : quia alioqui in alia confeſſione ejuſdem pœnitentis, ſi Sacerdos loquatur de rebus, quas pœnitens in præcedenti confeſſione dixit, non eſt contra ſigillum, cum ſit in eodem foro ſacramentali, & poteſt eſſe utile, ac ſalutare ad correctionem, & ad monitionem pœnitentis aliquid de priori confeſsione recolere : ut advertunt Henriquez, *lib*. 3. *c*. 2. *n*. 7. Lugus *diſp*. 23. *n*. 127. Granado, *tract*. 11. *diſp*. 5. Malderus *de ſigillo*, *cap*. 12. Averſa, q. 18. *ſect* 6. Præpoſitus, q. 11. *de ſigillo*, *dub*. 5. *num*. 41. Dicaſtillus *num* 91. *Intra aliam confeſſionem aliquid de priori recolere, non eſt contra ſigillum.*

43. Licitum etiam eſſe Sacerdoti finità confeſſione, ſtatim in continenti aliquid circa illam addere, vel advertere pœnitenti, quod oblitus fuerat, docent probabiliter Henriquez, *lib*. 6. *cap*. 23. *n*. 2 *in fine*, Lugus, *n*. 129. Tannerus, & Præpoſitus, quos adducit, & ſequitur Averſa, *dict ſect*. 6. Granado, *dict*. *diſp*. 5. Dicaſtillus *n*. 95. N. Anton. *n*. 1534. contra Fagund. *lib*. 6. *de præcepto Eccleſiæ*, *c*. 4. *n*. 33. Quia moraliter non intelligitur eſſe extra confeſſionem, quod in continenti dicitur, & quamvis finita ſit confeſſio, id eſt accuſatio peccatorum : & per abſolutionem finitum, ſeu completum ſit Sacramentum quantùm ad partes eſſentiales ; tamen adhuc durare poteſt Sacramentale judicium, & officium Confeſſarii, ad quod etiam ſpectat inſtruere, & dirigere, plectere, & curare. *An poſſit Sacerdos ſtatim poſt confeſſionem loqui.*

44. Solùm eſt dubium : an poſſit Confeſſarius loqui cum pœnitente etiam nolente, ſed repugnante potiùs, & invito, quando neceſſarium eſt ob defectum commiſſum in confeſſione præcedenti ? Affirmant poſſe, & non improbabiliter Suarez *diſp*. 33 *ſect* 5. *n*. 3. Layman *cap*. 14. *n*. 15. Nuñus, Turrianus, Hurtado, Cæleſtinus, Mera *An ad ſupplendum defectum confeſſionis præcedentis poſſit quamvis repugnet pœnitens.*

tius,

tius, Mercerus, Filliucius, apud Averſam, *q.* 18. *ſect.* 6. Quia ea locutio non cenſetur eſſe extra confeſſionem, ſed intra: cùm ad præteritam confeſſionem perficiendam dirigatur: ideòque pœnitens videtur irrationabiliter invitus. Sed verius oppoſitum cenſemus cum Valentia, Lugus, Sylvio, Bonacina, Graffio, Reginaldo, Fagundez, Megala, Diana, quos citat, & ſequitur idem Averſa. Item cum Victoria, Manuele Rodriguez, Philiarco, Soto, Thoma Sanchez, quos refert, & ſequitur Palaus ubi ſuprà, *n.* 15. N. Gabriël à S.V. *diſp.* 10. *q.* 4. Antonius *n.* 1533. Quia ea locutio eſſet tacita peccati exprobratio, nec ullo modo cum confeſſione præcedenti conjuncta; eſto fiat ad illius defectum reparandum: completum enim fuit illud judicium, in quo pœnitens anteà confeſſus fuit, quamvis cum illo defectu. Oportebit tamen (ut benè advertit Granado *dict. diſp.* 5.) iterùm, & ſæpè facultatem petere à pœnitente pro qualitate negotij, dum fuerit ſpes eam obtinendi.

Quæſitum ſecundum. 1. aſſertum. 45. Rogabis 2. quà ratione poſſit, aut non poſſit Confeſſarius uti ſcientia habita ex confeſſione, etiam ad externam gubernationem? Qua in re aſſerendum eſt 1. prorsùs illicitum, & contra ſigillum eſſe, ſi Confeſſarius ex notitia confeſſionis aliquid gerat, ex quo alij conjicere, aut rationabiliter ſuſpicari poſſint certum peccatum pœnitentis, aut in genere indignitatem ejus. Ita contra Gabriël. *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. *caſu* 2. docent Suarius, Gabriël à S.V. *q.* 5. Antonius à Spiritu S. à *n.* 1548. Franciſcus B.S. à *n.* 43. & plures, quos adducit, & ſeq. Dicaſtill. *diſp.* 12. *n.* 138. & Averſa *q.* 18. *ſect.* 8. dicens: ita tenere non ſolùm recentiores, ſed etiam antiquiores Theologos morales Doctores: quia id planè eſſet indirectè, aut per facta ipſa indicare peccata in confeſſione cognita, ſaltem ſub certa quapiam generalitate, ſeu gravitate: quod eſt prorsùs illicitum, & contra ſigillum.

2. aſſertum. 46. Aſſerendum eſt 2. nullo modo licitum eſſe ex notitia confeſſionis aliquid facere, quod inferat ruborem, aut confuſionem, ſivè diſplicentiam, & moleſtiam ipſi pœnitenti, eique ſit ingratum: ut removere ſubditum de officio, & loco: negare ſecretò Sacramentum, ſuffragium, & ſimilia; tametſi nullus alius præter pœnitentem ſuſpicetur ob confeſſionem fieri. Ita quos cit. & ſeq. Averſa, *q.* 18. *ſect.* 8. Palaus *loco cit.* *n.* 20. Dicaſtillus *n.* 150. Tum quia ſicut non eſt licitum Confeſſario loqui de rebus in confeſſione auditis, & veluti exprobrare pœnitenti peccata confeſſa: ita licitum non eſt factis, & ſignis ea objicere, & velut exprobrare pœnitenti, quod ſanè accideret, quando Confeſſarius removeret ab officio, privaret Ordinibus, Euchariſtiâ, officijs honorificis, negaret ſuffragia ob confeſſionis notitiam, ex quibus pœnitens cum ſua confuſione adverteret, eum ita agere ex notitia in confeſſione habita, & gravis, & odioſa redderetur confeſſio. Tum etiam: quia ſicut confeſſionem gravem, & difficilem reddit omnis exprobratio peccati etiam indirecta: ita omnis uſus ſcientiæ confeſſionis in damnum pœnitentis, eſt ei ingratus. Non tamen eam difficilem reddit, quod Confeſſarius poſſit ex tali notitia pœnitentem diligere, & peculiaribus benevolentiæ ſignis proſequi: quia per hunc uſum nec confeſſio revelatur: cùm nemini ejus notitia detur: nec ipſa difficilior redditur: atquè ita non eſt id contra ſigillum, ut benè etiam docet Franciſcus *n.* 48.

47. Sed quid ſi Confeſſarius privaret, v. g. ſubditum officio ad nutum amovibili, vel negaret ſuffragium ei, quem ex ſola confeſſione ſcit indignum eſſe, caſu quo nulla eſſet probabilis ſuſpicio uſus talis ſcientiæ? Licere tunc uti ſcientiâ confeſſionis tenent aliqui apud Dianam, *tom.* 5. *tract.* 11. *reſ.* 4. & alij apud Leandrum *diſp.* 10. *q.* 63. & 64. & plurimi etiam apud Averſam, *q.* 18. *ſect.* 8. Sed prorsùs contraria ſententia tenenda eſt, quam multis firmat Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matr. diſp.* 6. Bañez 2. 2. *q.* 23. *art.* 8. quos cit. & ſeq. Averſa *loco cit.* Et alios referens Bonacina *diſp.* 5. *q* 6. *ſect.* 5. *punct.* 4. *n* 14. & 16. N. Gabriël à S. Vinc. *q.* 5. Steph. à S. Paulo *n.* 219. *Quæſitum.*

48. Probatur 1. quia tali uſu arcerentur homines à peccatis manifeſtandis in confeſſione, timentes ne ob eorum manifeſtationem privandi eſſent commoditatibus, honoribus, ordinibus, Euchariſtiâ, officijs, vel beneficijs, redderetúrque confeſſio nimis difficilis, oneroſa, & odioſa; nihil enim eam ita talem reddit, quàm ſi peccatores intelligant poſſe confeſſorem ob ſolius confeſſionis notitiam ipſos privare Ordinibus, Euchariſtiâ, officijs honorificis, negare ſuffragia ad obtinenda officia, vel beneficia, cùm hæc omnia tanti homines faciant: meritò ergò negandum eſt id licere. *Prima ratio veræ ſententiæ.*

49. Secundò: quia ſicut ob ſecuritatem, & levamen hujus Sacramenti inſtitutum eſt tale ſigillum, quo non liceat revelare peccata: ita quoquè putandum eſt, ut non liceat aliquid facere moleſtum, & incommodum ipſi pœnitenti; & ſicut non licet revelare confeſſionem, ſublatâ penitùs ſuſpicione, quod pœnitens id eſſet ſciturus: ita nec licebit gravare pœnitentem, utendo tali notitia, adhuc caſu, quo nulla eſſet probabilis ſuſpicio uſus talis ſcientiæ. *2. ratio.*

50. Tertiò probatur ex Decreto Clementis VIII. edito die 26. Maij anno 1594. & confirmato ab Urbano VIII. *conſtit.* 26. tenoris ſequentis: *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam confeſſarij, qui poſteà ad ſuperioritatis gradum fuerunt promoti, caveant diligentiſſimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Ex quo decreto videtur neceſſariò colligi doctrina univerſalis. Undè Lugus *diſp.* 23. *n.* 93. & Dicaſtill. *diſp.* 12. *num.* 140. meritò dicunt, ne ſcire ſe, quomodò poſt decretum Clementis poſſit oppoſita ſententia ſuſtineri. *3. ratio.*

51. Ex dictis infertur 1. Sacerdotem, qui ex confeſſione novit ſuum famulum furem eſſe, non poſſe ex ſola ſcientia confeſſionis ipſum dimittere: quia inde ſequeretur pudor, & damnum pœnitenti. Ita Guttierrez, Reginaldus, Onufrius, quos adducit, & ſequitur Dicaſtill. *n.* 152. Anton. *loco cit.* & alij citati pro noſtra ſententia. *Illatum 1.*

52. Infertur 2. idem dicendum eſſe de privatione officij, negatione ſuffragij, & ſimilibus, ut dictum eſt: quia ex his omnibus ſequeretur pudor pœnitenti, & retraheretur à confeſſione. Nec ſi eligat per ſuffragium eum, quem per ſolam confeſſionem ſcit indignum, ſed extra confeſſionem non poteſt non judicare illum dig- *Illatum 2.*

Google

dignum incurret pœnas impoſitas in jure eligentibus ſcienter indignum, quia id non ſcit ſcientia qua poſſit dirigi. Ita cum Paludano, Soto, & Ledeſma, Lugus, Dicaſtillus, & Antonius *cit.*

Illatum 3.

52. Tertio meritò inferunt Turrian. *de pœnit. diſp.* 33. *dub.* 5. Dian. *tom.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 46. Dicaſtill. *n.* 157. N. Anton. à Spir. S. *n.* 1567. Gabr. à S. Vinc. *q.* 5. *nt.* & alij contra Coninch. & alios, Sacerdotem, qui ex confeſſione novit ſibi à pœnitente cum alijs ſocijs paratas fuiſſe inſidias ad occidendum eum in viâ, vel immiſſum fuiſſe venenum in vino preparato ad celebrandum, ideoque ſi declinet ab eo itenere, vel recuſet celebrare, ſocij delicti participes, & conſcij conijciant notificatas ei fuiſſe in illa confeſſione à ſocio facta inſidias, & ſic illi ſocio, qui confeſſus eſt, indè mors ab alijs ſocijs inferenda immineat, nō poſſe tunc uti notitia confeſſionis, nam ſequeretur damnū pœnitenti, & confeſſio redderetur odioſa.

Quiſnam uſus ſcientiæ confeſſionis ſit licitus?

54. Conſentiunt tamen communiter Doctores pro noſtra ſententia relati, poſſe licitè confeſſarium uti notitia confeſſionis, quando uſus talis notitiæ nullo modo revelat alijs confeſſionem, neq; eſt in damnum pœnitentis, aut ei ingratus, nec ex eo ullo modo redditur difficilior confeſſio. Undè licitum eſt confeſſario ex notitia, quam in confeſſione accipit, rogare Deum pro ſalute pœnitentis, evolvere libros pro ejus inſtructione & ſimilia quæ ei utilia ſunt, & grata eſſe debent. Item ſi confeſſarius à pœnitente audierit fuiſſe provocatum ad indignationem, & odium ex tali facto ipſius, & indè inducatur, ut à ſimilibus abſtineat, hoc non erit illicitum, ut benè notant Averſ. *q.* 18 *ſect.* 8. & Lug. *diſp.* 23. *n.* 101.

Illatio plurium.

55. Hinc etiam non pauci probabiliter colligunt poſſe confeſſarium, qui in confeſſione novit ſibi mortem ab aliquo parari, domi ſe continere, vel ab eo loco recedere, aut abſtinere, in quo novit ſibi necem paratam, imò & fugere, etiam occaſione aliundè ſuſcepta. Itē negare pœnitenti gladium apud ipſum confeſſarium depoſitum, ſi mortem ſibi ab eo indè intentari in confeſſione ſciat, adhibita aliqua cauſa negandi, ſeu amphibologia, ita ut pœnitens nequeat meritò judicare ſibi negare ob audita in confeſſione: quia in his caſibus nullus pudor, nulla confuſio, nullumq; damnum ſequitur pœnitenti: neq; ob id pœnitens retrahetur à confeſſione; ſed hoc potius confeſſario laudi, & prudentiæ adſcribetur. Ita Sanch. Henriq. Sylveſt. Coninch. Onufrius, quos cit. & ſeq. Bonac. ubi ſup. *n.* 27 Averſ. *q.* 18. *ſect.* 8. Herinx *diſp.* 8 *n.* 41. & 42. contra Franciſc. B. S. *n.* 57. & alios Et alij ſimiliter colligunt, confeſſarium, qui in confeſſione novit aliquem non eſſe ſacerdotem, poſſe abſtinere à confeſſione illi facienda, quamvis confeſſarius anteà conſueviſſet illi confiteri: quia ex illo notitiæ uſu nullo modo redditur confeſſio odioſa. Sed quid ſi verè redundaret aliquod pœnitentis dedecus, quod confeſſarius preter ſolitum illi non confiteretur? Caſum putat Th. Sanch. eſſe metaphyſicum, non moralem, in quo conſentit Lug. *diſp.* 23. *n* 105. dicens: *Caſus certè metaphyſicus eſt, quod ille mihi fateatur, ſe non eſſe Sacerdotem, & tamen velit meam poſteà confeſſionem feriò audire.* Dato tamē caſu non morali, conſequenter fatendum eſſe non poſſe me uti tali notitia, ſi ex eo uſu reſultaret aliqua ſaltem indirecta revelatio, vel etiam aliquod dedecus, vel incommodum mei pœnitentis; ſufficere tamen tunc ſimulatam exterius confeſſionem, in quo Lugoni conſentit Dicaſt. *n.* 158.

Quid alij colligant.

56. Alij etiā ex doctrina data probabiliter colligunt non eſſe contra ſigillum, confeſſarium ob auditam confeſſionem reddi cautiorē ad cuſtodiendas res ſuas, & vigilantiorem circa ſuum gregem medijs, quibus alij utuntur, nec indè reddi confeſſionem odioſam, aut pudorem, aut damnū pœnitenti ſequi. Ita Reginald. Sot. Bonac. *n.* 29. & alij contra Dicaſt. Plures alios & notabiles de hac materia caſus referūt N. Ant. à Spir. S. *de pœn. diſp.* 5. *ſect.* 6. & brevius Steph. à S. P. *de pœn. à n.* 219

PVNCTVM IV.

Qui teneantur confeſſionis ſigillo.

Confeſſarius dum ex ſola confeſſione peccata novit, tenetur.

57. PRimò certiſſimum eſt, teneri ad confeſſionis ſigillum confeſſarium, qui miniſter eſt ſacramenti, quod non ſolùm verum eſt de confeſſario legitimo, ſed etiam de eo qui à pœnitente exiſtimatur, quia ſaltē ex intentione pœnitentis confeſſio ei facta ſacramentalis fuit. Ita Vazq. Coninch. Laym N. Gabr. Franciſc. & alij quos citat, & ſeq. Pal. *tract.* 28. *diſp. unica*, §. 4.

Illatum.

58. Unde qui fingens confeſſariū audivit confeſſionē, tenetur ſigillo confeſſionis, quia pœnitens manifeſtavit illa ſua peccata animo ſe accuſandi, & in ordine ad claves, uti etiam rectè docent Suar. Dicaſt. & alij, quos refert & ſequitur Diana *tom.* 5. *tract.* 11 *reſol.* 15.

Interpres neceſſarius tenetur.

59. Secundò, tenetur eodē ſigillo (tametſi minus principaliter) interpres, per quē ſolet interdum pœnitens confiteri: quia quamvis interpres non ſe teneat ex parte confeſſarij cui fit confeſſio, ſed potius ex parte pœnitentis, qui medio ipſo interprete confiteretur, nihilominus accipit notitiā peccati ex confeſſione inchoativè ſacramentali, quę medio ipſo dirigitur ad confeſſariū, & ſubijcitur clavibus, & aliàs non eſſet pœnitentis ſatis conſultum. Sic alios referens Suar. Coninch. Laym. Bonac. quos affert, & ſeq. Pal. *dict.* §. 4 *n.* 3. Dicaſt. *n.* 26. Anton. *n.* 1506. Fran. *n* 18.

Adſtantes ſinè quorum notitia fieri confeſſio non potuit, etiam adſtringuntur.

60 Tertiò, adſtringuntur adſtantes, ſinè quorū notitia confeſſio fieri non poteſt, ut in cōmuni naufragio, vel peſte contingit, quia omnes illi notitiā peccati ex confeſſione ſacramentali, quatenus talis eſt, accipiunt, ac proindè obligari debent ad ſigillum confeſſioni ſacramentali annexum. Ita Bonac. Suar. & quos affert, & ſequitur Pal. *n.* 4. Lug. *n.* 32. Averſa *q.* 18. *ſect* 5.

Qui caſu, vel conſilio, ſeu de induſtria audivit peccata confitentis tenetur ſigillo.

61. Quartò, qui caſu, vel conſilio, ſeu induſtria audivit peccatum confitentis ſacramentaliter ut tali, directa ad confeſſarium. Ita Anton. Franciſ. & alij, quos citat, & ſeq. Dian. *t.* 5 *tract.* 11. *reſ.* 16. Dicaſt. *n.* 27. & alij quos affert, & ſeq. Pal. *n.* 5.

Quid de his qui audiunt ex voluntate pœnitentis abſque ulla neceſſitate?

62. Quando verò pœnitens corā alijs ob majorē ſui confuſionē abſq; ulla neceſſitate confitetur, qui audiunt peccatū in tali confeſſione, ſolum tenentur ex juſtitia aut fidelitate, non ex ſigillo ſacramentali, quia ipſi ex confeſſione ſacramentali formaliter notitiam non accipiunt, ſed tantum ex ea quatenus ad ipſos directa, quæ ut ſic non eſt ſacramentalis, ut benè notant Coninch. *diſ.* 9 *n.* 45. Pal. *n.* 9. Dicaſt. *n* 27. Averſa *q.* 18. *ſect* 5.

Quid de inventore chartæ in qua ſcripta ſunt peccata?

63. Quintò, addunt etiam eos, qui fortè invenirent chartam, in qua ſcripta ſunt pœnitentis peccata, teneri ad ſacramentale ſigillum, eo

 quod

quod talis ſcriptura eſt veluti inchoatio, & pars confeſsionis, Vivaldus, Graffius, Vega, quos refert, & ſequitur Fagund. *lib.6. de 2. præcept. Eccleſiæ, c.5. n.16.* Homobon. Rodrig. Zanardus, Malder. apud Averſ. *loc. cit.* & alios referens Dian. *t.5. tract.11. reſol.27.* Sed rectiùs oppoſitum ſentiunt Suar. *diſp.33 sect. 4 n.5.* Granad. *tract.11. diſp.4.* Henriq. Coninch. Bonac. quos affert, & ſequit. Pal. *n.10.* Lugus, Merac. Tanner. Ochogav. Laym. Onufr. Megal. quos citat, & ſeq. Averſa, *loc. cit.* N. Gab. à S. V. *diſp.10. q.2.* Quia ſcriptura illa eſto ad faciendā confeſſionem deſervire poſſit, non tamen neceſſariò, nec eſt ſacramentalis confeſſio, etiam inchoata, cum ſolùm ad excitandam peccatorum memoriam, & frequenter abſente Sacerdote facta ſit. Tenentur tamen prædicti ſub naturali ſecreto, & ſub debito juſtitiæ: & peccabunt graviſsimè non ſolùm revelantes, quæ legerint, ſed etiā apud ſe legentes, quia faciunt injuriā alteri, ſic explorando ejus peccata, ac ſecretiſſima ſui cordis contra ejus voluntatem agnoſcentes. Excipiunt tamen aliqui dicentes peccaturum ſolùm venialiter eum, qui certò ſciret ſolùm minutiſſima in ea ſcriptura contineri. Verum hoc vix contingere poteſt, ut optimè advertunt Pal. & Averſ. *cit.* qui benè etiā addunt, non poſſe judicem uti tali notitia, ſivè per ſe invenerit, & legerit chartam, ſivè per alium hac viā didicerit delicta alterius, tum quia delicta ſecreta ſunt, tum quia eorum manifeſtatio cederet in gravem irreverentiam ſacramenti, pro cujus ſuſceptione illa ſcriptura facta eſt.

Omnis ille, cui iniquè confeſſio revelatur, remanet eodem ſigillo obligatus.

64. Sextò, communis, & vera ſententia ſigilli obligatione adſtringit omnem illum, cui ſacerdos injuſtè confeſſionē manifeſtavit. Id enim planè exigitur ad ſecuritatem confeſſionis, & cautelam pœnitentium, ut ſi impius Sacerdos confeſſionem revelet, tota hæc notitia in quemcumque pervenerit, maneat ſub ſigillo: præcipuè cum pœnitens ea conditione confeſſario ſua peccata manifeſtaverit, ut ſub ſigillo perpetuò contineantur, ſub qua conditione in alios, in quos pœnitente invito pervenerunt, tranſire cenſenda ſunt, ne ſacramentum odioſum reddatur. Undè & hi de illis neq; inter ſe colloqui poſſunt. Idéq; erit, ut rectè advertit Averſ. *loc. cit.* ſi à confeſſario fortè in ebrietatem vel phreneſim lapſo, aut dormiente aliena confeſſio revelata ſit.

Quid de conſiliario.

65. Septimò, tenetur ſacramentali ſigillo conſiliarius, quando neceſſarium eſt manifeſtari ipſi determinatè perſonam pœnitentis, ut ſi oporteat eum aſſiſtere in audienda, & dirigenda confeſſione, quæ excipitur à ſacerdote nimis rudo, & ignaro, aut ſi in tali caſu, & cum talibus circumſtantijs oporteat ab eo petere conſilium & inſtructionem, ut perſonæ notitiam capturus ſit. Ita plures quos affert, & ſeq. Suar. *dict. sect.4. n.6.* & plurimi quos citat, & ſeq. Averſ. *q.18.* & alij. Si verò non erat neceſſaria manifeſtatio perſonæ pœnitentis, ſed ſat erat communicari conſiliario caſum in genere, & abſtractè (ut ſanè regulariter contingit) pœnitens tamen ex abundantia, ſuaq; libertate contentus eſt nominari, & detegi conſiliario, dans de hoc licentiam confeſſario, tunc conſiliarius non ligabitur ſacramentali ſigillo confeſſionis: ut docent Vazq. Coninch. quos adducit, & ſeq. Pal. *loco cit. n.8.* & alij, quos refert & ſequitur Averſa *sect.5.*

Quid de Prælato quoad caſus reſervatos.

66. Octavò, ligatur ſigillo ſuperior, quando ab illo petitur poteſtas abſolvendi à caſu reſervato: tunc enim aliquo modo pertinet ad ſacramentum confeſſionis ea notitia peccati, quæ ſuperiori tribuitur: ac proindè ad illum etiam extenditur obligatio ſigilli. Ita Victor. *in ſum. n.190. de conf.* Suar. *sect.4. n.3.* Lugus *diſp.23. n.34.* Granados & alij apud Averſ. *sect.5.*

Quid de ipſo pœnitente.

67. Nonò, ſecundum aliquos ipſe pœnitens ſacro ſigillo tenetur ſervare ea, quæ ſibi à confeſſario commendata ſecretò ſunt. Sed rectius contrarium docet communis ſententia, ut videre eſt apud Suar. & alios, quos citat, & ſequitur Pal. *n.13.* apud Granad. & alios: quia ſigilli lex in favorem pœnitentium lata eſt, ut majori ſecuritate declarent confeſſario omnia peccata. Undè quæ illi manifeſtant ſub ſigillo eſſe debent; non quæ à confeſſore accipiunt.

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-VNCTIONIS.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, inſtitutione, qualitate, & unitate Sacramenti Extremæ-Unctionis.

Caput hoc clauditur duobus Punctis, & unico Dubio.

P.1. *De nomine & inſtitutione Extrem. unct.*
P.2. *An ſit Sacramentum, & quid ſit.*
Dub. unic. *Utrum ſit unum Sacramentum.*

PVNCTVM I.

De nomine & inſtitutione Extrem. unctionis.

Cur dicatur unctio, & cur extrema.

1. QUod ad nomen attinet dicitur *Unctio* hoc ſacramentum, quia materia proxima illius eſt *unctio*, quæ fit oleo ſancto, ut ex dicendis conſtabit. Appellatur verò *Extrema*, ſive quia confertur in extremo vitæ conſtitutis, ſive quia eſt poſtrema omnium unctionum,

ctionum, quibus ungitur homo viator in Eccleſia.

An hoc Sacramentum inſtitutum fuerit à Chriſto.

2. Quoad inſtitutionem verò illius, certum eſt, hoc ſacramentum fuiſſe verè & immediatè inſtitutum à Chriſto, ut conſtat ex Tridentino s tum generaliter *ſeſſ.7.can.1.* tum ſpecialiter *ſeſſ.* 14. *cap.1.* ubi docet à Chriſto fuiſſe inſtitutam hanc unctionem, & à Jacobo commendatam, & promulgatam, atque ita Apoſtolus dixit, fideles ungi *in nomine Domini*, ideſt unctione à D. Jeſu inſtituta, ſicut *Actor* 10. *&* 19. referuntur fideles baptizari in nomine Jeſu, ideſt baptiſmo à Domino Jeſu inſtituto.

Quo tempore fuit inſtitutum

3. De tempore verò inſtitutionis hujus ſacramenti non conſtat inter Doctores. Verius exiſtimamus cum Suario, Layman, Dicaſtill. & cum Averſa, *q.1.* Chriſtum illud inſtituiſſe poſt reſurrectionem, intra ſpatium, ſcilicet illud 40. dierum, quibus cum Apoſtolis verſatus eſt. Etenim hoc Extremæ unctionis ſacramentum conſummativum eſt pœnitentiæ, ut inquit Concilium: expediebat ergo non præcedere, ſed potius ſubſequi Sacramenti pœnitentiæ inſtitutionem, quæ juxta idem Trident. *ſeſſ.14. cap.1.* poſt reſurrectionem *Ioan* 20. facta eſt.

PUNCTUM II.

An Extrema unctio ſit Sacramentum, & quid ſit.

Eſt propriè novæ legis Sacramentum.

4. Aſſerendum eſt, Extremam unctionem eſſe verùm, & propriè dictum novæ legis Sacramentum. Ita definitū eſt in Conc. Florent. *ſeſſ.ultim.* in decreto unionis facto ab Eugen. IV. & in Trident. *ſeſſ.14 tit. de Extrema unct. cap.1.* ubi inquit: *Inſtituta eſt ſacra hæc unctio infirmorum, tamquam verè, & propriè Sacramentum novi Teſtamenti, &c.* Et rurſus *canon.1. Si quis dixerit Extremam unctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto D. inſtitutum, & à B. Iacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum anathema ſit.* Conſtat etiā ex traditione Eccleſiæ, quam nobis ſcriptā reliquit Innoc. I. *in epiſt.1.* ad Decentium *cap.8.* & Innoc. III. *c. unico, de unct.* & ex illo Jacobi Apoſt. *c.5. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quibus verbis, ut notavit Conc. Trid. *dict. c.1.* quidquid ad Sacramentum novæ legis requiritur apertè continetur. Exprimitur enim 1. ſuſcipiens infirmus. 2 miniſter Presbyter. 3. materia remota oleum, & materia proxima unctio, & ritus externus ungendi. 4. forma oratio fidei. 5. effectus, qui eſt alleviatio infirmi quoad animum, per gratiam Spiritus Sancti, cujus unctio peccatorum reliquias abſtergit, & ſi peccata ſint, illa remittit.

Objectiones hæreticorū.

5. Sed quia hæretici quælibet firma evertere moliuntur, contra hoc clariſſimum Jacobi teſtimonium objiciunt, 1. non eſſe ſcripturam ſacram. 2. ſoli orationi concedere Apoſtolum Extremæ unctionis effectum, non unctioni. 3. Jacobum requirere plures Sacerdotes, nos verò ſolùm unum. 4. ad idem non debere ordinario duo Sacramenta, quia unumquodque Sacramentum efficax eſt ad ſuum effectum producendū. Cum ergo ad remittenda peccata poſt baptiſmum commiſſa, ordinentur, & pœnitentia, & Extrema unctio, non videtur Extrema unctio ſacramentum, cum pœnitentia ſit ſacramentum, ut ſuprà habitum eſt.

Rejicitur prima objectio.

6. Verum objectiones iſtæ nihil probant. Ad 1. enim reſpondetur, eam Jacobi epiſtolam catholicam eſſe, & ut talem ab Eccleſia receptam, ut ſatis evincunt Bellarm. *lib.1. de hoc Sacrament. cap.3* Valentia *diſp 1.q.1. punct.7.* alijque plures, qui in epiſtola Jacobi commentaria ediderunt, Nec jam hæreticos audere ita reſpondere, ut obſervat Dicaſtillus *diſp.1. dub 1. n 3.*

Evertitur 2.

7. Ad 2. dicendum, falſum eſſe, Apoſtolum ſoli orationi hujus ſacramenti effectum tribuere non unctioni, utrique enim tribuit, unctioni ſcilicet, & orationi; ſpecialiter tamen orationis mentionē facit, quia eſt forma hujus ſacramenti.

Repellitur 2.

8. Ad 3 reſpondetur, vel Apoſtolum requirere plures ſacerdotes pro omnibus, non autem pro ſingulis ſuſcepturis, vel plurali uti pro ſingulari, ſicut dicere ſolemus, ſi vis confiteri, vade ad PP. Dominicanos, vel Minoritas, non quia apud plures debeat ſimul confiteri, ſed quia ex pluribus aptis poteſt eligere quem velit. Et hæc loquendi formula ſimilis eſt illi. *Oſtendite vos Sacerdotibus.* Lucæ 17. v.14. cum ſatis eſſet uni ſe oſtendere, ut notat Lorin. *ſuper epiſt.* Jacobi.

Diluitur 4.

9 Ad 4. dicendum cum D. Thoma *in ſupplemento 3.p.q.30. art.1.* principalem effectum Extremæ unctionis eſſe remiſſionem peccatorum, quoad reliquias peccati, & ex conſequenti quoad culpam, ſi eam inveniat. Reliquiæ autem peccati ſunt quædam ſpiritualis debilitas, & ineptitudo in ipſa mente exiſtens, & maximè circa mortis articulum invaleſcens: ac finali perſeverantiæ, & æternæ saluti diſcrimen, ac difficultatem afferens, quâ ſublatâ, & eiſdem habitibus, vel diſpoſitionibus manentibus, non ita poteſt inclinari mens ad peccatum. Undè Extrema unctio ſanationi, vel medicationi confertur, quæ ſpiritualem vitam in medicato per ſe loquendo ſupponit. Effectum verò per ſe ſacramenti pœnitentiæ eſſe primam gratiam, quæ aufert mortem animæ, quare pœnitentia ſuſcitationi à morte comparatur. Ita Angelicus Doctor, ubi legi poterit, & concludit ſanctiſſ. Præceptor. *Vndè dicendum, quod principalis effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum, quoad reliquias peccati, & ex conſequenti etiam quoad culpam, ſi eam inveniat.*

Definitio metaphyſica Extremæ unctionis.

10. Quid ſit autem hoc ſacramentum poteſt duplici definitione explicari. Altera quidem metaphyſica: *Extrema unctio eſt novæ legis Sacramentum inſtitutum ad abſtergendas reliquias peccatorum, confortando moribundum in ſpe vitæ æternæ:* ubi ſacramentum eſt genus: reliquæ particulæ habent rationem differentiæ, qua hoc ſacramentum differt à reliquis.

Definitio Phyſica.

11. Altera verò phyſica: *Extrema unctio eſt poſitio olei benedicti à Presbytero facta in aliquibus partibus corporis periculosè ægrotantis, ſub præſcripta forma verborum.*

DVBIVM VNICVM.

Vtrum Extrema-Vnctio ſit unum Sacramentū.

Prima ratio dubitandi. 12. ET videtur, quod non, 1. quia ipſa actio ungendi eſt ſacramentū: ſed in Extrema unctione actiones ungendi ſunt plures ſimpliciter, ergo in ea ſunt plura ſacramenta ſimpliciter.

Secunda. 13. Secundò: quia unitas rei ſicut, & eſſe ſumitur à materia, & formâ, ac proindè ubi ſunt plures materiæ, & plures formæ, unitas non reperitur: cum ergo in hoc ſacramento ſint plures unctiones, quarum unaquæque habet rationem materiæ, & plures etiam formæ verborum, quarum quælibet habet rationem formæ, unitas in eo non reperietur.

Tertia. 14. Tertiò, quia ſicut ſe habet immerſio ad Baptiſmum, ita ſe habet unctio ad hoc ſacramentum: ſed ſi tres immerſiones haberent tres formas diſtinctas, eſſent tria ſacramenta, ergo proportionabiliter eſt dicendum in hoc ſacramento.

Quarta. 15. Quartò: quia unum ſacramentum ab uno miniſtro perfici debet: ſed aliquando Extrema unctio perficitur à diverſis miniſtris, ut ſi unus poſt unam unctionem deficiat, tunc alter perficit ſacramentum ſinè repetitione primæ unctionis: ergo Extrema unctio non eſt unum ſacramentum, ſed plura.

Authoritas D.Thomæ. 16. Sed contra: quia D.Thom. *in ſupplem.* 3. *p.q.*29.*art* 2. docet: Extremam unctionem eſſe unum ſacramentum. Et ſanctum Doctorem ſequuntur omnes ejus diſcipuli, & Theologi.

Concluſio. 17. Reſpondetur dicendum, Extremam unctionem, cum ſemel infirmus in diverſis partibus corporis ungitur, eſſe unum ſacramentum, quia licet habeat plures actiones reſpondentes diverſis organis ſenſuum, hæ tamen ad unam perfectam ſignificationem ordinantur, & exiguntur ad perfectionem ſacramenti, quia curatio interiorum vulnerum non poteſt perfectè ſignificari, niſi per appoſitionem medicinæ ad diverſas vulnerum radices: & ideo plures actiones ſunt de perfectione hujus ſacramenti.

18. Ad 1. reſpondet pro nobis Angelic. Doctor *in ſolut. ad* 2. *Dicendum, quod quamvis illæ actiones ſint plures ſimpliciter, tamen uniuntur in una perfecta actione, quæ eſt unctio omnium exteriorum ſenſuum, quibus hauritur morbus interior.* *Solvitur 1. objectio.*

19. Ad 2. dicendum, unitatem totius perfectam non tolli per diverſitatem materiæ, aut formæ, quæ ſunt in partibus totius, ut patet in ſacramento Euchariſtiæ, in quo, & ſunt ſpecies panis, & ſpecies vini, quarum unaquæq; habet rationē materiæ, & conſecratio hoſtiæ, & conſecratio calicis, quarum quælibet habet rationem formæ, & nihilominus Euchariſtia eſt unum perfectum ſacramentum, & in ea eſt una perfecta ſignificatio, quia refectio corporalis, quæ ſignificat ſpiritualem, non poteſt eſſe niſi per cibum, & potum, & ſimiliter eſt in hoc ſacramento. *Diluitur 2.*

20. Ad 3. reſpondetur, non tenere exemplum quantum ad omnia, quia in Baptiſmo ſignificatio ſacramenti poteſt eſſe in una immerſione, & in pluribus, & ſic poteſt perfici, & una actione, & pluribus. In Extrema unctione verò perfecta ſignificatio non poteſt eſſe niſi per plures actiones, & ita plures actiones ſunt de perfectione ſacramenti Extremæ unctionis. *Occurritur 3.*

21. Ad 4. dicendum, quod diverſitas illa, ſeu mutatio miniſtrorum non tollit unitatem hujus ſacramenti, quia inſtrumentaliter tantùm operantur: mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri. *Satis ſit quarta.*

CAPUT SECUNDUM.

De materia, & forma hujus Sacramenti.

In hoc Capite ſunt quatuor Puncta.

P.1. *De materia remota Extremæ unctionis.*
P.2. *De materia proxima hujus Sacramenti.*
P.3. *Quibus in partibus facienda ſit unctio.*
P.4. *De forma ejuſdem Sacramenti.*

PVNCTVM I.

De materia remota Extremæ unctionis.

1. Aſſertio. 1. MAteria remota eſſentialiter requiſita in hoc ſacramento eſt oleum olivarum: conſtat ex Concilio Flurent. *in decreto fides*, & ex Trident. *cap.*1. Et hic fuit ſemper ſenſus totius Eccleſiæ. Solus enim liquor olivarum dicitur abſolutè, & ſimpliciter oleum; reliqui verò liquores, ut nucum, amigdalarum, & alij ſimiles non, niſi cum addito, olei nomen accipiunt ex ſimilitudine ad liquorem olivarum, ac proindè à materia hujus ſacramenti ſecluſi ſunt. Neq; congruentiæ ratio deficit propter effectus, & ſignificationes olei olivarum, quod pinguedinem gratiæ ſignificat, juxta Greg. *lib.*4.*in* 1.*Reg.* & quod pacis, & tranquilitatis ſignum eſt juxta illud Gen. 8. *Venit ad eum portans ramum olivæ virentibus folijs.*

2. Prædictum autem oleum debet eſſe benedictum ab Epiſcopo. Ita D.Thomas *dicta q.*30. *art.*5 *&* 6. Omneſque Doctores affirmant, & à Concil. Florent. definitur. *2. Aſſertio.*

3. Et quidem, quod debeat eſſe prædictum oleum benedictum, ſeu conſecratum, congruenter probat Angelicus Doctor triplici ratione his verbis: *Prima eſt, quia omnis efficacia Sacramentorum à Chriſto deſcendit, & ideò Sacramenta illa, quibus ipſe eſt uſus, habent efficaciam ex ipſo uſu ſuo, ſicuti tactu ſuæ carnis vim regenerativam contulit aquis; ſed hoc Sacramento non eſt uſus, neque aliqua corporali unctione: & ideò in omnibus unctionibus requiritur ſanctificatio materiæ. Secunda cauſa eſt propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur non ſolùm, ut tollat culpam, ſed etiam reliquias, & infirmitates corporis. Tertia eſt ex hoc, quod effectus ejus corporalis, ſcilicet ſanatio, non cauſatur ex materia naturali proprietate, & ideò oportet, quod hæc efficacia ſibi per ſanctificationem detur.* *Triplex ratio aſſertionis quoad 1. partem D.Thom.*

4. Quod

2. Pars aſſertionis probatur alia duplici ratione.

4. Quod verò hæc prædicti olei benedictio, ſeu conſecratio debeat ab Epiſcopo fieri, probatur alia duplici ratione D. Thomæ, 1. quidem: *Quia in alijs unctionibus etiam materia per Epiſcopum conſecratur: ergo ita debet eſſe in iſta.* 2. verò: *quia miniſter Sacramenti non inducit effectum Sacramenti propria virtute, ut principale agens, ſed per efficaciam Sacramenti, quod diſpenſat, quæ quidem efficacia primò eſt à Christo, & ab ipſo in alios deſcendit ordinatè, ſcilicet in populum mediantibus miniſtris, qui Sacramenta diſpenſant, & in miniſtros inferiores mediantibus ſuperioribus, qui materiam ſanctificant, & ideò in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia ſanctificata, prius ſanctificatio materiæ fit per Epiſcopum, & uſus quandoque per Sacerdotem, ut oſtendatur Sacerdotalis poteſtas ab Epiſcopali derivata ſecundum illud Pſalmi: ſicut unguentum in capite, quod prius deſcendit in barbam, deindè uſque ad oram veſtimenti.*

Quæſitum primum.

5. Sed petes 1. an prædictum oleum debeat eſſe neceſſariò ab Epiſcopo benedictum, non ſolùm neceſſitate præcepti, verum etiam de neceſſitate Sacramenti, ita ut ſinè benedictione Epiſcopi nihil valeat? Aliqui apud Leand. *diſp.* 2. q. 3. dixerunt benedictionem Epiſcopi non eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum neceſſitate præcepti. Et multi alij ſenſerunt, ex diſpenſatione ſummi Pontificis, ſufficere benedicere à ſimplici ſacerdote. Ita Henriq. Suar. Cajetanus, Zambranus. Quod etiam probabile putant Sotus *in 4 diſt. 7. art. 3.* & alij nonnulli conſentiunt, ut Valent. Paludan. & Victoria, apud ipſum, Angles *in Florilegio*, & alij apud eumdem Leandrum q. 4. & abſolutè idem affirmat Petrus Arcudius *de Extrem. unct. cap.* 2. atteſtans ita nunc, & ab antiquo apud Græcos exerceri, dicens illorum ſacerdotes ex tacita ſaltem commiſſione Pontificis benedicere oleum infirmorum, quamvis alioqui chriſma apud Græcos ipſos non niſi ab Epiſcopo benedicatur.

Communior ſententia.

6. Communior tamen ſententia ſecuriùs cenſet adhuc ex diſpenſatione Papæ id fieri non poſſe. Ita Suarez *diſp. 40. ſect. 1.* Barboſa, Valent. Coninch. Bellarm. Layman, Bonacin. quos refert, & ſequitur Palaus *punct. 2. n. 3.* Dicaſt. *n. 32.* & Leander, adducentes plures alios. Quia Eugenius IV. in ſuo decreto, & Patres Conc. Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 1.* æquè dicunt, materiam hujus ſacramenti eſſe oleum, ac eſſe ab Epiſcopo benedictum: cum ergo ex commiſſione ſummi Pontificis oleum mutari non poſſit; neque mutari poterit Epiſcopalis benedictio. Illud verò nobis certum, ſecluſa Pontificis commiſſione, oleum à ſimplici ſacerdote benedictum nõ valere.

Benedictio ab Eccleſia præſcripta non eſt de neceſſitate.

7. Quamvis autem benedictio Epiſcopalis requiratur ad valorem ſacramenti, ſufficit tamen quomodolibet benedictio fiat invocatione Dei: ſervanda tamen ex præcepto ab Eccleſia benedictio, quâ oleum infirmorum conſecratur, ſicuti optimè notarunt Suar. Bonacin. Palaus *n.* 4. Averſa, & plures alios referens Leander *q.* 5.

Quæſitum 2.

8. Petes 2. an ſit neceſſaria ad valorem ſacramenti benedictio ordinata ab Epiſcopo ad hunc effectum, ita quod ſi nunc ſacerdos aliquis aſſumeret chriſma confirmationis: in quo ſupponimus eſſe maximam olei portionem, aut ſumeret oleum cathecumenorum, vel aliud quodcumque ab Epiſcopo benedictum non ordine ad Extremam unctionem: an tunc valeret hoc ſacramentum in tali materia collatum? Valere opinatur Layman *c.* 2. ita colligitur ex Suar. *ſect. 1. à n. 10. uſq; in fin.* & ex Dicaſt. *diſp. 1. n. 37.* aſſerentibus ſecluſo Eccleſiæ præcepto, nullum eſſe peccatum uti chriſmate proprio confirmationis, maximè ſi non eſſet aliud ſimplex benedictum ab Epiſcopo. Et pro hac ſententia plures adducuntur à Leandro: & eſt probabilis, quia verè eſt oleum ab Epiſcopo benedictum, tametſi diverſa benedictione, & quamvis balſamo mixtum ſit, balſami mixtura eſt in leviſſima quantitate, quæ oleo impedire non poteſt eſſe materiam.

9. Alij verò non minus probabiliter putant non valere. Nam eſto benedictio olei infirmorum non fuerit à Chriſto Domino quoad formam ſpecialiter præſcripta, credendum eſt, quoad intentionem præſcriptam eſſe: benedictione enim deputatur materia ad ſacramenti uſum: cum ergo non deputetur chriſma benedictione chriſmatis pro ſacramento Extremæ unctionis, ſed ſacramento confirmationis, cenſendum non videtur, ex illa benedictione eſſe oleum infirmorum benedictum. Ita Averſa *ſect.* 2. Palaus *n.* 5. Et idem ſentire videntur Valent. Bellar. & Barboſ. ab eo relati. Item Vivald. Bona. Nuñ. & alij relati à Leandro *q.* 6. Et ita materiam hujus ſacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum per ordinem ad hoc ſacramentum habetur in actibus Eccleſiæ Mediol. 4 *p. verſ. Si per errorem, pa.* 542. In eo verò omnes conveniunt oleum benedictum pro infirmis eſſe ſufficientem materiam ad valorem hujus ſacramenti, quamvis balſami, vel alterius liquoris mixturam habeat, ſi mixtio in levi ſit quantitate, ita ut ab oleo longè ſuperetur, & communi æſtimatione, & uſu oleum eſſe cenſeatur. Ita plures quos citat, Palaus *n.* 6. Dicaſt. *n.* 34. *2. ſententia.*

Quæſitum 3.

10. Petes 3. an ad validitatem ſacramenti neceſſe ſit, ut oleum fuerit eo anno benedictum: Reſpondetur negativè, nullo enim jure conſtat hoc requiri ad validitatem ſacramenti: ſic omnes Doctores teſte Leandro *diſp.* 2. *q.* 10.

Quæſitum 4.

11. Petes 4. an ſaltem ſit de neceſſitate præcepti? affirmant Bonacin. & apud Palaum *n.* 12. Diana *p. 3. tract. 4. reſol.* 176. Averſa *ſect.* 2. Quia ſingulis annis ex præſcripto Clem. VIII. chriſma, oleumq; infirmorum, & cathecumenorum conſecratur, & per ſingulas Eccleſias diſtribuitur, juxta textum in cap. *litteris, de conſecr. diſt.* 3. ut veteri combuſto, uti novo poſſimus, quamvis de hac obligatione dubitent Henriq. P. de Ledeſma & alij quos citat, & ſeq. Leander, *q.* 11. eò quod non ſit expreſſum in jure tale præceptum de oleo infirmorum, ſicut de chriſmate: ſed ſaltem in caſu quo ſacerdos non habens copiam olei benedicti eo anno præſenti ungeret infirmum oleo benedicto anno præterito, ſanè non peccaret, ut declaravit ſac. Congreg. Epiſcop. die 20. Martij 1590. teſte Gavanto *in Enchirid. Epiſc. verb. Extrema unctio, n.* 10. & cum pluribus docet Diana *t. 5. tract. 3. reſol* 90. imò teneretur eo uti, ne ſineret infirmum è vita migrare abſq; ſubſidio hujus ſacramenti, ut benè notat Averſa *loco cit.*

Quæſitum 5.

12. Petes 5. quæ quantitas olei ſufficiat ad valorem hujus ſacramenti? reſpondetur ſatis eſſe, ut ipſo uſu conſtat, ut ſacerdos intingens extremum digiti in oleo, lineat partem ungendã, quia ſic verè ungit. Ita Averſa, Dicaſt. *loco cit.* & alij.

PUNCTUM II.

De materia proxima Sacramenti Extremæ-Unctionis.

Materia proxima eſt unctio.

13. MAteria proxima hujus Sacramenti eſt unctio in certis quibuſdam corporis partibus. Ita D. Thomas *in ſupplemento, 3. p. q. 29. art 5.* & commuois Doctorum ſententia, quam ſatis ſignificavit Jacobus Apoſtolus, *cap. 5.* illis verbis, *ungnentes eum oleo*, & Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 1.* dum ait: *Intellexit enim Eccleſia materiam* (ſcilicet remotam) *eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum. Nam unctio* (ſcilicet tamquam materia proxima) *Spiritus Sancti gratiam, quâ inviſibiliter anima ægrotantis inungitur repreſentat.* Cum enim hoc Sactamentum ſicut & cætera novæ legis Sacramenta, præter Euchariſtiam, non in aliqua re permanenti, ſed in uſu illius conſiſtat, ſit ſanè materiam proximam Extremæ-unctionis unctionem eſſe.

Sub forma Crucis debet fieri, ſed non ex neceſſitate Sacramenti.

14. Hæc unctio ſub forma Crucis debet fieri, ut colligitur ex cap. *Num quid, de conſecrat. diſt. 5.* & ibi gloſſ. verb. *Niſi in Cruce.* Ita Sylveſter, verb. *Unctio num. 2.* Bonacina, *q. unic. punct. 2.* Palaus, *punct. 3.* & alij. Sed non ex neceſſitate Sacramenti: Concilium enim Florentinum, & Tridentinum accuratè materias, & formas Sacramentorum exprimentia, Crucis formam in hoc Sacramento non expreſſerunt, ſicuti in Sacramento confirmationis factum eſt, & meritò: quia in confirmatione inungitur quis miles, & inſignitur talis ad defendendum Crucem Chriſti coram tyranno, non verò in unctione Extrema. Quinimò ſecluſo contemptu, prætermiſſio Crucis in hoc Sacramento non eſt materia gravis, uti docent Suarea, Coninchus, Layman, Zambra. Bonacina, quos citat, & ſequitur Palaus *punct. 3. n. 2.* Dicaſtillus *diſp. 1. dub. 3. num* 42. & alij apud ipſum Petrus de Ledeſma, Henriquez, Poſſevinus, Reginald. quos refert, & ſequitur Leander, *diſp. 2. q. 14.* Quare ſi ex juſta cauſa omittatur, ut breviùs & ſecuriùs fiat, jam inſtante morte; nullum erit peccatum, ut teſtantur Suarez, Coninchus, Laym. Palaus, & Dicaſtillus citati, Becanus *de Sacramentis, c. 27. q 3. num. 3.* Filliucius, & Zamora, quos adducit, & ſequitur Diana *3. part. tract. 4. reſol. 178.*

Tempore peſtis adminiſtrari poteſt virgâ oblonga oleo tincta.

15. Neque etiam eſt de neceſſitate Sacramenti, quod Extrema unctio fiat manu immediata Sacerdotis. Nam peſte graſſante, licitè adminiſtrari poteſt virgâ oblongâ oleo tincta. Ita cum Sylvio, & Capeavilla, Diana *3. p. tract. 4. reſol.* 177. & cum Marchin. Præpol. Barboſa, Mancino, *5. p. tract. 3. reſol. 79.* & cum Turrebl. Layman, & alijs Leand. *diſp.* [illegible] *q. 17.*

Sufficit ad valorem Sacramenti ſi unus oculus, una auris, &c. Ungantur.

16. Sufficit etiam ad valorem Sacramenti, ſi in uoctione quinque ſenſuum unum oculum, unam aurem, manum, narem, os inungat Sacerdos: ſiquidem ex unius unctione optimè dicitur ſenſus unctus. Quare urgente neceſſitate licitè id faciet, ut ſi infirmus nequeat converti in aliud latus, aut timeatur periculum infectionis. Ita Suarea, Peſantius, Saà, Diana, Henriquea, Joannes de Cruce, Bonacina, Filliucius, Torrebl. Ochagav. Naldus, & Reginaldus, quos citat, & ſequitur Leander *diſput. 2. q. 23.* Non urgente autem neceſſitate mos Eccleſiæ ſervandus eſt.

PUNCTUM III.

Quibus in partibus facienda ſit unctio.

Unctio renũ & unctio pedum non eſſe neceſſaria neceſſitate Sacramenti, imò nec univerſalis præcepti.

17. COncilium Florentinum *in* Eugenij *Decreto* ſic partes corporis recenſet, in quibus infirmus ungendus eſt: in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum: in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Non tamen in his omnibus fieri debet ex neceſſitate Sacramenti, imò neque univerſalis præcepti. Nam unctio in renibus propter decentiam, & honeſtatem ſolet omitti, imò expedit maximè in fœminis: ſicuti docent Toletus, Valent. Suarez, Zambran. Bellarm. Saà, Henriquez, Coninchus, Laym. Bonacina, quos adducit, & ſequitur Palaus *punct. 3. n. 3.* & cum Gabriele, Soto, & Victoria, Dicaſtillus, *diſp 1. dub. 3. num* 45. unctio etiam pedum ab omnibus univerſaliter recepta non eſt, ut cum D. Thoma, *ſupplem. 3. p. q. 32. art. 6.* teſtantur Valentia, Saà, Suarius, Henriquez, Tannerus, & alij, apud Dicaſtillum *loco cit.* quare in ea adhibenda, vel omittenda, ſervanda eſt cujuſque Eccleſiæ conſuetudo, uti cum Suario, Saà, Laym. Bonacina, & alijs tradit Palaus *dict. n. 3.* Nec ijs obeſt Concilium Florentinum exprimens ſeptem illas unctiones: mens enim illius non fuit, eas omnes veluti eſſentiales præſcribere, ſed communem ejus temporis ritum declarare.

1. Difficultas. Pars negativa.

18. Superſunt duæ difficultates breviter expediendæ. Prima eſt: an ſit de neceſſitate hujus Sacramenti, quod quinque unctionibus ungantur loca quinque ſenſuum, ita ut aliqua deficiente non valeat? Partem negativam tenuerunt Becanus, & Profeſſores Theologiæ Academiæ Lovanienſis, & Sylvius apud Dianam, *3. p. tract. 4 reſolut.* 168. B[illegible]nyus *in Theologia morali, tom. 1. tract. ultim. q 2. aſſert. 2.* Leander *diſp. 3. q. 20.* & apud ipſum Molfeſius, & probabilem putat Coninchus, Layman, & Capeavilla apud Dianam *loco cit.* Moventur, quia quælibet unctio in quolibet ſenſu per ſe eſt integra, & ſufficiens, ut homo dicatur ſimpliciter unctus, & forma cuilibet unctioni correſpondens remiſſionem culparum, quæ à peculiari ſunt admiſſæ ſenſu, ſignificat independenter ab alijs formis: ergo quælibet uoctio in quolibet ſenſu ſufficit ad Sacramentum eſſentialiter perficiendum, ſicut ſufficit ad ſignificandum.

Pars affirmativa communis, & vera.

19. Nihilominus communis, & vera eſt pars affirmativa aſſerens quinque unctiones in locis quinque ſenſuum, ita eſſe de neceſſitate Sacramenti, ut nulla illarum per ſe ſumpta verum Sacramentum, etiam partiale (ſicuti contingit in Euchariſtia & Ordine) conſtituat. Sic D. Thom. D. Bonavent. Ricard. Durand, & alij *in 4. diſt. 23. & 24.* Sotus, Henriquez, Suar. Bellarm. Valent. Coninch. Laym. Bonacina, cum alijs apud ipſos relati à Palao, *diſp. unica, punct. 3. num. 6.*

num. 6. Dicaſtillus *num.* 49. & alij plures quos congerit Leander *loco citato*, Philibertus *de peſte*, *p.* 3. *cap.* 6. *num.* 16. & alij. Ratio eſt: quia ita Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacramentum, ut dictæ quinque unctiones, modo explicato, eſſent de neceſſitate illius, colligitur ex communi ſenſu Doctorum, qui omnes illas quinque unctiones ita requirit; & ex communi uſu Eccleſiæ, qui habet, ut ſemper adhibeantur.

Fit ſatis fundamento partis negativæ.

20. Ad fundamentum partis negativæ reſpondetur, probare quidem potuiſſe Chriſtum hoc Sacramentum eâ ratione inſtituere, ut unius partis unctio ſufficeret, ut Sacramentum eſſet eſſentialiter conſtitutum; non tamen id feciſſe: ut colligitur ex communi ſenſu Doctorum, & Eccleſiæ uſu.

Advertendum 1. circa ordinem inter prædictas partiales unctiones.

21. Advertendum eſt 1. non eſſe de neceſſitate Sacramenti ſervare ordinem inter prædictas partiales unctiones, ſed quocumque ordine fiant, valere: quamvis ſervari debeat ordo in Rituali præſcriptus, uti obſervant Averſa, & Dicaſtillus citati.

Advertendum 2. pro praxi in neceſſitate.

22. Advertendum eſt 2. pro praxi: in urgenti articuli mortis neceſſitate, ſaltèm ſub conditione licitè poſſe ſub unius formæ prolatione virtualiter omnes comprehendente quinque ſenſus ægroti celeriter inungere dicendo, per iſtas ſacras onctiones remittat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum. Ita Victorellus *de Extrema Unctione, num.* 3 5 *de ſingulis unctionibus*, Tannerus, Suarez, Diana, quos citat & ſequitur Dicaſtillus *num.* 59. & Averſa *q. de Extrema unctione, ſect.* 4. ubi etiam benè notat, ut quando timetur ne interim ſpiret infirmus, dicatur anteà ly *deliquiſti*, & conſequenter *per viſum, auditum, &c.* quia alioqui ſi *deliquiſti* ſervetur in finem, & interim decedat ægrotus, nullatenùs perficitur ſignificatio, ac propterea indubitanter nullus eſt valor Sacramenti, nullus effectus. At ſi dicatur antè ly *deliquiſti*, jam per unctionem, & nominationem aliquorum, vel alicujus ſenſus, in ſententia eorum, qui volunt unctionem unius partis, ſufficere ad valorem, ſivè ſufficere ad conferendum ex tunc aliquem effectum, habebitur ſpes de valore, vel effectu aliquo Sacramenti ad ſalutem infirmi. Et ita licitum erit ſic miniſtrare, præſertim appoſitâ conditione, ſaltèm intra mentem Sacerdotis miniſtrantis, ut ſi fortè verum ſit hoc ſufficere, ſivè ad Sacramentum, ſivè ad effectum aliquem Sacramenti, non defraudetur infirmus tanto beneficio: in ea enim adminiſtratione Sacramento nulla fit injuria: & ægroto ad ſalutem prodeſſe poteſt.

2. difficultas

23. Secunda difficultas eſt: An ægrotus, qui caret organis ſenſuum externorum, ungi debeat in partibus proximioribus organo quod non habet? Reſpondetur affirmativè cum D. Thoma *quæſt.* 32. *art.* 7. ex communi conſenſu Doctorum, atquè ipsâ praxi Eccleſiæ.

Objectio.

24. Sed objicies cum Dicaſtillo, *num.* 51. non poſſe verba formæ, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum*, verificari in cæco, qui nunquam habuit organa oculorum: hic enim nunquam per oculos peccavit, neque concupiſcentia videndi in eo ſi peccatum fuit, peccatum extitit oculorum: non ergò neceſſè eſt eum ungi in parte proximiori organo, quod non habet. Reſpondetur, verba formæ, ſub quibus unctio tali cæco miniſtratur, habere ſenſum quaſi conditionalem, indulgeat nimirùm tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, id eſt, ſi quid fortè ſaltem interius in illo genere cogitando, & deſiderando deliquiſti: ut ſumitur ex doctrina D. Thomæ *loco citato*.

Corollarium.

25. Hinc fit, ut benè docet Nuñus 3. *p. q.* 32. *art.* 7. ſolùm eſſe de neceſſitate Sacramenti hujus, quod fiant unctiones in illis quinque partibus, quando fuerint; & quando non fuerint tales partes, fiant in partibus propinquioribus: ſic enim explicuit uſus ipſius Eccleſiæ.

PUNCTUM IV.

De forma hujus Sacramenti.

Quæ ſit forma Sacramenti Unctionis.

26. FOrma hujus Sacramenti ſunt verba illa: *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum*, & eodem modo de alijs unctionibus aliorum ſenſuum, ut patet ex Conc. Florent. & Trident. ſuprà citatis, & ex perpetua Eccleſiæ Romanæ traditione. Undè invocatio Trinitatis non videtur neceſſaria, neque in ritualibus adhiberi ſolet: ut cum alijs obſervat Palaus, *punct.* 4. *num.* 5. & cum Diana, Dicaſtillus *num.* 60.

Quæſitum primum.

27. Circa modum autem hujus formæ inquiri ſolet 1. An dicta forma deprecativa ſit ſimpliciter neceſſaria ad valorem hujus Sacramenti; vel ſufficeret etiam per modum indicativum? Non deſunt Authores, qui dicant, modum etiam indicativum ad valorem ſufficere, atquè olim teſte D. Bonaventura, *in* 4. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 4. hâc formâ uſus eſt D. Ambroſius, *Ungo te Oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, ut more militis unctus præparatus ad certamen, aereas ſuperare poſſis poteſtates*, cui ſimilem formam refert Palacios *in* 4. *diſt* 23. ex libro Sacramentali Venetorum approbato, ut dicitur à Leone 10. Ita putant Albertus, Ricardus, Paludanus, Eſtius, *ea. diſt.* 23. Eamque probabilem ſententiam exiſtimat Tannerus *diſp.* 7. *quæſt.* 1. atquè in ipſam inclinat Becanus *de Sacramentis cap.* 27.

Sola forma indicativa ad valorem hujus Sacramenti non ſufficit.

28. Nihilominùs reſpondetur dicendum, ſolam formam indicativam ad valorem hujus Sacramenti non ſufficere: quia Jacobus indicans formam hujus Sacramenti, ait: Presbyteros orare debere pro infirmo, quem ungunt: non autem dicitur orare pro infirmo, qui formâ ſolùm indicativâ affirmat *ego te ungo*. Ita S. Thomas *quæſt.* 29. *art.* 8 & in 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. D. Bonaventura *eâdem diſt.* Coninchus, Sylvius, Nuñus, quos citat, & ſequitur Averſa, Palaus, Suarez, Valentia, Henriquez. Item Sotus, Filliucius, Bonacina, Hurtadus, Granadus, Diana, Archang. & alij, quos congerit, & ſequitur Leander *diſp.* 2. *quæſt.* 23. Ad uſum autem illarum Eccleſiarum reſpondet D. Thomas, illa verba non recitari ſolita in illis Eccleſijs tanquam formam Sacramenti; ſed tanquam diſpoſitionem ad illam. Undè poſteà ſubdebant formam deprecatoriam, alioquin ſub-

ſtantialem mutationem facerent, quod non compatitur cum veritate Sacramenti.

Quæſitum ſecundum. 29. Secundò inquiri ſolet: An conferret validum Sacramentum, qui hâc formâ uteretur: *Vngo te Oleo ſancto, ut per ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, &c. deliquiſti.* Negant Nuñus, *quæſt.* 29. *art.* 8 Bonacina *de hoc Sacram. quæſt.* 1 *punct.* 3 *num.* 3 Hurtado, & Petrus de Cañedo, apud Leandrum, *diſp.* 2. *q.* 24. Econtra verò affirmant Suarez, Layman, Filliucius, Henriquez, Diana, Reginaldus, & alij, quos adducit, & ſequitur Leander, Averſa, *q* 1. *de Extrema Vnctione*, *ſect.* 3. Hæc res eſt incerta; illud verò nobis certum, eſſe graviſſimum peccatum eâ uti, ut omnes fatentur.

Quæſitum tertium. 30. Tertiò quæri ſolet: Quænam verba ex prædictis ſint eſſentialia, ita ut eis ablatis Sacramentum ſit nullum? Et quidem recolenda ſunt ea, quæ diximus *tract.* 1. *de Sacram. ingen. cap.* 4. *punct* 3. ubi regulas mutationis formæ quantùm ad valorem Sacramenti explicuimus, inter quas illa generalis eſt, ſi factâ mutatione aliquâ circa verba, manet nihilominùs idem debitus formæ ſenſus, qui anteà erat, mutatio eſt accidentalis, & non tollit valorem Sacramenti. Si verò non manet idem debitus formæ ſenſus, mutatio eſt ſubſtantialis, & cum valore Sacramenti non compatitur. Ut autem in particulari declaretur quando manet idem debitus formæ Sacramenti Unctionis ſenſus, & quando non: ac proindè quando mutatio eſt ſubſtantialis, & quando accidentalis, diſcurremus ſingulatim per ſingula prædictæ formæ verba. Et inprimis ſi Sacerdos omittat dicere, *per iſtam ſanctam Vnctionem*, eſto ungeret, Sacramentum non conficeret: ſicut in Baptiſmo, ſi Miniſter omitteret illa verba: *ego te baptizo*, eſto ablueret, Sacramenti rationem non attingeret, ſecùs ſi ſolùm *Sanctam* relinqueret: quia illa particula non eſt de neceſſitate Sacramenti, ut tradunt Averſa, Dicaſtillus, & Palaus, citati. Non enim apponitur in Concilijs Florentino, & Tridentino, ſed ſimpliciter nominatur, *Vnctio.* Non autem eſſet prætermiſſa, ſi eſſet de ſubſtantia Sacramenti; debet tamen ex præcepto, & ritu Eccleſiæ apponi, ut jam conſuetum eſt.

Quid ſi verbum ſanctam relinquatur?

31. Deindè alia verba, quæ adjiciuntur, *& ſuam piiſſimam miſericordiam*, rectè etiam dicitur non eſſe de ſubſtantia, & valore Sacramenti; ſed ex præcepto Eccleſiæ apponi debere: quia ſinè illis manet integer ſenſus: propterea, quod in verbo *indulgeat*, ſatis videntur contineri, cùm non niſi ex ſua piiſſima miſericordia Deus noſtra peccata remittat. Ita Suarez, Coninchus, Bonacina, quos citat & ſequitur Palaus *punct.* 4. *num.* 4. & cum Tanner. & Reginald. Dicaſtillus *dub.* 4. *num.* 68. & alij paſſim. *Quid ſi illa verba, & piiſſimam miſericordiam relinquantur?*

32. At verò ſequentia verba, ubi petitur remiſſio peccatorum, ſunt de ſubſtantia, & valore Sacramenti: verba enim, ſinè quibus remiſſio deprecativè ſignificari non poteſt, eſſentialia ſunt, uti benè docent Palaus, & Averſa citati. An autem exprimi debeat non ſolùm peccatorum remiſſio, utcumque, ſed etiam organa ſenſuum, utpotè illorum peccatorum radix, & origo, ut ſignum eſſet hoc Sacramento hominem perfectè ſanari? Diſſentio eſt inter Doctores. Affirmant enim particulam ſignificantem ſenſum, qui inungitur, nempè viſum, & auditum, &c. Eſſe neceſſariam ſolùm neceſſitate præcepti, non neceſſitate Sacramenti, Dicaſtillus *num.* 68. afferens pro ſe Dianam 3. *p. tract.* 4. *reſ.* 175 & alij apud Leandrum, *q.* 21. Moventur: quia per alia verba, & unctionem factam in ea parte ſatis ſignificatur ſenſus. Sed èontra communiter Theologi, teſte Averſa *de Extrema Vnctione*, *ſect.* 4. ſupponunt eſſe de neceſſitate, non ſolùm præcepti, ſed etiam Sacramenti, ut explicitè, ac diſtinctè nominentur ſinguli quinque ſenſus, nempè per viſum, guſtum, auditum, odoratum, & tactum: quia ita adæquatè, & explicitè correſpondet forma materiæ, & ita ſumi videtur ex perpetuo ritu totius Eccleſiæ latinæ in omni Regione. Sic præter Averſam tenent Nuñus, & Angles, quos adducit & ſequitur Leander, Palaus *loco citato.* *De ſubſtantia hujus formæ eſſe, ut petatur remiſſio peccatorum.*

CAPUT TERTIUM.

De effectibus Extremæ Unctionis.

Caput iſtud continet tria Puncta.

P. 1. *Quinam ſint effectus Extremæ Unctionis.*

P. 2. *Quando Extrema Unctio conferat ſuos effectus?*

P. 3. *An hoc Sacramentum poſſit eſſe validum, & informe, ut recedente fictione det gratiam?*

PUNCTUM I.

Quinam ſint effectus Extremæ Unctionis.

1. aſſertum. 1. Dicendum eſt 1. effectum proprium, & primarium hujus Sacramenti eſſe gratiam Spiritûs Sancti, cujus unctio peccati reliquias abſtergit, ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, & labores levius fert, & tentationibus Dæmonis facilius reſiſtit. Ita Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *de Extrema Vnct.* Cum quo ſtat rectè dici, & intelligi poſſe hoc Sacramentum directè, & primariò eſſe inſtitutum ad delendas reliquias peccatorum, per gratiam ſcilicèt Spiritûs Sancti, & divina auxilia ipſi annexa: id, quod docuit D. Thomas *in ſupplement.* 3. *p. quæſt.* 30. *art.* 1. ubi ait: *Dicendum, quod principalis effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum* (per gratiam ſcilicèt Spiritûs Sancti, & divina auxilia) *quoad reliquias peccati, & ex conſequenti etiam quoad culpam, ſi eam inveniat.* Qui loquendi mo-

modus non ſolùm eſt inter Doctores valdè communis; ſed ſumitur ex verbis formæ hujus Sacramenti, quibus poſtulatur indulgentia peccatorum: cùm enim hoc Sacramentum, utpotè pœnitentiæ conſummativum (ut loquitur Tridentinum) ſupponat Sacramentum pœnitentiæ anteà directè,. & primariò inſtitutum ad remiſſionem omnium actualium peccatorum, omninò debet intelligi in hoc Sacramento poſtulari ulteriorem indulgentiam, quoad aliquid ex peccatis relictum, quæ proindè dicuntur reliquiæ peccatorum, & ſanè per has reliquias intelliguntur debilitas, & ineptitudo, angor, triſtitia, & pavor animi, qui effectus eò magis moleſtant hominem, & eò magis corrigendi ſunt, quò magis appropiat ad exitum hujus vitæ, quique maximè circa mortis articulum invaleſcunt, ac finali perſeverantiæ, & æternæ ſaluti diſcrimen, ac difficultatem afferunt.

2. aſſertum.

2. Dicendum eſt 2. hoc Sacramentum conſequenter peccata, ſi quæ ſunt, non ſolùm venialia, ſed etiam mortalia remittere, ſi infirmus eorum remiſſioni obicem non ponat. Ita manifeſtè colligitur ex loco Jacobi, *& ſi in peccatis ſit remittuntur ei*, & ex Trident. *ſi quæ ſunt expianda*, & ex verbis formæ, *quidquid peccaſti*, & ita expreſsè tradit D. Thomas *loco cit.* illis verbis, *& ex conſequenti etiam quoad culpam. Si tam inveniat.* Ac ex omnium ſententia docent Suarez, Valentia, Bonacina, Coninchus, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus *de Sacram. Extrema Vnctionis, diſp. unica, punct. 5. num. 7.* Averſa *ſect. 6.* qui omnes in eo conveniunt, quod hoc Sacramentum conſequenter habeat vim, & efficaciam, ut præbere poſſit primam gratiam juſtificantem, & facere hominem de impio juſtum: ſi nempè inveniat peccata mortalia in anima, de quibus infirmus habeat attritionem, & non contritionem, nec fuerit de illis confeſſus, maneat tamen in bona fide: vel quia invincibiliter non cognoſcit, & advertit talia peccata: vel quia putat ſe de illis contritum, aut ritè confeſſum.

3. aſſertum eſt, Extremæ Vnctionis Sacramentum juſtificare attritum cum bona fide accedentem ad ipſum, quàm alia Sacramenta vivorum.

3. Rectè autem notant Suarez, Coninchus, Valentia, Palaus, & Averſa citati, hoc Sacramentum non ſolùm per accidens, vel ex ratione communi Sacramenti vivorum, ſed per ſe, licèt conſequenter, ſpecialiter inſtitutum eſſe ad præſtandum ſupradictum effectum, magis proindè certum ex hoc, quàm ex alijs Sacramentis vivorum: nam eſto in alijs Sacramentis vivorum piè, & prudenter credatur ea, bonâ fide, ſuſcipientes, gratiam obtinere, modo habeant, vel habuerint, & non retractaverint actum attritionis, in hoc tamen Sacramento id tanquam certius concedendum eſt, utpotè quod ad peccatorum remiſſionem eſt per ſe ſpecialiter, licèt conſequenter inſtitutum.

Annumerantur alij effectus.

4. Inter effectus etiam Extremæ Unctionis annumerandi ſunt tum modus intrinſecus, quem gratia collata per Sacramentum addit ſupra gratiam habitualem communiter dictam, ratione cujus habet exigentiam ſpecialium auxiliorum, ut ſtatuimus ſuprà *tract. 1. de Sacram. in gen. cap. 5. dub. unico*, tum etiam auxilia ipſa, quibus Deus roborat, & conſortat ægrotum, ut & morbi incommoda, & labores levius ferat, tentationibus Dæmonis facilius reſiſtat, & in illo extremo agone victor evadat.

Item effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum.

5. Effectus prætereà hujus Sacramenti eſt remiſſio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, non quidem omnis, cùm conſtet etiam illos, qui hâc unctione ſuſceptâ decedunt, ſolere adhuc in Purgatorio expiari; ſed quoad aliquam partem, plus, minuſvè, juxtà diſpoſitionem ſuſcipientis.

Item ſanitas corporis ubi ſaluti animæ expedierit.

6. Item ſanitas corporis interdùm, ſi id ſaluti animæ expedierit, ut docuit Tridentinum, *cap. 2. de hoc Sacramento*, dicens: *Infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & ſanitatem corporis interdùm, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Idem docuerat anteà Concilium Florentinum, & tradunt ferè omnes Theologi *in 4. diſt.* 23. & hoc loco, ſumiturque ex Jacobi verbis: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus*, quæ non ſolùm de ſanitate ſpirituali, ſed corporali debent intelligi, ſub illa tamen conditione: *ubi ſaluti animæ expedierit*: quia ſalus corporis ſaluti animæ ſubordinari debet, & ob illam expoſtulari.

PUNCTUM II.

Quando Extrema Unctio conferat ſuos effectus.

Reſpondetur quoad effectum primarium gratiæ.

7. RESpondetur, ſtando in noſtra, & communi ſententia ſuprà *cap. 2 num.* 20. allata, aſſerente quinque unctiones in locis quinque ſenſuum ita eſſe de neceſſitate hujus Sacramenti, ut nulla illarum per ſe ſumpta verum Sacramentum etiam partiale conſtituat, aſſerendum eſſe conſequenter, ut patet nihil gratiæ habitualis conferri per Extremam Unctionem quouſquè ultima unctio, & ejus verba finita ſint. Ita Suarez, Coninchus, Tannerus, & alij multi quos citant Diana, Palaus, *punct. 5. num.* 13. Leander *diſp. 4. quæſt* 17. & eſt expreſſa doctrina D. Thomæ *in 4. diſt.* 25. *quæſt* 1. *art.* 2. & *in ſupplem. quæſt.* 30. *art.* 1. *ad* 2. & 3 contra eos tamen, qui aſſerunt per primam unctionem, & per quamlibet aliam conferri partem, ſeu gradum gratiæ: hi ſunt Paludanus, Sotus, Medina, & alij apud Dicaſtillum, & Dianam *locis cit.* nec non alij apud Leandrum.

Effectus gratiæ habitualis datur in inſtanti terminativo ultimæ unctionis cum ſua forma.

8. In noſtra ergò & communi ſententia, effectus gratiæ habitualis datur in ultimo inſtanti terminativo ultimæ unctionis cum ſua forma, in quo verificatur, Sacramentum eſſe eſſentialiter perfectum, nec enim eo ſic perfecto, differtur effectus gratiæ per aliquod tempus, vel inſtans: quia Sacramenta operantur inſtar cauſarum naturalium; hæ autem cùm primum exiſtunt, & ſunt ſufficienter applicatæ paſſo diſpoſito, ſtatim ſinè mora operantur ſuum effectum, & non anteà: & idem dicendum eſt de modo intrinſeco, quem gratia collata per hoc Sacramentum addit ſupra gratiam communiter dictam, ratione cujus habet exigentiam ſpecialium auxiliorum; ut ex doctrina Angelici Doctoris, *tract.* 1. *cap.* 5. *dub. unico*, latè probavimus: hic enim modus intrinſecus cum ipſa gratia, cùjus eſt modus, infunditur. Similiter Extrema Unctio confert remiſſionem venialium, & partis pœnæ illis debitæ juxtà diſpoſitionem ſuſcipientis in eomet inſtanti, in quo confert augmentum gratiæ ſancti-

Digitized by Google

ſanctificantis : quia non eſt ratio ob quam amplius differatur, aut prius conferatur.

Auxilia gratiæ Sacramenti non conferuntur eo inſtanti quo ipſa gratia.

9. Auxilia verò ſpecialia annexa gratiæ hujus Sacramenti, non conceduntur neceſſariò eo inſtanti, quo gratia habitualis confertur, ſed in inſtanti, aut tempore commodo, ſicut etiam ſanitas corporis, quæ differri ſolet uſquè ad tempus animæ opportunum.

PUNCTUM III.

An hoc Sacramentum poſſit eſſe validum, & informe, ita ut recedente fictione det gratiam?

Aſſertum.

10. Reſpondetur affirmativè. Ita Paludanus, Valentia, Henriquez, Suarius, quos citat, & ſequitur Dicaſtillus *de Extrema Unctione, diſp.* 1. *dub.* 8. *num.* 117. Palaus, *diſp. unica, punct.* 5. *num.* 14. Averſa *de hoc Sacramento, ſect.* 7. & alij paſſim. Et quidem ſi perſeverante eodem morbo, & periculo, fuerit obex ſublatus, cùm hoc Sacramentum in eodem morbo, & periculo iterari non poſſit, locum habere videtur illa regula, quæ in Sacramentis, quæ iterari non poſſunt, rem facit certiorem, ne eo tempore infirmus interùm diſpoſitus, Sacramenti hujus gratiâ privetur. Itaquè ſi homo bonâ fide ſuſcepit hoc Sacramentum, putans ſe eſſe diſpoſitum, vel ei ſenſibus deſtituto collatum eſt, ſat ei erit ſola attritio, quæ cum bona fide fuiſſet ſufficiens in eodem ſuſceptionis actu ad recipiendum gratiæ effectum : ſi autem ſcienter, & culpabiliter in peccato læthali hoc Sacramentum ſuſcepit, & ita in tali ſuſceptione novum aliud læthale commiſit, indigebit poſteà contritione, vel confeſſione ad ſe ritè diſponendum, ut gratiam recipiat.

Quid infirmitate finitâ?

11. At infirmitate finitâ, adhuc piè credi poteſt, ſi homo in ſtatu ſanitatis ſe ritè diſponat, effectum Sanctificantis gratiæ, ſublato obice, ipſi concedi : ut tradunt Suarez, Palaus, Averſa, Dicaſtillus, & alij.. De effectu verò ſpecialium auxiliorum res eſt dubia, & videtur ea ſolùm eſſe conferenda, ſi auferatur fictio perſeverante morbo; non verò ſi tantùm poſteà in ſanitate recedat : ut docent Suarez, *diſp.* 41. *n.* 24. & Dicaſtillus *diſp.* 1. *n.* 119.

CAPUT QUARTUM.

De ſubjecto, ſeu ſuſcipiente Unctionem.

Caput hoc habet duo Puncta.

P. 1. *Quiſnam ſit capax Extremæ Unctionis.*
P. 2. *De obligatione ſuſcipiendi hoc Sacramentum.*

PUNCTUM I.

Quiſnam ſit capax Extremæ Unctionis.

Aſſertio.

1. Subjectum capax unctionis tantùm eſt homo viator baptizatus, adultus, qui rationis uſum ita habeat, vel aliquando habuerit, ut actuale peccatum commiſerit, vel prudenter dubitari poſſit, an illud ſaltèm interiùs perpetraverit, & eſt infirmus periculosè laborans. Ita communiter Doctores.

Corollarium 1.

2. Ex qua generali doctrina infertur 1. infirmo de quo dubitatur, an vivat, nec veritas explorari poteſt abſquè periculo omittendi unctionem, eam eſſe non abſolutè, ſed ſub conditione, ſaltèm mente retentâ, conferendam : ea enim conditionali adminiſtratione Sacramenti irreverentia vitatur, & infirmus, ſi capax eſt, non privatur tanto bono. Ita rectè notant Navarrus, Suarius, Saà, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus, *punct.* 6. *num.* 1. nec non cum Henriquez & Poſſevino, Dicaſtillus *diſp.* 1. *dub.* 1. *num* 163. & alij.

Corollarium 2.

3. Infertur 2. abſquè Baptiſmo neminem eſſe capacem hujus Sacramenti recipiendi : quia Baptiſmus eſt janua Sacramentorum, & ſinè illo nullum Sacramentum recipi poteſt, ut docet Concilium Florentinum *in Decreto* Eugenij.

Corollarium 3.

4. Infertur 3. infantes, & perpetuò amentes Extremæ Unctionis incapaces eſſe, id quod apud omnes in comperto eſt.

Corollarium 4.

5. Infertur 4. hoc Sacramentum non fuiſſe Beatiſſimæ Virgini miniſtratum, nec fuiſſe capacem illius, ut contra Suarium, Filliucium, Reginaldum, & alios docent Paludanus, Victor, Nuñus, Ochag. & alij, quos refert, & ſequitur Leander *diſp.* 5. *quæſt.* 8. & Granado *de Extrema Unctione ſect.* 8.

Corollarium 5.

6. Infertur 5. hoc Sacramentum miniſtrari non poſſe alijs ab infirmis, eſto in vitæ diſcrimine conſtitutis : ut navigaturis cum periculo, aut pugnaturis in bello, vel decapitandis, ut ex communi ſententia tradunt Suarez, Bonacina, Palaus, & alij citati. Quinimò etiam infertur, non quibuſvis infirmis Extremam Unctionem conferendam eſſe, ſed his, quibus infirmitas inducit periculum vitæ, ut docet Concilium Florentinum : *Hoc Sacramentum* (inquiens) *dari non debet, niſi infirmo, de cujus morte timetur.*

Obſervatio 1.

7. Obſervant autem benè Authores 1. excommunicato non licere recipere hoc Sacramentum, niſi prius ab excommunicatione abſolvatur, ut rectè notant Saà verbo *Extrem. Unct. n.* 1. Palaus *diſp. unica, punct.* 8. *num.* 10. Granados *diſp.* 6. *n.* 12.

Obſervatio 2.

8. Obſervant 2. tempore interdicti ſecluſo privilegio, aut aliâ ratione excuſante prohibitionem, non poſſe recipi Extremam Unctionem, ut ſumitur ex cap. *Quod in te, de pœnis. & remiſſ.* & tradunt Granados *loco citato*, Navarrus, Henriquez, Ludov. & Torreblanc. quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 3. *quæſt.* 17. & alij.

9. Ob-

Obſervatio 3.

9. Obſervant 3. quod quamvis Extrema Unctio non imprimat characterem, ut definivit Eugenius IV. nequit tamen, eodem periculo mortis perſeverante, iterari; ut ex uſu Eccleſiæ conſtat. Quando verò adeſt novum periculum, aut antiquum periculum, manente infirmitate, v.g. hectica, vel hydropiſi, quod jam infirmus evaſerat, iterùm recurrit, poteſt iterùm inungi. Ita Diana, *tom. 5. tract. 3. reſ. 96.* Suarez, Henriquez, Valentia, Victor, Tannerus, & alij, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *de Extrema Unctione, diſp. 1. dub. 10. n. 164.*

PUNCTUM II.

De obligatione ſuſcipiendi hoc Sacramentum.

Concluſio.

10. PEr ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non eſt mortale non ſuſcipere Extremam Unctionem. Ita docet communis ſententia cum D. Thoma, Paludano, Soto, Navarro, Covarruvio, Suario, Coninchо, Laymano, Bonacina, Sà, & alijs, apud Palaum, *diſp. unica, punct. 8. num. 1.* & cum Gabriële, Sylveſtro, Cajetano, Victore, Ruard. Henriquez, Valentia, Diana, apud Dicaſtillum, *diſp. 1. dub. 11. num. 168.* Quia non apparet ſufficiens fundamentum talis obligationis, neque ex præcepto Divino, aut Eccleſiaſtico: quia de neutro conſtat; neque ex natura rei, & Sacramenti inſtitutione: quia per ſe non tenetur homo adhibere omne medium poſſibile, quamvis maximè conveniens, & oportunum, neque adſtringitur facere, quod melius eſt: hoc autem Sacramentum ſolùm fuit inſtitutum tanquàm valdè utile ad benè moriendum, & decedendum in gratia: ac proindè per ſe non obligat ex natura, & inſtitutione ſuâ ſub mortali, neque etiam ex conſuetudine: cùm hæc ex animo, & intentione talis obligationis introducta non ſit.

Peccaret mortaliter, qui omitteret ex contemptu.

11. Per accidens tamen peccaret infirmus mortaliter. Primò: ſi hoc Sacramentum omitteret ex contemptu, ut habetur in Tridentino illis verbis: *Neque verò tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus Sancti injuria eſſe poſſet.* Non cenſetur autem quis ex contemptu omittere, quia præcisè ſciens, & prudens prætermittit hanc ſuſceptionem Unctionis, ſed quia illam nihili facit, aut quia putat eſſe quid puerile, & parum decens, ut in ſimili notavimus Tract. 3 *de Sacramento Confirmationis, cap. 4. punct. 4. n. 57.* quamvis ea negligentia, & tepiditas non vacet culpâ veniali, ut cum alijs docet Dicaſtillus & Palaus *num. 2.* Foret enim quædam prodigalitas, & negligentia propriæ ſalutis, nolle uti hâc cæleſti medicinâ in eo tempore, quo ægrotus eſt morti proximus, & poteſt tantum juvamen recipere; ut benè inquit Granados *de Extrema Unctione, diſp. 6. n. 11.*

Etiam qui cum ſcandalo.

12. Secundò: peccaret infirmus mortaliter, ſi hoc Sacramentum omitteret cum gravi ſcandalo; ut ſi ratione circumſtantiarum induceret alios ad ſuſpicionem hæreſis, vel contemptûs ipſius omittentis, vel illos etiam ad idipſum nihil faciendum; ut tradunt Dicaſtillus, & Palaus *punct. 8 n. 3.*

Et qui laborans læthali culpa conſcius non poteſt aliud Sacramentum recipere.

13. Tertiò: eſſet peccatum mortale, ſi infirmus habens conſcientiam læthalis culpæ, & non potens aliud Sacramentum recipere, omitteret hoc Sacramentum, quod eſt efficax ad conferendam gratiam ei, qui bonâ fide exiſtimat contritum eſſe, cùm tamen ſolùm ſit attritus: quia difficilior eſt contritio, quàm attritio, & poteſt contingere, quod attritionem putet contritionem; & quia debet quis in illo extremo articulo, quantùm moraliter poteſt, media ſaltem ordinaria pro ſecuritate ſuæ æternæ ſalutis adhibere. Ita Palaus, *dicto n. 3.* cum Suario, & Nuño, Aversa *de Extrema Unctione, ſect. 9.*

CAPUT QUINTUM.

De Miniſtro Extremæ Unctionis.

Caput hoc duobus conſtat Punctis.

P. 1. *Quis ſit Miniſter hujus Sacramenti?*
P. 2. *De obligatione Miniſtri.*

PUNCTUM I.

Quis ſit Miniſter hujus Sacramenti?

Miniſter Extremæ Unctionis eſt ſolus Sacerdos.

1. NEminem, qui non ſit Sacerdos, poſſe eſſe Sacramenti Extremæ Unctionis Miniſtrum docuit Concil. Florent. *in Decret.* de Armen. & habetur in Trid. *ſeſſ. 14. can. 4.* ubi dicitur: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores, &c. Ob idque proprium Extremæ Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.*

Quilibet

Sacerdos eſt ſufficiens Miniſter ad valorem hujus Sacramenti.

2. Quilibet verò Sacerdos, licèt degradatus, vel excommunicatus exiſtat, poteſt validè adminiſtrare hoc Sacramentum: ut colligitur ex Divo Jacobo, & ex Florent. & Trid. quia hoc Sacramentum non miniſtratur per modum judicij, & ſententiæ: ſicut pœnitentia, quæ proindè in Miniſtro juriſdictionem expoſtulat, ſed miniſtratur unctione, & formâ verborum, quæ eſſentialiter non exigunt juriſdictionem: atque ita quemlibet Sacerdotem validè hoc Sacramentum miniſtrare poſſe, docent Suarius, & Bonacina, Palaus *punct. 7. n. 2.* & eſt communis Doctorum ſententia.

Ut licitè Sacerdos miniſtret, juriſdictionem habere debet in ſuſcipientem.

3. Illicitè tamen miniſtrat hoc Sacramentum Sacerdos, niſi ſit proprius, vel à proprio poteſtatem habeat: quia hoc pertinet ad munus paſcendi, in quo ſinè licentia proprij Paſtoris nemo ſe ingerere debet: ut ex communi ſententia tradunt Suarez, & alij apud Bonac. *diſp. 6 qu. unic. punct. 3.* Palaus *punct. 7. n. 3.* & colligitur ex Cle-

ment.

ment. I. *de privil.* ubi pro ſolis Religioſis exemptis, non autem pro ſæcularibus Sacerdotibus lata eſt excommunicatio Pontifici reſervata, ſi abſquè licentia præſumant ſæcularibus miniſtrare hoc Sacramentum.

Sufficit voluntas præſumpta, ratihabitionis Parochi.

4. Ab hac illicita adminiſtratione excuſantur tum Religioſi, tum alij Sacerdotes ſæculares, ſi ex voluntate probabiliter præſumpta, & ratihabitione Parochi, adminiſtratio fiat; ut docuerunt Palaus *n.* 4. & cum alijs Bonacina *punct.* 4. & Dicaſtillus *n.* 183.

Quid in neceſſitate?

5. Quando Parochus verò, vel abeſt, vel omninò noo vult hoc Sacramentum miniſtrare, nec alteri Sacerdoti facultatem concedere, licitè miniſtrat quivis non excommunicatus, aut ſuſpenſus, etiam Regularis in tali neceſſitate, ut docent cum alijs multis Bonac. & Palaus *n.6*. Cenſetur enim tunc Epiſcopus, vel Summus Pontifex dare licentiam.

An in caſu urgenti plures adhiberi poſſint Miniſtri?

6. Stante neceſſitate ex parte Miniſtri: nimirùm ſi inter unguendum deficiat, alium Sacerdotem poſſe perficere unctiones, quas Sacerdos deficiens omiſit, docent cum multis alijs Diana & Palaus *n.7*. Licere tamen alteri unctiones ab initiò repetere, perindè, acſi prior nullam earum inchoaſſet, notat Meratius apud Dian. *tract 3 reſ.7.* & apud alios. Licere etiam ita repetere ſi ſub conditione fiat, admittit Averſa *ſect.* 10. Si verò neceſſitas ex parte infirmi contingat, nempè ſi timeatur deceſſurus antequam omnes unctiones ab eodem Miniſtro perficiantur, adhiberi poſſunt plures Sacerdotes, quorum ſinguli ſuas unctiones ſub ſuis formis peragant. Ita communiter Doctores, non tamen id fieri debet extra neceſſitatem: eſſet enim contra uſum, & praxim Eccleſiæ. Nequè etiam in neceſſitate poteſt unus inungere aliquem ſenſum, & alius formam pronuntiare: uti advertit ex communi Dica. ubi ſup.

PUNCTUM II.

De obligatione Miniſtri Extremæ Unctionis.

Tenetur Sacerdos miniſtrare hoc Sacramentum, & ſi ſit Parochus ex juſtitia.

7. TEnetur proculdubio Miniſter præbere hoc Sacramentum petenti, ſivè indigenti: & quidem ſi ſit Parochus, tenetur ex juſtitia, quâ debet non ſolùm præcisè neceſſaria, ſed etiam valdè utilia Sacramenta, ac ſalutis media ſub gravi peccato providere, & adminiſtrare: præſertim in periculo mortis, in quo talis unguendus exiſtit, & maximè ſi petijt: eſt communis ſententia.

An tempore peſtis?

8. Quod ſi quæras: An teneatur Parochus præbere hoc Sacramentum tempore peſtis? Reſpondetur teneri: ſi periculum contagionis vitare poſſit, adhibitis ſufficientibus cautionibus, & antidotis: quia ſecluſo periculo contagionis non adeſt jam cauſa, quæ Parochum excuſare poſſit ab hujuſmodi Sacramenti adminiſtratione. Si verò tentatis omnibus, periculum morale contagionis vitari non poſſit, tunc non obligari (maximè ſi indè alij privarentur Sacramentorum adminiſtratione: quia non facilè inveniretur, qui Parochi vices ſuppleret) Ita Suar. quem ref. & ſeq. Dicaſtill. *n.* 193. Pal. *punct.* 8. *n.* 5. Tanner. *dub.* 3. qui addit id eſſe intelligendum, niſi Parochus certò ſciret ægrotum eſſe in ſtatu peccati mortalis, & hoc remedio liberandum eſſe, probabiliter ſibi perſuaderet: nam in hoc caſu pateretur æger extremam neceſſitatē ſpiritualem, cui etiam cum periculo vitę corporalis ſubvenire teneretur.

Quid de Sacerdote qui non eſt proprius.

9. Sacerdos verò, qui proprius Paſtor non eſt, ſi abſit proprius, vel nolit hoc Sacramentum miniſtrare, & infirmus nullum aliud Sacramentum ſuſcepit, nequè illi miniſtrari poteſt, tenetur ſub gravi culpa ei unctionem præbere lege charitatis, quæ obligat obvenire proximo graviter indigenti: cùm infirmus eo caſu præſumi debeat, graviter hoc Sacramento indigere: fortè enim ex illius miniſtratione æterna infirmi ſalus pendet, ſi nimirùm virtute illius Sacramenti conſequatur remiſſionem peccatorum mortalium: ut aliquando obtineri poteſt juxta ſupradicta. Ita communiter DD. Si verò alia Sacramenta infirmus ſuſcepit, adhuc obligationem Sacerdotis, de quo loquimur, eſſe gravem, putat Aver. ob magnam utilitatem, & oportunitatem hujus remedij, atquè indigentiam infirmi in mortis articulo. Communiter tamen DD. hanc obligationem per ſe loquendo eſſe tantùm ſub veniali, non ſub mortali, meritò opinantur: quia eo caſu moraliter non præſumitur infirmus unctione graviter indigere. Ita Lay. *c.7. n.3.* Diana *tom.3. t.4 reſ* 170. & Palaus *n.6.*

Debet Miniſter eſſe in ſtatu gratiæ, ut convenienter illud miniſtret.

10. Debet etiam Sacerdos per ſe loquendo eſſe in ſtatu gratiæ, ut convenienter miniſtret hoc Sacramentum. Ideoque ſi gravatum mortali ſe ſentiat, debet priùs, vel confeſſionem, vel perfectam contritionem præmittere, juxta generalem doctrinam Miniſtris Sacramentorum traditam, *tract.1. de Sacram. in gen. c.7. punct.* 10.

Debet etiam nullam habere cenſuram.

11. Deindè liber debet eſſe ab excommunicatione, aliavè cenſurâ, quæ privat adminiſtratione Sacramentorum: alioquin graviter peccabit, ſecluſâ neceſſitate. Idque multo potiori jure ſi ſit denuntiatus, nominatim excommunicatus, vel ſuſpenſus, aut manifeſtus Clerici percuſſor, uti rectè notant DD. communiter in præſenti, & *in tract. de cenſ.* ubi etiam nos de hoc fuſius agemus.

Item ſervare ea, quæ præſcribuntur in Manuali.

12. Tenetur tandem Sacerdos, quantùm fieri poteſt, conſuetas, & præſcriptas cæremonias ſervare, & recitare omnia, quæ præſcribuntur in Rituali; ut communiter tradunt DD. Qui etiam meritò excipiunt caſum neceſſitatis, ſi aliàs decens reverentia non deficiat. Quapropter in neceſſitate poteſt Unctionem miniſtrare Sacerdos, ſinè Miniſtro, ſicuti docent Tolet. Laym. & alij, quos ſeq. Pal. *loco cit.* Item ſinè omni ſolitâ præcatione antecedenti, ſi neceſſitas urgeat, vel ex parte infirmi: quia eſt nimis morti propinquus: vel ex parte Miniſtri ob periculum contagij, ſi detineatur: ut ex communi ſententia tradunt Suar. Dicaſtill. *n.* 197. Pal. *n.3.* & alij: & advertitur in Ritual. Rom. reformato. Et hæc ſint ſatis pro Tractatu iſto Extremæ Uctionis. Utinam ad Eccleſiæ Sanctæ utilitatem, & fidelium ædificatiooem, atquè in moribus ſanam inſtructionem. Pręcipuè verò cedant, cuncta, quæ io hac prima parte *Curſus moralis* diximus, in laudem omnipotentis Dei, B. V. Mariæ de Monte Carmeli, abſquè peccato originali in primo inſtanti ſui eſſe conceptæ. Parentum Eliæ, & Tereſiæ à Jeſu, nec non Ang. D. ac præceptoris N. D. Thomæ.

Si quid autem doctrinæ S. Romanæ Eccleſiæ aliquo modo diſſonum aut minùs conſoonum dixerimus, iterùm, & iterùm libenter retractamus.

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM
Quæ in hac prima Parte ſeu primo Tomo continentur.

A

Abbas.

AN nomine Epiſcopi veniant Abbates? tract. 6. cap. 13. punct. 3. n. 32.

Ablutio.

Ablutio eſt materia proxima Baptiſmi. tract. 2. c. 2. n. 15. p. 2. vide plura verbo *Baptiſmus* circa materiam proximam illius.

Abſolutio.

Sacerdos, qui exiſtens in læthali, abſolvit etiam in extrema neceſſitate, peccat mortaliter per ſe loquendo. tract. 1. c. 7. p. 10. n. 92. Per accidens probabiliter excuſatur. ibidem n. 93.

Quæ mutatio reddat invalidam formam abſolutionis. vide verbo *Pœnitentia*.

Abſolutio ſub conditione de præterito, vel præſenti tenet ſtante conditione. tract. 6. c. 3. p. 3. n. 21. Secus ſub conditione de futuro. n. 23. Abſolutio nequit cooferri abſenti. o. 24. etiamſi confeſſus fuiſſet in præſentia. ibidem n. 26.

An dolor debeat eſſentialiter præcedere abſolutionem? tract. 6. c. 5. p. 1. n. 22.

An poſſit, & debeat abſolvi qui eſt in proxima occaſione peccandi? tract. 6. c. 5. punct. 4. n. 60.

De abſolutione à peccatis reſervatis vide verbo. *Reſervatio caſuum*.

De abſolutione moribundi. vide verbo *Moribundus*.

Ad abſolvendum à peccatis non ſufficit poteſtas Ordinis, ſed requiritur juriſdictio. tract. 6. c. 11. punct. 1. n. 4.

Negare abſolutionem pœnitenti, qui ſequitur opinionem practicè probabilem eſt peccatum mortale. tract. 6. c. 12. p. 3. n. 45.

An abſolutio cenſurarum, & peccatorum poſſit ſub eadem forma impendi? tract. 6. c. 3. punct. 2. n. 11.

Accidens.

Accidens ſpirituale permanens nequit recipi in corpore. tract. 1. c. 2. dub. unico. n. 32. Bene autem ſi ſit viale, & diſparitas ibidem.

Actus.

Actus ſenſibiles compregenduntur nomine rerum, & ſunt materia in Sacramentis, quia ſignificant confusè, tract. 1. c. 4 dub. 1. n. 10.

Nullus actus eſt validus in foro conſcientiæ deficiente conſenſu, licèt exterius legitimus præſumatur. tract. 1. c. 7. punct. 3. n. 30.

Expreſſio actus baptizandi eſt de neceſſitate Baptiſmi. tract. 2. c. 3. p. 3. n. 10.

An quoties duratio actus peccaminoſi eſt diuturna, debeat explicari in confeſſione? tract. 6. c. 8. punct. 2. n. 14.

Admonere.

Quando, & de quibus debeat confeſſarius pænitentem admonere? tract. 6. c. 12. p. 3. n. 32.

An teneatur Confeſſarius admonere laborantem ignorantia invincibili? ibidem o. 34.

Adultus.

Adultus tenetur ſuſcipere Baptiſmum, cum primum moraliter poteſt. tract. 2. c. 5. punct. 2. n. 13.

Tenetur credere miſteria fidei, quando ſufficienter illi proponuntur. ibidem n. 15.

Altare.

Ad Miſſæ celebrationem requiritur altare lapideum conſecratum. tract. 5. c. 4. punct. 3. n. 77.

Celebrare abſque altari eſt peccatum graviſſimum. ibidem. Altare aliud fixum aliud portatile. n. 78. Portatile, ſeu ara redditur ineptum per ſui fractionem, quoties in eo nequeunt ſuſtentari ſimul calix & patena ibidem n. 79. lapis aræ debet eſſe ſimplex, non compoſitus ex duobus. n. 80.

Amentia. Amens.

An amentes poſſint ſuſcipere effectum Euchariſtiæ? vide verbo *Euchariſtia*.

In periculo amentiæ poteſt ſimplex Sacerdos abſolvere: ſicut in periculo mortis. tract. 6. c. 11. punct. 2. n. 27.

Anima.

Animabus purgatorii prodeſt ſacrificium Miſſæ ex lege infallibili. tract. 5. c. 2. punct. 3. n. 24.

Annus.

Quolibet anno tenentur fideles confiteri, ſi habeant mortalia. tract. 6. cap. 7. punct. 3 n. 24. Quo tempore anni? ibidem. n. 34. Qualiter annus in ordine ad impletionem hujus præcepti computandus? n. 35. Qui ineunte anno prævidet fore, ut poſtea nequeat confiteri, tenetur anticipare confeſſionem. num. 39. Alia plura vide verb. *Præceptum*, & verb. *Confeſſio*.

An differre per unum annum pœnitentiam impoſitam à confeſſario, ſit peccatum mortale. tract. 6. c. 10. punct. 5. n. 64.

Apoſtoli.

Sunt Vicarii Dei ad regimen Eccleſiæ, non ad inſtituenda Sacramenta tract. 1. cap. 3. dub. 1. n. 13. Ex traditione Apoſtolorum habet Eccleſia aliqua, quæ ſunt de neceſſitate Sacramentorum, ibidem n. 14.

Apoſtoli jam erant baptizati cum iniciati fuerunt Sacramento Ordinis, tract. 2. c. 1. dub. unic. n. 26.

Approbatio.

Ex Tridentino requiritur approbatio confeſſarii, tract. 6. c. 11. punct. 7. n. 86. Hæc approbatio diſtinguitur à juriſdictione, ibidem. An ex verbis Concilii requiratur approbatio ad audiendas confeſſiones Religioſorum? ibidem n. 87. Obtinens beneficium, cui eſt annexa cura animarum, non indiget alia approbatione, n. 89.

An approbatio confeſſarii facta ab Epiſcopo excommunicato non tollerato, vel ſuſpenſo, ſit valida? tract. 6. c. 11. n. 90. An ſit valida facta ab Epiſcopo judicante aliquem inhabilem, ſed exterius approbante? n. 91. Approbatio, quæ non ſit gratis, licet ſit illicita, eſt valida. n. 92.

Prælatus Regularis abſque approbatione Epiſcopi oon poteſt audire confeſſiones ſæcularium, ibidem n. 93. Neque Doctor io Jure, aut Magiſter in Theologia, n. 94.

Regulares, qui injuſtè rejiciuntur abſque appro-

probatione, non manent eo ipſo approbari, n. 95. A quo Ordinario debeat eſſe approbatus confeſſarius? n. 97. & 99. An approbatus cum limitatione ad confeſſiones virorum ob defectum ætatis, poſſit in virtute bullæ eligi à fœmina in confeſſarium? ibidem n. 101. An approbatus ad confeſſiones ruſticorum: v. g. ſit eligibilis ab aliis per bullam, vel jubilæum n. 104.

Epiſcopus nequit revocare approbationem parochi, quamdiu obtinet beneficium parochiale, aut non ſuſpenditur legitimè, ibidem n. 105. Epiſcopus peccat negando, vel revocando ſine juſta cauſa approbationem. n. 106. Si revocat abſque juſta cauſa, eſt probabile revocationem eſſe nullam, n. 107. Ex juſta cauſa poteſt Epiſcopus revocare approbationem, etiam Regularium, n. 108. An Regulares approbati ab Epiſcopo indigeant licentia ſuorum Prælatorum ad audiendas confeſſiones ſæcularium? n. 109.

Aqua.

Aqua naturalis eſt materia baptiſmi, tract. 2. c. 2. per totum.

Uti aquâ dubiâ, vel impurâ, vel non benedictâ, in baptiſmo, quale peccatum? vide verbo *Baptiſmus*. Quæ quantitas aquæ ſufficiat ad baptiſmum, tract. 2. c. 2. punct. 4. n. 42. & deinceps. Aqua debet admiſceri vino in conſecratione Calicis, tract. 4. c. 4. punct. 4. n. 52. Sine hac admixtione ſubſiſteret conſecratio, n. 53. Incertum eſt, an præceptum admiſcendi aquam ſit divinum, vel Eccleſiaſticum? ibidem n. 59. & ſeqq. Aqua debet eſſe modiciſſima, & naturalis, n. 67. Qui aliam admiſceret, peccaret graviter, n. 68. Alia obſervanda in admixtione aquæ à n. 69. Aqua non convertitur immediatè in ſanguinem Chriſti; ſed prius debet converti in vinum. ibidem n. 79. & ſeq.

Artefactum.

In artefactis forma relata ad materiam eſt accidentalis; relata ad concretum eſſentialis. tract. 1. c. 4. dub. 2. n. 27.

Attentio.

Quæ attentio requiratur ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ? tract. 5. c. 6. p. 1. n. 37. & ſeq. Attentio virtualis non ſufficit ad conſequendos omnes effectus orationis, ibidem n. 44.

Attritio.

Attritio requiritur in adultis baptizandis. tract. 2. c. 6. punct. 3. n. 51. Eſt actus imperfectus. tract. 6. c. 1. punct. 4. n. 16. Quid ſit? ibidem. Eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti, non inhabitantis, ſed moventis animam. ibidem. Non petit ad ſui productionem habitum, ſed tantum auxilium. ibidem n. 17. Se ſola non eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam niſi cum Sacramento. n. 16. In quibus differant attritio, & contritio perfecta. Attritio virtualis in quo conſiſtat? n. 23. Probabile videtur ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento in eo, qui non habet conſcientiam peccati mortalis. Sola attritione cum Sacramento ſatis fit præcepto pœnitentiæ etiam in mortis articulo, n. 29. & 35.

Secundum diverſas formalitates habet eſſe ſimul res, & pars Sacramenti, tract. 6. c. 2. punct. 3. n. 15.

Attritio ſolum naturalis non eſt ſufficiens ad validitatem Sacramenti, c. 5. dub. un. n. 17.

Attritus.

Quo pacto fiat ex attrito contritus? tract. 6. c. 2. punct. 3. n. 15.

Aurora.

Aurora quod tempus complectatur in ordine ad celebrandam Miſſam? tract. 5. c. 4. punct. 1. n. 33.

Auxilium.

Quid requiratur, ut auxilium ſit connaturale principio, cui confertur? tract. 1. c. 5. dub. unic. n. 35. Auxilium debitum gratiæ habituali eſt diſtinctum ab eo, quo Deus concurrit cum gratia Sacramentali, ibidem.

B.

Baptiſmus.

BAptiſmus recedente fictione cauſat ſuum effectum, tract. 1. c. 5. punct. 5. n. 53. Quo ordine (recedente fictione) cauſetur gratia Baptiſmi, & gratia Pœnitentiæ? ibidem n. 64.

Baptiſmus fluminis, & flaminis, & ſanguinis, tract. 2. c. 1. punct. 1. n. 1. Baptiſmi flaminis deſcriptio, n. 2. & Baptiſmi ſanguinis, n. 3. Baptiſmus aquæ habet plura nomina, n. 4. Definitur, n. 5. Baptiſmus ſecundum communem uſum non ſolùm ablutionem, ſed totum Sacramentum ſignificat, n. 14. Alia definitio metaphyſica Baptiſmi, n. 17. ibidem.

Baptiſmus inſtituitur à Chriſto ante paſſionem tract. 2. c. 1. dub. unic. n. 25. Quo ordine B. Virgo, & Apoſtoli fuerint baptizati? n. 26. Baptiſmus ante paſſionem habuit vim ab ea, ſicut à cauſa meritoria prævîſa. n. 29. Imò ut à cauſa phyſica à paſſione ut inchoata ibidem. Maxima perfectio illi acceſſit ex conſummatione paſſionis, ibidem. Ante paſſionem non erat ſub præcepto, num. 32. Inſtituitur à Chriſto, quando baptizatur à Joanne, n. 33. & ſeq. ibidem.

Baptiſmi materia remota eſt aqua naturalis, tract. 2. c. 2. punct. 1. n. 1. Cur aquam elegerit? ibidem, n. 2. Omnis aqua naturalis eſt materia Baptiſmi, n. 3. Liquores alii arcentur à ratione materiæ, n. 5. Similiter gelu, nix, &c. n. 7. Secus aqua ex his reſoluta, & quare? n. 8. Aqua naturalis quantumvis tranſmutata ſi conſervet ſpeciem, ſufficit, n. 9. Lutum non eſt materia, bene aqua ab eo expreſſa, & ſic de aliis n. 11. Si aqua eſt dubia quid agendum? n. 11. In extrema neceſſitate licitè confertur Baptiſmus in aqua dubia ſub conditione, n. 12. Uti aquâ impura, ſine neceſſitate eſt mortale, n. 14. & ſimiliter non uti aquâ benedicta, quæ ſervatur in fonte baptiſmali, n. 14.

Materia proxima baptiſmi eſt ablutio, tract. 2. cap. 2. punct. 2. n. 15. Hoc Sacramentum non eſt permanens ibidem. Quid ſit ablutio? n. 16. Debet fieri ab eodem, qui profert formam ibidem. Ablutio non fit per ſolum contactum, ſed debet eſſe contactus ſucceſſivus aquæ ad corpus, vel corporis ad aquam, ibidem. Debet fieri eo tempore quo profertur forma. n. 17. Præceptum de trina immerſione abrogatum eſt per contrarium uſum, n. 18. Si quis projiceret infantem in puteum animo ſimul baptizandi, & occidendi, validus eſſet baptiſmus, n. 19. & ſequent. Baptiſmus qualiter ſignificet reſurrectionem Chriſti? n. 31. Per primam ex tribus immerſionibus perficitur Sacramentum, n. 32. Quid ſi miniſter intendat baptizare trina immerſione, & unam tantùm adhibeat? n. 34. Etiamſi immineret infanti mors, & non daretur aliud medium ad baptiſmum, quàm immittere illum in puteum, non eſſet

Digitized by Google

eſſet licita immiſsio, n. 35. Nec licet aperire matrem ante mortem ad baptizandum infantem, n. 35. Licet baptizare infantem, & ſi ex ablutione crederetur mortem accelerandam fore, n. 36. Caſus tamen moraliter eſt ferè impoſſibilis, ibidem.

. Ad Baptiſmum non requiritur ablutio totius corporis, ſed ea, quæ ſufficit, ut dicatur homo abſolutè ablui, tr. 2. c. 2. p. 3. n. 37. An ſufficiat in capite: in ſcapulis: in pectore; & in humeris? n. 38. & 39. An ſufficiat in brachio, vel in manu? ibid. Tamen de his partibus probabiliter dubitatur, & ita infans eſt ſub conditione rebaptizandus, n. 39. & 40. ſi ablutio fiat in digito: in unguibus, in capillis, *&c.* materia eſt valde dubia, n. 41. Inſtante morte debet etiam in his partibus conferri baptiſmus ſub conditione, ibidem. Una gutta aquæ, vel duæ an ſufficiant ad baptiſmum? punct. 3. n. 42. In caſu extremæ neceſſitatis poteſt, immò debet adhiberi baptiſmus ſub conditione cum gutta aquæ, n. 45. Parva quantitas aquæ ſufficit ad baptiſmum, n. 44.

Forma baptiſmi non deſtruitur omittendo pronomen *ego*, tr. 1. c. 3. punct. 1. n. 1. Hæc omiſſio (ſecluſo contemptu) eſt ſolùm venialis, n. 2. Non requiritur ad valorem hujus Sacramenti exprimere in forma perſonam miniſtri, ſed ſufficit ſignificare actum exercitum per illum cum invocatione Trinitatis, n. 3. Peccaret graviter Latinus, qui uteretur in baptiſmo forma Græcorum, n. 4. Debet in baptiſmi forma ſignificari perſona, quæ baptizatur, n. 6. Qui baptizando unum diceret *vos*, validum efficeret baptiſmum, ſed peccaret venialiter, n. 7. In neceſſitate poſſunt plures validè, & licitè baptizari eâdem formâ *ego vos baptizo*, *&c.* n. 8. Extra neceſſitatem eſt peccatum, ſed probabilius eſt, ſolùm eſſe veniale, n. 9. Expreſſio actus baptizandi eſt de neceſſitate Sacramenti, ibidem punct. 3. n. 10. Non debet neceſſariò exprimi per verbum *baptizo*. Sed ſufficit aliud æquivalens, n. 12. Sive fiat per modum indicativum, ſive per imperativum, n. 14.

In baptiſmi forma debet exprimi unitas Divinæ eſſentiæ, tr. 2. c. 3. punct. 4. n. 14. Qui diceret in nominibus Patris, & Filii, non baptizaret, ibidem, n. 16. Quid ſi diceret in nomine Patris, in nomine Filii: *&c.* n. 19. & ſeq. Quid ſi omittatur particula *In*? n. 21. Trinitas perſonarum debet exprimi communibus nominibus Patris, & Filii, *&c.* ibidem, dub. unico, n. 27. cum ſeq. Non ſufficit exprimere Patrem nomine genitoris, n. 32. Qui nomina Patris, & Filii mutaret, peccaret mortaliter, n. 33. Baptiſmus collatus in nomine Chriſti eſt nullus, n. 36. Nec eſt certum, Apoſtolos uſos fuiſſe hoc baptiſmo, n. 37. Particula *Amen*, non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, n. 39. Neque peccat mortaliter eam omittens, n. 40. Simultas requiſita inter materiam, & formam baptiſmi, n. 41. Si ſtatim poſt ablutionem proferatur forma, & è contra, tenet Baptiſmus, num. 44.

Miniſter ſufficiens ad valorem hujus Sacramenti eſt quilibet homo potens lavare, & verba proferre, tract. 2. c. 4. punct. 2. n. 1. Differentia inter Baptiſmum, & Pœnitentiam, ibidem, n. 5. Ordo inter miniſtros baptiſmi in caſu neceſſitatis, ibidem, punct. 2. n. 6. An ſit mortale pervertere hunc ordinem? n. 7. Laicus baptizans in præſentia Sacerdotis peccat mortaliter, n. 13. Quid ſi Sacerdos ſit excommunicatus? à n. 14. In caſu neceſſitatis quilibet tenetur ſub mortali baptizare, ſi alius non adſit, n. 19. Qui non eſt Sacerdos nec Diaconus ex commiſſione Sacerdotis, & baptizat ſolemniter, peccat mortaliter ibidem, n. 20. Qui relicto miniſtro fideli, invitaret paganum ad baptizandum peccaret mortaliter, n. 21. Baptizare præſente Parocho, & renuente, eſt mortale, n. 22. Plures poſſunt eſſe miniſtri unius baptiſmi; ut cauſæ totales, ibid. punct. 3. n. 23. Sed peccarent mortaliter ibidem. Plura inſtrumenta poſſunt ad eundem effectum concurrere, n. 25. Si plures intenderent baptizare, ut cauſæ partiales, nihil efficerent, n. 28. Si ex duobus unus ablueret, alter verba proferret, eſſet nullum Sacramentum, n. 30. & ſequent. In caſu neceſſitatis an hoc pacto ſub conditione poſſet conferri? n. 31.

Miniſter baptiſmi ex officio eſt ſolus Sacerdos, tract. 2. c. 4. punct. 1. n. 32. De jure poſitivo requiritur poteſtas juriſdictionis in perſonam, n. 35. Ideo peccant mortaliter parentes, qui offerunt puerum baptizandum Sacerdoti alieno abſque proprii licentia, n. 36. & ſine ea peccat mortaliter alienus baptizans, abſque urgente neceſſitate. 37. Peregrinus poteſt baptizari in Eccleſia, quam elegerit, ibidem. Et quilibet alienus Sacerdus de licentia Parochi, n. 38. Et Religioſus poteſt baptizare in neceſſitate, vel de licentia Ordinarii, n. 39. Si Sacerdos abſque licentia Parochi baptizaret infantem, non incurreret excommunicationem, n. 40. Baptizare ſine ſolemnitate extra articulum neceſſitatis, eſt mortale, n. 41. De commiſſione Parochi poteſt alius Sacerdos, & etiam Diaconus baptizare ſolemniter, n. 43. Alii Clerici inferiores non poſſunt ſolemniter baptizare, n. 44.

Baptiſmus in re ſuſceptus eſt neceſſarius neceſſitate medii infantibus extra caſum martyrii, tract. 2. c. 5. punct. 1. n. 1: Adultis ſufficit in re, vel in voto, n. 3. Datur etiam de jure divino præceptum baptiſmi, p. 2. Quando hoc præceptum cœperit obligare? n. 5. Intra quod tempus obliget? Quæ dilatio ſit ſufficiens ad mortale? n. 11. & 12. Adultus inſtructus in fide, tenetur ſuſcipere baptiſmum, cum primum moraliter poteſt, n. 13. & ſeq. Brevis dilatio excuſat à mortali, n. 17.

Effectus baptiſmi primus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & perſonalis ante illum commiſſæ, tract. 2. c. 5. punct. 3. n. 20. Secundus eſt condonatio omnis pœnæ debitæ peccatis, n. 22. & ſequent. Pœnalitates non auferuntur, & quare? n. 25. Tertius eſt divinæ gratiæ largitio, n. 26. Quartus eſt characteris impreſſio, n. 28. Quintus cæli apertio, n. 29. Sextus eſt ſubjicere baptizatum poteſtati Eccleſiæ, num. 31.

Subjectum baptiſmi eſt omnis, & ſolus homo vivus qui in ſe ipſo ablui poteſt, tr. 2. c. 6. punct. 1. n. 1. Infans intra uterum matris exiſtens non eſt capax baptiſmi, ibidem n. 5. Quid agendum ſi partus ſit monſtruoſus? n. 6.

An liceat infidelium filios baptizare invitis parentibus vide plura, verbo *Infideles*.

In infantibus nulla requiritur diſpoſitio ad ſuſcipiendum baptiſmum, tr. 2. c. 6. punct. 3. n. 39. In adultis ad valorem requiritur intentio, n. 40. Satis eſt, quod præceſſerit, & non retractetur, ibid. n. 43. Quando liceat baptizare dormientem, vel amentem, n. 43. & 44. Non licet baptizare habentem ſe negativè, n. 46. Requiritur in adulto baptizando actus fidei à n. 37. & attritio ibid. n. 51. & ſeq. Non requiritur contritio, num. 53.

Digitized by Google

Ut baptiſmus iteretur ſub conditione non ſufficit ſerupulus, ſed requiritur dubium rationabile, tract. 2. c. 6. punct. 4. n. 55. In quibus caſibus liceat baptiſmum ſub conditione repetere, n. 56. & ſeq. an poſsit conferri baptiſmus infantibus expoſitis eum ſchedula, quod fuerit baptizatus? ibidem, n. 64.

Ritus obſervandi in baptiſmo, & illorum ſignificatio, tract. 2. c. 7. punct. 1. per totum. Si baptiſmus ſinè ſolemnitate confertur, debent poſtea cæremoniæ ſuppleri, ibidem, n. 18. Si baptiſmus ſolemniter collatus fuit invalidus, etiam ſunt cum ipſo repetendæ cæremoniæ, n. 21.

De patrino, ſeu ſuſcipieno in baptiſmo ſolemni vide plura, verbo *Patrinus*.

Baptiſmus reſpicit Euchariſtiam, ut finem, tract. 4. c. 3. dub. 1. n. 25. In voto baptiſmi, & in ſuſceptione baptiſmi includitur votum Euchariſtiæ ibidem. Baptiſmus eſt neceſſarius per modum inchoationis vitæ ſpiritualis; Euchariſtia per modum conſummationis, n. 26. Aliæ differentiæ inter votum baptiſmi, & votum Euchariſtiæ, ibidem.

Licet Sacerdoti abrumpere Miſſam ad ſubveniendum infanti nato in Eccleſia ne moriatur abſque baptiſmo, tract. 5. ca 4. punct. 4. n. 109.

Omnia, & ſola peccata commiſſa poſt baptiſmum, vel in inſtanti terminativo baptiſmi ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, tract. 6. c. 4. punct. 1. num. 9. & ſequent. Poteſt gratia baptiſmalis ſupponere in aliquo genere gratiam Sacramenti Pœnitentiæ, ibidem, n. 12.

Baptizatus.

Pro omni baptizato licet Miſſam offerre, ſive ſit infans, ſive ſit energumenus, tract. 5. c. 2. punct. 2. n. 9. & ſequent.

Beneficium.

Obtinens beneficium, cui eſt annexa cura animarum, non indiget alia approbatione ad confeſſiones audiendas, tract. 6. c. 11. punct. 7. n. 89.

Blaſphemia.

In confeſſione peccati blaſphemiæ explicandum eſt, an proceſſerit ex odio Dei, tract. 6. c. 8. punct. 6. n. 93. Item an fuerit in Deum, vel in Beatam Virginem, vel in ſanctos? ibidem, n. 95. & 96. Blaſphemiæ in ſanctos omnes ſunt ejuſdem ſpeciei, num, 97.

Bulla Cruciata.

Probabile eſt per Bullam Cruciatam dari facultatem ſuſcipiendi Euchariſtiam ab eo, qui non eſt Paſtor proprius, tract. 4. c. 9. punct. 2. n. 16. Tranſacto tempore Bullæ Cruciatæ poteſt confeſſarius concedere majus tempus pœnitenti, ut recordetur de voto, quod ſcit ſe emiſiſſe, ſed ſpeciei non recordatur, & poſtea tranſacto anno illud commutare, tract. 6. c. 11. punct. 4. n. 70. Qui per Bullam Cruciatam habet poteſtatem abſolvendi, ſi confeſsio cæpta eſt, poterit eam proſequi, & ſi tempus Bullæ interim finiatur, ibidem, n. 71.

Facultas conceſſa per Bullam eligendi confeſſarium, non expirat morte Pontificis concedentis, tract. 6. c. 11. ibidem, num. 85.

An qui approbatur cum limitatione ad confeſſiones virorum poſsit eligi per Bullam à fœmina? tract. 6. c. 11. punct. 7. n. 101. Habens Bullam Cruciatam poteſt ſemel in vita, & ſemel in morte abſolvi ab omnibus reſervatis, excepta hæreſi, tract. 6. c. 12. punct. 1. numero 5.

An per Bullam Cœnæ revocetur facultas data Prælatis Regularibus ad abſolvendum à reſervatis? tract. 6. c. 13. punct. 3. num. 33.

C.

Calor.

Calor non eſt virtus purè inſtrumentalis, ſed participat aliquem modum cauſæ principalis tract. 1. c. 6. dub. 6. n. 58.

Capitulum.

An nomine Epiſcopi veniat capitulum ſede vacante in facultate abſolvendi, *&c.* tract. 6. c. 13. numero 31.

Captivus.

Captivus exiſtens abſque ſpe libertatis & alterius confeſſarii, poteſt à ſimplici Sacerdote abſolvi à quibuſvis peccatis tract. 6. c. 11. punct. 2. 28.

Caput.

Caput eſt pars, quæ certiſſimè ſufficit ad Baptiſmum ſi abluatur tract. 2. c. 2. punct. 3. n. 38.

Cardinales.

Cardinales poſſunt ſibi eligere confeſſarium, & dare ſuæ familiæ facultatem eligendi, tract. 6. c. 11. punct. 3 n. 50.

Catechumenus.

Pro Catechumenis licet offerre Sacrificium Miſſæ, tract. 5. cap. 2. punct. 2. n. 21. An autem pro mortuis? punct. 3. n. 26.

Cauſæ.

Quæ cauſæ excuſent à præcepto Miſſæ vide verbo *Miſſa*, & tract. 5. c. 6. punct. 5. per totum. De cauſis excuſantibus ab integritate confeſſionis, vide verb. *Integritas*. De excuſantibus ab executione pœnitentiæ injunctæ, vide verbo *Satisfactio*, & tr. 6. c. 10. punct. 5. n. 80.

Celebrare Miſſæ Sacrificium.

De Miſſæ celebratione, vide verb. *Miſſa*, & tr. 5. c. 4. per totum. Dantur aliqui caſus in quibus poteſt Sacerdos bis, vel pluries eodem die celebrare, ibidem punct. 1. n. 11. ut quando Parochus habet duas Eccleſias, n. 12. Quando eſt neceſſitas conferendi viaticum infirmo n. 16. Quando eſt penuria Sacerdotum, & copia Catholicorum, qui ſimul nequeunt concurrere, n. 17. An autem quando ſupervenit princeps facta conſecratione? n. 19. Licet bis celebrare quando tanta multitudo concurrit, ut eam Baſilica capere nequeat, n. 22. & propter concurſum peregrinorum, & propter conſuetudinem, n. 23. & 24.

Licitum eſt celebrare Miſſam ante dictam primam, etiam ſecluſa cauſa, tr. 5. c. 4. punct. 1. n. 43. Non eſt mortale celebrare ante matutinum ſinè juſta cauſa n. 45. ſed eſt veniale, n. 47. A quo excuſat rationabilis, vel mediocris cauſa ibidem. Oppoſitum dicendum eſt de Miſſa conventuali, ubi eſt conſuetudo recitandi primò horas Canonicas, n. 48. Licitum eſt celebrare in mari ſervatis aliquibus circumſtantiis tract. 5. c. 4. punct. 1. n. 63.

Cenſura.

An eâdem formâ poſſit confeſſarius abſolvere à peccatis, & cenſuris? tract. 6. c. 3. punct 1. n. 11. Qui in mortis articulo abſolvitur à cenſuris reſervatis, debet, ſi periculum evadat, ſe præſentare ſuperiori, tract. 6. c. 11. punct. 2. n. 21.

Ceſſatio.

Poteſt injungi in ſatisfactionem ceſſatio ab aliquo opere bono, ob majus bonum, tract. 6. c. 10. punct. 3. n. 36.

Cha-

Index Rerum.

Character.

In quibus Sacramentis imprimitur? tr. 1. c. 6. punct. 1. à n. 2. eſt ens reale ibidem dub. 1. n. 8. importat aliquid, quod ſit principium operationis, n. 11. Non eſt in genere relationis, ſed qualitatis ibidem, dub. 2. n. 14. Ordo; & reſpectus, quem dicit, non eſt ad purum terminum, ſed ad cauſam, vel effectum, n. 17. Non eſt paſſio, nec paſſibilis qualitas ibidem dub. 3. n. 20. Nec conſtituitur in quarta ſpecie qualitatis ibidem dub. 4. n. 25. Nec in prima ibidem dub. 5. n. 30. Character confirmationis non ſolùm datur ad profitendam fidem firmius; ſed ad defendendam illam ex officio ibidem dub. 4. n. 34. Character conſtituitur in ſecunda ſpecie qualitatis ibidem dub. 6. num. 44. Character Baptiſmi eſt potentia paſſiva, Character ordinis potentia activa, & character confirmationis potentia partim activa, partim paſſiva ibidem n. 44. Ratio potentiæ convenit, characteri, non ſolùm moraliter, ſed & phyſicè, n. 49. Character non ponitur in prædicamento directè, & per ſe, ſed indirectè, n. 56. Nec eſt virtus inſtrumentalis completa, n. 59. Characteres ordinum minorum deſerviunt, ut homo exerceat aliquas actiones ſacras ex officio, ibidem, n. 67.

Character non recipitur in ſubjecto corporeo tract. 1. c. 6. dub. 7. n. 71. Non ſubjectatur immediate in anima, nec in voluntate, ſed in intellectu, ibidem n. 78. Character, qui eſt potentia activa dirigit potentias externas, ibidem n. 81. Non eſt neceſſarium, quod character recipiatur in parte notiori, n. 83. Quare character cum ſit potentia, recipiatur in aliqua potentia, & non in anima? n. 80. Solùm regulativè concurrit ad intellectionem, n. 86. Manet in anima poſt mortem, ibidem n. 89. & non fruſtra, ibidem n. 92.

Chriſtus.

Chriſtus Dominus, ut Deus, habuit poteſtatem authoritatis ad inſtituenda Sacramenta, tr. 1. c. 3. punct. 1. n. 3. Omnia Sacramenta fuerunt inſtituta immediatè à Chriſto, ibidem dub. 1. n. 9. Non commiſit Apoſtolis poteſtatem ad inſtituenda Sacramenta, n. 11. Soli Chriſto Domino convenit poteſtas excellentiæ, n. 15. poteſtas, quam habuit Chriſtus, ut homo, potuit quantum ad ſubſtantiam communicari Apoſtolis, & aliis tr. 1. c. 3. du. 2. n. 20.

Non eſt de eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ quidquid Chriſtus obſervavit in ejus conſecratione, tr. 4. c. 4. punct. 4. n. 58.

Chriſtus Dominus in cœna non fregit panem conſecratum, ſed nondum conſecratum, tr. 5. c. 1. dub. unico n. 21. Chriſtus Dominus eſt præcipuus offerens in ſacrificio Miſſæ, tr. 5. c. 2. punct. 1. n. 3. Cur licet Chriſtus plures actiones honeſtas in cælis eliciat, non mereatur? ibidem n. 4.

Circumciſio.

Circumciſio fuit Sacramentum veteris legis, cui in nova correſpondet Baptiſmus tr. 1. c. 2. punct. 1. n. 1. & ſeq.

Circumſtantia.

Circumſtantiæ mutantes ſpeciem reatus, ſcilicèt veniale in mortale, ſunt explicandæ in confeſſione, tr. 6. c. 8. punct. 2. n. 10. Actus exterior non tam eſt circumſtantia, quam conſummatio actus, ibidem n. 11. Quoties circumſtantia quantitatis affert cenſuram explicanda eſt in confeſſione, n. 12.

Circumſtantiæ peccatorum purè aggravantes intra eandem ſpeciem, non ſunt neceſſario explicandæ in confeſſione, ibidem n. 23. Cur Chriſtus non obligavit homines ad harum circumſtantiarum confeſſionem? n. 28. Occidere tres homines unico ictu non eſt pura circumſtantia aggravans, & ideo debet numerus explicari tract. 6. c. 8. punct. 3. n. 30. An reſpectu inceſtus ſit ſolùm circumſtantia aggravans quod committatur cum. conſanguinea, vel affine, &c. ibidem, n. 31.

Circumſtantia *quis* denotat qualitatem, vel ſtatum peccantis tract. 6 c. 8. punct. 4. n. 5. 2. An ſit opus explicare in confeſſione utrum res fuerit ſemel, vel ſæpius per votum promiſſa? n. 53. An ſolemnitas voti debeat explicari? n. 54. An quod peccans ſit Novitius? n. 55. An quod ſit ſponſus vel ſponſa? n. 56. An quod erat virgo? n. 57. An quod erat confeſſarius ejus, cum qua peccavit? n. 58. An debeat explicari dignitas peccantis: v. g. ſi eſt Epiſcopus, *&c.* ibidem n. 61. Quid ſi Paſtor ſit coôperator in ſuæ ovis peccato? n. 62. Gubernator civitatis non impediens aliorum furta, tenetur circumſtantiam proprii ſtatus explicare; non autem ſi ipſe furetur, n. 63. Sacerdos percutiens Laicum non tenetur ſuum ſtatum explicare, n. 64. An frigidus, vel Enuchus accuſans ſe de fornicatione, debeat explicare circumſtantiam impotentiæ, n. 65. An ſit explicandum utrum ſcienter, vel ex ignorantia culpabili peccaverit homo? n. 66. Non tenetur homo per ſe loquendo explicare conſuetudinem peccandi, n. 67. Sed per accidens aliquando tenetur, n. 68.

Circumſtantia *quid* denotat qualitatem perſonæ, cum qua, vel circa quam committitur peccatum tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 70. Quando uterque committens peccatum carnis eſt conjugatus, debet hoc explicari in confeſſione, n. 71. Similiter ſi uterque habet votum caſtitatis ibidem. Qui non ſervat votum juramento firmatum, debet utramque circumſtantiam confiteri, n. 72. Quando plura præcepta cadunt ſuper eandem materiam ex eodem motivo, non debent explicari in confeſſione, n. 73. Qui abſque interruptione morali pluries appellat aliquem ebrium, vel juramentum falſum profert, non committit plura moraliter peccata explicanda in confeſſione, n. 75. An in contumeliis, detractionibus, & judiciis temerariis debeant in confeſſione explicari defectus contra proximum? n. 76. An in jactantia debeat homo explicare ſpeciem peccati, de quo fuit jactantia? n. 77. & ſeq. In peccato conſilii de opere illicito debet explicari ſpecies talis operis, n. 81. circa circumſtantiam injuriæ quid de conjuge in conjugem? n. 84. Quid de patre in filios? n. 83. Quid de fratre in fratrem? n. 85. Quid de offenſa benefactoris? n. 86. Injuria cognati remoti non eſt circumſtantia neceſſariò confitenda, n. 87. An offenſa in principem ſæcularem addat circumſtantiam neceſſariò explicandam? n. 88. Circumſtantia Sacerdotis, qui offenditur, non ſemper eſt explicanda, ſed ſolum quando redundat in ſtatum, n. 89. Explicandus eſt numerus, & qualitas perſonarum coram quibus quis turpia locutus eſt, vel ſcandalum præbuit, n. 90. explicanda eſt in confeſſione blaſphemia ex odio Dei procedens, n. 93. Item an fuerit in ſanctos, vel in B. Virginem, n. 95. & 96. Blaſphemiæ in ſanctos omnes ſunt ejuſdem ſpeciem, n. 97. Tenetur quis explicare an deſeruerit fidem Paganiſmo, vel Judaiſmo, vel hæreſi, n. 99.

Circumſtantia *ubi* deſignat locum delicti, tr. 6. cap. 8. punct. 4. n. 100. ſi homicidium, pollutio, copula, *&c.* fiant in loco ſacro debet hæc circumſtantia explicari in confeſſione. n. 100. Furtum

in loco ſacro contrahit malitiam ſacrilegii explicandam in confeſſione. u. 101. Qui extra Eccleſiam deſiderat habere copulam io Eccleſia, vel furari, *&c.* debet explicare hanc circumſtantiam, n. 102. Pollutio habita in cællulis Religioſorum, non contrahit malitiam ſpecialem explicandam in confeſſione, n. 103.

Non eſt neceſſarium *per ſe loquendo* explicare in confeſſione inſtrumenta peccati, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 104. Niſi quando aliundè important diverſam malitiam ut ſunt Sacramenta, n. 104. An inducens ad fornicationem, *&c.* debeat hanc circumſtantiam explicare? ibidem.

Non eſt opus explicare quod medium malum aſſumptum fuerit in ordine ad finem ex ſe non malum, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 106. Qui furatur propter fornicationem poteſt ſeorſim illas malitias explicare, n. 109.

Non eſt neceſſariò explicanda circumſtantia intentionis in peccando, tract. 6. c. 8. punct. 4. n. 110. violentia ſi transferat actum in aliam ſpeciem, eſt explicanda, ut in raptu, in rapina, ibidem, n. 110.

Peccare in die feſto non eſt circumſtantia neceſſariò fatenda, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 111. Nec patrare delictum in die Jovis, vel Veneris ſancti, ibidem n. 111. Niſi aliqua gravis irreverentia fieret, ibidem.

Cognatio.

De cognatione ſpirituali vide, tract. 2. c. 7. punct. 2. per totum.

Commutatio.

De commutatione pœnitentiæ, vide verb. *ſatisfactio.*

Complex.

Poteſt, & debet manifeſtari complex, ſi id ſit opus ad integritatem confeſſionis, tr. 6. c. 8. punct. 5. n. 125.

Compoſitio.

Duplex compoſitio, alia phyſica, alia moralis, tr. 1. c. 4. dub. 2. n. 29. Moralis ſufficit ad Sacramenta, ibidem. Compoſuum morale non petit quod partes phyſicè coexiſtaut, ibidem, & o. ſequent.

Concupiſcentia.

Concupiſceotia remanet in Baptizatis tr. 2. c. 5. punct. 3. n. 21.

Conditio.

An apponere conditionem in Sacramentis ſine gravi cauſa ſit peccatum mortale? tr. 1. c. 7. punct. 4. n. 56. Conditio de futuro reddit irritum Sacrameotum, ibidem n. 58. & tr. 6. c. 3. punct. 3. n. 23.

Confeſſarius.

Confeſſarius poteſt eâdem formâ abſolvere à cenſuris, & peccatis, tr. 6. c. 3. punct. 3. n. 11. An debeat explicare in confeſſione quod peccavit cum pœnitente? tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 58. Quando confeſſio ob defectum confeſſarii ſit invalida? vide verb. *Confeſſio.* An ſi pœnitens repetat confeſſionem invalidam apud eumdem confeſſarium, debeat repetere ſingula peccata? tr. 6. c. 9. punct. 5. o. 31.

Confeſſarius per ſe loquendo tenetur ſatiſfactionem injungere, tr. 6. c. 10. punct. 2. n. 15. An teneatur ſub mortali injungere ſatisfactionem, quando peccata ſolùm ſunt venialia, vel alias confeſſa? ibidem, n. 18. Licitum eſt aliquando abſolvere abſque impoſitione pœnitentiæ, ut ſi moribundus nequeat audire, *&c.* n. 20. Quid ſi pœnitens credatur plenè ſatisfeciſſe? n. 22. Quid ſi in proximo ſit indulgentia lucranda? n. 23. Quid ſi ſcrupuloſus ſæpius accedat, ut abſolvatur? n. 24. Quid ſi confeſſarius judicet pœoitentem non admiſſurum, vel executurum pœnitentiam? n. 25. Qualem, ac quantam ſatisfactionem debeat confeſſarius imponere pœnitenti. Vide verbo *ſatiſfactio.* Si confeſſarius non explicet, quod opera impoſita in pœnitentiam ſint ex aliàs debitis ex præcepto, intelligendus eſt de operibus ſupererogationis, tr. 6. cap. 10. punct. 3. num. 28. Quantitas pœnitentiæ relinquitur prudenti arbitrio confeſſarii, ibidem punct. 3. num. 43. Quando confeſſarius imponit leviorem ſatisfactionem, quam alioquin peccata merentur, debet de hoc admonere pœnitentem, num. 47. Confeſſarius non poteſt ſe conformare cum npinione aſſerente, pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam, ſi velit abſolvi, tr. 6. cap. 10. punct. 4. num. 58. Quilibet confeſſarius poteſt commutare pœnitentiam impoſitam ab alio, etiam ſuperiori, ſivè peccata fuerint reſervata, ſivè non, tr. 6. cap. 10. punct. 6. num. 71. & ſeq. Extra confeſſinnem nequit commutare, ibidem n. 74. & 75. An debeat audire eadem peccata, ob quæ fuerat impoſita pœnitentia? n. 78.

A quo Ordinario debear approbari confeſſarius? tr. 6. 11. num. 99. Alia circa approbaiionem confeſſarii vide verbo *Approbatio.*

Confeſſarius, ut licitè miniſtret Sacramentum pœnitentiæ, debet prius procurare ſtatum gratiæ. tr. 6. c. 12. punct. 1. num. 1. An iſte ſtatus requiratur toto tempore, quo audit confeſſionem: an pro ſolo tempore abſolutionis? ibidem n. 2. Quæ ſcientia requiratur in confeſſario? ibidem n. 3. Debet ſcire caſus reſervatos, & cenſuras, ibidem num. 6. Species, numerum, & circumſtantias peccatorum, num. 6. & impedimenta matrimonii, *&c.* ibidem. Non ſemper eſt neceſſarium, quod hæc omnia poſſit per ſe ipſum diſcernere, n. 7. Major exigitur ſcientia in uno loco, quàm in alio, n. 8. Quid debeat agere confeſſor, ſi per ſe ipſum aliquem caſum, nequeat reſolvere? num. 10. Qui ex induſtria quærit confeſſarium imperitum, & pro ſe inſufficientem, invalidè confitetur, ibidem num. 11. Ex quibus cauſis poſſit excuſari, & permitti minor ſcientia in confeſſario? num. 12.

Quando confeſſarius teneatur interrogare pœoitentem, & quando non? ibidem punct. 12. oum. 14. & ſeq.

Qualiter confeſſarii debeant pœnitentes interrogare? tr. 6. c. 12. punct. 2. num. 20. Quid debeat confeſſarius agere quando pœnitens negat peccatum, quod eſt evidens confeſſario commiſiſſe? numero 28.

Confeſſarius tenetur ſub gravi culpa abſolvere pœnitentem benè diſpoſitum, ibidem punct. 3. num. 29. & ſtatim, nec licitè per ſe loquendo poteſt differre abſolutionem, n. 31.

De nbligatione, quam confeſſarius habet admonendi pœnitentes, ibidem num. 32. An teneatur confeſſarius admonere pœnitentem laborantem ignorantia invincibili, ibidem num. 34. Tenetur admonere pœnitentem ignorantem impedimentum dirimens, quando agitur de contrahendo matrimonio, numero 35. & quoties pœnitens quærit ab eo veritatem, numero 36. & quoties ignorantia pœnitentis vergit in damnum commune, numero 37.

&

& quoties ex ſilentio confeſſarii inferret pœnitens aliquid contra fidem ibidem. ·Tenetur etiam admonere reum, quando tenetur fateri veritatem cum periculo mortis num. 41. Nec ob hoc contrahit irregularitatem. ibidem. Tenetur abſolvere pœnitentem ſequentem opinionem practicè probabilem, ſivè ſit parochus illius, ſivè non. num. 44. Non abſolvere pœnitentem confeſſione audita repellendo opinionem practicè probabilem, eſt peccatum mortale, num. 45.

Quomodo confeſſarius debeat ſupplere defectum integritatis confeſſionis? ibidem punct. 4. n. 46. Quid quando negativè ſe habuit circa hunc defectum? n. 47. Quid quando eſt cauſa, quod pœnitens non confiteatur integrè? n. 50. Quid quando abſque culpa gravi erravit? n. 51. Quid quando ſolùm negativè ſe habuit? n. 52. Quomodo confeſſarius debeat ſupplere invaliditatem confeſſionis? tract. 6. cap. 12. punct. 4. n. 53. Confeſſarii obligatio ad ſigillum vide verbo *Confeſſionis ſigillum*. De caſuum reſervatione, & reſervatorum abſolutione in pœnitentiæ miniſtro, vide verbo *Reſervare*, *& reſervatio caſuum*.

Confeſſio.

Suſcepturus Euchariſtiam conſcius peccati mortalis tenetur ex præcepto divino præmittere confeſſionem, tract. 4. c. 7. punct. 3. num. 24. & ſeq. Etiam tenetur, qui dubitat an peccaverit, vel an peccatum confeſſus fuerit? ibidem n. 27. Quid ſi quis judicat oppoſitum probabilites? n. 29. Etiamſi legitimè confeſſus fuerit, ſi poſtea alicujus peccati gravis recordetur, tenetur confiteri ante communionem, n. 30. Solùm excuſat à confeſſione præmittenda abſentia confeſſoris, & neceſſitas communicandi, n. 31. Recenſentur caſus, in quibus cenſetur non adeſſe copia Confeſſoris. à n. 32. An qui babet tantùm peccatum reſervatum, teneatur confiteri venialia Sacerdoti inferiori, ſi ſit contritus? n. 37. Quid ſi habeat excommunicationem reſervatam, & non adſit ſuperior? n. 38. Non poteſt Religioſus, qui confiteri valet Sacerdoti Laico, differre confeſſionem, & facere ſacrum, ut more ſuo intra Religionem confiteatur, n. 40. Neceſſitas excuſans à præmittenda confeſſione debet eſſe gravis, n. 41. Examinantur caſus, in quibus datur gravis neceſſitas ad communicandum, non præmiſſa confeſſione, à n. 45.

An Sacerdos ex obligatione celebraturus ſi habeat mortale, teneatur confiteri Sacerdoti, cujus juriſdictio eſt dubia? tract. 6. c. 51. punct. 5. n. 72. Poteſt dari confeſſio valida, & informis, tract. 6. c. 5. dub. unic. n. 10. An qui habet ſufficientem dolorem, non autem peccatorum examen, validè confiteatur? ibidem n. 18. An dolor debeat præcedere confeſſionem? ibid. punct. 1. n. 23. Quis dolor ſufficiat ad remiſſionem peccatorum venialium in confeſſione? ibidem, punct. 3. n. 37. & an peccet graviter qui confitetur unum veniale, de quo non dolet, cum aliis, de quibus dolet? n. 38. Quale propoſitum requiratur ad validam confeſſionem? tract. 6. c. 5. punct. 4. n. 52. & ſeq.

Confeſſio Sacramentalis definitur, tract. 6. c. 6. punct. 1. n. 1. Conditiones in ea ſervandæ, n. 2. Examen conſcientiæ debet præcedere confeſſionem, n. 3. Quale & quantum? n. 4. Non petit ſummam diligentiam, n. 5.

De præcepto confeſſionis vide verbo, *Præceptum*. Non eſt de neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ, quod confeſſio exprimatur voce humana, tract. 6. c. 7. punct. 2. n. 10. Graviter peccat qui confitetur nutibus, vel ſcriptura, cum voce facilè poſſit, ibidem; n. 11.

Non eſt contra valorem Sacramenti Pœnitentiæ, quod confeſſio publicè fiat, n. 13. in articulo mortis tènetur homo confiteri peccata per nutus, vel alio modo, ſi voce non poſſit, tract. 6. c. 7. n. 14. Immo mutus quoties urget præceptum Eccleſiæ, n. 15. An teneatur ex Eccleſiæ præcepto confiteri ſingulis annis per ſcripturam, qui aliter non poteſt? n. 16. An ex præcepto divino in mortis articulo? n. 17. Extra mortis articulum non tenetut homo confiteri per interpretem, n. 19 Immò nec in mortis articulo, n. 20. niſi homo ſit dubius de contritione; n. 21. Sed tunc non tenetur omnia mortalia confiteri, n. 22. Qui poſt ultimam confeſſionem recordatur alicujus peccati, à quo eſt indirectè abſolutus, non tenetur in mortis articulo illud publicè, per interpretem fateri, n. 23.

Qui omiſit annuam confeſſionem, adhuc cum primum, poteſt tenetur confiteri, tract. 6. c. 7. punct. 4. n. 38. Qui ineunte anno prævidet fore, ut non poſſit poſtea confiteri, tenetur confeſſionem anticipare, ibidem n. 39. An qui confeſſus eſt venialia, teneatur in eodem anno confiteri mortalia, ſi illa committat? n. 40. Vide alia verbo *Præceptum*.

Per confeſſionem validam, & informem adimpletur ſufficienter Eccleſiaſticum præceptum, tract. 6. cap. 7. punct. 5. num. 45. Non adimpletur per confeſſionem nullam ob defectum omninò internum ibidem num. 47. An incurrat excommunicationem Synodalem invalidè confitens ob defectum merè internum? n. 49. Non ſatisfit huic præcepto per confeſſionem, quam abſolutio non ſequitur, n. 50. Excuſatur tamen, qui bona fide exiſtimat ſe abſolutum, niſi bona fides ceſſet, & defectum agnoſcat, ibidem. Quæ cauſæ excuſent à præcepto annuæ confeſſionis? tract. 6. c. 7. punct. 6. n. 51.

In quo conſiſtat integritas confeſſionis. tract. 6. c. 8. punct. 1. n. 1. Alia eſt formalis, & hæc ſufficit per accidens: Alia materialis, & hæc requiritur per ſe, ibidem. Ad integritatem confeſſionis non ſufficit confiteri peccata in genere, ſed debent confiteri ſecundum numerum, & ſpeciem, n. 2. Explicandus eſt numerus certus peccatorum, ſi poſſit, vel ſi non poſit, explicandus eſt numerus probabilis, aut conſuetudo peccandi, *&c.* n. 3. Debent in confeſſione explicari omnes ſpecies peccatorùm, & circumſtantiæ mutantes ſpeciem, n. 4. Diſtinctio ſpecifica, vel numerica peccatorum non eſt ſumenda phyſicè, vel metaphyſicè, ſed moraliter, n. 5. In eodem actu non poſſunt reperiri plures malitiæ ſolo numero diſtinctæ, ſi phyſicè, vel metaphyſicè accipiantur; ſecus ſi moraliter in acceptione morali n. 8. Quæ interruptio ſufficiat ad diſtinctionem numericam peccatorum? n. 9. De circumſtantiis peccatorum in confeſſione explicandis, vide verbo *Circumſtantia*. De peccatis dubiis in confeſſione explicandis. Vide verbo *Peccatum*. Et verbo *Dubium*. Debet homo confiteri peccata dubia, ut dubia. tract. 6. c. 8. punct. 3. n. 47. Si poſtea illa certò deprehendat, tenetur iterum illa, ut certa confiteri ibidem. In confeſſione peccati dubii debet aliud certum adjungi num. 50.

Peccare carnaliter occaſione, vel prætextu

con-

confeſſionis eſt ſacrilegium. tractat. 6. cap. 8. punct. 5. num. 58. De cauſis excuſantibus ab integritate confeſſionis. tract. 6. c. 8. punct. 5. num. 112. & vide verbo *Integritas.*

Quando excommunicatus confitetur inculpabiliter ob aliquam juſtam cauſam, tenet Sacramentum. tract. 6. cap. 9. punct. 1. num 2. Confeſſio facta ex fine malo veniali eſt valida. ibidem. num. 6. Invalida eſt confeſſio quoties deficit dolor requiſitus. ibidem. punct. 3. num. 9. Item quando pœnitens mala fide tacet aliquod mortale. n. 10. Sed ſi poſt hoc peccatum, faciat alias confeſſiones bona fide, illæ non ſunt repetendæ n. 11. Quid ſi pœnitens caruit intentione ſacramentaliter confitendi? n. 12. Quid ſi non implevit pœnitentiam? n. 13. Qui bona fide omiſit in confeſſione peccatum mortale, quod exiſtimavit non eſſe mortale, non tenetur confeſſionem repetere. n. 14. Neque qui bona fide majorem numerum peccatorum confeſſus eſt. n. 15.

Invalida eſt confeſſio ſi confeſſarius abſolutionem non impendat. tract. 6. c. 9. punct. 4. n. 16. Si non habeat intentionem debitam, n. 17. Si careat juriſdictione n. 18. Niſi detur error communis, & titulus coloratus n. 19. vel judicet probabiliter ſe habere juriſdictionem. ibidem. Qui non eſt Sacerdos, invalidè abſolvit, licèt detur error communis, &c. ibidem. nu. 22. An quando confeſſarius ob ſurditatem, vel aliam cauſam peccata non audit, ſit confeſſio valida? num. 23. An qui poſt abſolutionem advertit, confeſſarium non intellexiſſe aliquod peccatum (cujus pœnitens jam non recordatur) teneatur repetere totam confeſſionem? num. 24. Valida eſt confeſſio bona fide facta confeſſario neſcienti diſcernere inter mortale, & veniale num. 25. Qui bona fide confitetur peccatum, quod neque ipſe, nec confeſſarius diſcernunt, an ſit mortale, non tenetur illud iterum confiteri, & ſi depræhendat mortale, num. 26. In duobus tantum caſibus per ſe loquendo eſt iteranda confeſſio ob imperitiam confeſſarii, numero 28.

Si confeſſio invalida repetatur apud alium confeſſarium, omnia peccata ſunt repetenda tract. 6. cap. 9. punct. 5. num. 30. Si Sacerdos idem ſit, & memoria retineat peccata, non ſunt repetenda, ibidem num. 31. Quid ſi non retineat? n. 32.

Extra confeſſionem nequit fieri commutatio pœnitentiæ, tract. 6. cap. 10. puncto 6. num. 74. An qui pœnitentiæ ſibi injunctæ eſt oblitus, teneatur iterum confiteri eadem peccata? ibid. n 83.

Violans ſigillum, contra fidelitatem, juſtitiam, & Religionem delinquit, tract. 6. cap. 14. punct. 1. num. 3. Nullo caſu illud violare licèt, etiam ob manifeſtandum proprium peccatum, etiam poſt mortem pœnitentis, ibidem num. 4. Ex ſola voluntate pœnitentis licèt revelare. n. 5. Debet hæc facultas eſſe expreſſa, nec ſufficit præſumpta, n. 6. Item debet eſſe ſpontanea, n. 7. Obligatio ſervandi ſigillum non admittit levitatem materiæ, num. 9. Violantibus ſigillum multæ ſunt pœnæ ipſo jure impoſitæ, num. 10. Naſcitur obligatio ſigilli ex omni, & ſola confeſſione ſacramentali, ibidem, punct. 2. n. 11. Is, qui fingens ſe eſſe confeſſarium cum bona fide pœnitentis audit confeſſionem, tenetur ad ſigillum, ibidem num. 12. Si pœnitens confiteatur cum laico exiſtimans poſſe in abſentia Sacerdotis abſolvi, tenetur laicus peccata celare ſub ſigillo, n. 13. Si verò pænitens alia intentione, quam recipiendi abſolutionem Sacerdoti peccatum fateatur, tametſi inde obligatio ſecreti naturalis oriatur, non tamen obligatio ſacri ſigilli, num. 14. Oritur ſacri ſigilli obligatio, etiamſi confeſſio non perveniat ad abſolutionem, n. 15. Confeſſarius tenetur ad ſigillum confeſſionis quando dubitat an aliquid ſibi revelatum fuerit à pœnitente per ordinem ad confeſſionem, n. 18. Expenduntur in particulari, quæ cadunt ſub ſigillo, n. 19. & ſeq. Servandum eſt ſigillum ita, ut nec verbis, nec factis, aut ſignis, nec etiam induectè audita in confeſſione revelentur. punct. 3. num. 24. Referuntur in particulari caſus, inquibus indirectè delinquitur contra ſigillum, n. 25. & ſequentibus. Si confeſſarius interrogetur, an pœnitenten, quem non invenit diſpoſitum, abſolverit, quid ſit conſultius reſpondere? n. 28. Quid ſi ſacriſta, vel miniſter Miſſæ quærat, an apponenda ſit formula, ut conſecretur pro communione pœnitentis non dum abſoluti; reſponderi poſſit? n. 29. An confeſſarius quando ſcitur ad eum acceſſiſſe pœnitentem, poſſit, aut debeat dare ſchedulam confeſſionis ei, quem non abſolvit, ſi expoſtulaverit? n. 30. Contra ſigillum delinquit confeſſarius affirmans ſe audiviſſe in confeſſione peccatum publicum, & notum pœnitentis, n. 31. Non poteſt ſinè fractione ſigilli manifeſtare in particulari pœnitentiam, quam impoſuit pœnitenti, ſi illa fuerit ſignum culpæ mortalis certæ, aut dubiæ, aut peccatorum venialium ſpecialium, quoad numerum, vel ſpeciem, n. 34. An ſi dicat de pœnitente impertinentiis, ſcrupulis, & næniis caput ſibi obtundere, frangat indirectè ſigillum? num. 35. Quid ſi etiam generatim dicat in hoc oppido, & fortè non amplo, ubi paulo ante confeſſiones excepit, committi gravia crimina, adulteria, &c. n. 36. Contra ſigillum peccat confeſſarius, ſi ſeveriorem vultum ratione peccati confeſſi pœnitenti oſtendat, &c. n. 37. Sacrum confeſſionis ſigillum obligat, ne confeſſarius dubitationem, aut rationabilem ſuſpicionem ingerat de rebus ſibi in confeſſione notis, n. 38. Non licèt confeſſario extra confeſſionem, loqui cum pœnitente ante conceſſam facultatem de peccatis auditis in confeſſione, n. 39. Cenſetur autem pænitens expreſsè licentiam concedere, ſi ipſe prius loqui incipiat cum confeſſario de aliquo, quod dixit in confeſſione, n. 41. An ſit contra ſigillum intra aliam confeſſionem, aliquid de priori recolere? n. 42. Utrum poſſit Sacerdos ſtatim incontinenti poſt confeſſionem loqui cum pœnitente? n. 43. & an cum repugnante, & invito quando neceſſarium eſt ob defectum commiſſum in confeſſione præcedenti? n. 44. Qua ratione poſſit, aut non poſſit confeſſarius uti ſcientia habita ex confeſſione, etiam ad externam gubernationem, à n. 45. uſque ad 56. Qui tenentur ad ſigillum? à n. 56. uſque ad 61. Quid de his, qui audiunt ex voluntate pænitentis abſque ulla neceſſitate? n. 62. Quid de inventore chartæ, in qua ſcripta ſunt peccata? n. 63. Item tenetur ad ſigillum ille, cui iniquè revelatur, n. 64. Quid de conſiliario, de Prælato quoad caſus reſervatos, & de ipſo pœnitente? n. 65. 66. & 76.

An Sacerdos ex obligatione celebraturus, ſi habeat mortalia, teneatur confiteri Sacerdoti, cujus juriſdictio eſt dubia, tract. 6. c. 11. punct. 5. n. 72. An qui ex delegatione cæpit audire confeſſionem, poſſit eam continuare, etſi interim delegans moriatur? tract. 6. c. 11. n. 69.

Con-

Index Rerum.

Confirmatio.

Confirmatio eſt verùm Sacramentum legis gratiæ, tr. 3. c. 1. punct. 1 à n. 2. Definitio ejus phyſica, & metaphyſica, n. 6. Hoc Sacramentum eſt inſtitutum à Chriſto immediatè, punct. 2. n. 7. Sed non fuit poſitum in uſu ante Pentecoſten, n. 9. In principio Eccleſiæ Deus aliquando conferebat effectum hujus Sacramenti, ſinè illius materia, & forma, n. 10. In nocte Cœnæ deſignata fuit materia & forma hujus Sacramenti, ſed poſt reſurrectionem Chriſti data eſt Apoſtolis poteſtas, illud miniſtrandi, n. 11. & 12.

Materia remota hujus Sacramenti eſt chriſma, & quare? tr. 3. c. 2. punct. 1. n. 1. & 2. Chriſma componitur ex oleo, & balſamo, ibidem. Oleum eſt de eſſentia hujus Sacramenti, n. 3. & debet eſſe oleum olivarum, n. 4. Balſamum eſt de neceſſitate præcepti ad hoc Sacramentum, n. 5. Imò etiam eſt de eſſentia ejus, à. n. 7. Chriſma debet eſſe benedictum, aliàs nullum erit Sacramentum, n. 13. & ſeq. Hæc benedictio fit ſolùm ab Epiſcopo, & nequit à ſimplici Sacerdote præſtari, etiam ex diſpenſatione Papæ, à n. 18. Validè conficitur hoc Sacramentum, ſivè chriſma ſit novum, ſivè vetus, n. 21.

Materia proxima hujus Sacramenti eſt unctio chriſmatis in fronte facta per manum Epiſcopi in formam crucis, tr. 3. punct 2. cap. 2. n. 22. Debet fieri hæc unctio pollice manus dextræ ex ritu Eccleſiæ, ſed hoc non eſt de neceſſitate Sacramenti n. 27. Si unctio fiat medio inſtrumento nullum eſt Sacramentum. n. 28.

Forma hujus Sacramenti eſt *ſigno te ſigno Crucis, &c.* punct. 3. tract. 3. c. 2. n. 30. Mutaretur hæc forma ſubſtantialiter, omiſſa invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, n. 34. Et omiſſis verbis *ſigno, & confirmo*, n. 38. Item ſi omittatur pro nomen *te*. n. 40. Item ſi omittantur illa verba *ſigno Crucis*, n. 41. vel illa. *Chriſmate ſalutis*. Licet hoc ultimum non ſit ita certum. n. 42. Si loco verbi *confirmo* diceretur *ungo*, mutatio eſſet ſubſtantialis; ſecus ſi diceretur *corroboro*. n. 43 & 44.

Effectus confirmationis ſunt character, cognatio ſpiritualis inter patrinum, & confirmatum, atque augmentum gratiæ. tr. 3. c. 3. punct. 1. n. 1. & ſeq. Per accidens in hoc Sacramento datur prima gratia. n. 4. Gratia hujus Sacramenti confert ſpeciale robur ad confitendum audacter Chriſti nomen. n. 5.

Subjectum confirmationis eſt omnis, & ſolus baptizatus. n. 9. Minus expedit per ſe, & regulariter loquendo conferre hoc Sacramentum ante uſum rationis. n. 11. & ſeq. olim erat in uſu conferre illud ſtatim poſt baptiſmum n. 15. Recenſentur aliqui caſus, in quibus licitè præſtatur infantibus à n. 16. An ſit peccatum, & quale conferre hoc Sacramentum ante rationis uſum ſinè rationabili cauſa? à n. 20. Perpetuò amentibus miniſtranda eſt confirmatio. n. 23. Immò & iis, qui habuerunt rationis uſum, niſi conſtet eſſe in peccato mortali. n. 24. Item morituris. n. 25.

In infantibus, & perpetuò amentibus non exigitur aliqua diſpoſitio ad valorem & effectum confirmationis. tract. 3. c 3. punct. 3. n. 26. In adultis ad valorem ſufficit intentio. n. 27. Ad effectum in juſtis ſufficit intentio ibidem? ſed in peccatoribus requiritur vel attritio cum Sacramento, vel contritio ſinè illo. n. 28. Per accidens ſufficit ſola attritio ſupernaturalis. n. 29. Hoc Sacramentum ſublato obice producit ſuum effectum. n. 30.

Miniſter ordinarius hujus Sacramenti eſt ſolus Epiſcopus. tr. 3. c. 4. punct. 1. n. 1. Si eſt verus Epiſcopus conſecratus validè confirmationem miniſtrat, etiamſi ſit hæreticus, &c. n. 2. Conſecratus, & non confirmatus validè confirmat. n. 5. Etiamſi oves ſint alienæ, n. 6. Simplex Sacerdos ex commiſſione Papæ poteſt validè confirmare, à n. 7. Ex quo plura inferuntur, à n. 10. Pontifex electus nondum ordinatus poteſt concedere hanc poteſtatem, licet ipſe nequeat confirmare, n. 14. Requiritur juſta cauſa ad hanc conceſſionem, ſed etiam ea ceſſante, eſſet valida confirmatio, n. 15. Mortuo Pontifice, qui conceſſit, perſeverat poteſtas pro tempore conceſſo. n. 17. Papa nequit concedere hanc poteſtatem non Sacerdoti. Nec Epiſcopus Sacerdoti, n. 19. Conditiones, ut miniſter licitè conficiat hoc Sacramentum, vide plura, à n. 22.

Plures cæremoniæ in adminiſtrando hoc Sacramento ſunt obſervandæ, quas vide, tr. 3. c. 4 punct. 2. per totum.

De Patrino confirmationis, vide plura verbo *Patrinus*.

Per ſe loquendo nullus tenetur recipere hoc Sacramentum. tract. 3. c. 4. punct. 4. n. 52. Tenetur tamen ſub mortali ad non omittendum illud ex contemptu n. 57. In quo conſiſtat hic contemptus? ibidem. Per accidens tenetur ratione ſcandali, n. 58. & ratione propriæ conſcientiæ dictantis imminere periculum fidei ex non ſuſceptione, n. 59. Et ſi moriens cum conſcientia peccati mortalis non poſſet aliud Sacramentum ſuſcipere. n. 60. Vix unquam poteſt omitti confirmatio abſque peccato veniali. n. 61. Non peccat mortaliter, qui recipit primam tonſuram: cum non ſit confirmatus. Nec Epiſcopus, qui non confirmato eam miniſtrat. n. 63.

Cur confirmationi non correſpondeat aliquod Sacramentum veteris legis? tr. 1. c. 2. punct. 1. n. 4. Character confirmations deſervit, ut confirmatus fidem ex officio, & quaſi miniſter defendat, tr. 1. c 6. dub. 6. n. 66.

Confirmatus licet profiteatur fidem ex officio, exiſtens in peccato mortali, non peccat mortaliter. tr. 1. c. 7. p. 10. n. 83.

Conjunctio.

An in peccatis odii, vel injuriæ debeat explicari conjunctio perſonæ, quæ odio habetur, tract. 6. c. 8. punct. 4. n. 81.

Conjux, & conjugatus.

Conjugibus conſulitur abſtinere à communione eo die, quo habuerunt copulam conjugalem, tr. 4. c. 7. punct. 4. n. 63. Qui habuit copulam ex affectu, qui ſit peccatum veniale, & patitur animi diſtractionem, peccat venialiter communicando, ibidem, ſed nemo excuſatur à reddendo debito ex titulo communicandi, ibidem num. 64.

Conjuges poſt mortem viri ſolent pluribus in locis excuſari per aliquod dies à Miſſa audienda, tr. 5. c. 6. p. 5. n. 82.

Quando uterque committens adulterium eſt conjugatus, debet utrumque in confeſſione explicari, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 71.

Conſecrare.

Anima ſeparata, in qua manet character Sacerdotalis, nequit conſecrare, tr. 1. c 6. dub. 7. n. 91. Neque Sacerdos poſt diem judicii, ibidem. Sola conſecratio utriuſque ſpeciei eſt ſacrificium Miſſæ, tr. 5. c. 1. dub. unic. n. 14.

* *

Conſenſus.

Digitized by Google

Conſenſus.

Quis conſenſus requiratur ad juriſdictionem in foro Pœnitentiæ demandandam? tract. 6. c. 11. punct. 4. n. 65. Debet explicari aliquo ſigno externo. ibidem.

Conſuetudo.

Conſuetudo fidelium confitendi in quadrageſima, vel tempore Paſchatis non inducit gravem obligationem tunc confitendi. tract. 6. c. 7. punct. 4. n. 34. An conſuetudo peccandi per ſe loquendo debeat explicari in confeſſione? tract. 6. c. 8. punct. 4. n. 67. & 68.

Contritio.

Contritio facta ſenſibilis per confeſſionem eſt pars Sacramenti. tract. 1. c. 1. dub. 1. n. 11. Eſſentia contritionis explicatur. tract. 6. c. 1. punct. 4. à n. 10. Quo tempore obliget præceptum contritionis? punct. 5. n. 31. & ſequent. An obliget in mortis articulo, ſi pœnitens recipiat Sacramentum Pœnitentiæ? ibidem n. 39. An ſtatim poſt commiſſum peccatum? ibidem, n. 46. An quoties peccata memoriæ occurrunt? n. 47. An quando eſt homo in periculo oblivionis peccatorum? n. 48. An in diebus feſtis? n. 49. An quando imminet aliqua calamitas Reipublicæ? n. 50. An differre contritionem ſit novum peccatum mortale? n. 51. An qui in confeſſione reticet ex juſta cauſa aliquod peccatum teneatur procurare illius contritionem? tract. 6. c. 8. punct. 5. numero 128.

Ob magnitudinem contritionis levior pœnitenti eſt imponenda ſatisfactio, tract. 6. cap. 10. punct. 3. n. 44.

Contumelia.

An in contumeliis debeant explicari defectus contra proximum? tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 76.

Creatura.

Creaturæ puræ poteſt communicari poteſtas excellentiæ ad inſtituenda Sacramenta, tract. 1. c. 3. dub. 2. n. 21.

Creatura per merita, & orationes non determinat voluntatem Dei ad aliquid volendum, ſed exequitur ordinem Divinæ providentiæ, tract. 1. cap. 3. dub. 2. n. 27. & 28.

D.

Defectus.

Defectus eorum, quæ præſcribit Miſſale Sacerdotibus ex ſuo genere eſt mortale, tr. 5. c. 4. punct. 4. n. 112. Dicere Miſſam votivam in feſto duplici, aut die Dominica, non eſt mortale. n. 114. Nec omittere *Gloriam*, vel *Credo* quando debet dici, n. 115. Nec omittere nomen alicujus Sancti in Canone, n. 118. vel ea, quæ interponuntur in Communicantes tempore Paſchæ, n. 119. Eſt mortale omittere epiſtolam, vel evangelium, vel mixtionem aquæ, n. 116. & n. 120. Non licèt celebrare Miſſam lingua vulgari, n. 121. Quando debeat Sacerdos repetere ea, quæ non recordatur, vel dubitat ſe dixiſſe? n. 122. Quomodo debeat ſupplere defectus in Miſſa contingentes? ibidem n. 128.

Qui ob defectum purè internum invalidè confitetur, an ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis, tract. 6. c. 7. p. 5. n. 46.

Defectus pertinentes ad materiam, & formam Sacramentorum, nequeunt ſuppleri ab Eccleſia; bene autem quod requiritur ex parte ipſius Eccleſiæ tr. 6. c. 11. punct 5. n. 79.

Defunctus.

Poſſunt injungi in ſatisfactionem opera facienda pro defunctis, tract. 6. c. 10. punct. 3. n. 37. Pro quibus defunctis liceat offerre Miſſam? tr. 5. c. 2. punct. 3. à n. 23.

Deus.

Solus Deus eſt cauſa phyſica principalis gratiæ, tr. 1. c. 2. dub. unic. n. 39. Solus Deus poteſt inſtituere principaliter Sacramenta, tract. 1. c. 3. p. 5. n. 3. Dei voluntas non determinatur à creatura, ibid. dub. 2. n. 28.

Diaconus.

Diaconus poteſt de licentia Parochi ſolemniter baptizare, tr. 2. c. 4. punct. 4. n. 43. Ut hoc licitè fiat, requiritur aliqua neceſſitas; ſed non extrema, ibidem n. 44. Diaconus poteſt ex commiſſione miniſtrare Euchariſtiam urgente neceſſitate. tr. 4. c. 9. n. 8.

Dies.

Quolibet die licet celebrare tr. 5. c. 4. punct. 1. n. 1. Eodem die non licet pluries ſacrificare, niſi In die Nativitatis ibidem n. 8. Excipe aliquos caſus neceſſitatis, n. 10.

Dignitas.

An dignitas peccantis ſit circumſtantia explicanda in confeſſione, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 61.

Diſpenſatio.

Poteſt ſimplex Sacerdos ex diſpenſatione Papæ miniſtrare confirmationem, ſecus non Sacerdos, tr. 3. c. 4. punct. 1. num. 7.

Diſpoſitio.

Qualiter actio prævia Sacramentorum poſſit diſponere ad gratiam? tr. 1. c. 2. dub. unico, num. 27.

Doctor.

Obtinens gradum Doctoris, vel Magiſtri non manet eo ipſo approbatus ad confeſſiones audiendas tr. 6. c. 11. punct. 7. n. 96.

Dolor.

An ex defectu doloris poſſit dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe? tr. 6. c. 5. dub. unico. n. 9. & n. 17. Dolor requiſitus ad valorem Sacramenti pœnitentiæ debet procedere ex fide, & ſpe ſupernaturalibus. ibidem. Debet etiam præcedere abſolutionem. ibidem punct. 1. n. 22. An autem confeſſionem? n. 23.

Quis dolor requiratur ad remiſſionem peccatorum venialium? tr. 6. c. 5. ibid. punct. 2. n. 34. & punct. 3. n. 37.

Dubium.

Si dubium oriatur de veritate aquæ in baptiſmo, quid agendum? tr. 2. cap. 2 punct. 1. n. 11 Dubitans an cænando excelſerit mediam noctem, nequit communicare. tr. 4. c. 7. n. 69.

An peccata dubia ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ. vide verbo *Pœnitentia*, & tr. 6. c. 4. punct. 3. per totum.

Tenetur homo confiteri peccata dubia ſive dubium ſit, an illa commiſerit, an illa confeſſus fuerit, tr. 6. c. 8. punct. 3. n. 34. & ſeq.

Diſparitas inter tribunal forenſe, & Sacramentale quantum ad peccata dubia ibid. n. 40.

Dubius de voto, non tenetur ad obſervantiam voti. ibidem n. 45.

Qui confeſſus eſt peccatum, ut dubium, ſi poſtea meminerit ſe certò peccaſſe, tenetur illud poſtea certò confiteri. ibidem num. 47.

Dubius an deſiderio fœminæ conſenſerit, tenetur ſuum, & illius ſtatum explicare. num. 48. Idem judicium eſt de peccato dubio in genere, ac in

ſpecie:

ſpecie : n. 49. Quoties homo confitetur peccata dubia, debet adjungere aliquod certum, n. 50. De dubio juriſdictionis, vide verbo *Iuriſdictio*.

Duratio.

Duratio eſt de ratione Sacramenti, tr. 1. c. 1. dub. 3. n. 23. Duratio non variat eſſentialiter res phyſicas, bene autem morales, ibid. n. 26.

An Qooties duratio actûs peccaminoſi eſt valdè diuturna, explicari debeat in confeſſione? tr. 6. c. 8. punct. 2. n. 14.

E.

Eccleſia.

Eccleſia poteſt mutare cæremonias Sacramentorum; ſecus eſſentialia, tr. 1. c. 3. dub. 1. n. 9. Nequit mutare materiam & formam Sacramentorum, tr. 1. c. 4. punct. 2. à n. 43. Non immutavit materiam Matrimonii formaliter ſed ſolùm materialiter, n. 47. Quid obſervet Eccleſia Latina, & Græca in conferendo Sacramentum Ordinis? n. 48.

Eccleſia noo habet poteſtatem in non baptizatos, tr. 2. cap. 5. punct. 2. n. 19. Non poteſt (ſaltem directè) determinare tempus, intra quod teneatur adultus ad baptiſmum, ibid. Modi quibus Eccleſia polluatur, & reconcilietur, tr. 5. c. 5. n. 65. & ſeq. Modi, quibus Eccleſia dicatur execrari, & diverſitas inter pollutionem, & execrationem, ibidem n. 73. 74. 75. & 76. Eccleſia poteſt præcipere actus interiores per ordinem ad exteriores, tr. 5. c. 6. n. 40. & tr. 6. c. 7. p. 5. n. 48.

Eccleſia nequit ſupplere ea, quæ in Sacramentis requiruntur ex parte Dei, ſed poteſt ea, quæ ſunt de jure Eccleſiaſtico, ut eſt juriſdictio, v. g. tract. 6. c. 11. punct. 5. n. 77.

Io Eccleſia datur poteſtas ad reſervandum abſolutionem aliquorum peccatorum, tract. 6. c. 13. punct. 1. n. 1.

Effectus.

Qui ſunt effectus ſacrificii Miſſæ, tr. 5. c. 3. per totum, & plura, verbo *Miſſa*.

Eleëmoſyna.

Qui tenetur ex pœnitentia dare eleëmoſynam; non ſatisfacit dando ea, quæ tenetur reſtituere ob incertorum ablationem. tract. 6. c. 10. punct. 3. n. 32. Neque dando Parentibus, vel fratribus, quando tenetur ex juſtitia eis ſucurrere ibidem, n. 33. Bene autem ſi det pauperi extremè indigenti, cui ex ſola charitate obligatur, n. 34.

Epiſcopus.

Epiſcopus eſt miniſter ordinarius confirmationis. tract. 3. c. 4. punct. 1. n. 1. & vide plura verbo *Confirmatio*.

Epiſcopus nequit concedere aliis Sacerdotibus facultatem benedicendi corporalia, *&c.* tract. 5. c. 4. punct. 4. n. 83.

Epiſcopi, & Prælati tenentur curare, ut in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis dicatur ſingulis diebus aliqua Miſſa. tract. 5. c. 5. punct. 2. n. 45. Quanta ſit hæc obligatio? ibidem. Quis habeat juriſdictionem ordinariam ſupra Epiſcopos? tract. 6. c. 11. n. 48. Epiſcopus poteſt eligere confeſſarium. ibidem. Epiſcopus eſt Parochorum Parochus. tract. 6. c. 11. n. 51. Epiſcopus extra propriam Diæceſim poteſt abſolvere ſubditum. ibidem. n. 55.

A quo Epiſcopo debeat confeſſarius approbari? tract. 6. c. 11. punct. 7. n. 100.

An approbatio confeſſarii facta ab Epiſcopo excommunicato non tollerato ſit valida? tract. 6. c. 11. punct. 7. n. 90. Quid ſi Epiſcopus jodicet interius confeſſarium inhabilem? n. 91. Si Regulares rejiciantur injuſtè ab Epiſcopo abſque approbatione, non manent eo ipſo approbati. tract. 6. c. 11. n. 95.

Epiſcopus nequit revocare, approbationem Parochi, dum retinet beneficium parochiale. ibidem. n. 105. Si Epiſcopus revocet abſque cauſâ approbationem abſolutè datam, eſt probabilè revocationem eſſe nullam. ibidem n. 107. Ex juſta cauſâ poteſt revocare approbationem Regularium. ibidem. n. 108.

Quam facultatem habeant Epiſcopi ad abſolvendum à reſervatis? tract. 6. c. 13. punct. 3. n. 29. Qui intelligantur nomine Epiſcopi? ibidem. n. 30. An Epiſcopi poſſint abſolvi à reſervatis ſibi? ibidem. n. 34. vide alia verb. *Superior*.

Error.

Non ſemper error miniſtri reddit irritum Sacramentum. tract. 1. c. 7. punct. 7. num. 61.

Euchariſtia.

Euchariſtia eſt Sacramentum novæ legis. tract. 4. c. 1. dub. 1. n. 5. & ſeq. Forma hujus Sacramenti ſignificat corpus, & ſanguinem Chriſti, ut reficiunt animam per gratiam. n. 7. Gratia priocipaliter per illud ſignificatur. n. 9. Diverſo modo perficitur homo per Euchariſtiam, & per confirmatiouem. o. 10. Hoc Sacramentum non ſupponit in recto pro corpore, & ſanguine Chriſti dub. 2. n. 18. Convenit univocè cum aliis Sacramentis in ratione ſigni. n. 21. Species ſunt Sacramentum, & continent ſacrificium, ſed corpus Chriſti eſt propriè ſacrificium, non tamen Sacramentum. n. 25. Corpus, & ſanguis Chriſti non conſtituunt ſimul cum ſpeciebus hoc Sacramentum, ut partes eſſentiales. n. 31. Corpus Chriſti nec eſt materia, nec forma in hoc Sacramento. n. 33. Pertinet tamen ad ejus eſſentiam in obliquo, vel ut contentum. n. 34. Non quidquid terminat conſecrationem, eſt pars eſſentialis Euchariſtiæ. n. 35. Species ut continent corpus Chriſti ſunt abſolutè Sacramentum Euchariſtiæ. dub. 4. n. 43. Et cibus animæ. n. 44. Eâdem adoratione colitur Chriſtus in hoc Sacramento, & ipſum Sacramentum, n. 47.

Hoc Sacramentum eſt unum in ſpecie atoma. tr. 4. c. 2. punct. 1. à n. 1. & deinceps. Tota eſſentia ſpecifica Euchariſtiæ non ſalvatur in qualibet ſpecie ſeorſim ſumpta, dub. 1. n. 19. Hoc Sacramentum eſt inſtitutum à Chriſto per modum pleni convivii, n. 20. Io triduo mortis Chriſti ſpecies panis non continerent ſanguinem, eſſent tamen ejuſdem rationis in eſſe Sacramenti, ſicut modo, n. 21. Quælibet ſpecies eſt ſignum partiale cauſativum gratiæ, & eodem modo Sacramentum, n. 22. Laici recipiunt verum Sacramentum, non tamen completum: recipiunt totum quoad efficaciam, non quoad ſignificationem, n. 24. Species panis per ſe ſolùm dat gratiam per modum cibi, ſed per accidens per modum potûs, n. 26. Euchariſtia non eſt tertia res diſtincta à ſpeciebus panis, & vini, n. 27. Unitas numerica hujus Sacramenti non ſumitur à corpore Chriſti, dub. 2. n. 33. Quomodo intelligatur, quod omnes fideles de eodem participant. n. 36. Eadem numero res oblata pluribus ſignis, ſeu ſpeciebus ſignificatur. n. 38. Unitas numerica Euchariſtiæ ſumpta phyſicè ſumitur ab unitate, & continuatione phyſica ſpecierum; unitas verò moralis à conjunctione, & unione morali. à n. 47. & deinceps.

Index Rerum.

De neceſſitate medii, & præcepri vide verbo *Neceſſitas*, & tr.4. c. 3. punct. 1. à n. 1. Euchariſtia eſt neceſſaria neceſſitate præcepti non ſolùm Eccleſiaſtici, ſed etiam divini, n. 6. Secundum realem ſuſceptionem non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ibid. Votum ejus eſt neceſſarium parvulis, & adultis ad primam juſtificationem, dub. 1. n. 16. Votum hujus Sacramenti poteſt reſpicere Euchariſtiam, vel ut eſt finis vitæ ſpiritualis, vel quatenus cauſat effectivè gratiam cibantem, n. 17. Primo modo reperitur in parvulis baptizatis, 2. modo ſolùm in adultis, n. 18. Per votum primo modo non participatur gratia propria, & ſpecifica hujus Sacramenti; bene autem ſecundo modo, n. 19. Votum 1. modo non concurrit per accidens ex defectu copiæ realis ſuſceptionis; ſecus eſt de poſteriori modo, n. 20. Votum Euchariſtiæ, quod eſt de neceſſitate medii, ſolùm reſpicit eam primo modo, ſcilicet ut finem vitæ ſpiritualis, & Sacramentorum, n. 21. In voto, vel ſuſceptione Baptiſmi, & Pœnitentiæ includitur votum Euchariſtiæ, n. 25. Hoc Sacramentum cauſat primam gratiam in genere cauſæ efficientis, n. 28. Cur licèt votum Euchariſtiæ ſit neceſſarium, non ſit ſemper neceſſaria realis ſuſceptio, etiam oblatâ opportunitate? n. 30.

Euchariſtia eſt neceſſaria neceſſitate medii, non in re, ſed in voto ad conſervandam diù vitam ſpiritualem, tr. 4. c. 3. dub. 2. à n. 36. Differentia inter cibum ſpiritualem, & corporalem in ordine ad conſervandam vitam, n. 37. Licèt hoc Sacramentum habeat pro effectu diuturnam conſervationem vitæ ſpiritualis; non tamen illam infert infallibiliter, n. 41. Tempus, quo adultus poteſt conſervari in gratia ſinè hoc Sacramento, phyſicè nequit determinari, moraliter non excedit annum, n. 42. Votum hoc exigitur explicitè conſiderantibus illius neceſſitatem, & implicitè in his qui eam ignorant. n. 43.

Materia remota Sacramenti corporis, eſt omnis, & ſolus panis triticeus, tr. 4. c. 4. punct. 1. per totum. Panis confectus ex grano, quod certum eſt non eſſe triticeum, nullo modo eſt materia hujus Sacramenti, n. 5. Panis de quo eſt dubium an ſit triticeus ut *Blata*. Hiſpanè *Centeno* eſt materia dubia, n. 7. Si conficiatur ex diverſis granis, eſt materia ſufficiens, quoties ſimpliciter eſt triticeus, ſecus ſi materia extranea triticeam ſuperet, n. 8. Debet confici ex aqua naturali, & eſſe igne toſtus, n. 9. Debet eſſe panis uſualis: unde excluditur maſſa cruda, laganum, pultes, *&c.* n. 10. & 11. Etiam excluditur panis corruptus, n. 12. Si incipiat tranſmutari eſt materia ſufficiens, ſed graviter peccat in eo celebrans, n. 13. Excluditur etiam amydum, n. 14. Item hoſtiæ rubræ, n. 15. ſufficit ad valorem Sacramenti panis ſive azimus, ſive fermentatus, n. 16. Sed Latinus in Eccleſia Latina, & Græcus in Græca tenentur ſub mortali uſui ſuæ Eccleſiæ ſe conformare, n. 17. & ſeq. etiam ſi proximus eſſet in periculo moriendi ſinè viatico, n. 19.

Materia remota Sacramenti ſanguinis eſt ſolùm verum vinum vitis, tr. 4. c. 4. punct. 2. per totum. Non eſt ſufficiens materia vinum ex pomis, aggreſta, acetum, *&c.* à n. 23. Quid ſi vinum ſit accidum? n. 26. vinum coctum, & liquor contentus intra ubas non ſufficit, n. 27. & 29. Quid de vino mixto vulgò *hypocras*, n. 28. liquor ex ubis maturis expreſſus eſt materia ſufficiens, ſed peccaret graviter, qui ſine neceſſitate in eo conſecraret, n. 30. Vinum, quo panis madeſit, non eſt materia ſufficiens, n. 31. aliud dicendum de vino congelato, quamvis ſit materia dubia, à n. 32. cum ſeq. Si liqueſiat, licitè conſecratur, conſultius tamen erit in eo non conſecrare, n. 35.

Una ſpecies validè conſecratur ſinè alia, tr. 4. c. 4. punct. 3. n. 36. Non licet ex intentione unam ſinè alia conſecrare, etiam ob gravem neceſſitatem, n. 37. Recenſentur aliqui caſus, in quibus licet omittere conſecrationem calicis, ſuppoſita conſecratione panis, n. 38. & ſeq. Summus Pontifex nequit diſpenſare in præcepto divino conſecrandi ſub utraque ſpecie, n. 44. & ſeq. Ut licita ſit conſecratio debet fieri in ea quantitate panis, & vini, quam ritus Eccleſiæ præſcripſit, n. 89. Si quantitas panis ſit adeo modica, ut nequeat percipi ſenſu, non poteſt conſecrari, n. 90. ſi quantitas ſit ita magna, ut nequeat tota demonſtrari, ſola illa conſecratur, quæ ſenſibus externis ſubjaceret, n. 99.

Materia conſecranda debet eſſe præſens conſecranti moraliter, & ad ſenſum, tr. 4. c. 4. punct. 6. n. 103. Sacerdos nequit conſecrare materiam poſitam a tergo, n. 111. Neque materiam abſentem, n. 112. Neque materiam, quæ in principio conſecrationis erat abſens, licèt in fine fiat præſens, n. 113. Si intendat conſecrare materiam abſentem, & præſentem, tenet conſecratio quantum ad præſentem, n. 114. Nequit conſecrari materia valdè diſtans licèt ſenſu percipiatur, n. 115. Hoſtia, & vinum vaſe coôperta validè conſecrantur, n. 117. Non requiritur, quod materia tangatur, vel videatur, à n. 118. Ad valorem conſecrationis non ſufficit intentio conſecrandi hanc materiam, vel illam vagè, ſed requiritur determinata intentio, determinatione ſaltèm virtuali, ibid. n. 121. cum ſeq. Valida eſt conſecratio illarum formularum, quas Sacerdos detulit ad altare conſecrandas, licèt tempore conſecrationis earum obliviſcatur, ibidem, n. 125. An guttæ exiſtentes intra, vel extra calicem, maneant inconſecratæ, n. 126. Deferens duas hoſtias, & ſi unam credat, utramque conſecrat. n. 128. Quid ſi una formula non conſecrata cum aliis conſecratis miſceatur, poterit ne conſecrari? n. 129.

Forma conſecrationis panis eſt, *Hoc eſt Corpus meum*, tr. 4. c. 5. n. 1. Quid ſi Sacerdos diceret, *illud*, vel *iſtud*, vel *hic eſt*, *&c.* Vel *Ecce Corpus meum*, à n. 2 per plures ſequent. Particula *eſt* ſignificat converſionem in facto eſſe. Unde non conſecraret dicens, hoc fit, vel convertitur, *&c.* n. 5. Particula *Corpus* ſignificat terminum per ſe hujus converſionis, n. 8. Conſecratio facta his verbis *Hæc eſt caro mea.* An ſit valida? n. 9. An ſub iſtis? *Hæc eſt ſubſtantia mea*, n. 10. Particula *Meum* ponitur ad ſignificandum ſolùm corpus Chriſti, n. 11. Si Sacerdos diceret *Hoc eſt corpus Chriſti*, conſecratio eſſet dubia, n. 15. Omittere *T.* in ly *eſt*, & *M.* in ly *Meum.* Mutare in N. non obeſt valori Sacramenti, n. 16. & 17. Forma conſecrationis vini non ſalvatur in his tantùm vocibus *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Ibidem n. 25. Licèt prædicta verba ſignificent effectum, quem cauſant, hæc ſignificatio ſolùm eſt ſpeculativa, non practica, & ideò inſufficiens, n. 29. De eſſentia formæ ſanguinis ſunt omnia verba, quibus utitur Eccleſia latina: ſed non eſt de eſſentia ejus, quod omnia verba ponantur formaliter, & explicitè, ſed ſufficit implicitè,

plicitè, & virtualiter, n. 31. Cur Eccleſia latina utatur omnibus verbis, explicitè, & formaliter? n. 35. Illa verba *æterni*, & *myſterium fidei*, habentur ex traditione Apoſtolorum, & includuntur virtualiter in forma relata ab Evangeliſtis, n. 39. Cur ſit de eſſentia hujus formæ explicita mentio effuſionis ſanguinis Chriſti? n. 30. & 40. Illa particula, *effundetur* licèt ſignificet de futuro, non ſumitur tantùm recitativè, ſed etiam ſignificativè, n. 41. Sacerdos profert verba conſecrationis ſignificativè, & recitativè ſimul, ibid. n. 51. Pronomen *hoc*, & *hic* ſignificant ſubſtantiam contentam ſub his accidentibus ſingularem non determinatè, ſed vagè, ibid. punct. 4. n. 60.

Præcipuus effectus Euchariſtiæ eſt augmentum gratiæ, quam per ſe ſupponit, tr. 4. c. 6. p. 1. n. 2. Per accidens etiam producit primam gratiam, n. 5. Effectus iſte producitur, ubi primò verùm eſt dicere, nunc deglutitum, vel potatum eſt Sacramentum, n. 4. Qui recipit unam particulam in peccato mortali, & ſtatim eliciens actum contritionis, ſuſcipit aliam, conſequitur effectum hujus Sacramenti, n. 11. Item qui remiſsè recipit primam particulam, & ferventius ſecundam, majorem effectum conſequitur à ſecunda, n. 12. Euchariſtia non cauſat ſuum effectum toto tempore, quo eſt in ſtomacho, n. 13. Quod detur major gratia ſuſcipienti utramque ſpeciem, cæteris paribus problematicè ſuſtinetur, n. 15. Hoc Sacramentum non cauſat ſuum effectum indignè ſuſcipientibus, etiam recedente fictione, n. 17. Poteſt quis ad Euchariſtiam accedere, quin gratiam recipiat, vel peccatum committat, n. 19. Remiſſio venialium eſt effectus hujus Sacramenti, & quomodo? ibid. punct. 2. n. 22. & ſeq. Itèm præſervatio à mortalibus, n. 28. & remiſſio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, n. 31. & actualis delectatio, & dulcedo, n. 32. & unctio ſpecialis cum Chriſto, n. 33. & adeptio gloriæ, n. 34. Plures effectus hujus Sacramenti circa corpus recenſentur, ibidem punct. 3 à n. 36. Primus effectus hujus Sacramenti non impeditur per peccata venialia, etiam actualia, ibidem n. 45. Quid requiratur, ut Euchariſtia cauſet per accidens primam gratiam, n. 54. Effectus hujus Sacramenti, qui eſt fervor charitatis, cum ſpiritûs ſuavitate, & dulcedine requirit attentionem actualem, n. 55. Ad remiſſionem venialium ultra ſtatum gratiæ requiritur, ut non ſit complacentia, illorum, n. 56. Hoc Sacramentum, ut Sacramentum ſolùm habet effectus ex opere operato in ſumentibus, n. 58.

Suſceptio hujus Sacramenti alia Sacramentalis tantùm, alia ſpiritualis tantùm: alia Sacramentalis, & ſpiritualis ſimul. tract. 4. c. 7. punct. 1. per totum. Suſceptio ſpiritualis tantùm poteſt reperiri in cathecumeno, n. 2. Sacramentalis in ſolo baptizato, n. 3. & 4. Sacramentalis, & Spiritualis ſimul in baptizato juſto, n. 5. Infantes, & amentes baptizati ſuſcipiunt ex hoc Sacramento augmentum gratiæ, n. 6. Sed meritò illis denegatur etiam in mortis articulo, n. 7. Et peccaret graviter, qui infanti hoc Sacramentum porrigeret, ibidem, n. 8. Iis, qui poſt uſum rationis in amentiam inciderunt, debet in articulo mortis concedi hoc Sacramentum cum aliquibus limitationibus, n. 9. & ſeq. Qualiter concedatur ſemifatuis? n. 12. Et mutis, atque ſurdis à nativitate? n. 13. Et energumenis n. 14. Pueri rationis uſum habentes ſtatim tenentur in mortis articulo ſuſcipere hoc Sacramentum, n. 15. Sed extra mortis articulum regulariter non tenentur uſque ad decimum annum, n. 16. & 18. Ad dignè ſuſcipiendum hoc Sacramentum exigitur, quod homo exiſtimet ſe juſtum, n. 19. Accedere ad hoc Sacramentum cum peccatis venialibus habitualibus, non eſt novum peccatum veniale, n. 21. Secus eſt ſi accedat cum peccato veniali actuali, n. 23.

De confeſſione præmittenda ante communionem, vide verbo *Confeſſio*.

De diſpoſitione ex parte corporis requiſitâ ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum, vide verbo *Sacerdos*, & verbo *Pollutio*, & verb. *Conjux*, & verbo, *Jejunium*. Ob reverentiam tanti Sacramenti eſt maximè decens abſtinere à cibo, & potu, donec ſpecies conſumantur, tract. 4. c. 7. n. 73.

Obligatio ſuſcipiendi hoc Sacramentum eſt ex præcepto divino, tract. 4. cap. 8. punct. 1. n. 1. Hoc præceptum obligat adultos in mortis articulo, n. 4. Quid ſi paulò ante hoc periculum ſuſceperis Euchariſtiam, n. 5. Non tenetur homo in mortis articulo recipere Euchariſtiam; quoties gratiam amittit, n. 9. Nec tranſacto periculo, n. 10. Pueri apti confiteri, tenentur in mortis articulo accipere viaticum, n. 13. An ſatisfaciat præcepto divino, qui ſemel in anno communicat? n. 16. Etiam datur præceptum Eccleſiaſticum ſuſcipiendi in paſchate Euchariſtiam. ibidem punct. 2. n. 17. Qui tempore Paſchatis non communicavit, tenetur quam primum communicare, n. 21. An teneatur homo prævenire tempus communionis, quando credit in Paſchate non poſſe communicare? n. 22. Huic præcepto an fiat ſatis per communionem etiam ſacrilegam? n. 25. Debet quilibet communicare in Paſchate in propria Parochia, n. 28. Aliqui excipiuntur, à n. 29. Non licèt communicare bis in eodem die, n. 36. An ceſſante ſcandalo qualibet hora diei poſſit Euchariſtia ſuſcipi? n. 39. An expediat ſæcularibus communicare quotidie? n. 41.

Omnis, & ſolus Sacerdos poteſt validè conſecrare, tract. 4. c. 9. punct. 1. n. 1. Plures Sacerdotes ſi ſimul concurrant, conficient idem Sacramentum, n. 3. quid ſi unus in proferendo alios præveniat? n. 4. Explicatur, & defenditur conſuetudo, quâ novi Sacerdotes ſimul cum Epiſcopo conſecrant. à n. 5. Solis Sacerdotibus competit ex officio miniſtrare Euchariſtiam, n. 7. Sed ex commiſſione etiam Diacono, n. 8. Alii Diacono inferiores nequeunt miniſtrare Euchariſtiam, n. 10. Quid in mortis articulo? n. 11. Ut licitè Sacerdos miniſtret requiritur poteſtas, vel licentia Paſtoris. ibidem. n. 12. Quando præſumatur hæc licentia concedi? n. 13. & deinceps. Per bullam cruciatam conceditur (in ſententia probabili) facultas ſuſcipiendi Euchariſtiam à ſimplici Sacerdote, n. 16. Quo privilegio fungantur in hâc parte Religioſi? n. 17. An Sacerdos poſſit ſibi ipſi miniſtrare Euchariſtiam, etiam extra Miſſam? n. 18. An poſſit etiam in aliquo caſu miniſtrare laico partem hoſtiæ? n. 19. Miniſtrare ſub utraque ſpecie eſt mortale, n. 20. Alia obſervanda ad licitam adminiſtrationem hujus Sacramenti. à n. 22. In mortis articulo cuilibet Sacerdoti incumbit ex charitate, & Parocho ex juſtitia miniſtrare hoc Sacramentum ibidem, n. 27. Parochus tenetur miniſtrare hoc Sacramentum ovibus, quoties rationabiliter petunt, n. 28.

Forma eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ ſunt verba conſecrationis. tract. 1. c. 4. dub. 2. n. 30.

Index Rerum.

Species non ſignificant determinatè abſque verbis ibidem, n. 33. Habitudo ſpecierum ad verba conſecrationis eſt conditio, ſinè qua forma verborum non determinaret ſpecies. ibid. Verba habent rationem formæ, & efficientis ſimul reſpectu Euchariſtiæ. n. 34.

Aliquæ differentiæ inter cibum ſpiritualem, & corporalem tract. 1. c. 5. punct. 2. n. 34. Peccatum veniale non impedit gratiam hujus Sacramenti, tr. 4. c. 6. punct. 4. n. 45. Proferens formam conſecrationis ſuper duas hoſtias, cum unam tantùm eſſe exiſtimat, utramque conſecrat; niſi intentionem ad unam limitet, tract. 1. c. 7. punct. 7. n. 63. Qui ſuſcipit hoſtiam non conſecratam, detecto errore, tenetur iterum communicare ad ſatisfaciendum præcepto annuæ communionis, tr. 6. c. 7 punct. 5. n. 50.

Eunuchus.

Eunuchus peccatum fornicationis confitens tenetur illam circumſtantiam explicare, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 65.

Examen.

Ante confeſſionem debet præmitti examen conſcientiæ, tr. 6. c. 6. n. 3. punct. 2. n. 3. Non petit ſummam diligentiam, ſed moralem, n. 5.

Excommunicatio.

Qui excommunicato non tollerato miniſtrat Sacramenta, incurrit excommunicationem minorem, & interdictus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ, tr. 1. c. 7. punct 9. n. 74.

An liceat petere Sacramenta à miniſtro excommunicato; & quando? Vide verbo *Miniſter*. Poteſt homo in aliquo caſu abſolvi à peccato, quin præmittatur abſolutio ab excommunicatione, tr 4. c. 7. punct. 3. n. 38.

An liceat offerre Miſſam pro excommunicatis. Vide tract. 5. c. 2. punct. 2. n. 13. & verbo *Miſſa*.

Excommunicatus, quo ſepulto, violatur Eccleſia, debet eſſe nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor, tr. 5. c. 4 punct. 2. n. 71.

Qui invalidè confitetur ob ſolum defectum internum, incurrit excommunicationem, ſi imponatur contra non confitentes, tr. 6. c. 7. punct. 5. n. 49.

Quando excommunicatus ex ignorantia, vel alia juſta cauſa, confitetur, valida eſt confeſſio, tract. 6. c. 9. punct. 1. n. 2.

Excommunicatio non fertur pro culpa omninò interna, tract. 6. c. 13. punct. 2. n. 12.

Execratio.

Quid ſit execratio Eccleſiarum, & quibus modis contingat? tr. 5. c. 4. punct. 2. n. 73. & ſeq.

Extrema unctio.

Nomen, & inſtitutio hujus Sacramenti, tr. 7. c. 1. punct. 1. à n. 1. Extrema unctio eſt verum Sacramentum, ibid. punct. 2. n. 4. Quo ſenſu Beatus Jacobus Apoſtolus petat plures Sacerdotes ad hoc Sacramentum? n. 8. Differentia inter effectum pœnitentiæ, & Extremæ unctionis, n. 9. Diffinitio phyſica, & metaphyſica hujus Sacramenti, n. 10. & 11. Unctiones omnes, quæ fiunt in diverſis partibus, non conſtituunt niſi unum numero Sacramentum Extremæ unctionis, & quare? dub. unic. n. 17. & ſeq.

Materia remota hujus Sacramenti eſt oleum olivarum, tr. 7. c. 2. punct. 1. n. 1. Alii liquores, ut oleum nucum, vel amigdalarum excluduntur, ibid. Oleum debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, ibid. n. 2. & ſeq. Nec Papa poteſt in hoc diſpenſare, n. 6. Forma benedictionis, quam præſcribit Eccleſia, non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti, n. 7. An ad valorem hujus Sacramenti requiratur, quod benedictio olei facta ab Epiſcopo ordinetur ad hoc Sacramentum? n. 9. Poteſt oleum eſſe materia hujus Sacramenti, licèt balſami, vel alterius liquoris mixturam habeat, ſi levis ſit, ibid. An ſit de neceſſitate Sacramenti, quod oleum fuerit eo anno benedictum? n. 10. An ſit de neceſſitate præcepti? n. 11. Quæ quantitas olei requiratur ad valorem hujus Sacramenti, n. 12.

Materia proxima hujus Sacramenti eſt unctio in quibuſdam partibus corporis, tr. 7. c. 2. punct. 2. n. 13 & debet in forma crucis fieri, ſed non de neceſſitate Sacramenti, n. 14. Secluſo contemptu prætermiſſio formæ crucis non eſt lethalis, ibid. Non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod fiat unctio manu Sacerdotis immediatè, n. 15. Neque quod uterque oculus, v. g. ungatur, ſed ſufficit, quod unus & ſic de aliis ſenſibus, n. 16. An ſit neceſſaria renum, & unctio pedum? ibid. punct. 3. n. 17. Quinque unctiones in quinque ſenſibus ita ſunt de neceſſitate Sacramenti. Ut nulla illarum ſeorſim ſumpta conſtituat Sacramentum, etiam partiale, n. 19. Ordo inter prædictas unctiones non eſt de neceſſitate Sacramenti, n. 21. An liceat in periculo mortis ſaltem ſub conditione ungere omnes ſenſus ſub una forma alias virtualiter comprehendente, n. 22. Qui caret organis ſenſuum debet ungi in parte organo proximiori, n. 23.

Quæ ſit forma Extremæ unctionis? tract. 7. c. 2. punct. 4. n. 26. Forma indicativa ad valorem hujus Sacramenti non ſufficit. n. 28. Quid ſi mutentur verba formæ? nu. 29. Quid ſi Sacerdos omittat li. *Sanctam*. quod eſt in forma? n. 30. Quid ſi omittat li *piiſſimam miſericordiam*? n. 31. De neceſſitate Sacramenti eſt, quod petatur in forma remiſſio peccatorum, n. 32. An verò, quod nominentur explicitè ſenſus, qui ſunt peccatorum radices? ibidem.

Quis ſit effectus principalis, & primarius hujus Sacramenti? tract. 7. c. 3. punct. 1. n. 1. Hoc Sacramentum remittit omnia peccata, ſi non ponatur obex. n. 2. & hoc certius eſt in hoc Sacramento quam in aliis Sacramentis vivorum. n. 3. Effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio pœnæ temporalis quoad aliquam partem. n. 5. Et etiam ſanitas corporalis, n. 6. Effectus primarius hujus Sacramenti confertur in inſtanti ultimo terminativo ultimæ unctionis cum forma. n. 8. Quando autem auxilia annexa gratiæ hujus Sacramenti, & ſanitas corporalis? n. 9. Hoc Sacramentum poteſt eſſe validum, & informe, & cauſare ſuum effectum ſublato obice, ſaltem in eodem morbo. n. 10. An poſſit cauſare ſuos effectus in ſtatu ſanitatis. n. 11.

Subjectum capax Extremæ unctionis, quodnam ſit? tract. 7. c. 4. punct. 1. n. 1. Infirmo, de quo dubitatur an vivat, conferendum eſt hoc Sacramentum ſub conditione. n. 2. Homo non baptizatus eſt incapax hujus Sacramenti, n. 3. Item infantes & perpetuò amentes, n. 4. Beatiſſima Virgo non ſuſcepit hoc Sacramentum, n. 5. Solùm infirmis poteſt hoc Sacramentum miniſtrari, non aliis, & ſi in periculo mortis conſtitutis, n. 6. Immò neque omnibus infirmis, ſed ſolùm moribundis, ibid. Excommunicato non licèt ſuſcipere hoc Sacramentum, n. 7. An poſſit

mini-

miniſtrari tempore interdicti ? num. 8. An poſſit iterari perſeverante eodem periculo mortis ? num. 9.

Per ſe loquendo ſecluſo contemptu, & ſcandalo non peccat graviter qui Extremam unctionem omittit, tr. 7. cap. 4. punct. 2. n. 10. Quis dicatur omittere ex contemptu ? n. 11. Ratione ſcandali poteſt quis peccare mortaliter omittendo hoc Sacramentum, ut ſi induceret alios ad ſuſceptionem hæreſis, &c. n. 12. Peccaret graviter qui culpæ mortalis conſcius, & aliud non valens ſuſcipere Sacramentum, iſtud omitteret, n. 13.

Solus Sacerdos eſt Miniſter Extremæ unctionis, tr. 7. c. 5. punct. 1. n. 1. Ad valorem hujus Sacramenti ſufficit quilibet Sacerdos, n. 2. Sed miniſtrat illicitè qui non eſt proprius paſtor infirmi, vel ab eo non habet poteſtatem, n. 3. Religioſi exempti miniſtrantes Extremam unctionem abſque licentia Parochi, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, ibidem. Sufficit præſumpta voluntas, & ratihabitio Paſtoris, n. 4. Quid agendum in neceſſitate ? n. 5. In caſu neceſſitatis poſſunt adhiberi plures miniſtri, quorum quilibet Extremam unctionem cum ſua forma perficiat, n. 6. Parochus tenetur ex juſtitia hoc Sacramentum exigenti miniſtrare, ibidem punct. 2. n. 7. An tempore peſtis ? n. 8. An verò teneantur alii, qui non ſunt Parochi ? n. 9. Miniſter hujus Sacramenti debet per ſe loquendo eſſe in gratia, ut licitè miniſtret, n. 10. & liber à cenſura, quæ prohibet adminiſtrationem Sacramentorum, n. 11. & ſervare ea, quæ præſcribuntur in Manuali, n. 12.

Cur Extremæ unctioni non correſpondeat aliquod Sacramentum veteris legis, tract. 1. c. 2. punct. 1. n. 4.

Extrema unctio non inſtituitur à Divo Jacobo, ſed promulgatur, tr. 1. c. 3. dub. 1. n. 16.

F.

Facultas.

FAcultas vide verbo *Juriſdictio.*

Prælatus Regularis habens ab Epiſcopo facultatem abſolvendi à ſibi reſervatis nequit eam ſubditis ſubdelegare, tract. 6. c. 11. punct. 4. num. 61.

An ſi Epiſcopus indiſcreta reſervatione reſtringeret facultatem Parochorum, ſit valida reſervatio ? tr. 6. c. 13. p. 1. n. 19.

Quis habeat facultatem delegatam ad abſolvendum à reſervatis ? tr. 6. c. 13. n. 28.

An ſubditus obtinens facultatem abſolvendi unum pœnitentem vagè à reſervatis, poſſit uti hac licentia pro ſe ipſo, ut ſe faciat abſolvi ? tr. 6. c. 13. punct. 3. n. 37. An facultas data ad abſolvendum à reſervatis pro hac vice, extendatur ad peccata commiſſa poſt datam facultatem ante confeſſionem ? ibidem n. 39.

An facultas data ad abſolvendum à reſervatis valeat pro commiſſis intuitu hujus licentiæ ? ibidem n. 40.

Quam facultatem circa reſervata habeant Regulares, in ordine ad alios Regulares ? ibidem n. 47. & ſeq. & in ordine ad Sæculares ? n. 51.

Quæ facultas concedatur per jubilæum in ordine ad reſervata ? c. 13. n. 54. punct. 3. An ſuperior teneatur concedere facultatem ad abſolvendum à reſervatis ſubdito eam petenti ? ibidem, punct. 4. n. 60. An ſi ſuperior injuſtè neget, poſſit pænitens abſolvi ? ibidem n. 62. Dans facultatem eligendi confeſſarium non dat eo ipſo licentiam ad abſolvendum à reſervatis, tr. 6. c. 13. punct. 4. n. 64. Poteſt dari hæc facultas cum onere hujus, vel illius pœnitentiæ, n. 65. An poſſit dari cum onere ſe præſentandi ſuperiori ? numero 66.

Sacerdos delegatus ad abſolvendum à reſervatis non poteſt hanc facultatem alteri delegare, ibidem n. 69.

Fœmina

An excuſetur à præcepto Miſſæ fœmina, quæ ſi Eccleſiam adeat, erit occaſio ruinæ adoleſcenti, à quo deperditè amatur ? tr. 5. c. 6. punct. 5. n. 77.

Qui dubitat an deſiderio fœminæ conſenſerit, tenetur illius ſtatum in confeſſionem explicare, tr. 6. c. 8. n. 48.

Feria.

Licet celebrare feriâ quintâ in Cœna Domini, tr. 5. c. 4. punct. 1. num. 2. An autem feriâ ſextâ Paraſceves ? n. 4.

Fictio.

Quid ſit fictio in ſuſceptione Sacramentorum, tr. 1. c. 5. punct. 5. n. 52.

Fides.

Qui deſeruit fidem, tenetur explicare in confeſſione, an paganiſmo, vel judaiſmo, &c. tract 6. c. 8. punct. 4. n. 99.

Quando quis ob bonam fidem excuſetur à repetenda confeſſione. Vide verb. *Confeſſio.*

Fideles.

Fideles tenentur ſingulis annis ad confeſſionem de hoc præcepto, vide plura verbo *Præceptum.*

Filius.

An filius, qui furatur aliquid à Patre, committat peccatum impietatis ? tract. 6. c. 8. punct. 4. n. 81.

Finis.

Non eſt opus explicare in confeſſione, quod finis, propter quem fuit peccatum, erat per ſe bonus, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 106.

Confeſſio facta ob malum finem venialem, eſt valida, tr. 6. c. 9. punct. 2 n. 6.

Forma.

Forma omnium Sacramentorum ſunt verba, tr. 1. c. 4. dub. 1. à n. 13.

Bene poteſt aliquid ſimul eſſe forma, & efficiens, ibidem, dub. 2. n. 34. Aſſignatur forma ſingulis Sacramentis, ibidem, punct. 1. à n. 35.

Forma Baptiſmi, vide verbo *Baptiſmus.*

Forma Pœnitentiæ, vide verbo *Pœnitentia.*

Forma Sacramenti pœnitentiæ eſſentialiter conſiſtit in verbis, tr. 6. c. 3. punct. 5. n. 30.

Frigidus.

Frigidus peccatum fornicationis confitens, tenetur circumſtantiam illam confiteri, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 65.

Furtum.

Furtum pecuniæ Patris non habet ſpeciem impietatis explicandam in confeſſione ſecluſis aliis circumſtantiis, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 81. An qui furatur ex bonis Sacerdotis, teneatur hanc circumſtantiam explicare, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 89.

An furtum in loco ſacro contrahat malitiam ſacrilegii explicandum in confeſſione ? tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 101. An qui furatur propter fornicationem, vel aliud peccatum, poſſit illas malitias ſeorſim confiteri, ibidem, n. 109.

Digitized by Google

Index Rerum.

G.

Gratia.

GRatia in omnibus Sacramentis eſt res Sacramenti tantùm, tr. 1. c. 1. dub. 2. n. 13. & ſequent. Gratia non ſignificatur naturaliter à Sacramento, ibidem, dub. 1. n. 15. Gratia confertur in uſu cujuſlibet Sacramenti, ibidem, dub. 4. n. 31. & ſequent. In lege gratiæ per ipſum Sacramentum confertur. In lege ſcripta à Deo tantùm ad præſentiam Sacramenti, ibidem.

Gratia cauſatur ex opere operato in Sacramentis legis gratiæ, tr. 1. c. 5. p. 1. n. 2. Producitur per illa non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè inſtrumentaliter, cap. 2. dub. unic. n. 20. Gratia data per unum Sacramentum diſtinguitur moraliter à gratia producta per aliud, tr. 1. c. 5. dub. unico à n. 26.

Gratia viæ recipitur amiſſibiliter, & ideo poteſt corrumpi moraliter. tract. 1. c. 2. dub. unic. n. 26. fit per eductionem ibidem. Cur ejus productio dicatur creatio? ibidem. A ſolo Deo poteſt produci principaliter; inſtrumentaliter tamen à creatura, 37. Gratia producitur per Sacramenta in ultimo inſtanti prolationis verborum, n. 38.

Gratia dupliciter datur, & ex opere operantis, & ex opere operato. tract. 1. c. 5. p. 1. n. 1. Quot modis conferatur ex opere operato? ibidem. Sacramenta novæ legis cauſant gratiam ex opere operato. ibidem n. 2. & ſequentibus.

Gratia Sacramentalis addit aliquid ſupra gratiam virtutum, & donorum tract. 1. c. 5. punct. 3. n. 16. Gratia Sacramentalis ſpecialius operatur, quam gratia extra Sacramentum ibidem. Et declaratur hoc in ſingulis Sacramentis à n. 17. Gratia Sacramentalis addit auxilium ad exequendum actum, ad quem per ſe ordinatur, n. 24. Habitudo gratiæ Sacramentalis ad auxilium non eſt denominatio extrinſeca, ſed aliquis modus vi cujus exigit auxilium connaturaliter. ibidem. dub. unic, n. 29. Gratiam habitualem diſtingui à Sacramentali, ſicut genus à ſpeciebus: qualiter intelligendum? n. 34. Diſtinctio inter gratiam Sacramentalem, & habitualem explicatur per analogiam ad gratiam, & juſtitiam originalem, n. 36.

Gratia baptiſmalis poteſt ſupponere in aliquo genere gratiam Sacramenti pœnitentiæ tract. 6. c. 4. punct. 1. n. 12.

An ſatisfactio ſacramentalis cauſet augmentum gratiæ habitualis; tr. 6. c. 10. punct. 1. n. 8.

An ſit obligatio exequendi ſatisfactionem Sacramentalem in ſtatu gratiæ? tr. 6. c. 10. punct. 5. n. 69. & 70.

Gubernator.

An Gubernator reipublicæ permittens aliorum furta debeat in confeſſione proprium ſtatum explicare? tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 63.

H.

Hæretici.

AN Hæreticorum filii invitis parentibus non ſolum validè, ſed etiam licitè poſſint baptizari? tr. 2. c. 6. punct. 2. n. 16. & quid ſi filii nequeant ab illis ſeparari? n. 17.

Humanitas.

Humanitas Chriſti producit phyſicè inſtrumentaliter noſtram gratiam? tr. 1. c. 2. dub. unic. n. 13. Fuit inſtrumentum conjunctum divinitati, ibidem. Quam operationem præviam habeat ad gratiam, ibidem n. 28.

I.

Jactantia.

AN in peccato jactantiæ debeant explicari peccata, de quibus habita eſt jactantia? tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 77.

Iejunium.

Suſcepturus Euchariſtiam debet eſſe jejunus jejunio naturali, tr. 4. c. 7. punct. 4. n. 65. In quo conſiſtit jejunium naturale? ibidem. In jejunio naturali non datur parvitas materiæ, n. 66. Varii caſus circa hoc examinantur, à n. 67.

Non jejunus licitè communicat in aliquibus caſibus tract. 4. c. 7. p. 4. n. 74. & ſeq.

Ignorantia.

An teneatur confeſſarius admonere pœnitentem laborantem aliqua ignorantia invincibili, ex qua excuſatur. tr. 6. c. 12. punct. 3. n. 34.

An caſus reſervati prætermiſſi in confeſſione ex ignorantia invincibili jam non maneant reſervati? tr. 6. c. 13. punct. 3. n. 43. Et quid ſi habeant annexam cenſuram? n. 44.

Inceſtus.

Inceſtus cum conſanguinea differt ſpecie ab inceſtu cum affine. tr. 6. c. 8. punct. 2. n. 31. Item inceſtus cum perſona in linea recta, & tranſverſali. ibidem. Similiter inceſtus in primo gradu conſanguinitatis ab aliis, ibidem.

Inducere.

An inducens ad fornicationem, &c. debeat hanc circumſtantiam explicare in confeſſione? tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 104.

Indulgentia.

Raró, aut numquam excuſatur pœnitens ab obligatione ſatisfactionis injunctæ conſecutione indulgentiæ plenariæ, tr. 6. c. 10. punct. 6. n. 84.

Infans.

Non licet immittere infantem in puteum ad baptizandum, etiamſi non detur aliud medium, & illius mors inſtaret, tr. 2. c. 2. punct. 2. n. 35. Nec aperire matrem ante mortem ob eamdem cauſam ibidem. An liceat tamen baptizare infantem, etſi crederetur ejus mortem accelerandam fore? ibidem, n. 36.

Infans exiſtens intra uterum matris eſt incapax baptiſmi, tr. 2. c. 6. punct. 1. n. 5. Infans baptizatus capax eſt ſuſcipiendi effectum Euchariſtiæ, tr. 4. c. 7. p. 1. n. 6.

Infideles.

An liceat infidelium filios baptizare? nonnulli caſus explicantur, tr. 2. c. 6. punct. 2. n. 8. & ſequentibus.

Per ſepulturam infidelium violatur Eccleſia, etiamſi ſint infantes, tr. 5. c. 4. punct. 2. n. 72. Licet offerre miſſam pro infidelibus non excommunicatis, tr. 5. c. 2. n. 19.

Infirmus.

Infirmus durante periculo, poteſt ſemel & iterum non jejunus communicare, tr. 4. c. 7. punct. 4. n. 75. Quod tempus debeat interponi, inter unam & aliam communionem, ibidem, n. 76.

Infirmitas excuſat à præcepto audiendi ſacrum, quanta debeat eſſe? tr. 5. c. 6. n. 58.

Injuria.

An in peccato injuriæ debeat explicari conjunctio perſonæ, vel dignitas perſonæ, tr. 6. c. 8. p. 4. n. 81. uſque ad 89.

Inſti-

Index Rerum.

Inſtitutio.

Inſtituere Sacramenta cui competat ? tr. 1. c. 3. per totum, & vide verbo *Sacramentum.*

Ut quis aliquam rem dicatur inſtituere non eſt neceſſarium, ut primus incipiat in omni ordine. tr. 1. c. 3. dub. 2. n. 26.

Inſtrumentum.

Sacramenta novæ legis ſunt ioſtrumenta phyſica productiva gratiæ. tr. 1. c. 2. dub. unico. n. 21. Inſtrumentum phyſicum defert actionem principalis agentis. n. 23 Inſtrumentum Dei poteſt. agere in paſſum, quantumuis diſtet ab eo. ibid n. 35. Nequit creatura aſumi, ut inſtrumentum ad creationem. n. 36. &. 37. Inſtrumentum cauſativum gratiæ cibantis ſumptum in eſſe inſtrumenti ſtat pro corpore Chriſti in recto; ſed in eſſe Sacramenti pro ſpeciebus. tract. 4. c. 1. dub. 3. n. 37. Non eſt neceſſarium regulariter explicare in confeſſione inſtrumenta peccati. tract. 6. cap. 8. num. 103.

Intenſio.

Intenſio actûs peccaminoſi non eſt circumſtantia neceſſario explicanda. tr. 6. c. 8. p. 4. n. 110.

Intentio.

Intentio faciendi, quod facit Eccleſia compatitur cum errore circa id, quod facit Eccleſia. tr. 1. c. 4. punct. 4. n. 66. Hæc intentio poteſt conjungi vel cum forma retinente ſubſtantialem ſenſum, vel cum forma ambigua. n. 67. Ad valorem Sacramenti ſufficit intenrio generalis cum vera forma, etiamſi omittat verbum, quod exiſtimat eſſe de eſſentia Sacrameriti n. 68. Oppoſitum contingit, ſi verba formæ ſint ambigua. n. 70.

Aliqua intentio requiritur ex parte miniſtri ad valorem Sacramenti. tr. 1. c. 7. punct. 3. n. 23. Non ſufficit intendere proferre formam ſupra materiam, pro ut exrerius fit ab Eccleſia; ſed opus eſt intendere, quod inſtituit Chriſtus, vel quod intendit Eccleſia, vel quid ſimile ibidem; n. 26. & deinceps. Sinè iotentione nullus actus tenet in foro conſcieotiæ. n. 30.

Non ſufficit intentio habitualis, ſed requiritur actualis. non formalis, ſed virtualis. tr. 1 c. 7. à n. 38.

An intentio miniſtri debeat eſſe circa determinatam materiam ? tr. 1. c. 7. punct. 7. n. 60. Alligare inteorionem ad perſonam materialiter ſumptam (excepto matrimonio) an ſit peccatum ? n. 62.

Quæ intentio requiratur ad ſatisfaciendum præcepto audiendi miſſam ? tr. 5. c. 6. punct 3. n. 24. Quam intentionem debeat Sacerdos habere in applicatione Miſſæ ? tr. 5. c. 3. n. 27.

Integritas.

De integritate cooſeſſionis. Vide plura verbo *Confeſſio.*

Quæ cauſæ excuſent ab integritate confeſſionis? tr. 6. c. 8. punct. 5. n. 112. Excuſat impotentia phyſica, vel moralis. Exemplificatur in aliquibus caſibus à n. 113. Qui reticet ex juſta cauſa peccatum in confeſſione, non tenetur procurare illius contritionem perfectam, n. 128. An ſuperior auditis ſolis ſibi reſervatis, poſſit remittere pœnitentem ad confeſſarium inferiorem pro abſolutione non reſervatorum ? n. 129. An qui nequit adire ſuperiorem pro abſolutione reſervatorum inſtante neceſſitate confeſſionis, debeat confiteri inferiori etiam reſervata ? n. 133. An qui ex juſta cauſa reticet peccatum, debeat, cum primum poteſt, illud confiteri; n. 134.

Interpres.

Extra mortis articulum non tenetur homo confiteri per interpretem, tr. 6. c. 7. punct. 2. n. 19. An autem in mortis articulo ? n. 20. & ſeq.

Interrogare.

Quando, & de quibus teneatur confeſſarius interrogare pœnitentem, tr. 6. c. 12. punct. 2. n. 14. & ſeq.

Interruptio.

Quæ Interruptio ſufficiat ad diſtinctionem numericam peccatorum, tr. 6. cap. 8. punct. 1. n. 9. Qui abſque ioterruptione morali appellat aliquem ebrium, vel profert juramentum falſum, non tenetur numerum explicare, tr. 6. c. 8. p. 4. n. 75.

Irreverentia.

Uti aqua impura, & turbida ſinè neceſſitate in Baptiſmo quale peccatum ? tr. 2. c. 2. p. 1. n. 14.

Iubilæum.

An ad lucrandum jubilæum debeat homo confiteri venialia, ſi caret mortali ? tr. 6. c. 7. punct. 3. n. 33.

Tempore Jubilæi levior pœnitentia poteſt injungi, quam aliàs deberet, tr. 6. c. 10. punct. 3. n. 45.

An quando tempore jubilæi datur facultas abſolvendi à reſervatis, maneat liber à reſervatione, qui confitetur abſque intentione lucrandi jubilæum ? tr. 6. c. 13. punct. 3. n. 42. An idem ſit dicendum de abſolutione à cenſuris ? ibid. An qui tempore jubilæi confitetur, maneat liber ab oblitis, & ſi poſtea recordetur ? tr. 6. c. 13. p. 3. n. 55. Qui tempore jubilæi confitetur reſervata cum intentione lucrandi jubilæum manet liber à reſervatione, & ſi poſtea non lucretur ? n. 56. An peccet graviter, qui ſuppoſità abſolutione, alia requiſita ad conſecutionem jubilæi prætermittit ? n. 57. An qui tempore jubilæi non recordabatur reſervatorum, poſſit tranſacto tempore in virtute jubilæi ab illis abſolvi ? n. 58.

Iudex.

Judex tenetur concedere reo tempus ad ſuſcipiendum viaticum, tr. 4. c. 8. p. 1. n. 11.

Judex ſubordinatus tenetur obſervare formam præſcriptam à judice ſupremo, tr. 6. c. 3. punct. 4. n. 29.

Iudicium.

An in judiciis temerariis debeant explicari defectus contra proximum, tr 6. c. 8. punct. 4. n. 76.

Iuramentum.

Violans votum juramento firmatum, debet utrumque confiteri, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 72.

Iuriſdictio.

Ad abſolvendum à peccatis requiritur juriſdictio, vel ordinaria, vel delegata, tr. 6. c. 11. p. 1. n. 4. Qui habet juriſdictionem ordinariam, poteſt eam alteri delegare; ſecus qui ſolùm delegatam, n. 7. Penes quos ſit juriſdictio ordinaria ? ibid. punct. 3. n. 41. & ſeq. & qui poſſint eam delegare ? tr. 6. c. 11. p. 4. n. 56. & ſeq. & plura verb. *Pœnitentia.*

An liceat uti juriſdictione dubia in foro pœnitentiæ in caſu magnæ neceſſitatis ? tr. 6. c. 11. p. 5. n. 72. An liceat uti juriſdictione probabili ? n. 74. Juriſdictio poteſt ſuppleri ab Eccleſia. ibidem, n. 77.

Juriſdictio in generali conceſſa confeſſario non expirat morte concedentis, donec à ſucceſſore revocetur, ibid. p. 6 n. 80. Neque expirat ceſſatione delegantis ab officio, n. 82. Nec ceſſat licentia data pœnitenti eligendi confeſſarium, n. 83. Quid ſi indultu ſit de abſolutione determinatæ perſonæ,

ſonæ, nondum facta confeſſione? n. 84. Quid ſi facultas concedatur ad beneplacitum? n. 85. Sæpè juriſdictio confertur dependenter ab approbatione, ibidem.

Qui habeant juriſdictionem delegatam ad abſolvendum à reſervatis? tr. 6. c. 13. p. 3. n. 28.

Plura, quæ juriſdictionem concernunt, vide verbo, *Facultas.*

Jus.

Jus divinum aliud eſt immediatè à Deo aliud fundatur in actu humano, & differentia utriuſque in ordine ad diſpenſationem, tr. 4. c. 4. punct. 3. n. 45. Quo jure competat ſimplici Sacerdoti facultas abſolvendi à venialibus, & mortalibus jam confeſſis, vel in articulo mortis? tr. 6. c. 11. n. 9. & 22.

Iuſtitia.

Juſtitia originalis qualiter diſtinguebatur à gratia habituali, tr. 1. c. 5. dub. unic. n. 36.

L.

Laici.

LAicus baptizans in præſentia Sacerdotis peccat mortaliter, tr. 2. c. 4. punct. 2. n. 13. Quid ſi Sacerdos eſſet excommunicatus? n. 14.

Latini.

Latinus, qui in baptiſmo uteretur forma Græcorum, graviter peccaret, tr. 2. c. 3. punct. 1. n. 5.

Lex.

Legis veteris Sacramenta, vide verbo *Sacramentum.*

Qui in lege naturæ determinabant cæremoniam, quâ parvulus eſſet juſtificandus, non erant authores illius Sacramenti, tr. 1. c. 3. dub. 2. n. 24.

Licentia.

Licentia data pœnitenti eligendi confeſſarium non expirat morte concedentis, tr. 6. c. 11. punct. 6. n. 85.

De licentia requiſita ad revelandam confeſſionem, vide verbo *ſigillum.*

M.

Malitia.

LIcet in eodem actu frequenter reperiri duæ malitiæ ſolo numero diſtinctæ phyſicè, bene tamen moraliter in acceptione morali, tr. 6. c. 8. punct. 1. n. 8.

Si duæ malitiæ peccati mortalis reperiantur in eodem actu, utraque debet confiteri, punct. 2. n. 13.

Materia.

An inter materiam, & formam Sacramentorum requiratur coexiſtentia phyſica? tr. 1. c. 4. dub. 2. à n. 30. Aſſignatur materia proxima, & remota omnium Sacramentorum, ibidem, punct. 1. n. 35.

Materia alia *ex qua*, alia *in qua*, alia circa *quam*, tr. 6. c. 4. punct. 1. n. 1. Quæ ſit materia pœnitentiæ? ibid. Quoties in Sacramentis datur nova materia proxima, poteſt circa materiam remotam iterari forma, ibidem.

Matrimonium.

Ad Sacramentum matrimonii ſufficit ſignum ſenſibile, quo celebrantur contractus humani, tr. 1. c. 4. dub. 1. n. 11. & n. 17.

Materia Matrimonii eſt mutuus conſenſus, ut eſt traditio: forma mutuus conſenſus, ut eſt acceptatio, tr. 1. c. 4. dub. 2. n. 16.

Conjuges contrahentes in peccato mortali, peccant mortaliter, ut ſuſcipiunt Sacramentum; ſecus quatenus miniſtrant. tr. 1. c. 7. p. 10. n. 97.

Medium.

Qui tenentur ad finem, non tenentur ad media extraordinaria, vel juri communi contraria, tr. 5. c. 6. punct. 5. n. 62.

Quando medium eligitur in ordine ad finem ex ſe bonum, non eſt opus in confeſſione explicare circumſtantiam finis, tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 106.

Metus.

An qui metu conſtrictus ſuſcipit baptiſmum, validè baptizetur? tr. 2. c. 6. p. 3. n. 42.

Miniſter, & miniſtrare Sacramenta.

Quare miniſter Sacramenti, qui gratiam producit per characterem, non ſit cauſa principalis gratiæ? tr. 1. c. 6. dub. 6. n. 64.

Miniſter Sacramenti eſt cauſa inſtrumentalis gratiæ, tr. 1. c. 7. punct. 1. n. 1. Ex miniſtro, & Sacramento integratur unicum inſtrumentum completum, num. 9.

Miniſter conſecratus concurrit ex officio; ſecus non conſecratus, ibidem. Coôperans per characterem concurrit per aliquam virtutem permanentem; aliter qui charactere non influit, ibid.

Ex vi præſentis inſtitutionis ſolus homo poteſt miniſtrare Sacramenta, tr. 1. cap. 7. p. 2. n. 13. & ſeq. Quid de anima ſeparata, & de Angelis ſit dicendum? n. 19. cum ſeq. Non omnis homo baptizatus poteſt eſſe miniſter cujuſcumque Sacramenti, n. 22.

De intentione miniſtri. vide verbo *Intentio.*

Miniſter debet habere determinatam intentionem circa materiam Sacramentorum, tract. 1. c. 7. punct. 7. n. 60.

Miniſtri malitia, aut infidelitas non impedit effectus Sacramentorum, n. 55.

Miniſter debet habere poteſtatem ordinis, vel juriſdictionis ad Sacramentum, quod miniſtrat. tr. 1. c. 7. punct. 9. n. 69. Adhibere materiam, & formam certam, n. 70. Obſervare cæremonias Eccleſiæ, n. 71. Denegare Sacramenta publico peccatori, n. 72. & occulto peccatori, ſi occultè petat, n 73. Si adminiſtrat Sacramenta excommunicato, incurrit excommunicationem minorem, &c. n. 74 Non obligatur ex vi cenſuræ denegare ea excommunicato tollerato. n. 75.

Diſparitas inter miniſtrum ſolemnitatis, & neceſſitatis, tr. 1. c. 7. n. 76. cum ſeq. Per ſe loquendo qui exiſtens in peccato mortali abſolvit etiam in extrema neceſſitate, peccat mortaliter, n. 92. Per accidens verò ſi nequit ſe diſponere, probabiliter excuſatur, n. 93. Non tenetur ad licitè conficiendum Sacramentum, prætermittere confeſſionem ſed contritionem: excepta Euchariſt, n. 96.

An adminiſtrandum Sacramentum antea confectum exigatur gratia? tr. 1. c. 7. punct. 11. n. 98. An qui miniſtrat Euchariſtiam in peccato mortali exiſtens, peccet mortaliter. An Epiſcopus, qui exiſtens in mortali conficit Chriſma, peccet mortaliter? n. 99. Nonnulla corollaria deducuntur, n. 103. cum ſeq.

Non licet petere Sacramentum à miniſtro, qui vel non habet poteſtatem, vel non eſt habiturus intentionem, tract. 1. c. 8. punct. 2. n. 15. In extrema neceſſitate Baptiſmi, vel pœnitentiæ, poteſt quis licitè petere hæc Sacramenta à miniſtro, qui eſt excommunicatus vitandus propter hæreſim, num. 16. & 18. In hoc caſu non poteſt miniſtrare Sacramentum cum ſolemnitate,

initate; n. 17. Quid de aliis Sacramentis, n. 22. cum ſeq.

Licet petere ab excommunicato non vitando Sacramenta, quando utile, vel neceſſarium eſt petenti, ut ea miniſtret, tr. 1. c. 8. punct. 2. n. 26. An petere hæc à miniſtro excommunicato non vitando non parato, ſinè neceſſitate, aut utilitate ſit peccatum à n. 29. Ipſis excommunicatis non licet ſe offerre ad adminiſtranda Sacramenta, n. 32. & ſi facilè poſſunt obtinere abſolutionem cenſuræ, ad id tenentur, n. 33.

An liceat petere Sacramenta ab eo, quem ſcimus adminiſtraturum in peccato? tract. 1. c. 8. n. 35. cum ſeq.

Miniſter Sacramenti ſolus eſt ille, qui ponit formam Sacramenti, tr. 6. c. 2. p. 2. n. 14.

Miniſter Sacramenti pœnitentiæ eſt ſolus Sacerdos, tr. 6. c. 11. punct. 1. à n. 1. De miniſtro pœnitentiæ ordinario, & delegato, vide verbo *Pœnitentia & Iuriſdict.*

Miſſa.

Miſſæ ſacrificium præfigurabatur antiquis ſacrificiis, tr. 5. c. 1. punct. 1. n. 3. unum & idem eſt ſacrificium Miſſæ incruentum; & cruentum Crucis, n. 4. Miſſa eſt verè, & propriè ſacrificium inſtitutum à Chriſto Domino ibidem punct 2. n. 7. & 8. Tota eſſentia ſacrificii Miſſæ conſiſtit in ſola conſecratione utriuſque ſpeciei, dub. un. n. 14

Præcipuus offerens in hoc ſacrificio eſt Chriſtus Dominus, tr. 5. c. 2. punct. 1. n. 1. Chriſtus Dominus offert hoc ſacrificium non ſolum præſuppoſitivè, ſed etiam proximè & actu elicito, n. 3. & ſeq. Poſt Chriſtum Sacerdotes offerunt, n. 6. Baptizati non excommunicati etiam offerunt. Sed quo pacto, & quibus modis? n. 7. Pro quibus poſſit offerri hoc ſacrificium? ibid. p. 2 à n. 7.

Miſſæ ſacrificium non remittit peccata mortalia immediatè inſtar Sacramentorum, ſed quatenus impetrat auxilium ad pœnitent. tr. 5. c. 3. p. 1. n. 3. An remittat venialia? n. 8. Remittit autem immediatè pœnas pro peccatis debitas, ubi etiam de aliis effectibus illius, n. 11. cum ſeq. Requiritur intentio Sacerdotis, ut Miſſa proſit alicui ex opere operato, ibid. punct. 3. n. 22. Prodeſt ei, pro quo offert Sacerdos, etiamſi peccet in offerendo, n. 23. & ſeq. Quam intentionem debeat Sacerdos habere in hac applicatione? n. 27. Nequit fieri ſub conditione de futuro, n. 29. Hoc ſacrificium eſt valoris infiniti; habet tamen effectum finitum, ibid. dub. unic. n. 40. Cur tametſi valor ſit infinitus, ſacrificium repetatur? n. 47. Differentia inter ſacrificium Crucis, & ſacrificium Miſſæ quoad valorem, n. 51.

In omnibus diebus anni licet celebrare, tr. 5. c. 4. p. 1. n. 1. An in triduo majoris hebdomadæ? n. 2. cum ſeq. Eodem die non licet niſi ſemel celebrare, niſi in die Nativitatis, n. 8. Excipe aliquos caſus neceſſitatis, quos vide, n. 10. & ſeq. & verb. *Celebrare*. Sicut ob neceſſitatem licet eodem die bis celebrare, ita, & ter, & ſæpius, n. 15. Nequit Sacerdos celebrare ante auroram, neque poſt meridiem, n. 25. Ab hac regula excipiuntur dies Nativitatis, & alii caſus, n. 26. cum ſeq.

Seclusâ neceſſitate, vel privilegio non licet celebrare niſi in loco ad cultum Dei deſignato, & ab Ordinario approbato, tr. 5. c. 4. p. 2. n. 49. Et tranſgreſſio hujus legis eſt mortalis, ibid. Excipiuntur propter neceſſitatem plures caſus à n. 50. In his autem non licet celebrare abſque altari portatili conſecrato, n. 54. Licitum eſt celebrare in mari ſervatis aliquibus circumſtantiis, n. 63. Peccatum grave eſt celebrare in Eccleſia polluta, niſi detur neceſſitas, aut polluatur poſt Canonem inceptum, n. 64. Modi, quibus Eccleſia polluatur, n. 67. Non licet celebrare in Eccleſia execrata, ibid. n. 73. Quibus modis execratio contingat? à n. 74. de altari ad miſſæ celebrationem requiſito vide verbo *Altare*.

Ad altaris ornatum & Miſſæ celebrationem requiruntur, tres pallæ, corporale, purificatorium, candelæ ex cera, miſſale, Crux, Calix. & Patena, veſtes ſacræ, amictus, alba, &c. Quæ culpa ſit ſinè aliquo horum celebrare? tr. 5. c. 4. p. 4. à n. 82. Qualiter veſtes ſacræ amittant benedictionem? n. 94. Non tenetur ſub mortali Sacerdos recitare orationes ab Eccleſia præſcriptas, cum induit veſtes ſacras, n. 95. veſtes, & patena, &c. non redduntur benedictæ ex eo quod illis miſſa celebretur, n. 96. Tenetur celebrare capite diſcôperto, n. 102. Nunquam ob periculum etiam mortis, licet ſacrificium relinquere mutilum ex propoſito, num. 103. Non licet miſſam ſemel inchoatam abrumpere, n. 104. Niſi ob aliquas juſtas cauſas, quæ enumerantur à n. 105. Defectus in obſervatione eorum, quæ præſcribit Miſſale Romanum, ex ſuo genere eſt gravis, niſi excuſet inadvertentia, vel levitas materiæ, n. 112. Dicere Miſſam votivam in die Dominica, vel feſto duplici, non eſt mortale, 114. Quid ſi alia omittantur? n. 115. cum ſeq. Non poteſt Miſſa celebrari vulgari lingua, n. 121.

De juſto ſtipendio Miſſæ, vide verbo *ſtipendium*, & verbo *Sacerdos*, & tr. 5. c. 5. per tot.

Datur præceptum Eccleſiaſticum legi naturali, & divinæ conforme de Miſſa diebus feſtis audienda, tr. 5. c. 6. punct. 1. n. 1. Quæ pars Miſſæ, ſi omittatur, ſufficiat ad mortale? n. 2. & ſeq. Qui dimidiam Miſſam audit ab uno Sacerdote, poſtmodum aliam dimidiam ab altero, ſatisfacit præcepto, n. 7. Sed peccat venialiter, ibid. Non ſatisfacit qui ſimul tempore duas medietates Miſſæ audit, n. 9. Qui non poteſt Miſſæ intereſſe, niſi à præfatione, adhuc intereſſe tenetur, n. 13. omittere ſinè cauſa partem Miſſæ levem, eſt veniale, n. 14. Qui omiſit partem levem, tenetur ſub veniali ſupplere hunc defectum, ſi poteſt, n. 15. Ad ſatisfaciendum huic præcepto requiritur præſentia moralis, ibid. punct. 2. n. 17. nonnulli caſus aſſignantur à n. 18. Requiritur ad ſatisfaciendum huic præcepto intentio, & attentio. Quæ, & qualis debeat eſſe? n. 24. cum ſeq.

Excuſantur ab hoc præcepto audiendi ſacrum excommunicati, interdicti, niſi habeant privilegium, infirmi, & alii, qui habent impotentiam moralem, tr. 5. c. 6. punct. 5. n. 53. & ſeq. Explicantur aliqui caſus à n. 63. uſque ad n. 82.

Quomodo ſatisfaciat huic præcepto ille, cui alias imponitur in pœnitentiam, quod ſacrum audiat? tr. 6. c. 10. p. 3. à n. 29.

Mixtio, vide verbo. *Aqua. Modus.*

Abſolutio data ſub modo deprecativo eſt invalida, ſecus modo imperativo, tr. 6. c. 3. p. 2. n. 17. & 18.

Monachus.

Monachi illicitè, licet validè, ſunt Patrini, tr. 2. c. 7. punct. 2. n. 47. Quoad hoc Monachorum appellatione, non veniunt Mendicantes, ibid. An Monachus Benedictinus teneatur ſub obligatione gravi, ad menſtruam confeſſionem, etiamſi ſolùm habeant venialia? tr. 6. c. 7. punct. 3. n. 32.

Index Rerum.

Monſtrum.

Monſtrum an ſit baptizandum, & quomodo? tr. 2. c. 6. p. 2. n. 6.

Moribundus.

An moribundus, qui ſolùm dixit peccatum in communi, nullo explicato in particulari, poſſit abſolvi? tract. 6. c. 8. punct. 6. n. 135. & ſeq. Puer de quo dubitatur, an babeat uſum rationis, ſi in articulo mortis confiteatur aliquod veniale debet ſub conditione abſolvi, n. 141. Moribundus exhibens ſigna doloris coram confeſſario debet abſolvi, ibid. n. 143. Etiamſi exhibeat ſigna pœnitentiæ in abſentia confeſſarii, n. 144. ſufficit quod teſtantes dicant, ſe audiſſe ab aliis ſigna pœnitentiæ, etſi non viderint, n. 146. An poſſit abſolvi moribundus ſenſibus deſtitutus, quando nullus eſt, qui teſtificetur, quod petierit confeſſarium, vel dederit ſigna pœnitentiæ, n. 147.

Qualis pœnitentia ſit imponenda moribundis, tr. 6. c. 10. punct. 2. n. 20.

Mors.

In mortis articulo vero, vel probabili, tenetur homo confiteri, tr. 6. c. 7. n. 6. & ſeq.

In mortis articulo quilibet Sacerdos poteſt abſolvere ab omni peccato etiam reſervato, tr 6. c. 11. p. 2. n. 19. An poſtea pænitens teneatur recurrere ad ſuperiorem? n. 21. Mortis articulus, & periculus mortis, quantum ad boc ſunt idem, n. 27. vide plura verbo *Pœnitentia.*

Mulier.

Mulier poteſt miniſtrare Baptiſmum in caſu neceſſitatis, tr. 2. c. 4. punct. 2. n. 6. Nec peccat mortaliter baptizando in præſentia viri, n. 7.

Mutatio.

De mutatione in materia, vel forma ſacramentorum, vide verbo *Sacramentum.* Quæ mutatio obſit valori abſolutionis, vide verbo. *Pœnitentia.*

Mutus.

Mutus tenetur ſingulis annis ex præcepto Ecclefiæ confiteri per nutus, vel alio modo, tract. 6. c. 7. punct. 2. numero 15.

N.

Nativitas Dominica.

NUllum eſt præceptom celebrandi, vel aodiendi tres Miſſas in die Nativitatis, tr. 5. c. 4. punct. 1. n. 9. Poteſt Sacerdos omnes tres Miſſas proximè poſt mediam noctem celebrare, ibidem, num. 10.

Neceſſitas.

Neceſſitas alia medii, alia præcepti, tract. 4. c. 3. punct. 1. n. 2. Poteſt ſalus conſequi, ſinè eo, quod eſt de neceſſitate præcepti, ſed non ſinè eo, quod eſt de neceſſitate medii, ſeu finis, n. 3. Neceſſarium neceſſitate medii cauſat poſitivè adeptionem finis. Neceſſarium neceſſitate præcepti ſolum cauſat negativè, n. 4. Quæ habent neceſſitatem præcepti ſunt ſemper in noſtra poteſtate, ſecus quæ habent neceſſitatem medii, n. 5.

Neceſſitas excuſans peccatorem à præmittenda confeſſione ante communionem debet eſſe gravis, tr. 4 c. 7. p. 3. n. 41. Examinantur circa boc plures caſus à n. 45. ibidem.

Notitia.

An ille, cui delegatur juriſdictio ad abſolvendum, debeat habere notitiam delegationis, ita ut aliter abſolutio ſit irrita? tr. 6. c. 11. punct. 4. n. 62.

Novicius.

An novicius carnaliter peccans debeat in confeſſione ſuum ſtatum explicare? tr. 6. c. 8. punct. 4. n. 55.

Numerus.

Debent in confeſſione explicari peccata quoad num. tr. 6. c. 8. punct. 1. n. 2. Diſtinctio numerica peccatorum undè ſumatur? ibidem, n. 5. Non poſſunt dari duæ malitiæ in eodem actu ſolo numero diſtinctæ, ſi accipiantur phyſicè, vel metaphyſicè; ſecus moraliter id acceptione morali, n. 8. Quæ interruptio ſufficiat ad diſtinctionem numericam peccatorum? n. 9.

Explicandus eſt in confeſſione numerus perſonarum, coram quibus locutus eſt homo turpia vel præbuit ſcandalum, tr. 6. c. 8 p. 4. n. 90.

Qui bona fide confitetur majorem numerum peccatorum, non tenetur confeſſionem tepetere, tr. 6. c 9. p. 4. n 15.

Nutus.

Graviter peccat, qui ſolùm per nutum confitetur, quando voce poteſt, tr. 6. c. 7. punct. 2. n. 11. In mortis articulo tenetur homo nutibus confiteri, ſi aliter non poſſit, ibidem, n. 14. Immò mutus tenetur ſingulis annis, n. 15.

O.

Objectum.

OBjectum Pœnitentiæ, tr. 6. c. 1. p. 1. n. 4.

Obligatio.

Obligatio acceptandi, & exequendi pœnitentiam impoſitam à confeſſario ex ſuo genere eſt gravis, tr. 6. c. 10. punct. 4. n. 52. An fiat levis ratione materiæ? n. 60. Quando, & quam obligationem habeant confeſſarii interrogandi pœnitentes, tr. 6. c. 12. punct. 2. n. 14. & ſeq. Quando, & de quibus detur obligatio admonendi pœnitentes, ibidem, punct. 3. n. 32.

Oblivio.

Quid debeat agere pænitens ſatisfactionis ſibi injunctæ omnino oblitus? tr. 6. c. 10. p. 6. n. 83.

Occaſio.

An poſſit abſolvi qui eſt in proxima occaſione peccandi? tr. 6. c. 5. punct. 4. à n. 60.

Officium divinum.

Ad ſatisfaciendum obligationi officii divini requiritur attentio interior, tract. 5. c. 6 punct. 4. n. 39. Poteſt quis ſatisfacere huic obligationi dum ſe veſtit, vel deambulat. ibidem n. 51.

Opinio.

Sacerdos, qui innixus opinioni probabili de ſua juriſdictione abſolvit, validè abſolvit, tr. 6. c. 9. punct. 1. n. 19.

Opinio aſſerens pœnitentem non teneri acceptare ſatisfactionem, ſi velit abſolvi, non eſt probabilis, tr. 6. c. 10. p. 4. n. 52. Nequit confeſſarius ſe conformare huic opinioni, ibidem n. 58.

Tenetur confeſſarius ſequi opinionem probabilem pœnitentis, tr. 6. c. 12. p. 3. n. 44. Non abſolvere audita confeſſione ſequentem opinionem probabilem, eſt mortale, n. 45.

Opus.

Quale debeat eſſe opus injungendum in pœnitentiam? tr. 6. c. 10. p. 3. n. 26. Poteſt eſſe mentale, & internum. n. 27. & opus aliàs debitum ex præcepto, n. 28. Quid ſi confeſſarius id non explicet? ibid. Poteſt cum uno opere determinato, injungi aliud indeterminatum, n. 35. & hoc, vel illud opus ſub disjunctione ad arbitrium pænitentis,

tis, ibid. Item ceſſatio ab opere bono ob majus bonum, n. 36. & opus faciendum pro defunctis, n. 37.

Qui facit opus ex ſe inſufficiens ad peccatum mortale, licet habeat animum peccandi mortaliter, non incurrit caſum reſervatum, tr. 6. c. 13. punct. 2. n. 12.

Ordinarius.

Ordinarius, vide verb. *Epiſcopus.*

Ordo.

Sacramenti Ordinis materia, & forma, tr. 1. c. 4. p. 1. n. 40. Diverſitas inter Latinos, & Græcos in conferendo ordinem, ibid. n. 41. Omnes obſervant materiam, & formam eaſdem formaliter, licet non materialiter, ibidem.

P.

Papa.

PApa poteſt dare poteſtatem ſimplici Sacerdoti, ut conferat Sacramentum confirmationis, tr. 3. c. 4. punct. 1. n. 7. Nequid dare talem poteſtatem non Sacerdoti, ibid. n. 19. vide alia verbo *Confirmatio.* Nequit diſpenſare in præcepto conſecrandi ſub utraque ſpecie; tr. 4. c. 4. p. 3. n. 44. Circa reſervationem vide verb. *reſervatio caſuum.*

Parentes.

Parentes tenentur ſub mortali non differre diu Baptiſmum infantium filiorum, tract. 2. cap. 5. punct. 2. n. 11.

Parochus.

Qui baptizat in præſentia Parochi eo invito, peccat mortaliter. tr. 2. c. 4. punct. 2. n. 22.

Quibus diebus teneatur Parochus ſacrificium facere, & pro ovibus offerre? tr. 5. c. 5. punct. 2. à n. 46.

Quis habeat juriſdictionem ordinariam ſuper Parochos? tr. 6. c. 11. punct. 3. n. 51. Parochus extra propriam diœceſim poteſt abſolvere ſubditum. ibid. n. 55. Qui habet juriſdictionem delegatam à Parocho nequit eam alteri ſubdelegare. tr. 6. c. 11. punct. 4. n. 59. Quid ſi in abſentia Parochi ejus munus gerat ad tempus? n. 60.

Parochus ob cujus defectum commiſſum in confeſſione, ſubditus non reſtituit, tenetur ex juſtitia eum admonere. tr. 6. c. 12. punct. 4. n. 52.

Pars.

Quænam pars debeat ablui ad valorem baptiſmi? tr. 2. c. 2. punct. 3. à n. 37. Differentia inter partes potentiales, & ſubjectivas. tr. 6. c. 1. dub. 2. n. 84.

Paſſio Chriſti.

Paſſio Chriſti quomodo concurrat phyſicè ad gratiam Sacramentorum? tr. 1. c. 2. dub. unic. n. 28.

Baptiſmus inſtitutus eſt ante paſſionem tr. 2. c. 1. dub. unic. n. 25. Ab ea tamen habet ſuam virtutem. ibid. n. 29. Ante paſſionem Baptiſmus non fuit ſub præcepto. n. 32.

Paſtor.

An Paſtor, qui coöperatur ad peccatum ſuæ ovis teneatur in confeſſione explicare circumſtantiam officii? tr. 6. c. 8. p. 4. n. 62.

Patrinus.

De neceſſitate, & obligatione Patrini in Sacramento Baptiſmi, & de conditionibus ex parte ipſius requiſitis. tr. 2. c. 7. p. 2. n. 22. uſque ad n. 34. Inter quos detur ſpiritualis cognatio? n. 35. & ſeq. Validè, ſed illicitè ſunt patrini hæretici. n. 46. Item Abbates, & Monachi. n. 47. Monachorum nomine non veniunt hic mendicantes, & Canonici Regulares. Nequeunt licitè eſſe patrini publici pœnitentes & infames, n. 48. Neque parentes, n. 49. Duo conjuges licitè poſſunt eſſe Patrini reſpectu alienæ ſobolis, n. 51.

Patrinus etiam datur in Sacramento confirmationis, qui contrahit ſpiritualem cognationem; ſicut in Baptiſmo. tr. 3. c. 4. p. 3. n. 45. Requiritur, quod tangat verè confirmatum, n. 46. An qui non eſt confirmatus poſſit eſſe Patrinus? n. 47. Monachis non licet eſſe Patrinos, niſi confirmandus ſit Religioſus n. 48. Sed ſi reipſa exerceant hoc munus, ſunt verè Patrini, & contrahunt cognationem ſpiritualem. ibid. Patrinus Baptiſmi debet eſſe alius à Patrino confirmationis, niſi urgeat neceſſitas. n. 49. Debet eſſe unus tantum. n. 50. Non tenetur ſub gravi peccato ad inſtructionem confirmati. n. 50.

Peccator.

Peccatori publico denegantur Sacramenta publicè, & occultè petenti; peccatori occulto occultè petenti; ſecus ſi publicè, tract. 1. c. 7. punct. 9. n. 72. & ſeq.

Peccatum.

Peccatum mortale commiſſum in actuali ſuſceptione Sacramenti impedit effectum Sacramenti. tr. 1. c. 5. punct. 4. n. 43. Non ſufficit ceſſare à peccato ad ſuſcipiendam gratiam, n. 44. Peccatum veniale non impedit ſuſceptionem augmenti gratiæ per Sacramenrum. n. 47.

Non peccat mortaliter qui miniſtrat Sacerdoti indignè celebranti, aut Epiſcopo conferenti ordines in peccato mortali. tr. 1. c. 8. n. 41.

An ſit peccatum & quale petere Sacramenta à miniſtro indigno? vide verb. *Miniſter.* Peccata venialia remittuntur per Euchariſtiam ex opere operato, & antecedenter ad actum charitatis. tr. 4. c. 6. p. 2. n. 23. Circa peccata venialia. vide plura verb. *Euchariſtia.* & verb. *dolor*, & v. *Pœnit.*

Quæ peccata ſint materia Sacramenti pœnitent. vide v. *Pœnit.* & tr. 6. c. 4. per tot.

Peccata debent in confeſſione explicari, ſecundum numerum, & ſpeciem. tr. 6. c. 8. punct. 1. n. 2. Diſtinctio numerica peccatorum in ordine ad confeſſionem, eſt accipienda moraliter, non methaphyſicè n. 5.

De circumſtantiis peccatorum in confeſſione explicandis. vide v. *Circumſtantia.*

Quoties homo eſt certus de peccato mortali à ſe commiſſo, & dubius an illud confeſſus fuerit, tenetur illud confiteri. tr. 6. c. 8. punct. 3. n. 34.

Quomodo peccata dubia ſint confitenda? n. 35. cum ſeq. Quando confitetur peccata dubia, debet aliquod certum adjungere. n. 50.

De peccatis reſervatis. vide verb. *Reſervatio.*

Super peccata venialia, & mortalia jam confeſſa quilibet Sacerdos habet juriſdictionem. tract. 6. c. 11. punct. 2. n. 8. & n. 15. & ſuper quodlibet peccatum in articulo mortis. n. 19.

An peccata venialia poſſint reſervari, & reſerventur? vide verbo *Reſervatio.*

Pœna.

Per baptiſmum nullus liberatur à pœna civili lege impoſita. tr. 2. c. 5. p. 3. n. 24.

Qualiter pœna debita pro peccatis remittatur per ſacrificium Miſſæ? tr. 5. c. 3. p. 2. n. 16. & ſeq.

Pœnalitates.

Quare pœnalitates perſeverent in baptizatis? tr. 2. c. 5. punct. 2. n. 25.

Pœnitens.

Pœnitens tenetur præmittere confeſſioni examen

men conſcientiæ, tr. 6. c. 6. punct. 1. n. 3. Sed non tenetur ad diligentiam ſummam. n. 5. Nec peccata ſcribere, etſi habeat lubricam memoriam. n. 6.

An pœnitens in confeſſione debeat explicare ſtatum ſuum? vide *Circumſtantia.*

An pœnitens, qui reticuit ex juſta cauſa aliquod peccatum, debeat cum primum poteſt, illud confiteri? tr. 6. c. 8. punct. 5. n. 134.

De obligatione pœnitentis circa peccata reſervata. vide verbo *Reſervatio.*

An quando pœnitens creditur plenè ſatisfeciſſe, debeat confeſſarius injungere pœnitentiam? tr. 6. c. 10. punct. 2. n. 22. Vel quando eſt ſcrupuloſus, & ſæpiùs accedit ad Sacramentum? n. 24. Vel ſi non eſt acceptaturus, vel executurus pœnitentiam? n. 25.

Satisfactio non eſt imponenda omninò ad arbitrium pœnitentis. ibidem. punct. 3. n. 35. Sed poteſt imponi hæc vel illa, quam pœnitens maluerit. ibidem. An pœnitens poſſit obligari ad opus publicum in pœnitentiam? n. 36. An pœnitens poſſit obligari ad receptionem, & frequentiam Sacramentorum? n. 40. Pænitenti ob magnitudinem contritionis levior ſatisfactio eſt injungenda. n. 44. Et quando adepturus eſt indulgentiam plenariam. n. 45. Quando levior pœnitentia imponitur, quam debet, eſt admonendus pœnitens, n. 47.

Pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam ſi velit abſolvi; & hæc obligatio ex genere ſuo eſt gravis. tr. 6. c. 10. punct. 4. n. 52. Obligatio exequendi pœnitentiam præceptam levem, eſt levis. n. 61. gravem, eſt gravis, n. 62.

Pœnitens abſque culpa mortali poteſt declinare ante abſolutionem ſententiam hujus confeſſarii, & alium adire, tr. 6. c. 10. punct. 4. n. 59.

Pœnitens nequit propria authoritate commutare pænitentiam in melius. tr. 6. c. 10. punct. 6. n. 76. Facta legitima commutatione, liberum eſt ei eligere quam voluerit primam ſcilicet, vel ſecundam, n. 77. An ad obtinendam commutationem, debeat iterum confiteri eadem peccata? n. 78. Ob quas cauſas excuſatur pœnitens ab executione pœnitentiæ injunctæ. n. 80 & ſeq.

Pœnitens, qui ex induſtria quærit confeſſarium ſibi inſufficientem, & ignorantem, non confitetur validè. tr. 6. c. 12. punct. 1. n. 11.

Pænitentes non ſunt impertinentibus interrogationibus fatigandi ibidem, punct. 2. n. 16. Qualiter interrogandi? n. 20. Maximè Ruſtici, n. 26.

Quando, & qualiter admonendi, ſi laborent aliqua ignorantia invincibili. ibidem punct. 3. n. 34. Pœnitenti inquirenti veritatem, debet confeſſarius eam aperire. n. 36. Pœnitens ſequens ſententiam probabilem, abſolvendus eſt. tr. 6. cap. 12. punct. 3. n. 44.

Pœnitentia.

Pœnitentiæ etymologia, tr. 6. c. 1. p. 1. n. 1. Definitio, n. 2. Subjectum, n. 2. Objectum, n. 4. Diſtinctio ejus à Religione, n. 5. Pœnitentia, ut virtus, & pœnitentia, ut virtus, & pœnitentia, ut Sacramentum conveniunt in pluribus. ibidem. punct. 2. n. 6. Et in pluribus differunt. n. 7. Pœnitentia virtus connectitur cum gratia non ſolum qua virtus infuſa, ſed ſpecialiori nexu. ibidem. punct 3. nu. 8. Pœnitentia duos actus habet, alium contritionis. ibidem. punct. 4. n. 10. alium attritionis. n. 16. Differentia inter hos actus. n. 17. Pœnitentia ſemper fuit medium neceſſarium ad ſalutem lapſis in mortale. ibid. p. 5. n. 20. Differentia quoad hoc inter legem veterem, & legem gratiæ. n. 21. Eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, n. 25. Hoc præceptum eſt divinum naturale. n. 28. Quo tempore hoc præceptum obliget per accidens? n. 31. Quando per ſe, n. 34. An qui in articulo mortis recipit Sacramentum Pœnitentiæ, teneatur elicere contritionem, n. 39. & ſeq. Vide verbo *Contritio.* An differre longo tempore contritionem, ſit novum peccatum mortale? n. 51. Pœnitentia eſt ſpecialis virtus. ibidem. dub. 1. n. 65. Non theologica, ſed moralis. n. 72. Et eſt pars potentialis juſtitiæ commutativæ. ibid. dub. 2. n. 83. An expellat effectivè peccatum? dub. 3. n. 95.

Pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum eſt à Chriſto Domino. tr. 6. c. 2. punct. 1. n. 1. de eſſentia, partibus, & neceſſitate hujus Sacramenti. à n. 5.

Quæ verba ſint de eſſentia formæ hujus Sacramenti? tr. 6. c. 3. à n. 1. quid ſi ſenſus varietur? ibid. n. 12. & ſeq. An forma ſub modo, vel conditione prolata ſit valida? ibid. à n. 21. Abſolutio collata abſenti eſt invalida. ibidem. punct. 4. n. 24. Etiamſi confeſſio præceſſiſſet in præſentia. nu. 26. Forma hujus Sacramenti eſſentialiter conſiſtit in verbis. ibid. punct. 3. n. 30.

Quæ ſit materia remota hujus Sacramenti, quæ neceſſaria, & quæ ſufficiens? tr. 6. c. 4. punct. 1. à n. 2. Poteſt gratia Sacramenti Pœnitentiæ, eſſe prior in aliquo genere, quam gratia Baptiſmi. n. 12. Peccata commiſſa in inſtanti terminativo ſuſceptionis Baptiſmi, tolluntur per Pœnitentiam, n. 15. Sacerdos non poteſt abſolvere abſolutè à peccatis dubiis. n. 25. Magis ſe extendit virtus pœnitentiæ, quam Sacramentum Pœnitentiæ. n. 27.

An hoc Sacramentum poſſit eſſe validum, & informe? tr. 6. c. 5. dub. unic. à n. 9. An qui habet dolorem ſufficientem; non tamen abbibuit ſufficientem diligentiam in peccatorum examine, validè confiteatur? n. 18. & ſeq. Dolor debet præcedere abſolutionem. ibidem. punct. 1. n. 22. An autem confeſſionem? n. 23. Remiſſio peccati venialis ſupponit gratiam in ſubjecto. ibidem, punct. 2. n. 28. Quomodo peccata venialia in hac, vel in altera vita remittantur? à n. 29.

Ad hoc Sacramentum requiritur propoſitum formale, vel virtuale, non peccandi. tract. 6. cap. 5. punct. 6. n. 52. Cum hoc propoſito compatitur timor, vel exiſtimatio, quod adhuc homo peccabit n. 53. Quod propoſitum conſulendum? n. 54. Propoſitum vitandi unum peccatum mortale, non compatitur cum affectu ad aliud. Oppoſitum contingit in venialibus. n. 55. Omnia peccata mortalia collectivè poſſunt vitari, non ſic venialia, & ideò propoſitum circa mortalia eſt magis abſolutum ibidem. An propoſitum vitandi venialia ex motivo univerſali retractetur per admiſſionem cujuſlibet venialis? n. 56. Poteſt homo perſiſtere in occaſione remota peccandi, cum propoſito vero non peccandi. n. 58.

Peſtis.

An peſte urgente liceat miniſtare Euchariſtiam in cochleari argenteo, tr. 4. c. 9. punct. 2. n. 26.

Potentia.

Non eſt de eſſentia potentiæ eſſe connaturalem alicui ſubjecto, tr. 1. cap. 6. dub. 6. n. 62. Non omnis potentia conſequitur eſſentiam ſubjecti, n. 63. Non omnis qui operatur per potentiam, operatur principaliter, n. 64. Non omnis potentia

tia

tia recipitur immediatè in anima. tract. 1. c. 6. dub. 7. n. 84.

Poteſtas.

Solus Sacerdos habet poteſtatem abſolvendi à peccatis. tract. 6. c. 11. punct. 1. n. 1. Requiritur ad hanc poteſtatem juriſdictio, vel ordinaria, vel delegata. nu. 4. Differentia inter poteſtatem ordinis,& juriſdictionis, n. 5.

Præceptum.

Ubi non conſtat certò de præcepto, non eſt facilè imponenda obligatio. tr. 1. c. 7. punct. 11. n. 108.

Præceptum de trina immerſione in Baptiſmo abrogatum eſt per uſum contrarium. tr. 2. c. 2. punct. 2. n. 18.

Præcepta naturalia poſſunt variari quoad materiam, & modum tr. 6. c. 1. p. 5. n. 30.

Datur præceptum divinum de confeſſione. tr. 6. c 7. punct. 1. n. 1. Qui obligantur, & non iſto præcepto. nu. 2. & ſeq. Hoc præceptum noo obligat confiteri ſtatim poſt peccatum commiſſum, etſi homo non juſtificetur per contritionem. ibidem. n. 5. Obligat per ſe in certo, vel probabili periculo mortis. n. 6. Moribundus qui poſt confeſſionem jam factam, iterum peccat mortaliter, tenetur iterum confiteri. n. 7. Similiter qui nunc habet copiam confeſſoris, quam probabiliter putat poſtea non habiturum, n. 8. Extra mortis articulum quando obliget hoc præceptum, n. 9.

Datur Præceptum Eccleſiaſticum obligans fideles ad confeſſionem annuam, tr. 6. c. 7. punct. 3. n. 24. Hoc præceptum diſtinguitur à præcepto communionis, n. 25. Hoc præceptum eſt divinum quoad ſubſtantiam, quoad determinationem verò temporis, Eccleſiaſticum, n. 26. Obligantur hoc præcepto habentes conſcientiam peccati mortalis, etiamſi ſit internum, n. 27. & 28. Non obligantur habentes ſolùm venialia, n. 29. Quid ſi ſimul habeant aliquod mortale, quod ex juſta cauſa excuſantur confiteri? n. 30. Eccleſia poteſt præcipere confeſſionem venialium, n. 31.

Quo tempore anni obliget præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis? tr. 6. c 7. punct. 4. n. 34. Annus pro impletione hujus præcepti qualiter computandus? n. 37. Qui omiſit annuam confeſſionem, adhuc tenetur cum primum poteſt confiteri, n. 38. Qui ineunte anno prævidet fore, ut non poſſit poſtea confiteri, tenetur anticipare confeſſionem, n. 39. Qui in anno ſemel venialia confeſſus eſt, ſi poſtea mortale committat, tenetur iterum confiteri, n. 40. Quid ſi prius mortalia confeſſus fuiſſet? n. 41. & 42. Qui in confeſſione tacuit aliquod mortale ex juſta cauſa, non tenetur intra eumdem annum illud confiteri, etiam ceſſante cauſa, n. 43. An qui elapſo anno abſque confeſſione, in ſequente confitetur, teneatur ad aliam confeſſionem pro illo anno? n. 44.

Per quam confeſſionem impleatur hoc Præceptum? Vide plura verbo *Confeſſio*.

Per quas cauſas excuſentur fideles ab adimpletione hujus præcepti. tr. 6. c. 7. punct. 6. n. 51.

Peccans contra plura præcepta, quando ſub eâdem ratione formali obligant intuitu ejuſdem virtutis, non debet talem circumſtantiam fateri. tr. 6. c. 8. p. 4 n. 73.

Poteſt injungi in ſatisfactionem opus debitum ex præcepto. tr. 6. c. 10. punct. 3. n. 28. Quid autem ſi confeſſarius ſuam mentem non explicet? ibidem. Quod præceptum obliget graviter, vel non; debet ſumi ex materia præcepta; non ex cauſa motiva. tr. 6. c. 10. punct. 4. n. 64.

Prælatus.

Prælati Regulares poſſunt eligere confeſſarium. tr. 6. c. 11. punct. 3. n. 49.

Prælati regulares habentes ab Epiſcopo facultatem abſolvendi Sæculares à reſervatis, nequeunt eam ſuis ſubditis ſubdelegare. tr. 6. c. 11. punct. 4. n. 61.

Prælatus regularis nequit audire confeſſiones ſæcularium abſque approbatione Ordinarii tr. 6. c. 11. punct. 7. n. 93.

Vide plura verbo *Epiſcopus*. Et verbo *Superior*. Et verbo *Regularis*.

Privilegium.

Io aliquo caſu cogitur homo uti ſuo privilegio. tr. 4. c. 7. punct. 3. n. 40.

Quomodo intelligatur hoc axioma *Nemo cogitur uti ſuo privilegio*. tr. 5. c. 6. n. 57. Quæ privilegia habeant Regulares pro abſolutione à reſervatis. Vide verbo *Reſervatio*. Et verbo *Regulares*.

Propoſitum.

Circa propoſitum, non peccandi, Vide verbo *Pœnitentia*.

Puer.

Pueri apti confiteri, tenentur in mortis articulo ſuſcipere viaticum. tr. 4. c. 8. punct. 1. n. 13.

Puer moribundus, de quo dubitatur an habeat uſum rationis, ſi confiteatur veniale, debet ſub conditione abſolvi. tr. 6. c. 8. punct. 6. n. 141.

Q.

Qualitas.

QUalitates primæ ſpeciei intenduntur, & remittuntur de lege ordinaria. tr. 1. cap. 6. dub. 5. n. 32. Poteſt produci à Deo qualitas, quæ ſit potentia activa, vel paſſiva in Sacramentis. tr. 1. c. 6. ibidem dub. 6. n. 48.

Quantitas.

Quantitas Pœnitentiæ injungendæ relinquitur arbitrio prudentis confeſſarii. tr. 6. c. 10. punct. 3. n. 43.

R.

Ratihabitio.

AN ſub ſpe ratihabitionis poſſit impendi abſolutio a non habente juriſdictionem? tr. 6, c. 11. punct. 4. n. 66.

Regulares.

Privilegia, quibus gaudent Regulares, quoad tempus celebrandi Miſſam. Vide verbo *Miſſa*. Et tr. 5. c. 4. punct. 1. à n. 30. Et quoad locum. ibidem. punct. 2. n. 61.

Privilegia Regularium in dubio ſemper ſunt in illorum favorem interpretanda. tr. 5. c. 5. punct. 2. n. 61.

Poſſunt plures regulares celebrare in cellis infirmorum ad communionem illorum. ibidem. num. 62.

Prælati Regulares poſſunt reconciliare ſuas Eccleſias, qualibet ex cauſa polluantur, ibidem. n. 65.

Ex vi Concilii Tridentini non requiritur approbatio Ordinarii ad audiendas confeſſiones Regularium. tr. 6. cap. 11. punct. 7. n. 8.

Regulares, quibus injuſtè denegatur approbatio, non manent eo ipſo approbati. ibidem. n. 95. Eorum approbatio poteſt juſtè ab Epiſcopo

revocari

revocari. ibidem. n. 108. An Regulares approbati ab Epiſcopo poſſint abſque licentia ſuorum Prælatorum miniſtrare validè Sacramentum Pœnitentiæ? tr. 6. c. 11. punct. 7. n. 109.

An in hoc peccent mortaliter? n. 110.

An Regularis dubitans de ſua ſufficientia ad audiendas confeſſiones, poſſit ex mandato Prælati dubium deponere? tr. 6. c. 12. punct. 1. n. 13.

An Prælati regulares poſſint abſolvere à reſervatis, ſicut Epiſcopi. Vide plura verbo *Reſervatio Caſuum*. Et tr. 6. c. 13. punct. 3. num. 33. & ſeq. Quibus privilegiis gaudeant Regulares ad abſolvendum à reſervatis alios Religioſos, ibid. n. 47.

An Regulares ſemel in vita, & ſemel in morte poſſint abſolvi per confeſſarium ejuſdem ordinis ab omnibus reſervatis? tr. 6. c. 13 n. 48. Et an poſſint in morte ita abſolvi à reſervatis, ut non habeant poſtea obligationem ſe præſentandi ſuperiori, & ſi peccata habuerint cenſuram reſervatam? ibidem, n. 50. Alia privilegia circa hoc. Vide ibidem.

Religioſus.

Religioſus, vide verbo *Regulares.*

Remiſſio.

An remiſſio pœnarum temporalium conſequatur infallibiliter ex ſacrificio Miſſæ? tr. 5. c. 3. punct. 2. n. 16. & ſeq.

Res.

Res ſenſibilis, ut ſignificat aliquid ſpirituale, pertinent ad regnum Dei, tr. 1. c. 1. dub. 1. n. 9.

Quid ſit res Sacramenti tantùm in omnibus Sacramentis? tr. 1. c. 1. dub. 1. n. 13. & ſeq. Quid ſit res, & Sacramentum ſimul? ibidem.

In rebus ſucceſſivis, & moralibus non requiritur phyſica coexiſtentia materiæ, & formæ, tr. 1. c. 4. dub 2 n. 30.

Reſervare, & reſervatio caſuum.

An ſuperior, auditis peccatis ſibi reſervatis, poſſit remittere pœnitentem ad confeſſarium inferiorem pro abſolutione non reſervatorum? tr. 6. c. 8. punct. 5. n. 129.

An qui nequit adire ſuperiorem, inſtante neceſſitate confitendi, debeat inferiori reſervata confiteri, ibidem, n. 133.

An poſſit quilibet confeſſarius commutare pœnitentiam impoſitam pro peccatis reſervatis? tr. 6. c. 10. p̄. 4. n. 72. & 73.

In mortis articulo quilibet Sacerdos poteſt abſolvere à peccatis reſervatis, tr. 6. c. 11. punct. 2. n. 19. Et pœnitens non tenetur poſtea recurrere ad ſuperiorem, n. 21. Niſi illa peccata habeant annexam cenſuram, ibidem.

Pœnitens gaudens privilegio bullæ, poteſt abſolvi ab omnibus peccatis reſervatis, hæreſi exceptâ, tr. 6. c. 12. punct. 1. n. 5. A contentis in bulla cœnæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, ibidem.

In Eccleſia eſt poteſtas reſervandi peccata, à quibus confeſſarii inferiores nequeant abſolvere, tr. 6. c. 13. n. 1. Penes quos ſit hæc poteſtas? n. 2. Papa non reſervat ſibi, niſi ea, quæ habent cenſuram ſibi reſervatam, n. 3. An excipiatur à regula peccatum promoventium ad ordines ſymoniacè? ibidem. Peccata reſervata Pontifici non ſolùm reſervantur quoad cenſuram, ſed etiam quoad culpam, n. 4. An abſolutio præſtita affecto cenſura Pontifici reſervata ſit irrita? n. 6. Sublata cenſura Pontifici reſervata, jam peccatum non eſt reſervatum, n. 7. Epiſcopi poſſunt reſervare ſibi caſus non habentes cenſuram annexam, & ſic de facto reſervant, n. 8. Quos caſus poſſint Prælati regulares reſervare? n. 9.

Pontifex poteſt ſibi reſervare abſolutionem aliquorum venialium, tr. 6. c. 13. punct. 2. n. 10. De facto tamen non reſervat. ibid. Poteſt reſervari abſolutio peccatorum internorum, ſed de facto non reſervatur, n. 11.

Non incurrit caſum reſervatum, qui facit opus externum inſufficiens ex ſe ad mortale, licèt habeant animum læthaliter peccandi, tr. 6. c. 13. n. 12.

Poteſt dari reſervatio circa peccata dubia, ſed de facto non datur, ibid. n. 15.

Reſervatio eſt odioſa, & ſtrictè interpretanda. ibidem.

Qui abſolvitur à peccato dubio in materia aliàs reſervata, an liberetur à reſervatione, licèt peccatum certò poſtea conſtet; ibidem, n. 16.

Si Pontifex abſquè juſta cauſa reſervaret peccatum, adhuc eſſet valida reſervatio, ibidem, n. 17.

Quid ſi Prælati inferiores excederent in reſervando? n. 18. Quid ſi Epiſcopus indiſcretè reſtringeret facultatem Parochorum, n. 19.

Ille poteſt abſolvere à reſervatis, qui ſibi reſervavit, tr. 6. c. 13. n. 20. Similiter qui in eo foro eſt ſuperior reſervante, n. 21. Archiëpiſcopus nequit abſolvere à reſervatis Epiſcopo, ibidem.

An Peregrinus veniens ad alium Epiſcopatum bona fide, poſſit abſolvi à reſervatis in propria diœceſi? ibidem, n. 22. An reſervatio unius loci comprehendat peregrinos? tr. 6. c. 13. n. 26. Quid ſi confeſſarius haberet juriſdictionem in Epiſcopatu Domicilii pœnitentis, ubi nulla eſt reſervatio? ibid. n. 27. Quis habeat facultatem delegatam ad abſolvendum à reſervatis? n. 28. Licentia ex Tridentino conceſſa Epiſcopis ad abſolvendum à reſervatis, n. 29. Qui Epiſcoporum nomine in hac facultate veniant? n. 30. Nomine Epiſcopi intelligitur capitulum ſede vacante, n. 31. Item Prælati, & Abbates habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, n. 32. Prælati regulares intelliguntur nomine Epiſcoporum, non ex vi Concilii Tridentini, ſed ex conceſſione Pii V. n. 33. An facultas conceſſa Epiſcopis à Tridentino, & Prælatis regularibus à Pio V. ſit revocata per bullam cœnæ? ibid. An Epiſcopi poſſint abſolvi à reſervatis ſibi? n. 34.

An Vicarius Epiſcopi? n. 35. An Regulares? n. 36.

An ſubditus obtinens facultatem abſolvendi à reſervatis unum pœnitentem vagè, poſſit pro ſe ipſo hac licentia uti, ut ſe faciat abſolui? tr. 6. c. 13. punct. 3. n. 37.

An facultas data ad abſolvendum pro hac vice à reſervatis, extendatur ad peccata commiſſa poſt datam facultatem ante factam confeſſionem? ibidem, n. 38.

An facultas ad abſolvendum à reſervatis valeat pro commiſſis intuitu licentiæ? ibid. n. 40. An conceſſa abſolutione à reſervatis, ſed invalidè, tollatur reſervatio? num. 41. Quid de abſolutione à reſervatis virtute Jubilæi? n. 42. Caſus prætermiſſi in confeſſione ex ignorantia invincibili, remanent liberi à reſervatione. n. 43. Sivè habeant cenſuram, ſivè non. n. 44. Sivè confeſſio fiat Prælato, ſivè delegato. n. 45. Idem dicito de peccatis ſcienter prætermiſſis ex juſta cauſa. n. 46. Quæ privilegia habeant regulares pro abſolutione à reſervatis erga Religioſos? n. 47. Poſſunt Regulares ſemèl in vita, & ſemèl in morte abſolvi ab omnibus reſervatis, ſed debent eligere confeſſarium ejuſdem ordinis, & à Prælato conſtitutum, numero 48.

Poſſunt

Digitized by Google

Poſſunt abſolvi in hora mortis ab omnibus reſervatis, ita ut non babeant obligationem (ſi ſuper vixerint) comparendi coram ſuperiore. Et quid ſi peccata habuerint cenſuram? n. 50. Vide alia privilegia Eugenii IV. & Innocentii VII. ibidem.

Quid ex privilegio poſſint Regulares pro abſolvendis ſæcularibus à reſervatis? tract. 6. c. 13. p. 3. n. 51. Nequeunt Regulares abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, ibid. Quid de caſibus de jure communi reſervatis Epiſcopis? n. 52. A quibus extra Italiam poſſint Regulares abſolvere? n. 52. Regularet poſſunt abſolvere ab excommunicatione lata contra procurantes abortum, n. 52.

An ſubdito petenti à ſuperiore facultatem, ut reſervata poſſit alteri confiteri, teneatur ſuperior eam concedere? tr. 6. c. 13. punct. 3. n. 60. Non eſt obligatus ſuperior cuilibet licentiam concedere, ſed poterit unum, vel alios præſcribere, ibid. n. 61. An ſi ſuperior injuſtè licentiam neget, pœnitens poſſit abſolvi? num. 62. Coofeſſor ordinarius regularis (ſi ſuperior injuſtè licentiam neget) an poſſit pro ea vice pœnitentem regularem abſolvere? ibid. n. 63.

Prælatus dans facultatem eligendi confeſſarium, non dat eo ipſo licentiato abſolvendi à reſervatis, ibid. n. 64. Superior poteſt dare facultatem abſolvendi à reſervatis, cum ooere hujus, vel illius pœoitentiæ, n. 65. An poſſit concedi facultas abſolvendi à reſervatis cum onere ſe præſentandi ſuperiori? n. 66. Si pœnitens confitetur ſuperiori peccatum reſervatum, & ipſe non abſolvit Sacramentaliter, ſed remittit ad alium pro abſolutione Sacramentali, an tollatur reſervatio? ibid. p. 5. n. 68. Sacerdos delegatus ad abſolvendum à reſervatis, non poteſt pœnitentem ad alium remittere, n. 69.

Qui occaſione raro urgente confitetur ſuperiori ſolùm reſervata, non tenetur inferiori ea poſtea confiteri, tr. 6. c. 13. ibid. p. 6. n. 71. Secus eſt ſi à ſuperiore non eſt Sacramentaliter abſolutus, ſed ſolùm liberatus à reſervatione, ibid. Carens poteſtate in reſervata, præciſa neceſſitate, nequit abſolvere à non reſervatis remittendo pœnitentem ad ſuperiorem pro abſolutione à reſervatis, ibid. n. 72. Confeſſarius inferior extra articulum mortis nequit abſolvere à reſervatis, & ſi non habeant cenſuram annexam n. 73. Poteſt tamen in caſu neceſſitatis abſolvere directè à non reſervatis, & indirectè à reſervatis, n. 74. Quid ſi habeant excommunicationem annexam? ibid. n. 75. Tenetur tamen pœnitens in hoc caſu confiteri etiam reſervata, n. 76. Ex eo, quod poſſit inferior abſolvere indirectè à reſervatis, non ſequitur, quod qui babet mortalia, poſſit confiteri ſimplici Sacerdoti, à quo abſolvatur directè à venialibus, & indirectè à mortalibus, n. 77.

Reſidentia.

Reſidentia Epiſcoporum quæ eſt de jure Divino non eſt phyſica, ſed moralis, tr. 4. c. 4 p. 3. n. 48.

Reus.

An confeſſarius poſſit, & debeat admonere reum, ut fateatur veritatem cum vitæ periculo, tract. 6. c. 12. n. 41.

Ritus.

Ritus, qui in baptiſmo obſervantur, & eorum ſignificatio, tr. 2. c. 7. punct. 1. per totum, & verbo *Baptiſmus.*

Ruſtici.

Quæ debeant obſervari in coofeſſione Ruſticorum? tract. 6. c. 12. n. 26.

S.

Sacerdos.

SAcerdos communicans more laicorum debet deferre ſtolam, tr. 4. c. 7. n. 56. Sacerdos leproſus ab altari in publico removetur, ſed poteſt in occulto celebrare, ibidem. Qui celebrat illotis manibus, peccat venialiter, ibidem.

Sacerdos non jejunus in propriæ mortis periculo poteſt celebrare ad recipiendum viaticum, minimè ad communicandum aliis, tr. 4 c. 7. n. 77.

Effectus Miſſæ ex opere operato pendet ex propria intentione Sacerdotis licèt ſit regularis, tr. 5. c. 3. n. 25. Qualiter ſe debeant habere in applicatione hujus effectus? n. 27. Nequit illum applicare ſub conditione in futurum, n. 29. An poſſit Miſſas anticipatè celebrare? n. 30.

Sacerdos communicant extra miſſam abſque ſtola non peccat graviter, tr. 5. c. 4. n. 93. Qui omittit orationes ab Eccleſia præſcriptas, cum veſtes ſacras induit, an peccet graviter? n. 95.

Sacerdos poteſt abrumpere Miſſam inchoatam ob plures cauſas, quæ recenſentur, tr. 5. c. 4. à n. 105. Sacerdos tenetur obſervare in miſſa ea, quæ ab Eccleſia præſcribuntur, ibidem, n. 112. Defectus in hoc ex ſuo genere eſt mortalis, niſi levitas materiæ excuſet. ibid. vide verb. *Defectus.* Sacerdos obligatus ſtipendio dicere Miſſam votivam vel defunctorum, ſatisfacit dicendo Miſſam de Sancto, eo die occurrente, n. 124. cum ſeq. Niſi teneatur dicere Miſſam defunctorum in altari privilegiato, n. 126.

Quando, & quomodo Sacerdos debeat ſupplere defectus in Miſſa contingentes. ibid. n. 118. Sacerdos qui tenetur in aliquo loco, vel altari celebrare, graviter peccat ſæpius alibi celebrando, tr. 5. c. 5. n. 17. Non ſatisfacit ſuo oneri qui tenetur Miſſam dicere in altari privilegiato, etiamſi habeat calculum, vel imaginem ad liberandam animam purgatorii, ibid. n. 21. & 22.

Beneficiarius ſimplex poteſt Miſſas ratione beneficii debitas per alium celebrare, n. 33. Qui infirmatur, non tenetur alteri ſtipendium tradere, ſi infirmitas ſit brevit, ibid. n. 34. Quæ infirmitas ſit brevis, & excuſans? n. 25. Qui quotidiè tenetur celebrare poteſt quater, vel ſexies in quolibet anno ſacrificium ſibi, vel aliis applicare, n. 36. An poſſit in ſingulis hebdomadis Miſſam unam prætermittere? n. 37. Vel accipere novum ſtipendium pro illa? n. 38. Quilibet Sacerdos ratione muneris Sacerdotalis præciſè tenetur ſub mortali aliquoties in anno celebrare, ibid. n. 43. Quod diebus teneatur? n. 44. Sacerdotes regulares tenentur ſaltem ſingulis menſibus, ibidem.

Sacerdos peccat mortaliter ſi diu differrat offerre ſacrificium, pro illis, quibus obligatur, ibid. n. 54. Quod tempus ad hanc moram ſit ſufficiens, n. 56.

Sacerdos percutiens laicum non tenetur in confeſſione explicare circumſtantiam ſtatus, tract. 6. c. 8. punct. 4. n. 64.

Qui non eſt Sacerdos, non poteſt validè abſolvere, licet adſit error communis, & titulus coloratus, tr. 6. c. 9. punct. 4. n. 22. Benè autem qui eſt Sacerdos, licèt careat juriſdictione, ibid. n. 10.

Quilibet Sacerdos poteſt abſolvere à venialibus, tr. 6. c. 11. p. 2. n. 8. Non ex jure divino, ſed ex conceſſione Eccleſiæ, n. 9. Et ſuper peccata mortalia jam confeſſa, n. 15. Simplex Sacerdos nequit abſolvere à mortalibus in alia confeſſione ſolùm indirectè remiſſis, ibid. n. 18.

Index Rerum.

Ad abſolvendum ſæculares, etiam Sacerdotes, requiritur approbatio Epiſcopi, tract. 6. c. 11. num. 90.

Sacramentum.

Sacramentum diffinitur. tr. 1. c. 1. punct 1. n. 1. Eſt ſignum ſenſibile. n. 8. Poſſet ex inſtitutione Dei eſſe quid ſpirituale. nu. 10. Quare Deus elegerit ad Sacramenta res ſenſibiles? n. 12.

In omnibus Sacramentis datur Sacramentum tantùm, res tantùm, res, & Sacramentum ſimul. tract. 1. c. 1. n. 13. Declarantur hæc ſingilatim. ibid. à n. 14.

Sacramentum non eſt ſignum gratiæ ex natura ſua, ſed ex Dei inſtitutione. ibidem dub. 2. n. 16.

Sacramentum debet eſſe permanens pro toto tempore, quo Eccleſiæ ſtatus durat. ibidem. dub. 3. n. 21. & ſeq.

Sacramentum ſignificat gratiam, ut præſentem ſivè in uſu Sacramenti datam. tr. 1. c. 1. dub. 4. n. 31. & ſeq. Hoc etiam convenit Sacramentis veteris legis. ibid. n. 33. An autem Sacramenta veteris legis petierint contritionem? nec ne? Referuntur varii modi dicendi. à n. 34. Significabant gratiam, quæ eſt effectus Sacramenti, ut dandam, & illam, quæ erat ex fide, ut præſentem. n. 36.

Omnia Sacramenta veteris legis ad tria capita reducuntur. tr. 1. c. 2. n. 1. & ſeq. Quatuor novæ legis Sacramenta correſpondent Sacramentis veteris legis. n. 2.

Sacramenta novæ legis producunt gratiam phyſicè inſtrumentaliter. tr. 1. c. 2. n. 21. & ſeq. Deferunt influxum phyſicum Dei. n. 23. Habent ex Paſſione Chriſti eam cauſalitatem, quæ Sacramentis veteris legis denegatur, n. 24. Elevantur per motionem ſpiritualem, n. 27. cauſant gratiam in inſtanti ultimo, in quo complentur, n. 38.

Sacramenta novæ legis ſunt ſeptem, & ratio convenientiæ hujus numeri, tr. 1. c. 3. n. 1. & ſeq. Solus Deus, ut cauſa principalis, poteſt inſtituere Sacramentum, n. 3. Chriſtus Dominus, ut Deus habuit poteſtatem authoritatis in inſtitutione Sacramentorum, ibidem.

Omnia Sacramenta fuerunt inſtituta immediatè à Chriſto Domino, ibid. dub. 1. n. 9. Aliqua, quæ ſunt de neceſſitate Sacramentorum habentur ex traditione Apoſtolorum, ibid. n. 14. Poteſtas excellentiæ, quæ fuit in Chriſto ad inſtituenda Sacramenta, potuit communicari quoad ſubſtantiam puræ creaturæ; ſecus quoad modum, tr. 1. c. 3. dub. 2. n. 21. & 22. Qui in lege naturæ determinabant cæremoniam, qua juſtificabantur parvuli, non inſtituebant Sacramenta, n. 24.

Sacramenta novæ legis componuntur ex rebus, ut materia, & verbis, ut forma, tr. 1. c. 4 dub. 1. n. 7. Hoc exigitur à perfectione hujus ſtatus, n. 9. Nomine materiæ comprehenduntur actus ſenſibiles, n. 10. Loco verborum (quæ ſunt forma) nequeunt adduci nutus, niſi in matrimonio, n. 11. Duplex forma diſtinguitur in Sacramentum, n. 13.

Sacramenta novæ legis componuntur ex rebus, & verbis, ſicut ex partibus eſſentialibus, tr. 1. c. 4. dub. 2. n. 23. Neque per ſolam materiam, neque per ſolam formam conſtituuntur in ratione ſigni, n. 24. Differentia inter Sacramenta, & alia arte facta, n. 27. Sacramenta ſunt compoſita moralia, & ideò non petunt ſimultatem, aut coexiſtentiam phyſicam inter materiam, & formam, num. 30.

Mutatio ſubſtantialis in materia, aut forma Sacramenti, tollit veritatem Sacramenti, tr. 1. c. 4. p. 3. n. 50. Aliud dicendum de mutatione accidentali, ibid. Quæ mutatio ſit ſubſtantialis, & quæ accidentalis exemplis declaratur, à n. 50. An quod mutatio formæ ſit ſubſtantialis pendeat ex intentione miniſtri? vide plura verbo *Intentio*. Quoties mutatio formæ eſt ſubſtantialis committitur graviſſimum peccatum, n. 75. An quando mutatio eſt accidentalis, etiam ſit mortale? n. 76.

Sacramenta novæ legis cauſant gratiam ex opere operato, tract. 1. c. 5. per totum. Sacramenta mortuorum cauſant per ſe primam gratiam; Sacramenta autem vivorum cauſant per ſe augmentum gratiæ, non primam gratiam, ibid. p. 2. n. 11. Omnia Sacramenta ſaltem per accidens cauſant primam gratiam, n. 12. Cauſalitas Sacramenti per accidens excedit ejus ſignificationem, n. 15.

Sacramentalis gratia, vide verbo *Gratia*.

Sacramenta legis gratiæ infallibiliter cauſant eam in non ponentibus obicem, tr. 1. c. 5. n. 40. Ut Sacramenta conferant augmentum gratiæ requiritur, ut ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ, n. 46. Qui non ponit obicem gratiæ habituali, nec illud ponit gratiæ Sacramentali, n. 51.

Sacramenta (recedente fictione) cauſant ſuum effectum, tr. 1. c. 5. p. 5. à n. 52. Sacramenta diverſæ ſpeciei cauſant in æqualem effectum, n. 69. Exiſtente æquali diſpoſitione ſuſcipientis Sacramenta ejuſdem ſpeciei cauſant æqualem omninò effectum, n. 70. In ſubjecto melius diſpoſito cauſant ex opere operato majorem gratiam, n. 71.

Quænam Sacramenta imprimant characterem? tr. 1. c. 6. p. 2. n. 2. Quare aliqua Sacramenta non imprimant characterem? ibidem, num. 4. vide plura verbo, *Character*.

Sacramentum per verba miniſtri in ebrietate prolata collatum an poſſit eſſe validum? tr. 1. c. 7. p. 5. num. 47. Receptum tamen ab ebrio, qui prius habuit intentionem ſuſcipiendi illud, an teneat? n. 51. Et diſparitas ibid. Sacramentum collatum ſub conditione de præterito, vel de præſenti, eâ exiſtente, eſt validum, ibidem, n. 54. Præſtitum ſub conditione de futuro eſt nullum, & miniſter graviter peccat, n. 58.

De diſpoſitione requiſita in miniſtro, ut licitè conficiat, & miniſtret Sacramenta, vide plura verbo. *Miniſter*.

Sacrificium.

Eſſentia, & diviſio Sacrificii, tr. 5. c. 1. p. 1. Sacrificium Miſſæ conſiſtit adæquatè in ſola conſecratione utriuſque ſpeciei, dub. unic. n. 14. De Sacrificio Miſſæ, vide plura verbo, *Miſſa*. Sacrificium Miſſæ eſt valoris infiniti, tract. 5. c. 3. dub. unic. n. 40.

Sacrilegium.

Peccare carnaliter occaſione, vel prætextu confeſſionis eſt ſacrilegium, tr. 6. c. 8. p. 4. n. 58.

Satisfactio Sacramentalis.

Per ſatisfactionem intelligitur opus bonum aliqua ratione laborioſum, aſſumptum ad ſolutionem pœnæ debitæ pro peccatis, tr. 6. c. 10. p. 1. n. 1. Simile opus in Sacramento pœnitentiæ elevatur ad cauſandum ſuum effectum, ſcilicet ad remiſſionem pœnæ temporalis ex opere operato, num. 2. & 3. Satisfactio facta in ſtatu peccati mortalis, ſublato obice, cauſat ſuum effectum, n. 6. Satisfactio Sacramentalis habet vim impetrandi auxilia ad peccata in futurum cavenda, n. 7. An autem cauſet augmentum gratiæ habitualis?

tualis ? n. 8. & ſeq. De obligatione imponendi ſatisfactionem. Vide verb. *Confeſſarius.*

Satisfactio imponenda pœnitenti debet eſſe opus bonum pœnoſum, tract. 6. c. 10. p. 3. n. 26. Poteſt imponi mentale, & internum opus, n. 27. Et opus debitum ex præcepto, n. 28. Sed ſi confeſſarius id non explicet, intelligendum eſt de operibus ſupererogationis, ibid. Qui eleëmoſynam ex pœnitentia debet, non ſatisfacit dando ea, quæ debet reſtituere ob incertorum ablationem, *&c.* Vide verbo *Eleëmoſyna.* Injungi poſſunt bona opera facienda pro Defunctis, n. 37. Quo tempore ſatisfactio ſit imponenda ? n. 42. Quantitas ſatisfactionis relinquitur prudenti arbitrio confeſſarii, n. 43. An quando jubilæus pleniſſimus conceditur leviores pœnitentiæ ſint injungendæ ? n. 45. Item ſi ob impoſitionem gravioris pœnitentiæ averteretur pœnitens ab hoc Sacramento, num. 46.

Pœnitens tenetur acceptare ſatisfactionem ſi velit abſolvi, quæ obligatio ex ſuo genere eſt gravis, tr. 6. c. 10. p. 4. n. 52. Neque poteſt confeſſarius ſe conformare cum pœnitente oppoſitum intendente, n. 58. Quod obligatio exequendi pœnitentiam ſit gravis, vel non ſit gravis, ſumitur ex materia præcepta, non ex cauſa motiva, n. 62.

Satisfactio exequenda eſt tempore deſignato à confeſſario, tr. 6. c. 10. p. 5. n. 63. Si confeſſarius tempus non deſignet, exequenda eſt ubi primum commodè poteſt, ibid. Dilatio ſatisfactionis per unum annum eſt notabilis, & gravis, n. 64. Qui obligatus ſingulis menſibus confiteri, differt confeſſionem per tres, vel quatuor dies, non eſt reus mortalis, ibid. Si ſatisfactio non adimpletur die, vel tempore præſtituto, adhuc perſeverat obligatio illius, n. 67. Niſi oppoſitum habeatur ex intentione confeſſarii, ibidem. An teneatur pœnitens adimplere pœnitentiam in ſtatu gratiæ ? n. 69. & 70.

Confeſſarius quilibet poteſt commutare pœnitentiam impoſitam ab alio pro peccatis non reſervatis, audiendo, & abſolvendo denuò eadem peccata, tr. 6. c. 10. n. 71. Quid autem ſi peccata ſint reſervata ? n. 72. Extra confeſſionem nequit fieri commutatio, n. 74. Etiam ab eodem confeſſario, n. 75.

An poſſit pœnitens omittere ſatisfactionem, ſi conſtet eſſe omninò injuſtam ? tr. 6. c. 10. n. 80. Quid ſi ſit illi moraliter impoſſibilis ? n. 81. Quid ſi detur præceptum ſuperioris vetantis opera injuncta ? num. 82. An excuſetur à ſatisfactionis executione, qui ejus omninò oblitus eſt ? num. 83. Non excuſatur quis ab obligatione ſatisfactionis obtentione indulgentiæ plenariæ, n. 84.

Scientia.

Quæ ſcientia requiratur in confeſſario, tr. 6. c. 12. p. 1. Et plura verb. *Confeſſor.*

Scribere, & ſcriptura.

Non tenetur ſcribere peccata, qui lubricam habet memoriam. tr. 6. c. 6. p. 2. n. 6. An graviter peccet, qui confitetur peccata per ſcripturam, cum facili vocibus poſſit. tr. 6. c. 7. p. 2. n. 11. An teneatur ex præcepto Eccleſiæ ſingulis annis confiteri per ſcripturam, qui aliter non poteſt ? n. 16. An ex præcepto divino in mortis articulo. ibid. num. 17.

Sigillum.

Vide confeſſionis ſigillum.

Signum.

Ratio ſigni magis convenit rei ſenſibili, quam intelligibili. tr. 1. c. 1. n. 12. Significatio convenit Sacramentis, non ex natura ſua, ſed ex inſtitutione Dei. n. 16.

Signum, quod fuit Sacramentum in lege naturæ, non erat determinatum in particulari. tr. 1. c. 1. n. 26.

Significare perfectius convenit verbis, quam rebus. tr. 1. c. 4. n. 12.

Species.

Species Euchariſtiæ licèt per conſecrationem non fiant abſolutè, fiunt, ut continentes Corpus Chriſti. tr. 4. c. 1. n. 35. Ex ſpeciebus, & Corpore Chriſti fit unum in ratione continentis, & contenti, num. 36. Species in Euchariſtia ſunt abſolutè Sacramentum, n. 43. Et cibus animæ in quantum continent Corpus Chriſti. n. 44.

Sponſus.

An ſponſus, vel ſponſa carnaliter peccantes cum aliis debeant in confeſſione explicare ſtatum ? tr. 6. c. 8. n. 52.

Stipendium Miſſæ.

Poſſunt licitè Sacerdotes accipere juſtum Miſſæ ſtipendium tr. 1. c. 5. punct. 1. n. 1. Nequeunt tamen pro una miſſa accipere integram ſuſtentationem diurnam, n. 3. & 4 Juſtum ſtipendium eſt, quod lege taxatu, vel rationabili conſuetudine receptum eſt. n. 5. Hæc lex, vel conſuetudo non prohibet, quin fideles poſſint dare plus, & Sacerdotes recipere minus, ſi velint. ibid. Non licet exigere plura juſta ſtipendia, & unico ſacrificio ſatisfacere, n. 6. Quid ſi ſtipendia ſint infrà juſtum ? n. 8. Quid ſi Sacerdos applicet pro uno ſtipendio partem ſibi correſpondentem ? n. 10. An Rector beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur illi præſtare ſtipendium ad rationem redituum beneficii ? n. 13. Non licet accipere duplex ſtipendium pro una miſſa, alterum pro appliſtione fructus, alterum pro applicatione indulgentiæ altaris, n. 23. Qui ratione unius ſtipendii tenetur dicere miſſam pro commoditate populi v. g. relicta facultate accipiendi aliud ſtipendium, poteſt illud accipere. n. 24. Qui tenetur ſingulis hebdomadibus aliquas miſſas celebrare, ſatisfacit regulariter loquendo, illas in hebdomada antecedenti celebrando, n. 27. Quid ſi teneatur determinatis diebus celebrare ? n. 30. An peccet graviter, qui accipit ſtipendium pro una miſſa, & poſtea illam omittit ? n. 39.

Superior.

An ſuperior auditis peccatis ſibi reſervatis poſſit mittere pœnitentem ad confeſſarium inferiorem pro abſolutione non reſervatorum ? vide verb. *Reſervatio caſuum.*

Suſcipere Sacramenta.

Carens uſu rationis validè ſuſcipit aliqua Sacramenta ſinè libero conſenſu. tr. 1. c. 8. n. 1. Poteſt validè ſuſcipere Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Ordinem, non autem Matrimonium, & Pœnitentiam, etſi nunquam habuit uſum rationis, nec Extremam unctionem, n. 2. In adultis requiritur conſenſus ad valorem Sacramenti (excepta Euchariſtia) n. 3. & ſeq. Nec ſufficit ſe habere neutraliter. n. 7. Non requiritur actus fidei, pœnitentiæ, aut juſtitiæ ad valorem præcisè Sacramentorum, (dempta Pœnitent) n. 9.

Suſcepturus Sacramentum non tenetur inquirere de probitate miniſtri. tr. 1. c. 8. num. 39. Immò,

mò, & ſi videat Sacerdotem paulò antea peccantem mortaliter, poteſt licitè petere. n. 40.

T.

Tabacus.

QUi tabacum in fumo, vel puluere tranſmittit voluntariè ad ſtomachum, violat jejunium naturale. tr. 4. c. 7. punct. 4. n. 71. Ore conterens folium tabaci, ſi nihil in ſtomachum trajicitur, non frangit hoc jejunium, n. 72.

Tribunal.

Differentia inter tribunal forenſe, & Sacramentale, quantum ad peccata dubia, tract. 6. c. 8. n. 40.

Tridentinum.

Explicatur Concilium Tridentinum circa circumſtantias aggravanter, tr. 6. c. 8. n. 29. Et circa peccata dubia, n. 42. Er circa approbationem confeſſariorum. vid. v. *Approbatio.*

V.

Vagus.

QUis ſit proprius miniſter Pœnitentiæ reſpectu vagorum? tr. 6. c. 11. punct. 3. n. 52.

Valor

Valor Sacrificii miſſæ eſt infinitus. tr. 5. c. 3. n. 40. Differentia inter ſacrificium miſſæ, & ſacrificium crucis quoad valorem. ibid. n. 51.

Veniale peccatum.

Remiſſio peccati venialis ſupponit gratiam in ſubjecto. tract. 6. c. 5. p. 2. n. 28. Conjunctum cum mortali non remittitur, quin remittatur mortale. n. 29. Per contritionem auferuntur ſecundum culpæ reatum omnia venialia, ad quæ ſe extendit contritio. n. 31. An peccet graviter qui confitetur unum peccatum veniale, de quo non dolet, cum aliis, de quibus dolet? ibid. n. 38.

Quomodo venialia remittantur in confeſſione? ibid. n. 37. Quomodo per bona opera? n. 40. Quomodo per Sacramenta? n. 45. Quomodo per Sacramentalia? n. 50. Quomodo in altera vita? n. 51.

Non poſſunt ſpectata gratia, quæ communiter concedi ſolet, evitari omnia peccata venialia collectivè. tr. 6. c. 5. n. 55. Saluari poteſt verum propoſitum vitandi aliqua peccata venialia, abſque propoſito vitandi omnia. ibid. An propoſitum vitandi peccata venialia ex motivo univerſali, retractetur per admiſſionem cujuslibet? tr. 6. c. 5. n. 56. An ad lucrandum jubilæum debeat confiteri venialia, qui caret mortali? tr. 6. c. 7. n. 33. An teneatur confeſſarius ſub mortali imponere pœnitentiam pro ſolis venialibus? tr. 6. c. 10. n. 18. An qui confitetur venialia ſimplici Sacerdoti, ſi habeat aliquod mortale, quod invincibiliter ignorat, validè abſolvatur? tr. 6. c. 11. n. 17.

Verbum.

Verba Chriſti ad Magdalenam *Remittuntur tibi*, &c. Non ſunt forma Sacramenti. Et quare? tr. 1. c. 1. n. 22. & 25.

Verba ſunt forma Sacramentorum legis novæ. tr. 1. c. 4. n. 7. & ſeq. Loco verborum formæ Sacramentorum, nequeunt adhiberi nutus, ſcriptura, &c. (excepto matrimonio) tr. 1. c. 4. n. 11. ſignificare perfectius convenit verbis. quam rebus. n. 12.

Verba determinant res ſenſibiles, & determinantur à ſignificatione. ibid. n. 13.

Verba an ſint pars eſſentialis Sacramentorum? ibid. n. 24. Determinant ſpecies. ibid. n. 33. Sunt ſimul forma, & efficiens reſpectu Sacramenti Euchariſtiæ. n. 34.

Veſtes.

De veſtibus requiſitis ad Miſſæ celebrationem, & obligatione illas induendi. vid. verb. *Miſſa.* & tr. 5. c. 4. punct. 4. n. 91. Veſtes non redduntur benedictæ, ex eo, quod illis nondum benedictis utatur quis bona vel mala fide ad celebrandum, ibid. à n. 96.

Vicarius.

Vicarius generalis Epoſcopi habet juriſdictionem ordinariam ad abſolvendum. tr. 6. c. 11. n. 43.

Vicarius inſtitutus à capitulo ſede vacante. n. 45. & vicarius habentium juriſdictionem Epiſcopalem. ibidem.

Vicarius generalis cenſetur habere idem tribunal cum Epiſcopo, & ideo iſto mortuo ceſſat juriſdictio illius. tr. 6. c. 11. n. 83.

Violentia.

Violentia transferens actus in ſpeciem diverſam, debet explicari in confeſſione, ut in raptu & rapina. tr. 6. c. 8. n. 110.

Virgo.

An virgo quando primo fornicatur, teneatur in confeſſione iſtam circumſtantiam explicare? tr. 6. c. 8. n. 57.

Virtus.

Virtus Sacramentalis ex quibus conſurgit? tr. 5. c. 6. d. 6. n. 54. Quare virtus reſidens in anima (ſcilicet character) eſt permanens; & recepta in verbis eſt fluens? n. 61. Virtus à qua elevantur verba Sacerdotis, producitur à Deo, & à charactere. n. 68.

Unitas.

Unitas divinæ eſſentiæ debet exprimi in forma Baptiſmi. tr. 2. c. 3. n. 14. Ex quo deciduntur plures caſus ibidem.

Unitas ſpecifica, & numerica Euchariſtiæ vide verb. *Euchariſtia.*

Voluntarium.

Voluntarium indirectè non reperitur in bonis, ſed ſolum in malis. tr. 1. c. 7. n. 52.

Vomitus.

Praxis obſervanda in conferenda Euchariſtia ægro, cui imminet vomitus. tr. 4. c. 8. n. 14.

Votum.

Votum Euchariſtiæ eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, de quo plura. verb. *Euchariſtia.* Votum Sacramenti pœnitentiæ non debet eſſe neceſſarium explicitum. tr. 6. c. 2. n. 23.

Dubius de voto non tenetur ad illius obſervationem. tr. 6. c. 8. n. 45. An ſit neceſſarium explicare in confeſſione, quod res erat ſemel, vel ſæpius promiſſa per votum. ibid. n. 53. An quod votum erat ſolemne, vel ſimplex? n. 54.

Si uterque committens peccatum carnis habeat votum caſtitatis, debet circumſtantia ex parte utriuſque explicari. ibid. n. 71. Violans votum juramento firmatum debet utramque circumſtantiam confiteri. ibidem n. 72.

Uſus.

Uſus, quem habet Eccleſia Latina conſecrandi in pane azimo congruentior eſt, quam uſus Eccleſiæ Græcæ. tr. 4. c. 4. à n. 18.

FINIS.

1NT 114247